

FRANCISCI
VALLESII
COVARRUBIANI

PHILIPPI II. HISPANIARVM
Regis Archiatri, & à cubiculo medici,

*In libros Hippocratis de morbis popularibus,
Commentaria,*

*Magnam utriusque medicinae, theoricæ inquam et
practicæ, partem continentia.*

A DE VNDEM PHILIPPVM REGEM
potentissimum.

Editio secunda in qua plura typographorum errata emendantur.



n. 5529

AVGVSTAE TAVRINORVM,
Apud heredem Nicolai Beulaque. 1589.

M

er ha
uinc
tro C
natio
o qu
vinn
e r
al
ba
av
d
ell
ad
-e
p
f
v
s
o
re
re
ie
m
er
i
tel
que
m
ey

EL REY.



RO R quanto, por porte de vos el Doctor Valles, medico de nuestra camara, nos fue hecha relacion diZiendo que vos aviades hecho vno commentario sobre las Epidemias de Hippocrates, muy necessarios para los medicos. supplicandonos os mandasemos dar licencia para poder hazer imprimir el libro que sobre ello aviades hecho, y privilegio por vnce años, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, por quãto en el dicho libro se hizo la diligencia que la pragmatica por nos agora nueuamente sobre ello hecha dispone, fue acordado que deuamos mandar dar esta nuestra cedula en la dicha razon. E auuelo por bien, y por la presente vos damos licencia y facultad para que vos, o la persona que para ello nuestro poder huuiere, y no otra persona alguna, podays hazer imprimir y vender el dicho libro que de suso haze mencion en estos nuestros Reynos, por tiempo y espacio de quinze años cumplidos, primeros siguientes, que corran y se quenten desde el dia de la fecha desta. Sopena que qualquiera persona que sin tener, para ello nuestro poder, le imprimiere, o vendiere, o hiziere imprimir y vender, pierda toda la impresion que hizieren, o vendieren, con los males e apereios della, y mas incurran en pena de cinquenta mil maravedys por cada vez que lo contrario hiziere. La mitad dela qual dicha pena sea para la nuestra camara y fisco, y la otra mitad para vos el dicho Doctor Valles, y todas las vezes que se huuiere de imprimir el dicho libro, durante el dicho tiempo de los dichos quinze años, se trayga al nuestro Consejo, juntamente con el original, que en el fue visto, que varnada cada plana, y firmado al fin del, de Alonso de Valleio nuestro criuano de camara, y vno de los que en el nuestro Consejo residen, para que se vea si la dicha impresion esta conforme al original, y se os de licencia para que lo podays vender, y se tasse el precio en que se ha de vender cada volumen, sopena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha pragmatica, y leyes de nuestros Reynos. Y mandamos a los del nuestro Consejo, y otras qualesquier justicias destos nuestros Reynos, que guarden y cumplan y executen, y hagan guardar, cumplir y executar esta nuestra cedula, y todo lo en ella contenido. Fecha en Madrid a tres dias del mes de Abril de mil y quinientos y setenta y seys años.

YO EL REY.

Por mandado de su Magestad.

Antonio de Herasfo.

9 2 HPI-

LIBROS
 DEL DR.
 MARCO

PHILIPPO II

HISPANIARVM

ET INDIARVM,

Regi potentissimo.

FRANCISCVS VALLESIVS

faelicitatem & bene agere.

INTER alia non pauca in Hippo-
cratem, Galenum, & Aristotelem
commentaria, quae partim in lucrum
edidi, partim domi habeo, Rex potētissime, in vno
celeberrimū etiā opus Epidemion siue de mor-
bis popularibus, quod in septem libros distribu-
tū est, scribere decreui, ea praecipue causa, quod
nullius neq; ueterum neq; recentiu, extant, aut
(quod equidem sciā) extiterint vnquam in
gra cōmentaria. Galeni. n. extant adhuc in pri-
mum, tertium et sexti partem. scripsit verò,
eiusdem constat testimonio, etiam in secundum
recentiores in minora frustra secant. Leonha-
tus Fuchsius scripsit in sextū. Petrus Iacobus
Esteue in secundum. Quartum, quintum &
septimum nullus attigit, ac proinde a plerisque
(iniuria vt censeo) habentur despectui, quae

alie-

I alieni & spurij. Visum ergo est ex re futurū, ut
M hi tres nunc denuo illustrati non ex cuiusq; opi
nione, sed ex seipsis a viris doctis iudicetur: stu
diosi verò habeant, totius operis nō carptim mul
I V torum, sed eiusdem scriptoris cōmentaria: quod
genus scribēdi, mihi visum est semper utile &
lippo honorificum. Nam qui in ea quæ a multis iam
telen alijs enarrata sunt scribit cōmētaria, quan
z luc tumuis id præstet optimè, est quidem optimus,
ne, si vnus tamen è multis enarratoribus: qui verò
mor primi id præstant, post tam multa præcipuè se
trib cula, parum abest quin sint ipsi auctores: quid
quò enim interest fuisse eos libros nunquam, aut
ut, an perijisse? quid verò perijisse aut a nullo legi?
n int quid verò a nullo legi, aut prorsus non intelli
n pri gi? Ut itaque hæc scribam hæc est causa, ut ve
rò, r rò tibi Rex potentissimè dicem, maxima illa
dum benignitas qua me prosequutus es. Nam cui
nha possim meos labores referre nisi ei cuius sim aliū
cobu nus? aut quid velim potiusquàm id testatū re
m & linquere quod mihi magnæ gloriæ apud posteri
erise tatem futurum sit? erit. n. haud dubie multo
quæ maiori, quod tanti Regis saluti simul cum so
cijs

cijs meis Oliuare, & Ortega præstantissim
quidem uiris, præfectus sim, quàmquod tã
ta scripserim. Faciat Deus opt. max. ut nost
hanc non exiguam fœlicitatem augeat long
tas & incolumitas maiestatis tuæ, quam su
plex oro, ut hoc quaecunq; est munusculũ, s
ta benignitate recipias, atq; reponi iubeas
maxima illa, quã nunc paras Bibliotheca, ca
bij diui Laurentij, quod toto terrarum orbe,
omnibus seculis celeberrimũ futurum, nunc
gis: ubi tuo iussu iam antea asseruantur om
que in hunc usque diem edidi, duo nempe li
alter controuersiarũ medicinalium, cui acc
sit libellus de locis manifestè pugnãtibus ap
Gal. alter controuersiarum naturalium ad ty
nes, cõtinentes eas quæ spectant ad libros de p
sica doctrina: commentaria etiam in libros
dem Aristot. alia quoq; in quartum Meteor
Aris. liber etiam in quo compendiariè scrips
pulsibus, urinis, & febribus; scholia quoq; in
bros de locis affectis Gale. & alia in libros
differentia februm; alia etiam in artẽ medic
nalem; ut & alia in libellum de inæquali in
perie

erie eiusdem autoris, cōmentaria item in apho-
rismos, & in prognosticum, & in libros de ra-
tione victus in morbis acutis, & in libellū de
alimento Hipp. His tuam maiestatem oro, nūc
proponi iubeas hæc in septem libros Epidemion
cōmentaria, dū tuo fretus favore, reliqua quoq;
quæ restant in scrinijs, typis danda curo. quod
idem opto quam maximè faciant quā plurimi,
quos nunc habet Hispania in omni literarū ge-
nere eruditissimos, vt inde posteritas agnoscat
quā fuerit sub te Rege fœlici ocio Hispania po-
nata, sitq; tibi Rex permaximæ gloriæ, quod re-
us vbiq; terrarū, plusquam dici potest, nō tur-
pissimis modò, sed corruptissimis, tuā rem pu-
blicam paccatā retines, omniq; splendore, atq;
quod omnium est maximū, religione & literis
reges, quem Deus opt. max. suæ sanctissima ec-
clesiæ seruet incolumē, vsq; dum maxima hæc,
qua nunc discerpitur, tempestas cōquiescat, &
nequissimus infidelitatis spiritus, cui nunc ob-
nostra crimina datum est, in antiquissimos Ec-
clesiæ fines virus suū effundere, Dei opt. maxi.
misericordia aeternis carceribus coerceatur.

LIBROS
DEL D.

Ad

Ad Lectorem.



CUM de medica praxi in amicorum & discipulorum gratiam scribenda cogitarem, nulla mihi subijt potior ratio, quam in libros Epidemion siue de morbis populariter grassantibus Hippocratis edere commentaria. Nam si quis rectè consideret, praxi vnum quiddam eorum est quæ facilius scribi, quam legi debent, scribi perfectè non possunt, aut certè non aliter quam in exemplis, ars enim medica de curandis hominibus est, ipsa verò medicatio, non nisi de his hominibus, vt Calia, aut Socrate. Calias autem & Socrates neque in scholas neque in libros adduci possunt, nisi per historias, id verò vel hinc constat, quòd duæ cum sint artis partes Theorica ratiocinatione vtitur, practica experientia adhibet. Empirici verò medici duobus utebantur instrumentis, autopsia & historia, hoc est propria, & magistro obseruatione. Duplex cum sit ratio qua te possis in practica medicina exercere, alteram quidè tenebis, perito, exercitato, ac prudenti medico te adhibens socium, atq; ab alio latere per duos integros annos, secundum nostræ Republicæ leges, non recedens: alteram huic proximã, libros Epidemion totos cum commentarijs, legens, ac relegens, ita enim fiet vt de vulgaribus morbis & præsentibus & eminentibus optime coniectes, & plurimis exemplis abundes, quod te magnopere iuuare potest: Nam historiarum huius operis nil sunt aliud, quàm multorum morborum sapientissimè (vt scilicet ab Hippocrate) scriptæ relationes: in quibus verò commentaria consultationes de morbi qui proponitur essentia, eiusq; & symptomatum causis & prognostico, atq; idonea curatione. Quicumque ergo tibi medicum facturanti occurret agrotus, occurret legenti similis a Hippo. & vtens translatione a simili, adhibebis in consultationem tuam Hippocratem, atque (si alicuius id etiam momenti est) me quoque id vnum te monitum volo, non esse hoc opus in his quæ satis sit legisse semel, sed indigere assidua lectitatione, meditatione, & exercitatione. quod si omiseris, certò scias, eum qui fecerit, fore te in consultationibus longè superiorem. Fruere & vale.

I
FRANCISCI
VALLESII COVAR-
RVBIANI,

IN SCHOLA COMPLVTENSI
Professoris Primarij,

ET PHILIPPI MAGNI
Hispaniarum & Indiarum Regis poten-
tissimi Archiatri.

COMMENTARIA,

In libros Hippocratis de morbis populariter vagantibus.

*Eiusdem in omnes libros de morbis vulgaribus Prefatio,
eiusque argumentum.*



PER VM Hippocratis quædã sunt, quæ præ-
cepta continent; velut libri aphorismorum,
& prædictionum, & de ratione victus, & qui-
dam alij: quædam solum obseruationes, velut
hi libri, quorum enarrationem modo aggre-
dimur: nulla enim præcepta continent, sed narrationem so-
lum eorum, quæ Hippocrates fieri circa multos ægrotos
obseruauit. Itaque hic autor historicus est, non præceptor.
Nimirum cum ars medica ex philosophia & experimentis
nascatur, perfectissimè videtur mihi hanc artem tradidisse,
seorsum scribens de natura rerum omnium, præcipuè
verò hominis, & de morbis, seorsum suas obseruationes:
atque deinceps enucleatissimas sententias. Scripsit scilicet,
& artis præcepta, & principia, ex quibus ea nata sunt, ve-
rum quia præcepta non ex his quæ cuidã homini, aut pau-
cis quibusdam, sed multis euenerunt, capi debent, consen-
taneum

A

taneum fuit tempestatum infalubrium, in quibus fuerunt morbi communes multis hominibus, præcipuè meminisse, vnde etiam acceperunt nomen libri epidemion siue de morbis populariter vagantibus. Nam tempestatibus salubribus accidere solent morbi rari. Nulla enim adeo salubris est tempesta, vt nullos ægrotos habeat, sed quæ non est morbosa, habet raros, in infalubribus accidunt multi. Morborum quidam vocantur ab Hippocrate communes, quidam sparsim grassantes: communes sunt, cum omnes, aut plerique, ijque omnis naturæ, & sexus, eodem morbi genere capiuntur: sparsi, cum varij homines varijs morbis ægrotant. at qui communes, aut regionis, vrbisve naturam sequuntur, vocanturque ab Hippocrate endemici, à nobis patrij aut vernaculi: aut non, sed aliam causam, & vocantur epidemici, siue populares, de morbis vernaculis, in libello de aere, locis & aquis, videtur mihi satis scripsisse, de sparsis in libris de morbis, in hoc opere de his omnibus agit, vt in ipsius operis decursu patebit, præcipuè verò de epidemicis, quos nasci ex causa communi, in libris de natura humana, & de flatu dicit Hippo. sparsos verò, non ex causa communi, sed ex cuiusque victu: in quo nihil potest esse omnibus regionis, aut vrbis incolis, commune, præter aerem, non enim cibus, aut potus, aut somnus, aut vigilia, aut motus corporis, aut animi, aut otium, aut Venus, quibus nulla re tali vtuntur omnes pariter, sed est suus cuique mos. Aere verò vt cumque affecto, omnes vtuntur eodem. Atque ita cum aer putris est morborum causa, epidemiales fiunt, nunc magis, nunc minus mortiferi, vt deterior, aut minus mala putredo irrepsit in aerem. Victus facit tempestatibus infalubres, morbi tantum vagantibus sparsim, at qui hoc genus infalubrium tempestatum, dicit solere accidere, per caritatem annonæ, coactis hominibus prauo victu vti. Accidit quidem, in his quoque tempestatibus, genus aliquod morbi, commune esse præ alijs, quoniam euenit multos eodem modo errare in victu. Nullum verò esse morbi generum omnino commune, hinc perspicies, quòd diuites, & quæ etiam in caritate annonæ cibus abundant, non adeo capiuntur talibus morbis. Quòd si malum post caritatem adeo serpat, vt arripiat multos omnis naturæ, putandum est morbos sparsos in populares iam migrasse, quòd quidem fit

vcl.

vel inquinamentis multorum ægrotantium aerem iam infici-
 cientibus, vel intemperie aeris, quæ fruges subtulit, mor-
 bos afferente. Popularis tamen & communis morbus non
 antea est, quàm sit causa in aere. Nam siue frumentum pu-
 truerit, siue aquæ fontis venenatæ sint, non est causa neces-
 saria, & omnibus communis. Erunt enim qui eam deuitent,
 aquam integram, aut frumenta imputrida asportâtes sibi,
 aerem vero nullus in oppido agens deuitare potest. Quare
 aer morbos parit omnibus communes, fortunis, naturis,
 ætatibus, sexibus. Quamquam neque hic opus est, vt om-
 nibus noceat pariter: sed, vt nullum genus hominum om-
 nino non lædat. Nam occurrunt tempestates epidemiales
 quibus maxime senes, aliæ quibus maximè pueri, aliæ qui-
 bus iuuenes maximè læduntur. Nimirum quâquam omnes
 tempestates, quibus morbi epidemiales fiunt, aeris affectio-
 nem coniunctam habeant, non tamen omnes eandem, sed
 variæ tempestates varias affectiones. Quæ quidè variæ sunt,
 nunc differentia effabili (vt si in hac tempestate est iusto
 ficcior, in illa iusto humidior) nunc ineffabili, velut in va-
 rijs pestilentia generibus accidere solet, inde enim nascun-
 tur pestilentia genera longe diuersa nunc cum bubonibus,
 nunc cum vlceribus: nunc cum maculis: ex maligna quide
 aeris putredine omnes, sed vario putrescendi modo, eo que
 indicibili. Illæ igitur variæ aeris affectiones, siue effabiles
 sint, siue ineffabiles, si magnæ sunt, omnibus hominibus
 sunt noxiæ (nulla enim natura gaudet extrema aliqua infe-
 ctione aeris) tamen non omnibus pariter, sed habent cum
 quibusdam naturis, ætatibus, aut sexibus sympatiam, hanc
 etiam effabilem, aut ineffabilem. Et quoniam longe maior
 differentia est diuersorum animalium, quàm diuersarum
 ætatum hominis, hæ ineffabiles differentia faciunt vt quæ-
 dam pestes, hæc animalium genera, quædam alia inficiant,
 aut non inficiant, vt docet ipsemet Hippo. libello de flatu-
 bus. Dixi si magnæ sint affectiones, non ob putrescentias
 (putredo enim aeris, siue magna sit siue parua, omnibus
 hominibus plus aut minus est noxia) sed ob intemperies:
 hæ enim si non sunt magnæ, non pariunt morbos commu-
 nes, sed illis hominibus proprios, cum quibus ea intempe-
 ries habet sympatiam. Velut ficcato aere mulieres, & hu-
 mido viri, salubriter degunt, biliosi ægrotant, atque ita cõ-

stat non omnes morbos qui ab aere procedunt, esse communes, omnes autem communes, esse ab aere. At qui, quoniam ab aere nascuntur, cum insalubrem tempestatem narrat Hippocrates totus in eo est, ut describat, quo pacto fuerit affectus aer à ventis & pluuijs. His enim maxime afficitur, velut mox in ipso operis initio facit. Ego concedente Deo, eam commentariorum rationem obseruabo, ut explicata narratione, singulorum causas addam, tu interim memoria mihi retine omnia quæ in hac præfatione dicta sunt.

Sectio prima, siue constitutio
temporis. I.

IN *Thaso, autumno, circa æquinoctium, & sub pleiadas, aquæ multæ, continentes, molles, ut in austrinis. Hyems austrina, pauci venti aquilonares, scalores, totum quod ad hyemem pertinuit, quale ver erat. Ver autem austrinum, frigidum, pluuiæ paruæ. Estas magna ex parte nebulosa, sine pluuijs, etesiæ paruæ, dispersim spirabant.*

CUM sint duo æquinoctia, vernū & autumnale, hic ex adiunctis satis constat autumnale intelligere Hippocratem cum dicat, autumno, & circa æquinoctium. Quod dicit, & sub pleiadas, haud dubiè perinde est ac si diceret, usque ad occasum (intellige vero Hippocratem ac proinde etiam nos, de cosmico ortu, aut occasu signorum loqui) pleiadum. Nam pleiades est sydus quoddam locatum in tauro, oritur circa finem Aprilis: occidit circa initium Nouembris. Non potuit tamen tempestas illa multarum aquarum continenter cadentium, durare ab æquinoctio autumnali usque ad ortū pleiadum. Nam hyems (quæ hoc tempore contineretur) sine aquis fuit. Ergo intelligit fuisse aquas multas, continentes, & molles à principio autumnali, usque ad occasum pleiadum. Id tempus est ferè duorum mensium, Septembris, & Octobris. Hoc tempore fuisse dicit pluuias multas. Intelligit vero non confertas

confertas ac copiosas (tales enim vocare solet largas) sed numero multas hoc est, sæpe cadentes. Pluuias verò continentes, hoc est, non sæpe intercisas, sed longiusculas. Dicit etiam molles, & vt explicet quas vocat molles, addit, vt in austrinis. Nimirum flante austro solent cadere pluuiæ, quædam blandæ, sine frigore, atque vlllo rerum frigore, sed placidæ, & sine impetu vehementi, aut strepitu. Tales sunt molles pluuiæ. Itaque duobus illis mensibus hoc modo pluebat. Sed cur cum duos hos menses descripsisset, addidit statim, hyems austrina? an intermisit mensẽ vnũ? videtur enim: siquidem, autumnus, hyems ver, & æstas, ternos habent menses, & quatuor his temporibus æqualibus duodecim mensium annus constat. Prætermisit ergo Hippo. mensẽ Nouembris, si hyems non incipit ante solstitium hyemale: quod fit mensis, Decembris exactis aliquot diebus. Sed non prætermisit. Non enim Hippocrates diuidit quatuor anni tempora, vt astrologi, qui rationem habent solstitiorum, & æquinoctiorum: neque vt grammatici, qui numerant menses: sed vt medicũ decet, rationem habens mutationum, quæ in aëris temperie contingunt nimirum nobis tempus quod insignitè frigidum, & humidum esse solet, est hyems, quod calidum & siccum æstas: quod temperatum, ver, quod in æqualiter calidum & frigidum, atque siccum, autumnus. Quiuis verò videat, has differentias temperiei, non respondere partitioni astronomicæ, aut grammaticæ. Nam mensẽ Nouembris non minus friget aer quàm mensẽ Februarij, imò verò fortasse aliquanto plus: neque minus calet mensẽ Maij quàm Augusti, neque ergo per mensẽ Maium durat vernalis mediocritas, neque per Nouembrem autumnalis. Quare meritò Hippocrates adiungit mensẽ Nouembris hyemi: æstati verò Maium, facitque ver, & autumnum, mensium binorum, hyemem, & æstatem, quaternorum. Incipit enim Hippocrati autumnus ab extortu arcturi, finitur occasu pleiadum. Hinc incipit hyems: quæ durat vsque ad æquinoctium vernum. Hinc incipiens durat ver, vsque ad ortum pleiadum. Hinc incipit æstas cuius prima pars est vsque ad ortum Canis, qui Compluti fit. 19. Iulij: secunda pars est ab hoc ortu, vsque ad ortum arcturi. Hanc partitionem scripsit idem Hippocrates libro 3. de dieta dicens. Annum certè in quatuor partes di-

A 3 uidant,

3 uident, quas omnes fere nouerunt, hyemem, ver, æstatem, quo
 3 & autumnum. Et hyemem quidem, à pleiadum occafu, us
 3 que ad æquinoctium uernum, ver autem ab æquinoctio us
 3 que ad pleiadum exortum, æstatem uerò ad pleiadum or
 3 tu, usque ad ortum arcturi, autumnum ab arcturi ortu usq
 3 ad pleiadum occafum. Eadem partitionem fecutus est Pli
 3 nius, qui libro 18. cap. 29. ita scripsit, Ortus uergiliarum æsta
 3 tem inchoat, & occafus hyemem. Ab ortu Caniculæ flant
 3 venti, qui uocantur etefiæ, qui ut Aristoteles 2. metheoro
 3 rum dicit, sunt aquilonares, flantes interdium, cessantes no
 3 ctu, quia generantur illis diebus uenda terra, geminato ca
 3 lore solis & Caniculæ. Cessant ergo noctu cessante uisione.
 3 Fumigat uerò illis diebus septentrionalis plaga, quia illa
 3 retinet tunc quoque humorem, qui ad generandum fumum
 3 est satis. Et efia igitur, hi uenti sunt, & his diebus flant.
 3 Quamquam Plinius & plerique astronomi à prodromis
 3 uocatis diebus (sunt hi octo ante Canem) incipere dicunt.
 3 Mihi uidetur hic Hippocrates non aliter ac Aristote. intel
 3 ligere nomine etefiarum uentos flantes post Caniculæ or
 3 tum, quandoquidem magnam ætatis partem descripserat,
 3 antequam etefiarum mentionem faceret. Sed redeo ad
 3 hyemem. Hyems, inquit, austrina, pauci uenti aquilonares,
 3 squalores. Totum quod ad hyemem pertinuit quale erat,
 3 uer. Sed austrina, quo pacto flauerunt uenti aquilonares?
 3 aut quo pacto fuerunt squalores? aut si hi fuerunt, quo pa
 3 cto fuit hyems tota quale uer? Certè non simul fuit hyems
 3 austrina, & aquilonia, ac squalida (neque enim potuit) sed
 3 diuersis temporibus. Narrat uerò Hippocrates rem, ut est
 3 acta, prima hyemis pars, eaque maxima, fuit austrina, extre
 3 mo mense hyemis, Febuario scilicet, flare cœperunt aq
 3 uilonares: non hi quidem magni, sed quia tota hyeme nō plue
 3 rat, potuerunt facillè squalorem facere. Atqui si quis inter
 3 roget, qualis fuerit extrema hyems, aquilonarem dicemus:
 3 si uerò nullius partis mentione facta, quis iubeat respon
 3 dere, qualis fuerit hyems, respondebimus quod & Hippo
 3 crates totum quod ad hyemem pertinuit, hoc est tota si
 3 mul hyems, quale uer fuit, scilicet eo anno haud fuerunt
 3 magna frigora. Uer dicit fuisse austrinum & frigidum, ad
 3 ditque, & pluuiæ paruæ, rarum fuit, austrinum esse & frigi
 3 dum. Quia flante hoc uento solèt remittere frigora, rarum
 3 quoque

quoque parum pluere. Nam in tota Europa (est verò Thasus in Europa) flante austro solent esse frequentes pluiæ. Cæterum & si rarum, ita enim ætas magna ex parte fuit plena nubibus, tamen non concredebant in pluias. Et æque flauerunt pauca & parua, paucis scilicet diebus, & non vehementer. Flabant (parim, hoc est, nunc hæc, nunc illæ). Vnde intelligo Hippocratem describere modo tempestatem, quæ fuit non in vrbe Thaso vocata, sed in tota insula, quæ etiam ita appellatur. Constitutio itaque huius anni hæc fuit, morbi verò qui sequuntur.

Cum autem fuerit totus hic aeris status vergens ad austrina, & cum siccitatibus; ante ver, ex priori dispositione sub contraria & boreali fiente, paucis facti sunt causi, & his omnino stabiles, & paucis fluebat sanguis, neque moriebantur ex his. Tubercula verò circa aures, multis circa alteram erant, & ex utrisque plurimis, sine febre erectè ambulantes, quibusdam etiam parum incallescant, extincta sunt omnibus sine noxa, neque suppurarunt cuiquam, ut quæ ex alijs causis. Erat autem figura illorum laxa, magna, effusa, sine inflammatione, Indolentia omnibus obscure euauerunt. Fiebant autem hæc pueris, iunioribus, ætate vigentibus, & horum plurimis in palestra & gymnasijs exercitatis: mulieribus verò paucis fiebant. Multis autem tusses sicca. Tussiebant, & nihil extrahabant, & voces rauca non multo post. Quibusdam autem etiam post quoddam tempus inflammationes cum dolore in testiculum alterum: quibusdam in utrumque. Quibusdam febres, quibusdam non. Laboriosa hæc plurimis. Cætera verò quæ ad medicum opificium spectant, sine morbo agebant.

Cum cœpisset aeris temperiem à principio autumnii describere, morbos tamen à principio veris incipit: eius scilicet veris, quod primum post illum autumnum secutum est.

Atque cum descriptionem temporis vsque ad æstatis finem perduxerit, morborum narrationem vsque ad sequentem perducit hyemem. Merito quidem: nam verisimile est, neque mox cum intemperie aeris incipere graues ob eã morbos (sed tanto tempore post, quantum ad permutanda corpora sit satis) neque mox ac temperies aeris cessat, morbos ex ea natos extinguere, sed tanto plus durare quanto opus sit, vt corpora corrigantur. Cum ergo (inquit) fieret totus hic aeris status austrinus & cum siccitatibus, id est, cum toto hoc anno flaret auster & non plueret. Dicitur verò vtrūque toto anno accidisse, quia vtrumque vix quadam anni particula defuit: nimirum autumnus duobus mēsis solum pluit, & vnico mense hyemis flauit boreas. Atqui ob huius particule hyemis siccitatem, dicit appetente iam vere quibusdam, haud multis, accidisse causas. Sunt hæc biliosa febres in genere tertianarum non intermittentium, hos dicit fuisse stabiles, hoc est, non mali moris, neque inopinatum quicquam medico afferentes. Paucis accidisse fluxiones sanguinis, quamquam multis per id febrium genus soleat fluere de naribus, sanguine in superna ob calorem raptō: denique fuisse salutare, neque ex his homines interiisse. Alijs procedente vere circa alteram aut circa vtramque aurem facta dicit œdemata (talia enim sunt tubercula laxa, magna, effusa, sine inflammatione, & sine dolore) multos verò non decubuisse ob hæc œdemata, sed erectos obambulasse: quosdam verò parum febricitasse: omnibus dicit extincta esse sine alia noxa: neque enim suppurasse, vt tumores qui ex alijs causis fieri solent (inflammationes scilicet, quæ ex sanguine, aut œdemata quæ ex alia crassiori pituita, aut etiam nonnūquam scirrhi, qui ex melancholico sanguine) sed euanuisse insensibili resolutione. Hæc ait euenisse viris & agentibus ætates calidas, & exercitatis, mulieribus verò, aut frigidis ætates agentibus, aut degentibus in otio, paucis. Alijs etiam multis hoc ipso tempore dicit accidisse tussis siccas, quas vocet tussis siccas explicans, addit, tussiebant, & nihil extrahebant, & non multo postquã tussi corripiebantur, voces illis rauca fiebant. Quibusdam verò horum ipsorum, etiam post quoddam tempus, postquã tussi laborabant, accidebant inflammationes cum dolore (vere scilicet inflammationes) in alterum aut vtrumque testiculum,

lum, quibusdam cum febre, quibusdam sine illa. Plurimis quidem (inquit) hæc inflammationes laboriosæ erant dum durabant. Nimirum dolebant vehementer. cætera verò, non indigebant manu chyrurgica, quia soluebantur sine vstione aut sectione, denique omnino sine ferro, & igne. Hæc dicit acta toto vere. Causas horum omnium mox dicemus. Tumoris testiculorum exitu culam esse in sympathia vocalium cum genitalibus, sectione 1. lib. 2. dicit ipsemet.

ANte autem quàm æstas inciperet, & per æstatem, & per hyemem, multi eorum, qui iam multo tempore corrupti erant, cum tabe decubuerunt, quandoquidem & his qui ambiguè habebant, multis tunc cõfirmavit. Est autem quibus incæpit primum: his vrgebat natura in tabem, moriebantur autè celerius quàm solent hæc transigi. Alia enim & longiora; & in febribus existentia facile ferebãt. Et non moriebantur de quibus scribetur. solū enim & maxime morborum qui tunc fiebant, multos tabes peremit. Erant autem plurimis illorum pathemata hæc, horrida febres continuae, acuta, omnino quidem non intermittentes, figura autem semitertiana, vno quidem die leuiores, altero autem exacerbescentes, & semper acutiores fientes, sudores verò semper, non per totum. Frigus extremorum multum, & vix recalescebãt, alui turbata, biliosa, paucis sinceris, tenuibus, mordacibus, frequenter dessidebant. vrinae tenues, & cruda, & decolores, & pauca, aut crassa, & pauca subsidetes. sed cruda quãdam, & intempestiua subsidencia spuebãt autem exigua, densa, coctã, modicū quidem vix excreantes. Quos verò violentissima vrgebant, neque exiguum coctã, sed perfectè cruda expuebant. Fauces autem plurimis horum à principio, & semper dolebant rubrae cum phlegmone, fluxiones pauca, tenues, acres. celeriter arescebant, & malè habebant, semper fastidiebant omnes cibos, non sitiebant, & delirabant omnes prope mortem, in tabidis ergo hæc.

Si modo morbos totius æstatis, & autumnus, & hyemis, sermone complectitur, quo pacto paulo post facit transgressionem ad morbos autumnus, quasi de solis morbis æstatis dixerit? si minus cur dicit modo, antequam æstas inciperet, & per æstatem, & per hyemem? certe modo de morbis qui in fine veris inceperunt, & vsque ad ultimam æstatis partem durauerunt, dicere incipit: sed quia, vt procedente sermone patere poterit, fuerunt illo anno duplices tabes, & extinctis his qui in prima æstate sunt facti tabidi: subcreuerunt aliæ tabes minus læthales, quorū multæ per hyemem totam productæ sunt. De tabidis incipiens dicere, dixit per æstatem, & hyemem multi tabidi sunt facti. Atqui, quia alij morbi præter tabes subcreuerunt secedente iam æstate, finito sermone de prima deterrimaq; tabe, ad morbos ultimæ æstatis & autumnus, & hyemis transgressus est. Ergo inquit, multos, eorum qui nondum decubuerant, sed superiori tempore corrupti erant, hoc est in thoracibus corruptionem cœperant contrahere, ex destillatione (hi erant tussiculosi) tunc cum tabe decubuisse: atque his qui ambigue habebant, hoc est, quorum tabes latebat adhuc (nam semper tussicula illa diutius durante quædam tabis suspitio fit, si simul videantur præter rationem extenuari) tunc primum apparuit manifeste. Quibusdam etiam dicit incepisse primum. Hoc est prius, cum scilicet alijs cepit tussis, cœpisse quibusdam apertam tabem, his scilicet, qui natura erant tabidi. Tales vocantur quoddam genus hominum quibus thorax est angustus, & spatulæ eminentes alarum modo, & caput fluxionibus opportunum. Ex his facile constat, non esse quod Gal. putet, verba hæc. Quibusdam primum incipit, his natura vergebat ad tabem: interposita esse errore librarij, ac non potius genuina Hippocratis. Non enim dicitur (vt ille intelligit) eos quibus natura vergebat ad tabem nunc primum capisse tabescere, ante nunquam lesos, sed vt ego explicui, cepisse primum tabescere, cum alij tussi solum corripiebantur. Citasse etiam Galenum hæc verba falso in commentarijs Aphorismorum corrupisseq; memini me alio loco indicasse. Sed redeo ad Hippocratem. Explicās quam periculosa fuerit hæc tabes, dicit, moriebantur citius quā solent hæc transigi. Hoc est, citius etiam moriebantur, quam ex tabe mori solent homines. Nimirum ex tabe paucissimi euadunt,

evadunt, sed tamen ægrotant longiusculè antequàm moriantur. Cum enim tabes non succedit morbo acuto, sed à principio fit, vel ex catharro, solet durare quæ breuissima est, annum integrum. Nam aliam dicit ipsemet Hippocrates lib. de internis affectionibus, quæ tres annos durat, aliã quæ etiam novem. Verùm hæ tres species tabis sunt quæ non fiunt ex morbo acuto: quæ ex morbo acuto fit, vt ex pulmonia, pleuritide, aut inflammatione visceris cuiusvis, cum longissimè, interimere solet intra quatuor menses. Hæ verò quæ hac tempestate acciderant, etiam citius intererunt. Nam abeunte vere cæperant, & plerique ante æstatem mediam mortui sunt. Quod tempus vix duorum mensium est. Itaque dicit, ex multis morbis qui tunc fiebant, solos tabidos multos homines interemisse, hosque citius solito. Nam alios (inquit) morbos & longiores, & cum febribus, de quibus scribetur statim, melius ferebant, & euadebant. Sed dubitare continget hoc loco, cur dicat Hippocrates morbos de quibus mox scribetur, fuisse longiores, & cum febribus, quasi tabes breuior sit quàm febres, quarum longissimæ vix per alteram anni partem protractæ sunt: atque, quasi tabes hæc sine febre fuerit, quæ non tantum habuit hæcticam, quam alioqui solet, sed etiam semitertianas, vt mox dicit. Verum intelligi debet, nõ simpliciter illos morbos longiores fuisse tabe, quæ vt paulo ante diximus annũ integrum durare solet cum est breuissima, sed durasse illos morbos longius tempus, quàm tabidi expectarunt, quia interierunt citius. Illos etiam dicit fuisse in febribus, quia aut ipsimet erant febres morbi, aut ex febribus fiebant, tabes verò non ex febre fit, sed eam potius facit, aut cum ea complicata est, velut hæc tabes cum semitertiana. Erãt (inquit) plurimis horum pathemata hæc, febres horridæ, continuæ, acutæ, omnino non intermittentes. Erat autem figura semitertiana, vna quidem die leuiores altera autem exacerbantes. Merito quidem huiusmodi sunt febres semitertianæ, quia cum ex quotidiana, & tertiana compositæ sint, altera die habet duas exacerbationes Gale. ex hoc loco colligit, non dictam fuisse ab antiquis semitertianam quacumque ex quotidiana, & tertiana compositam, sed eam solum quæ continua, & acuta, & horrida sit, eam verò ex quotidiana continua, & intermittente tertiana cõstare. Ego verò
nihil

nihil moror, si quis velit dicere, quatuor esse semitertianarum species, continuas tres, cum scilicet continua est utraque aut altera, unam intermittentem, cum utraque est intermittens. Hippocrates enim non in eo est modo ut definiat quæ sint semitertianæ febres, neque hic erat locus, sed refert quales semitertianæ illa tempestate cum tabe coniunctæ sunt. Ego nihil minus volo, quam extorquere ab authoribus plusquam illi dicere velint. Reliqua in tota narratione sunt parum obscura. In urinis vocat subsidentiam intempestivam, eam quæ antequam coctus sit succus fit, uelut in pituitosis morbis accidere solet. Solet enim fieri ex succo crudo, morbo etiam incipiente, quiddam bonæ subsidentie simile, quod adeo simile esse solet, adeoque incautis medicis imponere, ut bene faciat Hippocrates, considerans, non solum an candida & læuis sit, sed etiã an tempestiva. Hoc enim signo apertissimè distinguetur cruda à bona subsidentia. Cum enim ex aliorum omnium signorū concursu constat morbum in principio esse, constat non esse subsidentiam benè concoctam. Sputa dicit fuisse cocta modicum quiddam crassa & alba. Ego intelligo dici cocta modicè, nō quòd cocta verè sint, ne tantillum, sed quæ coctis hactenus similia, quòd crassa. Verum eam crassiciem vstione comparatam non coctione esse, satis constat, siquidem sputa sunt illa rotunda, de quibus in prognostico scriptum est, & quæ Hippocrates ipse. 6. epid. dicit delirium prænunciare. Fauces sunt partes oris inter gulam & laryngem. Erant multis illorum, ut ex descriptione patet, phlegmone Erysipelatide affectæ.

- 4 **I**N æstate autem iam & autumno febres multæ, continua, non vehementes, longæ autem ægrotantibus neque in alijs difficilis tolerantie factæ sunt habentibus. Alui turbatæ plurimis admodum sine molestia, & nihil notatu dignum lædebant. Urinæ plurimis boni coloris, & puræ, tenues autem, & post tempus circa iudicationem concoctæ, tussientes non valde, neque extussiebant difficulter, neque fastidientes cibos, sed offerre omnino licebat. Vniuersim quidem subægrotabant tabidi non tabido modo, febribus

cum

cum horrore parum sudantes. Aliter alij, vt erraticè paroxysmis correpti, omnino quidem non deficientes, paroxysmis autem laborantes tertiano modo. Iudicabatur quibus horum breuissima fiebant ad vigesimum diem, plurimis autem circa quadragesimum, multis autem circa octogesimo. Est autem quibus neque hoc modo, sed erraticè & sine iudicatione deficientes. Horum autem plurimis non multum tempus deficientes reuertebantur febres rursum, ex recidiuis autem in eisdem periodis iudicabantur. Multis autem eorum sic producebantur, vt per hyemem agrotarent. Ex omnibus autem qui descripti sunt in hac constitutione, solis tabidis lethalia acciderunt, in alijs verò febribus non facta sunt.

Hic describit æstatis vitium, & autumnii, & hyemis morbos. Quo loco intelligebant quidam enarratores non dici alios morbos a prioribus diuersos, sed de eisdem tabidis esse adhuc sermonem, & illud vnum dici, quomodo inclinante iam æstate habere cœperint tabidi Gale. contra putat ad alios morbos fieri transgressionem missis tabidis. Nam quod primo dicitur, haud posse ad tabidos referri dicit, quod verò deinde dicit, vniuersim qui subægotabant tabidi non tabido modo febribus cum horrore, putat per errorem scriptorum ex margine fortasse esse insertum. Ego verò non ita putò, neque enim est quòd me cogat ita suspicari, sed Hippocratem hic describere morbos, qui à declinante æstate inceperunt, eos verò fuisse varios, magna ex parte febriculas quasdam longas, quibus aderant accidentia quæ describit, inter quæ, quibusdam tusses cum excretionem facili. Rursum etiam inter alios morbos, subcreuisse denuo tabes prioribus similes, mitiores tamen & salubriores. Quod vt significaret, quasi extenuatione vtens dixit, subægotabant tabidi nò tabido modo: his etiam dicit fuisse febres cum horrore, & sudore, sed exiguo: atqui febrem plerisque esse eiusdem figuræ tertiano modo repetentem, alijs tamen alterius, & erraticas. Quod de iudicatione addit, ad omnes illos morbos qui varijs fuerunt, referri debet.

Nimirum

Nimirum illorum quidam iudicabantur vigesimo, quidam quadragesimo, vel circa quadragesimū, quidam circa octogesimo, quidam soluebantur paulatim, latēter, & sine iudicio, atque variè, hoc est incertis diebus, multi postquam soluti videbantur, paulò post reuertebantur, durabantque rursus totidem dies, & eisdem periodis iudicabātur. Quidam producebantur etiam per totam hyemem, hi morbi erant de quibus paulò ante dixit, alios longiores morbos, & infebribus fientes faciliè ferebant. Tota hæc constitutio ita nabit, & quod ad aeris mutationes & quod ad morbos attinet. Erit tamen operepretium causas eorum quæ facta sunt explicare, licebit verò hoc loco, quædam ad totum hoc opus necessaria principia dicēdo immorari, hinc sumpto principio. Cum morbi qui quavis tempestate accidunt, tales sint, & cum talibus accidentibus fiant, non ob simplicem causam, sed ob multarum concursiōem, nequaquam sciri possit, qui, ex quibusuis tempestatibus nati sint fieri nisi in causas illas omnes resolutio fiat, sitque antea perspicitissimum, cuiuscunque causæ seorsum qui morbi familiares sint. Causæ verò hic sunt duplices, quædam quæ ad causam quæ facit pertinent, hoc est ad ipsum aerem (mōstratum enim est prius communium morborum hanc esse causam) hæc sunt, regio, anni tempus, pluuix, & siccitates, flatus, qui aut boreales, aut australes sunt: quædam quæ ad causam quæ accipit, hoc est ad ipsum apparatus qui in hominibus ægrotaturis est, pertinet. Hæc sunt, naturæ propriæ illorum ætates, & victus. Et in naturis, temperamenta, & compositio: in compositione, quidā modi: cuius modi est quem modò dicebamus in paratis ad tabem, & illæ præcipuè differentiæ, adstrictio, & laxitas corporum. Qui morbi cuique harum causarum sint proprii, alijs locis scriptū est ab Hippocrate, & à nobis monstratum, eritque nobis modo pertractatio. De naturis hominum generatim, illud sciri expedit similes in morbos similes facilius incidere, difficilius in contrarios, calidos ergo in calidos, frigidos in frigidos. De quælibet Hippocrates hæc in aphorismis scripsit. Per ætates hæc accidunt, paruis quidem & recens natis pueris aphthæ, vomitiones, tusses, vigiliæ, timores, umbilici inflammaciones, aurium humiditates. Ijs qui ad tempus dentitionis accedunt, gingiuarum pruritus, febres, conuulsiones, alui profluuiā,

fluua, maximè cum edunt dentes caninos, & crassissimis puerorum, & ijs qui duras aluos habent. Vbi ætate paulum procefferint, tonsillæ, vertebræ quæ in occipitio est ad anteriora luxationes, asthmata, calculi, lumbrici rotundi, & ascarides, verrucæ pensiles, satyriasmus, strumæ, & alia tubercula, præcipuè verò prædicta. Grãdioribus adhuc & ad pubem accedentibus, horum quidem multa, & febres cronice magis, & ex naribus, sanguinis fluxiones, iunioribus sanguinis spuitiones, tabes, febres acutæ, morbi comitiales, & alij morbi, maximè autem prius dicti. Ijs qui hanc ætatem excefferunt, asthmata, pleuritides, perineumonix, lethargi, phrenitides, caufi, diarrhæa diuturnæ, cholera, dysenterix, dysenterix, hæmorrhoides. Senibus accidit difficultates spirandi, destillationes tussim afferentes, stillicidia vrinæ, difficultates vrinæ, articulorum dolores, renum mala, vertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritibus totius corporis, vigilix, ventris & oculorum & narium humiditates, hebetudines oculorum, glaucedines, difficiles auditus. Quod ad compositionem attinet, quacumque parte quisque malè compositus est, ea est imbecillis, & proinde illius morbis oportunos. Velut qui angusto est thorace, morbis thoracis: qui densi sunt corpore, insalubriores sunt, vt ipse Hippo. lib. de alimento scripsit. Incidunt enim in omnes morbos ex putredine facilius, solum externis causis quæ sola alteratione afficiunt, magis resistunt quàm rari. Victus, si puros ab excrementis facit homines, salubres etiam facit: si impuros, ad tales morbos facit paratos, qualia excrementa congeri facit. De regionibus lib. de aere, locis, & aquis scriptum esse ab Hippocrate antea diximus. Fuerunt qui dicerent, regiones nihil facere ad morbos, neque Hippocratem hac causa in initio narrationis dixisse in Thaso, sed solum signi gratia, velut dixit Dromeada: vxor, non quod interesset aliquid esse Dromeada, aut Philini. Sed hi aperte falluntur. Nam si venti & pluuix aliquid faciunt, certè & regiones faciunt, cum non omnes eisdem ventis æque expositæ sint, neque eque assiduis pluuijs: cumque alijs solum sit aridum, alijs aqua redundans, quare fit vt vni oppido aut regioni eadem tempestas noxia, alijs sit etiam utilis. Velut cum anni constitutio est siccoribus vrbibus, præ siccitate insalubris; Complutenses ob oppidi naturalem humorem solent salubriter

briter degere, contra humidioribus annis infaluberrimè.
 Sed cur Hippo. non descripsit Thasum, dicens ad quam par-
 tem mundi pertineat, & quem positum habeat: an satis pu-
 tant dicere in Thaso, quasi de nota prouincia ad notos
 suos & conterraneos; diceret? velut ego modo, satis puta-
 rem dictum Compluti, si quid huiusmodi narrare vellem.
 Est verò Thasus versus meridiem, Thraciæ vicina, mariti-
 ma, ac proinde temperata, paulo fortasse calidior. De anni
 temporibus ita scriptum est in aphorismis. Vere, insanix, &
 atraxiles, & comitiales, sanguinis fluxiones, & anginx, & gra-
 uedines, & rucedines, & lepræ, & tusses, & impetigines, &
 papulæ multæ, & tubercula, & articulares morbi. Aestate
 autem aliqui eorum, & febres continuæ, & causi, & tertianæ
 plurimæ, & quartanæ, vomitiones, alui profluvia, lippitudi-
 nes, aurium dolores, oris exulcerationes, genitalium pu-
 tredines, & sudamina accidunt. Autumno verò multi æstiu-
 morbi, & febres quartanæ, & erraticæ, & splenes, & hidro-
 pes, & tabes, & vrine stillicidia, leuitates & difficultates in-
 testinorum, coxæ dolores, anginx, asthmata, ilei, morbi co-
 mitiales, furores, & melancholiæ. Hyeme autem pleuriti-
 des, pulmonis inflammationes, lethargi, grauedines, rauce-
 dines, tusses, dolores pectoris, laterum, lumborum, & capi-
 tis vertigines, & apoplexiæ. De pluuijs & siccitatibus e-
 dem lib. scriptum est. In constitutionibus in summa, siccita-
 tes imbribus sunt salubriores, & minus lethales, morbi per-
 assiduos imbres magna ex parte sunt, febres longæ, alii
 deiectiones putredines, epilepsix, apoplexiæ & anginx: per
 siccitates autem, tabes, lippitudines, articulorum dolores,
 stillicidia vrinæ, & dysenterix. De flatibus libellus quidam
 nomine Hippo. circumfertur, quem haud abs re fuerit ac-
 hanc doctrinam perlegere. Sed & in aphorismis optime est
 scriptum de morbis, quos status pariunt. Austri, inquit, an-
 ditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigritiè alie-
 rentes dissoluentes, quando ista præualuerit, huiusmodi in
 morbis patiuntur: si autem boreale tempus sit, tusses, fau-
 ces, ventres duri, difficultates vrinæ, horrores, dolores late-
 rum & pectoris, cum ita præualuerit, huiusmodi in morbis
 expectare oportet. Hæc sunt quæ singulis causis per se suc-
 cedere nata sunt. Vt hæc componuntur variæ, ita variæ mor-
 borum complicationes accidunt. Cum annus est tēpestiuus
 hoc est,

hoc est, cum suo quidque tempore fit: nulli morbi populares, & communes fiunt, sed sparsi, ijque non multi neque graues, & sunt in eorum genere, qui cuique tempore sunt familiares. Sed cum est intempestiuus, vt euariat à tempestiuo, ita à salubri, atque si in idem genus intemperiei totus annus euariat, communes, & illi intemperiei analogi fiunt, velut si totus austrinus, aut totus borealis, totus pluuiosus, aut sine pluuijs: si verò inæqualiter euariet à tempestiuo, variè etiam afficiuntur corpora. Velut in hac tempestate, cum plerique laborarent ob austrum parotidibus, & tussi & deinde tabe, nonnulli ob aquilonem, febribus ardentibus laborauerunt, quia magna ex parte annus fuit austrinus, tamen quædam etiam pars anni fuit borealis. Rursum hic animaduertendum est, cum res variè dispositæ ab eadem causa efficiente afficiuntur, si causa quæ facit est vehemens, omnes eodem modo affici, si est debilior, afficiuntur variè, quæuis earum, vt pati nata est. Quia quod fit semper, refert naturam causæ efficientis & materiæ, illius verò magis quod magis præualet. Cum ergo aeris corruptio magna est, omnes ferè homines, vt cumque sint variè parati, ad idem morbi genus trahit: cum exigua, facit quidem eos ægrotare, morbi verò non adeo retinent vnã speciẽ, sed cuiusque hominis victum aut apparatus referunt, plus aut minus, vt maior aut minor causa est. Hinc fit vt morbi communes, semper incipiant ab sparsis, & in sparsos finiantur. Nimirum causa omnis magna, incipit à parua, & parua rursum fit, cum finitur. Verùm neque hi sparsi qui communes antecedunt, adeo varij sunt, ac alij sparsi solent, sed habet semper aliquid commune: neque communes sunt adeo ijdem, vt non habeant quædam symptomata diuersa. Quia vtrique fiunt ab eadem causa, & vtrique in varie affectis hominibus. Rursum cuiusque temporis morbi, non tam ob præsentem aeris constitutionem fiunt, quam ob antecedentis temporis: quia non statim ac aer à tempestiua mediocritate euariat, corpora ægrotant, sed cum per aliquas moras malè affecta sunt. Neque verò aeris quæuis temperies extrema, sequenti tempore morbos affert, sed quæ à sequenti non emendatur. Nam aliter semper esset tempus insalubre. Quia hyeme semper est magnum frigus, & æstate magnus calor, sed corrigunt sese mutuis vicissitudinibus. Cum ergo

B

sequens

sequens tempus non corrigit intemperiem antecedentis, semper fiunt morbi referentes intemperiem vtriusque, antecedentis verò magis. His semel intellectis, haud fuerit difficile intelligere causas eorum, quæ præsentis tempestate contigerunt, & alia quævis contigerint. Toto autumno, & tota hyeme, nulli insignes morbi acciderunt corporibus nondum manifestè affectis. Appetente iam vere, febres ardentes factæ sunt, ob antecedentem tempestatem, quæ flauerunt aquilonares venti, qui siccitatem, & squalorem inferentes, succos biliosos moueri fecerunt. At dices, exigua certe causa fuit, breuis tempestas borealis post longam australem. Atqui proinde paucis, iisque biliosissimis factæ sunt, neque malignæ, neque magnæ, sed boni status, & per quas sanguis non fluebat de naribus, vt solet per febres huiusmodi, quia non erat tanta vehementia caloris, qui sanguinem fundi per superna faceret. Sed neque biliosissimis factæ hoc tempore hac occasione essent febres ardentes, si hyems fuisset qualis consuevit, frigida, & pluuiosa, vt congestam alioqui bilem cohibere posset: tamen quia æstate congesta fuerat in biliosis multa bilis, ita vt soler, & eam hyems non extinxerat, sed retinebatur in corporibus, mediocri illa hyemis temperie tantisper cohibita, quatenus tempus vel modicè in siccius mutaretur, biliosis ergo hæc euenerunt. Hoc ipso tempore pituitosis acciderunt oedemata post aures, & tusses. Sanguineis, inflammationes in testiculis, sed omnia hæc fuerunt leuia, nimirum nondum causa erat magna, proinde neque magna neque valde communia mala faciebat, sed varia in varijs corporibus, oedemata verò erant laxa & flatuosa, quia hyems neque multam neque crassam pituitam fecerat, & capita multis flatibus austrinis repleuerat, proinde fiebant minimè apta suppurationi, vt alia oedemata, sed resolutioni insensibili. Sed quæquam varia sparsaque erant hæc mala, habebant quiddam, quo communem causam iam referebant. Causa enim quæ maximè affecta illa anno fuit Auster, proinde membra illa male affecta sunt, quæ maximè flatibus implentur semper, caput scilicet & thorax & genitalia. Caput enim & thorax respiratu semper implentur aere, genitalia sunt fistulosa & spiritiuosa, inflanturque facillè. Quoniam ergo flatibus erant admista quæ tunc temporis abundabant excremèta, in hæc membra

membra decubuerunt. Facit verò auster maiores repletiones spirituosas, quàm aquilo, quia crassus est, & nō permeat violentius per corpora, sed immoratur. Itaque illa tempestate pituita fuit, neque multa neque crassa: sed quia hyems calida fuit & austrina, fuerit salsa. Tenuis ergo & salsa destillare cepit in pulmonem; tamen quia tenuis erat, non extusiebatur: nam crassitie quadam indigent, quæ sunt tussi excreanda. Cum hæc fierent, & tempestas austrina adhuc duraret, certè duratione ingrauescebat causa, ac proinde etiam morbi, vsque adeo vt incipiente iam æstate, & quia auster, quo flante omnia solent putrescere, durabat, & calor æstatis accedebat, & corpora erant iam cæpta corrumpi, fluxione illabente in pulmonem, multis eorum qui tussiculosi fuerant, tunc pulmone apertè putrescente, tabes confirmata est: quæ quidem paratis ad tabem prius etiam fuerat confirmata: at qui si tunc saltem austrini flatus cessassent, magnæ fuissent tabes, at verò quæ possent iustum ac consuetum tempus expectare, tamen durauit tota æstate copiosa caligo, & multus auster, proinde adeo lethales fuerunt, vt omnes ferè tollerent, eosque citissimè, vt antequam æstas iuclinaret interierint: fuisse verò adeo perniciosas tabes, ex his quæ coniungebantur, accedebantque illis, facile intelliges.

Sectio secunda, siue constitutio temporis. II.

IN Thaso ante autumnum hyemes non tempestiua, sed repente in borealibus & austrinis multis, humida, & prærumpentes. Hæc autem fiebant huiusmodi vsque ad occasum pleiadum & sub pleiades hyems autem borealis, aquæ multæ, largæ, magnæ, niues; mistæ serenitates plerumque. Hæc autem fiebant quidem omnia, frigora autem non admodum intempestiua. Iam autem post brumalem solis conuersionem, & tunc cum Zephyrus flare incipit, vltima bruma magna; aquilones multi, niues autem & aquæ, continenter multæ, & cælum procellosum & nubi-

losum. Hæc autem durabant & non remittebant vsque ad æquinoctium. Ver autem frigidum, boreale, aquosum, nubilosum; æstas non admodum vrens fiebat. etesie continenter spirabant. Mox circa arcturum in borealibus admodum multa aqua.

MULTA sunt in superiori sectione dicta, ad omnia quæ toto hoc opere cōtinentur necessaria, quæ semel dicta esse ad expeditam faciliemque eorum quæ sequuntur enarrationem, multum refert. Quæ proinde memoria semper teneri oportet. Hæc sunt, quæ de quatuor temporibus anni, & de eorum naturis dicta sunt, utque non sint medicis quatuor anni partes æquales, sed autumnus incipiat ab ortu arcturi, finiatur occasu pleiadum, hincque incipiat hyems, duretque vsque ad æquinoctium vernum, ver ab hoc æquinoctio vsque ad ortum vergiliarum, ab harum ortu æstas sit vsque ad autumnum: utque hyems & æstas longiores anni partes sint, & in alias diuidantur. Hæc itaque & quæ de morborum vulgarium speciebus, communibus inquam & sparsis, & de cuique tempori familiaribus dicta sunt, utque communes ab sparsis solent incipere, & in sparsos finire, utque in tempore tria præcipuè consideranda veniant, an frigidum, an calidum, an pluat, aut non, an venti perflent, an non: hæcque cum eo quod tempori solet esse tempestiuum conferenda sint, ut constet an tempestiua fiat, an intempestiua. Et cognitio malis quæ ex quacunque causa per se fieri nata sunt, qualia ex quacunque constitutione, quæ quouis anno contigerit, fieri sit consentaneum, facile constare possit. Hæc inquam semel nobis dicta sint. Nomen hyemis (eadem ratio est veris & æstatis & autumnus) nunc dicitur de tempore quo frigus solet vigere, hoc est, ut diximus à pleiadis ad æquinoctium: nunc de tempore frigido, quodcumque contingat esse hyemi simile in initio huius dictionis nomen illud hyemes, significat, ac si diceretur, frigora magna. Vbi dicitur hyems autem borealis, & rursum, vltima hyems magna, significatur statum illud certum tempus hyemis. Frigora verò illa autumnus non acciderunt tempestiue, quia multo antequam cōsuetum est, sed repente, quia mox post æstiuum calorem superioris anni. Na frigora dicit fuisse humida, hoc

da, hoc est cum pluujs, borea & austro flâte, alternatè scilicet. Ea durarunt vsque ad occasum pleiadum & sub pleiadis, hoc est ipsis diebus pleiadum, velut in aphorismo dixit, sub cane, hoc est in diebus caniculæ. Constat verò illud & sub pleiadis esse declaratiuum. nam quid aliud est dictu durarunt ab initio autumnii vsque ad occasum pleiadum, quàm sub pleiadis? Non enim posse illud, sub, perinde significare, ac si diceretur, post pleiadas, vt forte quispiam posset suspicari, sequentia verba declarant, nam addit, hyems autem borealis, quasi narratio ad occasum pleiadu solum peruenerit. Hyeme dicit flasse boream, aquas multas, largas & magnas, multas scilicet numero, largas, id est, copiosas & affatim ac largis imbris cadentes, magnas verò tempore longas, scilicet non trium duarumve horarum. Has dicit fuisse non aquas solum: sed admistis niuib. Plerumque dicit admistas serenitates. Quod qua ratione fieri possit per aquas multas largas & magnas, fortasse dubitet aliquis. Sed hic nihil aliud significatur, quàm inter pluuium tēpus consueuisse esse serenum, nō nubilosum. Velut post brumalem solis conuersionem quæ à solstitio fit, fuisse mox dicit. Frigora dicit prima hyeme nō fuisse admodum intempestiua. Nimirum etsi frigora erant magna, non erant tamen à natura temporis aliena. Videtur ergo prima hyems à sua temperie, humiditate magis & ventis, quam frigore recessisse, autumnus verò frigore magis. Vbi dicit post brumalē conuersionem, & tunc cum Zephyrus flare incipit, legūt quidam, incepit, intelligentes nimirum Zephyrum perflasse illa tempestate: quod cōstat repugnare ijs quæ mox sequuntur, hyems magna aquilones multi & niues. Nimirum illud, hyems magna, non significat maiorem tempore. Nam cum sit tempus constitutum vsque ad æquinoctium, non potest esse maior minorve, sed significat hyemem vltimam fuisse magnam hyemem, hoc est valde frigidam. Tamen si Zephyrus flaret, verisimile est frigora placatum iri. Placida enim tempora esse solent flante hoc vento. Est verò hic qui flat ab occidente. Deinde si hic flare ab eo tempore cœpisset, non fuissent multi aquilones eo tempore: sed re vera Hippo. non dicit flare cœpisse Zephyrum: sed quasi describens quod tempus diceret, dixit post hyemalem conuersionem, & addidit tunc cum Zephyrus flare incipere solet. Ni-

mirum vt narrat Plinius, Zephyrus nominatus ver inchoat, aperitque terras. Scimus tamen ver inchoari, & terras aperiri, incipereque herbas proferre vltima hyemis parte. Nimirum hyems habet partes tres, prima est tempus mittendi semina, ab occasu pleiadum vsque ad solstitium, secunda est tempus quod vocatur sub solstitium: sunt duo menses mediæ hyemis December & Ianuarius, vltima est tempus inferendi vocatum à Græcis, mensis scilicet Februarij, & initium Martij vsque ad æquinoctium. Hoc tempore inchoatur ver, aperiuntur terræ, inferuntur arbores, flat Zephyrus. Hipp. ergo nunc, quasi diceret tota reliqua hyeme post solstitium, non tantum tempore sub solstitio: sed vltima etiam parte hyemis, dixit, post solstitium & tunc cum Zephyrus flare incipit vltima hyemis magna. Nimirum hic, nomine vltimæ hyemis, intelligit duas vltimas partes. Quod vt rursus explicaret, addidit, hæc durabant, & non remittebant vsque ad æquinoctium. Aquas hæc vltima hyeme dicit fuisse, non minus quam prima, multas continenter. Videbitur autem non posse fieri, vt essent multæ, & continenter fierent. Nam *Ζυνεχώς* hoc est continenter, Græcis autoribus significare solet, quod citra intermissionem. Si verò aquæ non intermittebant, non multæ, sed vnâ aut saltê pauca erant. Tamen significatur fuisse multas aquas toto illo tempore, non citra intermissionem pluendi, sed citra intermissionem repetendi. Velut solemus dicere laborasse hominem febre tertiana totum mensem continenter. Ver quoque dicit factum simile vltimæ hyemi, æstatem primâ minus vrentem quam solet, secunda æstate continenter fuisse ætesias, quod ad attèperandum calorem non parû faciebat, atque adeo vltimis iam diebus æstatis prope arcturum, superuenisse aquilonem cum multis aquis. ætesias enim esse flatus quosdâ boreales diximus antea, hoc est boreæ proximos non ipsum boream. Sed de ætesijs antea dictum est satis.

- 2 **C**um fieret autem totus annus humidus & frigidus & borealis, per hyemem quidē salubriter habebant maxima ex parte. Ante ver autem multi quidem atque adeo plurimi debebant morbidè. inceperunt ergo primum ophthalmia cum fluxione, cum dolore, humidæ, crudæ, parvæ.

parua, lippa, plerisque difficulter erumpentes, plurimis autem reuertebantur, defecerunt tardius ad autumnum. estate autem iam & autumno, dysenteria, & tenesmi, & lyenteria, & diarrhoea biliosa, tenues, multae, crudae, & mordaces: quibusdam autem & aquosae, multis etiam effluxiones cum dolore biliosa, aquosae, ramentosae purulentae, stranguriae, non renalia, sed his pro alijs alia. Vomitus biliosi, pituitosi, & crudorum ciborum reiectiones. Sudores omnibus, vndique multa humiditas. Fiebant autem haec multis erectis & sine febre, multis vero febricitantibus, de quibus scribetur: in quibus autem apparebant omnia qua scripta sunt cum dolore, tabidi autumno iam & sub hyemem. Febres continuae, & paucissimis illorum ardentis, diurnae, nocturnae, semitertianae, exquisitae, quartanae, erraticae. Singulae autem scriptarum febrium multis fiebant. Ardentis ergo paucissimis fiebant, & minimè egrotantium hi laborabant: neque enim sanguis eis fluebat, nisi parum admodum & paucis, neque delirabant. Alia autem omnia tolerabilia. Fiebat autem his iudicium bono admodum ordine. Plurimis cum intermittentibus septem & decem diebus. Neque mortuum aliquem noui tunc in febre ardente: non fiebant autem tunc phrenitica. Tertianae vero plures quidem quam causi, & magis laboriosae. Bono autem ordine omnibus his à prima prehensione quatuor periodos, in septem autem perfectè iudicabantur. Neque reuertebantur cuiquam horum. Quartanae autem multis ab initio quartano ordine incipiebant. Quibusdam autem, non paucis ex alijs febribus & morbis, abscessus in quartanas fiebant, longae autem, & vt consuetum est his, & adhuc longiores, incidebant. Quotidianae autem & nocturnae, & errantes multae, multis, & multo tempore, durabant, & erectis, & decumbentibus. Plurimis autem horum sub pleiada, & vsque ad hyemem, febres consequebantur.

Merito quidem per autumnum & hyemem salubriter degerunt, quia nondum intemperies affecerat adeo corpora, ut morbis corripentur. Non enim putandum est, statim ac tempestas aliqua incipit intempestiva fieri, morbos multos accidere, sed in posteriorem aliquam tempestatem incisuros, maximè cum tempestas alicui contrariæ succedit. Tunc enim multo tardius in contrariam affectionem corpora transferuntur. Velut in hac narratione, dicitur autumnus frigidus & humidus successisse æstati, quæ certum est siccam & calidam fuisse. Cum enim annus intempestivus esse cæperit ab autumno, superior æstas fuerit qualis esse solet. Igitur bona pars autumnus, & hyemis emendandis corporibus insumpta sit, manifestè autem læsa non fuerint vsque ad finem hyemis, ab eo tempore, toto reliquo anno ægotauerint. Atque morbi quidem nulla anni parte videntur fuisse omnino communes, sed sparsi, tamen quia ex communi causa, puta aeris intemperie nati sunt, semper habuerunt quiddam commune: atque, quia vnica illa causa quædam faciebat per se, quædam ex accidenti, erat instar multarum causarum. Quo factum est, ut illo saltem anno nunquam omnino sparsi morbi, in communem aliquem migrauerint. Laborabant omnium fluxionum genere, in oculos quidam, alij in intestina, in vrinæ vias alij, aut in ventriculum: alij sudabant, redundante multo succo in omnibus, neque quidem eodem succo in omnibus, sed vario in varijs, quouis hominum congerente multum, eius qui sibi naturaliter congeritur. Quia frigus aeris, retineri facit naturale effluuium in quo cumque. Quare frigus repleti facit, frigidus frigidis succis per se, & calidos calidis, per accidens. Humiditas aeris replet quidem per se aqueis succis, tamen ex accidenti biliosis etiam succos facit redundare in ijs qui alioqui sunt biliosi, diluta & effusa bile: ut scilicet aquæ potu solent biliosiores reddi. Igitur cum illo anno multus variusque succus in hominibus abundaret, meritò factum est, ut remittente nonnihil frigore (remisit enim nonnihil, etsi ver quoque frigidum fuerit) & humore nimium iam durante, succus regurgitauerit effusus, his in hanc, illis in illam, ut cuique erat debilis hæc aut illa particula. Semper enim in redundantia succorum, partes debiles excipiunt excrementa.

Quamquam

Quamquam peculiari quadam & propria ratione, illo anno
 oculi, & venter supernus, & infernus & vesica, laborauerunt.
 Omnes enim has partes promptè lædi à borea & frigore,
 idem auctor tertio aphorismorum docuit. Frigore ergo simul lædente
 has membranas, & cohibente effluuium naturale, & borea mordente
 oculos, factum est vt in hos morbos homines disponderentur.
 Neque tamen omnes in omnes, sed in quem quisque esset magis natura idoneus,
 eorum quos aeris temperies nata erat facere. Factæ itaque sunt
 multis ophthalmiæ, id est membranarum oculi, & palpebrarum
 inflammationes: non quidem aridæ, vt siccis, & tantum borealibus
 temporibus solent, sed cum fluxione humidæ; quia multæ pluuiæ
 fuerunt: cum dolore, obfluxionis copiam, & acrem aliquam
 aut salis qualitatem, quam boreas pepererat, præterquã quòd
 ipse per se oculos mordebat. Erant etiam crudæ, hoc est solutu
 difficiles, coqui enim morbum apud Hippo. idem est quod solui.
 Ergo cocti difficiles, aut crudi, sunt qui nulla ratione soluntur
 facile, velut hæc ophthalmiæ, quæ non cedebant resolutioni,
 quia cohibebat frigus, cutem densans. Hac ipsa causa lippæ
 erant parvæ, vix erumpentes. Quia ipsa causa multis cum
 viderentur solutæ, reuertebantur (hoc enim solutu difficilius
 plerumque accidit) & defecerunt tardius, ad autumnum
 scilicet sequentem. Atqui ophthalmiæ vere factæ sunt,
 quia eo tempore solent phlegmones fieri, reliquæ autem
 fluxiones, quæ cum euacuationibus manifestis hæbât, æstate
 iam & autumno, dysentericæ, tenesmi, lientericæ, & diarrhœæ.
 Verisimile est multis cæpisse diarrhœas, ab illis dysentericis
 & tenesmos processisse, exulceratis intestinis, ab exulcerationibus
 autè, leuitates. Nam in temporibus siccis, à principio solent
 incipere dysentericæ aut à siccitate fecû, tamen in humidis,
 profluuiâ antecedunt. Ita ijs quibus ad vesicam & reliquas
 vrinæ vias succi decubuerunt, in primis acciderunt effluxiones,
 cum dolore, biliosæ, aquosæ, purulentæ, deinde ramentosæ,
 & strâguricæ. Hæc verò dicit Hippocra. non fuisse renalia.
 Hoc est, non accidisse per propriam passionem renum,
 vel aliorum instrumentorum vrinæ, sed alia pro alijs,
 hoc est facta esse per permutationem aliorum malorum,
 aut pro alijs malis, quæ euenissent, nisi corpora per hæc
 membra essent expurgata.

Vomitus.

Vomitus etiam fuerunt varij, ob variam succorum specie. Multis neq; ea quæ ingesta erant retinebantur vsq; ad concoctionem, virtute retinendi ob humidam intemperiem debilitata (nihil.n.est, quod adeo virtutem eam debilitet) multis etiam acciderunt sudores, deniq; omnibus vnde quaq; multa humiditas. Miretur quispiam, qui factum fuerit, vt tempore adeo frigido, & cute densata, fluxerint multi sudores. Cæterû res ita euenit non immeritò, quia copiosa humiditas intus continebatur: neq; per insensilem euacuationem effluebat. (Hanc.n.frigus impediēbat) obturans poros minutulos, sudor verò per maiusculos fiebat, quos obturare non poterat. Hæc autem omnia accidebant nonnullis, sine febre quibus scilicet succi abundabant, sed non putrescebant, nonnullis cum febre, quibus putrescebant, de quibus mox scribetur seorsum Vbi dicit Hippo. in quibus autem hæc cum dolore apparuerunt, tabidi, autûno iam & sub hyemē febres continuæ, Gal. censet verba illa autumnò iam & sub hyemē cum antecedentibus & cum sequentibus coniungi, vt intelligatur, autumnò quosdam esse factos tabidos, & eodem tempore quibusdam febres continuas esse factas: tamen mihi non est dubium cum solis antecedentibus debere iungi, significariq; eos quibus vomitus aut diarrhœæ aut sudores cum magnis doloribus acciderunt, æstate & incipiente autumnò, autumnò iam & sub hyemē tabidos esse factos: non quidem exulcerato pulmone (neq; enim oportebat) sed corporibus extenuatis & arefactis, præ dolore & euacuatione. Vt iam hinc cõstet, tabis nomen dici non de ea solum quæ exulcerato pulmone fit, sed de quacunq;. Non tamen potest Hippo. hic dicere autumnò iam & sub hyemē cepisse febres quas recensere iam hinc incipit, cum statim dicat, longissimas earum durasse vsq; ad pleiadas. Quomodo ergo inceperint hoc ipso tempore? Narrare ergo incipit febres quibus illo anno homines laborauerunt, non quidem sequenti tempore, sed eo ipso quo quidam sine febribus habebant dicta prius mala, quidam habebant cum febribus. Febres, quæ eadem ratione qua cacochymix, erant variæ, multiplicēsq; aliæ cõtinuæ aliæ intermittentes: atq; utræq;, aliæ ex bile, aliæ ex pituita, aliæ ex melancolicis succis, aliæ ex multis simul, cuiusmodi multæ erraticæ, & semitertianæ. Ardentium febrium

februm duplex genus esse Hipp. ipse alijs locis docet, exquisitum ex bile; aliud ex salsa pituita. Porro utrunq; genus est in febribus continuis. Est causus febris ardentissima. Accidit quidem hæc nonnullis, quia bilis abundabat cohibito effluvio: hoc autem genus febrium præ alijs fuit in paucissimis: non enim nisi in summè biliosis, neque in his quidem erant suo genere exquisitæ: quia causa ipsa quæ faciebat, nempe aëris intemperies, erat huic morbo contraria, frigida cum, esset & humida. Quamquã ergo per accidens faceret, tamen quia per se resistebat, non poterat exquisitè ardentes generare. Neque quidem poterat, si diutius temperies durasset, non corpora hominum, omnia ferè, in frigidos & humidos affectus permutare: atque adeo mirum, nisi sequenti anno fuerunt tales morbi multi. Proprium enim est ijs quæ ex accidenti quippiam faciunt, recidere tandem in id quod est perse. Causa ergo hæc, merito non valuit ardentes, exquisitasq; facere, tamen tertianas exquisitas valuit, quia hæc eiusdem generis sunt cum ardentibus, tamen ex minori causa fiunt. Itaque causa merito fecit plures tertianas, & magis exquisitas, & magis laboriosas suo genere quam ardentes. Non enim profecto satius fuit ardentibus quam tertianis laborare, sed erant hæc exquisitæ, & breues, laboriosæ verò ut solent, haud enim scio an febris aliqua laboriosior quam tertiana sit, quæ tamen potior est, quia breuior & intermittens, & tutior. Diurnas & nocturnas quotidianas intelligit Hipp. Cum dicit semitertianæ, exquisitæ, quartanæ, nomine exquisitarum tertianas intelligit. Neque verò solum dicit ardentes non fuisse vehementes, tertianas verò fuisse exquisitas, sed etiam docet illud, ex signis quæ ardentibus non accidebant, & ex tertianarum constitutione. Differens de febre ardente laborantibus, dicit, minime ægrotantium hi laborabant: neque enim sanguis his stuebat nisi parum admodum, & patiens, neq; delirabant: alia autem omnia tolerabilia. Intelligit autem alia omnia, quæ sunt signa pathomonica ardentis febris, scilicet & ariditatem & ardorem. nimirum cuiusq; morbi magnitudo cognoscitur ex magnitudine priorum symptomatum, & quibusdam superuenientibus: quæ scilicet, morbo magno iam facto, superuenire solent, velut in febre ardente cum est magna, ardor, ariditas & fitis,

fitis, magna sunt, & vix tolerabilia: superueniunt autem fluxus sanguinis de naribus, & deliria. Cum ergo hæc non adesset, & propria accidentia essent mediocria, constat ardentibus haud multum creuisse. porro tertianas exquisitas fuisse, ex earum constitutione constat. Nam tales ut in aphorismo dicitur, septem periodis iudicantur. Crescebant verò usque ad summum vigorem intra quartum paroxysmum, iudicabantur integrè intra septimum. Ardentes verò neque intra quatuordecimum qui acutorum solet esse finis, neque perfectè iudicabantur, sed decimo septimo die cum intermittentibus commutabantur (hoc enim significat, dicens, fiebat his iudicium cum intermittentibus) neque mirum, tempus enim frigidum ineptum est ad perfectas solutiones, & alioqui morbi biliosi non exquisiti, semper sunt difficilis iudicij. Quod dicit bono admodum ordine, nihil aliud est, quam multis eodem modo euenire. Videlicet, in multis eodem modo eueniebat, ut causus in intermittente abiret, in multis etiam tertianæ septimo periodo deficiebant perfectè, neque reuertebantur. Hoc enim est perfectè iudicari, integrè & tutò iudicari, ut morbus finiatur omnino, & non redeat. Quartanæ febres plerisque, sunt post alios morbos, alijs febribus primò factis erraticis, deinde quartanis, ut in prognostico dicitur. Multis tamen fieri etiam solent à principio, nunquàm errantes à propria figura. Vtrumque multis accidisse hac tempestate dicit: longas autem dicit fuisse ut solent, & ad huc longiores, quia ut dictum est, æstate iam & autumno fiebant quæ modo narrantur, autumnales verò quartanas esse longas, in aphorismo dicitur. Accedebat porrò totius anni frigida cõstitutio. Addit quotidianæ autem & nocturnæ. Nocturnas vocat quæ singulis noctibus fiunt, ut sint quotidianarum species. Et erroneæ (inquit) multis nimirum varijs excrementis abundabant homines, & multis etiam, ac proinde multo tempore durabant, cum erectis, tum etiam, decumbentibus. Explicans deinde quam multo tempore durauerint, dicit, plurimis sub pleiada & usque ad hyemem, hoc est toto autumno & usque ad bonam partem hyemis, productæ sunt; constat verò hunc autunnum & hanc hyemem non fuisse ea tempora à quibus narratio incipit, quæ dixerat fuisse frigida & humida, sed sequentis anni.

3 **C**onuulsiones autem multis, magis autem pueris, & à principio febricitabant, & in febribus fiebant conuulsiones. Diuturna autem plurimis horum, innoxia autem, nisi ijs qui ex alijs omnibus perniciosè habebant.

CONVULSIONES has verisimile est ex repletione esse, & fieri redundantibus præ humiditate temporis succis, & nervis frigore læsis. Neq; enim quæ in febribus fiunt statim censenda sunt ex inanitione fieri, sed quæ post febres admodum ardentes, hominibus iam marcescentibus. Huiusmodi verò non erant tales. Sed succis pituitosis, quos temperies anni congeri fecerat, à febrili calore liquatis, & fuis, conuulsiones ex repletione oriebantur. Nihilominus has quoq; in febribus fieri, deterius erat, quàm si in conuulsionibus febres fierent, vt in aphorismo idè est auctor. Nam febris conuulsioni succedens, ipsam solueret, conuulsio verò non potest soluere febrem. Et præterea graue est conuulsionem in febre ipsa fieri posse, à qua, si facta prius esset, solueretur. Tamen neq; hoc erat lethale, nisi in quibus alia etiam erant lethalia. Diximus enim in commentatione prognostici, quantum referat, quodcunq; signum appareat, considerare, vt reliqua annuant aut renuant. Vix enim vllum adeo perniciosum est, ex quo non aliquis conualuerit, vixque vllum adeo salutare cum quo non aliquis interierit. Et omnino nullum adeo malum, vt sit mortis satis firmum, neq; adeo bonum, vt salutis, si alia omnia renuant. Nihilominus quodcunq; signum appareat, quod valde malum sit, etsi ex alijs videatur homo esse salubriter affectus, malum magnum timeri debet (non enim sine causa fit) quod in conualituro quid aliud sit, quàm morbi diurnitas, & difficilis iudicatio? Merito ergo erant hæc diuturna & innoxia ijs qui ex alijs signis videbantur non esse lethaliter affecti.

4 **C**ontinua autem omninò & nihil intermittentes, ingrauescentes autem omnibus modo tertiano, vno die subsidentes, alio ingrauescentes, vehementissimæ omnium quæ tunc fiebant, & longissimæ, & cum maximis doloribus

doloribus fientes: leniter incipientes, per totum semper crescentes, & ingrauescentes diebus decretorijs, & agentes in malum. Parum subsidentes, & citò rursus ex remissione violentius ingrauescentes, in decretorijs plerumque peiores facti: rigores autem omnibus sine ordine & erraticè fiebant: paucissimi autem & minimi his, sed in alijs febribus maiores. Sudores multi: his autem paucissimi subleuantur nihil, sed contra læsiones afferentes, refrigeratio multa extremorum his, & vix recalescebant. Neque dormiebant quidè omnino præcipuè hi, & rursus comatosi. Alii autè omnibus turbata, & mala. His autè valde pessima.

Cum hætenus omnes febrium differentias, quæ illo anno fuerant, velut in quendam cumulum congesserit, nunc seorsum describit febres quasdam, quæ tunc fuerunt grauissimæ. Hæ verò fuerunt semitertianæ. Nam omnino non intermittentes, & vno die ingrauescentes, non nisi ardentes, vel semitertianæ esse poterant. Ardentes verò antea dixit fuisse minime graues. Quas ergo modo dicit grauissimas fuisse, semitertianæ fuerint. Et meritò quidem semitertianæ fuerint vehementissimæ, & longissimæ, cum ab eodem auctore dicatur alibi tales esse solere. Quædam eorum accidentium quæ hic dicuntur, pertinent ad propriam figuram morbi, quædam ad periculum & magnitudinem, quædam ad vtrumque. Ad propriam figuram illa, nihil intermittentes, ingrauescentes omnibus modo tertiano, vno die subsidentes, alio ingrauescentes & illud, parum subsidentes, & citò rursus ex remissione violentius ingrauescentes, & illud, rigores omnibus sine ordine & erraticè fiebant, paucissimi autem & minimi his, sed in alijs febribus maiores. Ad periculum illa, ingrauescetes diebus decretorijs & agentes in malum, & rursus, in decretorijs plerumque diebus peiores facti, & illud, sudores multi, his autem paucissimi, subleuantur nihil, sed contra læsiones afferentes, & illud alii turbata & mala, his autem valde pessime. Ad vtrumque, ille longissimæ & cum maximis doloribus fientes, leniter incipientes, per totum semper crescentes, & illud refrigeratio multa extremorum his, & vix recalescebant, ne-

que

que dormiebant quidem omnino, præcipue hi, & rursus, comatosi. Nam figura semitertianæ, eius quam solam Gal. semitertianam vocari vult, est, vt nihil intermittant, sed cōtinuæ sint, & ingrauescant modo tertiano, vno die subsidentes, quo scilicet die vnica exacerbatio est solius quotidianæ febris; alio ingrauescentes, quo scilicet est exacerbatio duplex, quotidianæ & tertianæ. Quare frequenter videntur subsidentes, & cito (sequenti enim die) rursus ex remissione ingrauescentes violentius, quàm die superiori, accedente duplici accessione, & violentius quam nudius tertius, cum morbus tendit in summum vigorem. Accidat illis rigores sine ordine multi, hoc est, non vno quodam ordine quotidiano aut tertiano, sed videntur sine ordine omnino fieri ob complicationem duarum febrium, acciditque hodie vnus, cras duo, vt nullus videatur esse ordo. Quin etiam præter hos, incidunt intempestiuè quibusdam horis sine ordine rigores, ob varium motum quem facit succorum contraria natura. Rigores autem his non sunt magni, quales qui propriè rigores appellari solent, sed minimi, quales qui horrores vocantur. Rigores ergo veri his paucissimi, sed qui erant, minimi erant, horrores nempe in alijs autem febribus, maiores rigores erant, putà in exquisitis tertianis. Hæc ergo solam figuram semitertianarum significant. Illa verò figuram simul & grauitatem. Longissimas & cum maximis doloribus fientes. Nam familiare est semitertianis esse vehementes, & cum maximis doloribus, acutas simulque longas. Vt ipse Hipp. hoc ipso lib. dicit his verbis. In febre quam semitertianam vocant, cum morbi eueniunt acuti, tum præter cæteras, hæc est lethalis, & tabidi, & quæcumque alta longiora mala ægrotant, in hac maxime ægrotant. Verum quamquam hoc familiare est semitertianis, non tamen æque omnibus, sed maximis, quales eo tempore grassatæ sunt. Familiare etiam est semitertianis incipere leniter, vt non statim prodant suam acutiem: deinde vehementiores semper fiunt, quàm fore in principio videbantur, tum quanto vehementiores per se sunt, tanto hoc habent magis, vt vehementiores fiant. Refrigeratio etiam multa vix recalescens quæ his inerat, familiaris est semitertianis: quia multos habent rigores, ex his autem ob multã pituitam non facile recalescunt. Hi autem recalescebant

vix,

vix, quia semitertianæ erant graues. Neque quidem hic dicit illam refrigerationem extremorum quæ Iypiriam febrem, aut extremam calidi extinctionem significat (ex hæc enim non recalescunt) sed eam quæ per horrores longos & multos eueniebat. Vbi nos legimus, neque dormiebant quidem omnino, præcipue hi, in quibusdam codicibus est, *οὐδ' ἐδύρνασι τὸ σύνολον, μάλιστα οὗτοι*, id est, neque vigilabant omnino præcipue hi tamen legendum esse *οὐ ὕπνου τὸ σύνολον* id est, non dormiebant omnino, verba mox sequentia palam faciunt. Addit enim & rursus comatod. Hoc quoque signū, figuræ morbi & magnitudinis est. Nimirum semitertiana vno die solet afferre peruigilium comotibile, alio soporē comota pituita: quin & in ipsius tertianæ initio & inuasiōe nimius somnus fit, effumante cum bilis pituita, & soluto horrore succedit peruigiliū. Tamen tunc hæc cōtraria maximè fiunt cū vtriusque succi magna signa sunt, & proinde magna semitertiana. Illa significat solū febrium periculū, ingrauescētes diebus decretorijs, & agētes in malū. Nam diebus decretorijs ingrauescere, malū signū est. Illis enim diebus mouetur humor, & cōgreditur facultate morbus. illis ergo videri facultatē obrui, periculū sum: maxime cū in morbis salutaribus, magnam vim solet facultas cōparare imitata cæli aspectu, qui facultati solet esse faustus. Quibus ergo diebus solet facultas vincere, debilitatis insignia accidētia sentiri, pessimū est: vt merito illud, quasi inigne quoddā periculi signū, bis dixerit Hippocrates repetens his verbis. In decretorijs plerūque diebus peiores facti. Illud etiā est periculi signū, sudores qui in omnibus febribus illo anno erāt multi, in illis fuisse minimos quantitate. itaq; fuisse in his multos sed exiguos, nihil cōferentes sed cōtra lædētes. Nā euacuationes oēs tentatæ, cuiusmodi crebræ & exiguæ, debilitatē facultatis indicant, decretoria aut omnia quæ nihil cōferunt, ac multo magis quæ ledūt, aut mortē aut difficilē indicationē significare, ipsemet dicit. Illud quoq; hæud exiguū periculū indicabat, alios, quæ illo anno turbatæ & malæ, illis fuisse valde pessimas. Sunt enim valde pessimæ alui cum excretionēs fiunt quales in aphorismo & prognostico dicuntur esse, nigra, liuidæ, cruentæ, biliosæ, sinceræ, foetidæ, pingues, & variegatæ. Erant igitur illæ febres, semitertianæ, magnæ, & periculosæ.

Vina

VRina plurimis horum, aut tenues & cruda & decolores, & post tempus parum concocta indicatoriè; aut crassitudinem non habentes, perturbata autem, nihil consistentes, neque subsidentes, neque cocta; aut pauca & mala subsidentes, pessima autem hæc omnia.

NAQUE hæc urinae differentia pertinebant ad speciem morbi, sed magnitudinem & periculum indicabant. Pessima enim urinarum differentia hæc omnes. Erant quibusdam crudæ, tenues, & decolores (hæc sunt aquosæ, siue albæ & perspicuæ alijs locis appellatæ) quæ quidem ex tanta cruditate procedunt, ut neque præsentis, neque futuræ concoctionis signum quodpiam præse ferant. & illæ quidem non solum tales apparebant in initio februm, sed post tempus quoque, id est procedente tempore, parum comparabant concoctionis signa, decretoriè. Hoc est, parum recipiebant eas mutationes, quas solent urinae recipere, morbo eunte in iudicationem. Alijs erant urinae, crassitudinem veram non habentes (vera crassities est quæ concoctione comparatur) quæ tamen videbantur crassæ, quia perturbatae erant, & nihil consistebant, neque subsidebant. Intellige hic quoque, post tempus: hoc est, cum à principio apparerent perturbatae, tales multo tempore perseverabant, neque procedente tempore consistebant, siue conquiescebant ab illa perturbatione, neque subsidebant, hoc est, neque separabatur in illis quidquam quod subsideret, neque coquebatur. Quod quidem multos & coctu difficiles succos significabat, quia nunquam subsidebat in illis quidquam, aut subsidebant pauca & mala. Pauca quidem subsidere, cum tenuitate, cruditate significat, cum crassitie nimia, cruditate etiã & obstructionem. Ita. n. fieri cum grumosa & paucamunguntur, docuit Gal. Mala subsidentia multæ sunt quæcumque, scilicet nigrae aut liuidæ, aut grauiter foetentes, quæ quidem ob malam putredinem, aut vstionem fiunt. Vbi nos legimus crassitudinem quidem non habentes, in aliquibus codicibus legitur: *αὐχρὸς μὲν χυρτες*, id est crassitudinem quidem habentes, quibus verbis idem sensus fit. Nimirum dicit, crassitudinem quidem habentes non veram, sed per perturbationem. Non. n. esse veram crassitiam, eam quæ turbatione fit, alijs locis diximus.

C

Tuffes

- 6 **T**ves quidem comitabantur febres. Non habeo autem quod scribam lesionem an utilitatem, tussis tunc attulerit.

Hoc accidens fuit in illis febribus assidens, non proprium morbi, neque superueniens in magno periculo, sed ut solent alia signa, que vocantur assidentia. Sed quoniam non obfuit manifestè, constat rursus quod nuper diximus, tales illo anno factas esse non ob pulmonum ulcera, sed aliter marcescentibus corporibus.

- 7 **D**iuurna ergo & molesta, & omnino sine ordine, & erraticè, & sine iudicatione, plurima horum perseverabant fieri, & omnino lethaliter habentibus, & qui non. Si enim quosdam ipsorum parùm reliquerant, rursus cito reuertebantur. Est autem quibus iudicabantur ipsorum paucis, quibus celerrime fiebat, circa octogessimum existentibus. Et horum quibusdam reuertebantur ut multi illorum ad huc per hyemem ægrotarent. Plurimis autem sine iudicatione deficiebant. Similiter autem hæc accidebant ijs qui superstites manserunt, & qui non.

OMNIA dicta accidentia perseverabant fieri diuurna, molesta, & sine ordine, & sine iudicatione, id est, sine solutione. Quod est, erant longa, molesta, erratica, & vix unquam finiebantur. Quod ob multitudinè, cõtumaciã, & varietatè succorũ, fiebat. Fiebat autè id, & in ijs, qui oïno lethaliter habebãt, & in ijs qui nō. Habere autè lethaliter aut nō, siquidè hæc cōmunia erãt vtrisque, ex alijs accidentibus oïbus agnoscendũ erat. Quibus multorũ, & contumaciã, & multiplicium, succorum notæ sunt, si ex alijs signis videantur esse salubriter affecti, liberantur, & superstites fiunt, non tamen citò neq; cum bona iudicatione, sed post multum tempus, & cum paulatina solutione, aut per multas recidivas: si non sunt salubriter affecti, tamen facultas non sit admodum debilis, moriuntur lentè & post longum tempus; si facultas admodũ debilis sit, moriuntur breviter.

Illo

Illo anno, vtrisque, & salubriter, & lethaliter affectis, fuerunt succi multi, varij, & contumaces: vires verò quæ longo tempore morbum ferre posset. Proinde qui superstites manserunt, per multas recidivas euaserunt, & qui mortui sunt, multo tempore prius ægrotauerunt. Quibusdam tamen, quibus scilicet hæc minus inerant, iudicati sunt, qui celerrimè, octoginta diebus: & horum etiam, qui octoginta diebus iudicabantur, quibusdam reuertebantur, ita vt multi illorum per hyemem ægrotarent. Ex hoc loco rursum fit manifestum, quod antea diximus, febres quæ de scriptæ sunt, non incepisse autumno & sub hyemem, sed æstatis parte vltima. Quando quidem durare potuerunt quibusdam octoginta dies, antequam hyems fieret.

Cum autem multa quadam fieret iudicationis difficultas, & varia ex morbis, & maximum signum & pessimum in fine superueniebat plurimis, fastidire cibos omnes, præcipue autem hos quibus & alia omnia lethaliter habebant. Sitiuites non admodum intempestiuè erat in his febribus, cum fierent autem longa tempora, & dolores multi, & praua colliquatio, in his abscessus fiebant, aut maiores quàm vt ferre possent, aut minores quàm vt prodesse, sed celeriter recurrerent, & in peius courgerent. Erant autem quæ his fiebant dyssenteria & tenesmi, & lyenteria, & profluvia, quibusdam autem & hydro pes, cum his & sine his. Quodcunq; autem horum violenter fiebat, celeriter corrumpebat, aut rursum nihil proderat. Exanthemata parua & non pro dignitate excretionis morborum, & cito rursum euanescentia: aut post aures œdemata, quæ non soluebantur, & nihil significabant, quibusdam in articulos, præcipue autem secundum coxam. Paucis decretoriè deficientia, & citò rursum inualescentia in habitum qui à principio.

ACRISIA, siue iudicationis difficultas, multa & varia, contigit, quia omnes difficulter iudicabantur, nõ tamè

eodem modo : sed quidam per multas recidivas : quidam per solutiones paulatinas : quidam per abscessus, atqui abscessus erant varij. Nam quidam per decubitus humorum in vias euacuationum, vt quibus dysenteriz, lienteriz, profuua, & tenesmi : quidam in alios morbos per mutationes (has enim etiam vocare Hippocrates solet abscessus) vt quibus hydropes, qui nonnullis acciderunt cum his, hoc est cum fluxionibus e ventre, nonnunquam sine his : quidam erant abscessus in quasdā partes, vt quibus tumores (omnes enim tumores vocat Hippocra. œdemata) post aures, & ad articulos & ad coxam : & exanthemata. Illis itaq; omnibus, qui ita laborabant, dicit fuisse multā & variam acrisiam, ijs autem qui lethaliter erant affecti, fuisse signum superueniens maxime pessimum, in appetentiam omnium ciborum. Neq; profecto immerito erat hoc grauissimum, nam signum malignæ Cacochymiz erat, & præterea mala causa. Quia per morbos longos cibum non capere, perniciosum est. Dicit tñ non admodum siticulosos fuisse. Siquidem omnino nihil sitissent cum tanta febre, malum esset signum, verum non negat sitisse, sed non admodum intempertiuè. Illud autē multa humiditas illius anni fecit. Porro dicit, cum fierent longa tempora, & dolores multi, & multa colliquatio. Nimirum antea dixerat, quibus fluxiones illæ multæ per ventrem, & vrinz vias cū dolore fiebant, colliquationem & tabem accidisse, idq; quibusdam sine febre, quibusdam cum febre. Hoc ergo dicit modo, per illas febres quibusdam euenisse. In his, dicit, fiebant abscessus, intelligit verò hic abscessus nomine, omnes permutationes, aut decubitus succorum, siue cum euacuationibus, siue sine illis, vt constat ex enumeratione eorum quæ acciderunt, dysenteriz scilicet, tenesmi, lienteriz, profuua, hydropes, parotides, exanthemata, tumores ad articulos, ad coxam præcipuè. Verum, inquit, abscessus plerisque illo anno fuisse maiores quàm vt ferri possent, vel minores quàm vt prodesent. Nimirum in nimia succorum redundantia hoc periculi semper est, vt aut nimia euacuatione fiat, cum qua virtus exoluatur, aut imperfecta, & quæ ad expurgationem corporis non sit satis. Vt vel hac sola causa, si secundum artem fieri potest, curandum sit, vt cum multa subest in corpore copia, minuatur. Hydrops post alios

alios morbos fit, aut hepate debilitato ipsa intemperie, aut morbi materia irruente in hypochondria, & abscedente in regionem ventris. Exanthemata illa parua quæ acciderunt, verisimile est fuisse, quæ variolas & morbillos vocamus. Quanquam enim nomine exanthematum græcis omnes maculæ, aut pustulæ, aut papulæ, in cute significantur, sed hæc malignè putrescentibus succis fieri solent, in pueris præcipuè, quos ex his exanthematis illo anno mortuos fuisse dicet mox. Verisimile est ergo pueros, qui semiter-tianis laborauerant, in quibus pituita prauauerat, variolis: in quibus bilis, morbillis laborasse. Ea autem, pessimum est, pigrè & parùm exire, & rursus euanescere. Tumores post aures dicit factos, qui non soluebantur, quia extrasis succis erant, & nihil significabant, hoc est ex quibus neque melius neque deterius habebant, velut ex tussi dixerat. abscessus in articulos solere fieri, quia laxæ partes sunt, & in coxam præcipuè, vt in articulum maximum, dictum in aphorismis est. Paucis quibusdam deficiebant tubercula decretoriè, hoc est soluebantur, tamen citò rursus (ita vt fit in ijs quæ sunt difficilis iudicationis) inualescentia, redibant in habitum priorem.

Moriebantur autem ex omnibus quidem, plurimi autem ex his pueri iam ablactati, & maiores, octennes, & decennes, & vsque ad pubertatem. Fiebant autem his hæc, non sine prius scriptis. Priora autem multis sine his. Solum autem vtile & maximum signorum quæ facta sunt, & multos liberauit constitutos in maximis periculis, quibus in stranguriam conuertebatur, & in hoc abscessus fiebant. accidit autem & plurimis Stranguria, ætatibus his maxime. Fiebat autem & multis aliorum non decumbentibus, & in morbis, celeris autem & magna quedam mutatio omnium his fiebat. Ventres enim etsi esse contingeret humidos, malo more citò sistebantur. Cibosque omnes iocundè capiebant: febresque mites post hæc. Stranguria autem his diuturna & la-

boriosa erat. *Vrinæ autem his erant multæ, crassæ, variæ, & rubræ & mixtæ pure, cum dolore. Superflites autem fuerunt omnes hi, neque quemquam horum mortuum novi.*

Ex abscessibus omnibus moriebantur multi, plurimi autem pueri. Ex exanthematis enim his multos pueros verisimile est, mortuos esse. Quia habebant pueri cum illa morbi specie analogiam (familiaria enim sunt illa exanthemata pueris) & cum anni constitutione quæ erat humida, ut & puerilis ætas, usque ad pubertatem. Multi ergo pueri exanthemata illa habuerunt. Quæ cum illo anno lethalia fuerint, quia erant pauca & citò euanescentia, multi pueri ex illis mortui sint. Præterea cum causa eadem esset omnibus, puta aëris temperies, pueros magis ægrotare fecerit, quam aliarum ætatum homines, pauciq; aliorum eo morbo correpti sint, paucissimi verò æqualiter fiebant autem, inquit, his hæc non sine prius scriptis. Id est, exanthemata fiebant pueris, non sine fluxionibus per ventrem, & dysenteria. Priora autem, hoc est, illæ fluxiones, multis, sine exanthematis. Certè nihil est magis obseruatum, neq; magis rationi consonum, quam variolis lethalibus accedere malignas deiectiones, & dysenterias, reconditis, scilicet, malignis excrementis in vitceribus, & exeuntibus per intestina, quæ debent in cutem emergere. Quo fit ut & anxietates magnas, ita affecti sentiant, & deliquia animi, ob malignam succorum qualitatem. Quare exulcerant intestina, faciuntq; dysenterias lethales, quales ex bile atra solent fieri. Verum cum omnes quos dictæ semitertianæ excuerant, grauius affecti essent, solum illud fuit utile & maximum signum, eorum quæ facta sunt, & quod multos liberauit, in stranguriam malum verti. Hoc enim tempore fiebat stranguria, ut antea etiam dixerat, non per passionem propriam instrumentorum vrinæ, sed toto corpore per eas vias sua excrementa natura emittente. Accidit ergo tunc multos hac ratione liberari, per purgatis corporibus per vrinam. Quare erat utilis ea excretio quibus accidebat, & maximum signum sanitatis. Atque adeo non eo tempore solum ita contigit, sed sæpissime alias febricitantes solent

lent hac euacuatione iuuari magnopere, vt vix sciam, an aliqua euacuatio sit ad erradicandum mala venarum tam idonea. Neque id immeritò: quia renes de ipsissima vena omnium maxima, quæ ex hepate oritur, sugunt. Accidit autem stranguria illa salutaris multis, maximè autem his ætatibus, de quibus nuper dixerat, pueris scilicet. Nam verisimile est contigisse quòd semper solet, vt pueri ex grauissimis malis, & periculosissimis, crebrius euaderent, quàm alij homines. Res est miraculo similis, è quantis desperationibus soleant pueri euadere. Quod fit quia habent vires naturales, quibus vincuntur morbi, robustissimas, nempe commutatricem, & expultricem. Nulla autem alia ratio pellendi morbum est, quàm commutando, aut pellendo materiam. Ergo hoc quoque anno plures pueri conualuerunt, cumque omnes ferè qui liberati sunt, stillicidio vrinæ sint liberati, constat plures pueros stillicidium vrinæ habuisse. Nam etsi plurimi eorum, qui ex exanthematis mortui sunt, fuerint pueri, tñ fieri potuit, vt ex febribus sine exanthematis plurimi pueri cum stillicidio liberati sint. Fiebat (addit) & multis aliorum, & non decumbentibus, & in morbis. Hoc nihil est aliud, quàm quòd antea dixerat, & nunc obiter repetit: puta stranguriam accidisse multis cum febre, & multis sine febre. Quod qua causa contigerit supra quoque dictum est, sed qua causa vtile fuerit adeo stillicidium vrinæ illo anno, partim à me est dictum nuperrimè, partim ex ijs quæ Hippocra. narrat intelligetur. Omnium enim dicit fieri consueuisse per illos morbos celerem & magnam mutationem. Nam si venter incipiebat fluere, malo modo cito sistebatur. Malo modo dicit, quasi intempestiuè, & antequam corpus expurgatum satis esset. Quare fiebat, vt cibos tunc iucunde caperent, & febres mitiores fierent, tamen reuenterentur, &, vt dictum est, celeris & magna mutatio, rursus fieret in priorem habitum. Stranguria autem erat diuturna, & laboriosa. Atqui quia diuturna, erat bona causa, expurgabat enim plene corpus, quia laboriosa, erat bonum signum, euacuari enim praua, significabat. Igitur quòd diuturna erat & laboriosa, multum, idque malum, euacuabatur. Quare meritò, plusquam alia quæpiam euacuatio, contulit.

LIBRO C 4
DEL DR

Vrinæ

Vrinæ autem erant his, qui ita mictu expurgabantur, multæ, crassæ & variæ, & rubræ, & pure mixtæ. Multa quidem vrina singulo mictu esse non poterat per stranguariam, verum poterat esse non omnino pauca, & mictu crebro fiebat, vt multa vrina emitteretur. Crassæ autem erant & variæ vrinæ, quia varij & crassi succi expurgabatur: rubræ, quia multum sanguinis crudi emittebatur: pure mixtæ, quia ex vlcere, quod corrosione ipsa faciebat vrina aliquid puris corradebat exibatque cum exiguo quodam pure. Quod significaret, dixit Hippocrates *ῥυζόρωα*, idest pure mixta. Omnes ergo quibus hoc vrinæ profluuium accidit, superstites manserunt, quia per purgati sunt.

10 *Quæcumque autem sine periculo concoctiones vndeque exeuntium omnes, tempestiuas, aut bonas, & decretorios abscessus considerare.*

HACTENVS semper egit Hippocrates historicum, narrans solum quæ illis annis acta sunt. Nunc obiter diuertit ad præcepta, agitque, per quasdam huius operis particulas, præceptorem (quamquam profecto hoc non admodum pertinet ad institutum) tamen accepta occasione ex ijs quæ narrauit ægrotis contigisse, scribit quasdam sententias, partim pertinentes ad prognosticam, partim ad curatiuam. Illa verba, *Quæcumque sine periculo sunt*, in quibusdam codicibus leguntur adiuncta superioribus, mihi verò multo aptius videntur, cum sequentibus congruere. Nimirum inquit, quæcumque sine periculo sunt vt agnoscas, considerare debes concoctiones vndeque prodeuntium, & abscessus. Nam quæ sine periculo sunt hæc habent, omnium excrementorum vndeque prodeuntium, velut deiectionum, & vrinæ, & sputi (omnia enim considerari per febres debent, & nihil negligi) concoctiones bonas, idest bona concoctionis signa, vera, non fucata, neque fallacia, & tempestiuas, hoc est, suo tempore apparentes, & secundū temporis rationem perseuerantes, non
inæqua-

inæquales, aut intempestiuè euanescentes. Habent præterea abscessus decretorios bonos. Vocat abscessus decretorios, euacuationes omnes, aut permutationes aut decubirus succorum in quasdam partes. Habent ergo quæ sine periculo sunt mala, euacuationes, aut abscessus bonos. Euacuationes bonæ sunt, quæ per regionem conuenientem, & quæ morbo sunt accommodatæ, & quæ cum conferentia & tolerantia aguntur. Abscessus boni, qui in ignobiles, & humiles, & externas partes fiunt, potius quàm qui in contrarias. Cum ergo in morbo concoctionis signa tempestiuè apparent, & secundum rationem perseuerant, & mutationes tempestiuas in melius recipiunt secundum morbi constitutionem, & si quæ euacuationes, aut qui abscessus fiunt, vt oportet, fiunt, sine periculo homo est.

Concoctiones celeritatem iudicationis, & securitatem salubrem significant.

Quantò citius apparent concoctionis signa, tantò breviorè futurum esse morbum agnoscimus, quod in Aphorif. etiam docuit Hippocrates dicens, & ex ijs quæ mox apparent, velut in pleuriticis sputum si mox apparet post principium, contrahit, si autem postea appareat, producit, & vrinæ, deiectiones, & sudores. Causam illo loco reddidimus. Securitatem etiam salubrem indicant. Est verò duplex securitas salutaris. Dicimus enim securum esse morbum, promittentes fore vt sanus euadat homo. Dicimus etiam sanitatem quam comparabit, fore securam, dicentes non habiturum hominem recidiuam. Vtranque securitatē significant signa concoctionis, salutem certe, vsque adeo vt Galenus dicat cum signis concoctionis nō posse hominem mori, nisi quidpiam, in victu, aut curatione peccetur, aut nouus morbus succrescat (atqui ego quoque ita censeo si perfectæ concoctionis signa sint) securitatem quoque secundam significant, cum sunt bona, & tempestiua. Nā cum apparent non multò post morbi initium signa concoctionis, & nunquam amplius euanescent, sed mutantur in melius semper secundum rationem, per dies contemplatione dignos, maxima spes est fore iudicationem optimam, & tutam, & sine recidiuis, perfectam.

Crudo

12 **C**RUDA autem & incocta, & in malos abscessus conuersa, aut acrisias, aut labores, aut diurnitatem, aut mortem, aut eorundem recidivas. Quod autem horum magis erit, ex alijs considerandum.

CRUDA maius quiddam significant, quam nomen incocta. Cruda enim sunt, quæ omnino talia sunt, & cocta nullatenus, incocta vero vocat quæ legniter coquuntur, & si non nihil incipiant. Crudas urinas significabat paulo ante, dicens, crudæ urinae, tenues & decolores: incoctas autem, addens, & post tempus parum concoctæ. Contraria ergo sunt duo hæc, cruda & incocta, illis duobus, concoctiones bonæ, & tempestiuæ. Iam verò, mali abscessus contrarij sunt ijs quos vocabat decretorios: malæ scilicet euacuationes, quia non sunt per conuenientes regiones, aut non sunt morbo accommodatæ, ac proinde aut statim virtutem deijciunt, aut rursus nihil profunt, vt illis ægrotis, ea tempestate quam describit, accidisse dixit: vel abscessus in quâsdam partes noxij, quia in internas, aut nobiles: aut maiores quam vt ferri possint, aut minores quam vt profint. Igitur si concoctiones bonæ & tempestiuæ, & decretorij abscessus, significant celeritatem iudicationis, & securitatem salubrem; cruda & incocta, & mali abscessus, significabunt omnino contraria. Contraria autem sunt iudicij celeritati, diurnitas, & iudicio, acrisia, hoc est iniudicatio, quam declaratum est à me antea, esse difficile iudicium, aut solutionem sine iudicio. In difficultate iudicij sunt dolores. Securitati salubri contraria sunt mors, & recidiva: siquidem dictum antea est, duplicem securitatem illo nomine significari. Ergo is cui hæc aderunt, aut morietur, aut cum difficili iudicatione vel acrisia, vix tandem euadet. Vtrum horum futurum sit, ex alijs considerandum. Quod & in prognostico ipse Hippoc. fusiùs docuit. Nimirum si hæc adsint, & salubriter affectus homo sit, euadet longo tempore, sin lethaliter, morietur. Esse salubriter aut lethaliter affectum, cognosces consideratis alijs omnibus signis salutis aut mortis, in quibus ea quæ constantiam aut langorem vitalis facultatis indicant, tenent primas.

Præterita

13 **P**Ræterita discito, præsentia cognoscito, prædicito futura. Hæc meditator.

AD medicum pertinere arte prognostica uti, circa præsentia, præterita, & futura in initio prognostici libri dixit. Rectè autem dicit modò, ut hæc magnopere commendet, hæc meditator. Non quidem quod hæc meditari solum debeat medicus, non etiam exercere, sed quod nulla ratio discendi quidpiam, præstantior sit meditatione. Non enim ea quæ legimus solum, aut audimus, sed quæ multùm & diu meditatur optime calemus. Quare quæ magni momenti in artis operibus futura esse scimus, non utcunque legere, sed meditari etiam debemus.

14 **E**xercere in hoc circa morbos, ut profis, aut non noceas.

NON est leue quòd his præcipitur, sed magnum prudètiæ præceptum. Cum curamus, multa occurrunt dubia & ambigua, id quod assiduæ altercationes medicorum, nunc de morbi essentia, nunc de causa, nunc de occasione utendi aliquo auxilio, aperte indicant. Non enim solum altercari contingit imperitos & proteruos, sed doctos etiam & probos, non rarò. Atqui nos ipsi nobiscum nonnunquam altercamur, videntes quædam signa, quæ in hanc, quædam quæ in illam sententiam trahunt, ut res quidem sit dubitatione plena. Tunc temporis quid agendum sit Hippoc. docet. Agendum quidem erit iuxta coniecturam quæ videtur probabilior, non ita tamen ut si coniectura nos fefellerit, salutem hominis luserimus, multùm lædentes, sed cautè incipientes à leui aliquo auxilio, ut si res ita tentata minus bene videatur cedere, liceat consilium mutare, ut multùm non lædamus. Denique ita operari, ut profis, aut si nõ profueris, non noceas tamen, aut, quam minimum, fieri possit, noceas.

15 **A**RS ex tribus constat. Morbo, egroto, medico ministro artis. Aduersari morbo egrotum cum medico oportet.

Cum tria hæc sint in omni curatione, morbus, ægrotus, & medicus, qui est minister artis, quia exequitur quæ iubet ars: ægrotus & medicus debent conspirare aduersus morbum. Quia ut alio loco dicitur, non solum oportet medicum præstare se facientem quæ expedit, sed & ægrotum. Fiet hoc ægrotum iuuante medicum, & medico ægrotum: contrarium fieri possit ægrotum conspirante cum morbo contra medicum, aut medico cum morbo contra ægrotum. ægrotus iuuat medicum, cum ei paret ut oportet, contra, cum non paret, sed contraria prorsum facit ijs quæ iubet medicus, conspirat cum morbo contra medicum. Medicus iuuat ægrotum, cum bene vitur sua arte, contraria præstans morbo, & naturæ similia: si verò malè arte vitur, præstans morbo similia, aut naturæ contraria, cõspirat cum morbo contra miserum ægrotum.

¹⁶ **D**olores circa caput, & cervicem, & grauitas, cum febribus, & sine febribus. Phreneticis quidem conuulsiones. Sed & viridia vomunt, & quidam horum celeviter moriuntur.

Nunc redit ad abscessus. Cum enim dixisset paulo antea, considerandos abscessus bonos aut malos, nunc quorumdam abscessuum, qui cuidam passionis generi solent succedere, mentionem facit: velut quadam abscessuum bonorum & malorum exempla proferens. Proinde duos bonos abscessus refert in primis, deinde duos alios malos. Volens autem dicere quæ soleant succedere dolori gravati, capitis & cervicis, dicit, velut propositione quadam utens, eum dolorem solere cum febre aut sine febre fieri: cum verò qui per morbos acutos fit, in quibus sequentes abscessus fiunt, constat cum febre esse. In hoc genere sunt phrenetici. Nam tamen cum iam delirant non solent gravitate capitis sentire, tamen à dolore gravante (repleto nimirum capite) phrenitis incipit. His duo solent superuenire, ambo lethalia, conuulsio & vomitus viridis, conuulsos solere phreneticos mori, & omnia ferè signa, quæ in illis lethalia sunt, conuulsionem imminentem significare, facile intelliget, qui prognosticum Hippocratis legerit, & nostra in illud commentaria.

Bilis

Bilis viridis vomitus, & pessimum signum in eis est, & causa. Signum quidem, quia maxima pessimæ bilis redundantia significatur, cum adeo vita per os regurgitet: causa autem, quia laborante ore ventriculi, multum læditur per cõsensum caput. Quod cum alioquin adeo laboret, nõ potest nouam læsionem, sine magno, citoque periculo, sustinere. Conuelluntur ergo plerunque ex hoc malo, vt ex helleboro, nonnunquam purgati mori solent Merito ergo celeteriter moriantur: Nonnulli quidem repente in ipso vomitu, nonnulli vno aut duobus diebus.

IN causis autem & alijs febribus, quibus colli dolor, & temporum grauitas, & caligo in oculis, vel hypochondrii contentio non cum dolore fit, his sanguis e naribus fluit. Quibus autem grauitas quidem totius capitis, cum morfu autem ventriculi, & fastidio, sunt, vomunt pituitosa & biliosa, maxima autem ex parte pueris conuulsiones in his maxime, mulieribus autem, & hæc, & dolores ex vero. Senioribus autem, & quibus iam calidum vincitur, & paraplexia, aut mania, aut priuationes oculorum.

I N prognostico eadẽ ferè scripta sunt, quæ hic, de fluxu sanguinis, & de vomitu. De vomitu quidem his verbis. Si quis per febrem non exitialem dixerit caput dolere, aut tenebrosum quiddam ob oculos versari, aut si oris ventriculi dolor in eo extiterit, biliosa vomitio aderit, si frigus quoque præhenderit, & inferiores hypochondriorum partes frigida fuerint, adhuc citius vomitio aderit. Si quid verò bibat, esitetque sub hoc tempus, per quam cito deuomet. De sanguinis fluxu dicit hæc. Quibus per talem febrem dolet caput, & pro tenebris ob oculos offusis hebetudines subeunt oculorum, ac splendor obuertitur, & pro oris, ventriculi dolore, circa hypochondria, aut sinistra parte aut dextra, aliquid contenditur, neque cum dolore, neque cum inflammatione, sanguinem de naribus in his fluere pro vomitione expectadũ est. Magis verò & hic, in adolescentibus sanguinis fluxũ expectari oportet. Agẽtibus verò

trigefi-

trigesimum annum, aut etiã adultioribus, minus, sed vomitione in talibus expectari oportet. Ex his locis constat, hic cum dicitur, in causis & alijs febribus intelligi debere non exitialibus, quia in exitialibus, mors potius succedet illis signis, quã fluxus sanguinis aut vomitus: & ubi dicitur, neque cum dolore, intelligi debere, neque cum inflammatione. Nimirum non quivis dolor tollit imminenti fluxionis sanguinis signum, sed ille solum qui cum ardore, significare possit, contentionem hypochondrij a phlegmone fieri. Signis etiam vomitus addi debent quæ hic omissa, & in prognostico scripta sunt. Verum ex his non semper fit vomitus, & si omnia adsint sed quibusdam alijs mali abscessus, ut pueris cum hæc adsunt, solent convulsiones accidere irruentibus succis, qui commoti sunt, & non euacuantur, in nervos. Nimirum pueris familiarem esse convulsionem antea etiam dictum est, & in aphorismis & prognostico. Mulieribus verò hæc eadem accidunt, & dolores uteri. Quia patientiori ventriculi citissimè consentit uterus, ob viciniam arbitror, & congenerem substantiam, & communem cõtinuitatem per venas, & arterias, & quia utraque pars accipit nervos ex sexto pari, eorum quæ oriuntur è capite. Nihil sanè magis est experimento compertum, quã laborante utero, statim pati ventriculum, & nauseare, ac euerti, & cum ventriculus dolet, nisi exiguus admodum dolor sit, uterum etiam paulo post dolere. Ut non inutiliter neque sine ratione, soleant mulieres quacunque parte circa totum ventrem dolere, utero statim prospicere. Solet enim plerunque, aut primaria aut secundaria passione, laborare. Seniores verò qui repletionem habent capitis, quia calidum iam in eis vincitur, non possunt expellere fluxu sanguinis neque vomitu, tentat autem expellere eorum natura, facitque ut abscedat in alteram capitis partem, & patiuntur paraplexiam, aut trudit in oculos, & cæcitatem contrahunt: aut sanguis crassus & ater in eorum cerebro detentus, perturbat mentem, facitque maniam. Intelligi autem debet hic nomen manie, de qua vis insania sine febre, dici. Senibus enim verisimilius est melancholias, quã furores fieri.

Tempe-

Tempeſtas III.

IN Thafſo paulo ante arcturum, & in arcturo, aque multæ in borealibus magnæ. Circa æquinoctium autem & uſque ad pleiadas, aqua auſtrina, parua, pauca. Hyems borealis, ſqualores, frigidi venti, magna niues. Circa æquinoctium autem frigora maxima, ver boreale, ſqualores, aquæ pauca, frigida. Circa conuerſionem autem æſtiualem ſolis, aquæ pauca, magna frigora, uſque ad canem. poſt canem autem uſque ad arcturum æſtas calida, uſtiones magnæ, & non ex adiectione, ſed continentes & fortes. Aqua non fiebat, eteſiæ ſpirarunt. circa arcturum autem aqua auſtrina, uſque ad æquinoctium uerum.

IN multis codicibus hæc tempeſtas non eſt ſeparata a proxima, ſed coniuncta quaſi ſit illius pars: tertia uero incipit ab illis uerbis, morbos dignoſcimus. Mihi tamen melius uidetur hoc loco ſeparare tertiam tempeſtatem a ſecunda, & reliqua totius huius primi libri, ad hanc tertiam referre. Quia unicam tempeſtatem continet totus liber ex hoc loco, eamque longe diuerſam a duabus prioribus. Hac tempeſtate non ſolum narratur quid integro anno contigerit, uelut in duabus ſuperioribus, ſed altera etiam parte ſequentis anni. Nimirum narratio incipit unde prius etiam, ab ortu arcturi, & producit uſque ad arcturum ſequentis anni, & præterea uſque ad ſequentis uer, ut tota narratio contineat annum, & alteram anni partem. Nam primo arcturo fuerunt aquæ in borealibus, & prima hyems fuit borealis & cum ſqualoribus, ſequenti autem arcturo & ſequenti hyeme, fuerunt multæ aquæ auſtrinae. Primus narrationis annus magna ex parte fuit frigidus & ſiccus, atque quanquam inæqualitatem magnam quædam partes attulerunt (nimirum in prima parte autumnus fuerunt multæ aquæ & magnæ, & in tota fere æſtate ingens æſtus) tamen totus annus appellationem frigidi & ſicci, ob id quod

magna

magna ex parte fuit, accipere potest. Sequentis anni pars contraria omnino fuit, calida enim & humida, quia habuit aquas austrinas. Age ergo omnes narrationis partes percurramus. In duas partes diuidit autumnum primam intelligit cum dicit paulo ante arcturum & in arcturo (ea autem est vltimi dies Augusti & primi Septembris vsque ad dimidium ferè) secundam parte autumnii intelligit dicens, circa æquinoctium autem & vsque ad pleiadas (occasum scilicet pleiadum) est id tempus a dimidiato Septembris vsque ad primos dies Nouembris. Contra omninò accidit in his duabus autumnii partibus, ac frequenter solet: nam in prima fluit boreas, tamen pluit sæpe & multum: in secunda fluit auster, & pluit rarò & parum. Hyems tota fuit borealis, atque si qui alij venti flauerunt, illi omnes fuerunt frigidi. Meritò ergo habuit squalores. Boreas enim cum non multum pluit, squalores facit. Atqui quanquam ea hyeme niues magnæ fuerunt, non fuerint tam multæ quin magna ex parte fuerint squalores. Addit, circa æquinoctium autem frigora maxima. Vbi considerandum, in duas illam partes diuidere nunc ver, primam & secundam, & nunc ver vocare, non vt antea vsque ad ortum pleiadum, sed vsque ad solstitium æstiuale, quod est ferè in medio mensis Iulij. Nam cum dixisset: ver boreale, squalores, aquæ pauca, frigida, addit, Circa conuersionem autem æstiualem, quasi ver sit vsque ad hanc conuersionem. Dicit accidisse a conuersione solis, siue a solstitio vsque ad canis ortum, pauca aqua, & magna frigora. Ego verò non intelligo fuisse frigora magna vt per hyemem (neque enim opinabile est) sed intempestiua, id est maiora multò quàm eo tempore solent, æstatem diuidit hic Hip. in duas partes, primam ante canem, secundam post canem. Canis verò est duplex, vt in commentarijs aphorismorum diximus fufius: maior est quam vulgo vocant caniculam (græcis dicitur Sirium) minor est, qui anticanis nobis, græcis procion vocatur. Sydus hoc, est in Leone, oriturque cum sole, mense Iulij, canis quidem circa medium, procion, siue anticanis, decem ferè dies ante canem, vterque potest appellari cacis. Nunc non explicat vsque ad cuius canis ortum dicat, fuisse pauca aqua & magna frigora, haud multum refert. Sed cum antonomasticè nomen canis de Sirio dicatur,

dicatur, ad huius usque ortum putet quis illum dicere. Post canem usque ad arcturum, æstatem calidam & vsiones magnas fuisse dicit, non ex adiectione, idest non paulatim ingruentes, & per partes facta adiectione, sed repente: & fuerunt continentes, idest, citra intermissionem: & fortes. Aqua non fiebat (quæ causa maioris ardoris erat) ætesis spirarunt, sed cum non attemperarent, constat fuisse flatus quosdam calidissimos. Reliqua dicit fuisse aquas austri- nas, usque ad sequentis anni ver.

IN hac constitutione per hyemem quidem ceperunt pa-
raplexia, & multis fiebant, & quidam illorum mo-
riebantur celeriter. Etenim hic morbus valde popula-
ris erat. Cætera autem transigebant sine morbo.

MAGNA ex parte annus hic fuit frigidus & ficcus, ta-
men fuit mirè varius, proinde longe diuersos morbos at-
tulit: per hyemem primam, paraplexias: sequenti vere &
estate febres ardentes. Paraplexias quidem fecit multus
humor, qui collectus per autumnii pluias est in capitibus
hominum, & sequenti borea, & frigore, densatus, ac velut
concretus. Verisimile est autem hoc ipso tempore, quo
multi paraplectici fiebant, alijs congeneres morbos acci-
disse, ijs qui plus læsi sunt apoplexias, ijs qui minus eori-
zas & vertigines. Paraplexia autem raro soluitur perfe-
ctè, & tutò, sed duos habet exitus, bonum quidem, cum
in partis cuiusdam, vt brachij, aut cruris paralysim finitur:
malum, cum in apoplexiam, quod multis euenit illa tempe-
state, qui repente moriebantur. Nimirum erat magna ægro-
tandi causa, ac proinde, & ægrotatio. Cætera, inquit,
transigebant sine morbo. Hoc est, tota illa hyeme non fuit
aliud morbi genus, præter paraplexias scilicet & conge-
neres illi morbos.

ANte ver autem ceperunt febres ardentes, atque ab
æquinocetio ad ætatem usque perdurabant, quicun-
que autem vere, & æstate incunte, statim ægrotare ce-
pissent, plurimi seruabantur, & pauci quidam morie-
bantur,

D

bantur,

bantur, autumno autem iam, & cum pluissent, lethales erant & plures moriebantur.

FEBRES illæ ardentes fieri potuerint, & ex pituita falsa, & ex bile. Nam hyems quia frigida, congeri fecerit pituitam in pituitosis, quia sicca, salsam: & in biliosis fecerit bilem congeri, cohibito affluvio per frigus: & per siccitatem, fecerit eam esse aerem. Veniente ergo calore, bilis cohibita putresceret, & pituita quæ cum frigore obstructions & destillationes faciebat, cum calore faceret putridas febres. eas dicit ab æquinoctio ad æstatem usque perdurasse. Non tamen intelligit cepisse vere, & æstate ineunte extinctas esse, sed per totum ver & totam æstatem durasse: non quidem eas ipsas febres, quæ ineunte vere ortæ sunt, esse productas usque ad autumnum (non enim tam longæ erant, cum, quibus longissimæ erant, quadraginta diebus iudicari, mox dicat) sed hoc genus febrium grassatum esse per totum ver, & æstatem. Qui vere & æstate ineunte febricitarunt, minus lethaliter affecti erant, sed plurimi seruabantur, pauci moriebantur. Nimirum illud morbi genus tunc incipiebat, non erat adeo graue ac postea effectum est autumno autem iam & cum pluisset, lethales erant febres. Nam tales etiam esse solent in autumno, & tunc ob austrinum statum, & multam pluuiam, maligna putredo fiebat. æstatis vltimam partem præterit: tamen verisimile est in ea fuisse febres magis lethales prioribus, & minus posterioribus. Quia causæ earum febrium iam ingraueuerant, cum duratione, tum etiam nouo magnoque eius partu æstu, & humor pluuiæ cum austrino tempore, non dum venerat.

20 *Verunt autem febribus ardentibus hæc passiones. Quibus bene & largiter sanguis ex naribus fluxerat, & ob hanc causam maxime seruabantur, & nullatenus scio bene si sanguis fluxisset, in hac constitutione mortuum esse. Nam Philisco, Epamenoni, & Sileno, quarto & quinto die parum de naribus destillauit, & mortui sunt.*

Febres

FEBRES ardentes semper fere solent afferre fluxum sanguinis de naribus, sanguine sursum lato præ calore, & admittabile: & ea euacuatio in illis maxime prodest, quia ipsas venas & arterias per se vacuat putrescente succo, & eo, qui paratus est putrescere, & feruorem extinguit. Merito ergo seruabantur quibus sanguis fluxisset bene, decretorie scilicet, & tempestiue. Largiter, id est, pro multitudinis ratione. Stillas sanguinis de naribus, partim vituperauit antea, partim postea in hoc ipso opere vituperabit non semel. Narrabuntur etiam historię Philisei & Sileni.

21 *Plurimi ergo agrotantium circa crism rigebant, & maxime quibus sanguis non fluxisset, superrigebant autem ydem, & sudabant.*

PLAERIS QVE eorum qui liberati sunt fluxit sanguis, neque tamen omnibus, sed quidam alias iudicationum species habuerunt, velut quidam, rigores quibus successit ludor. Cuius speciei iudicationis in Aphorismo etiam meminit, dicens, a febre ardente rigore superueniente solutio: dicit autem nunc, non esse indicatos quibus ita contingit vno rigore, sed riguisse iterum atque iterum vsque dum exudarunt, in tanta enim succorum copia, & corporum densitate quam anni frigus fecerat, non potuit fieri aliter.

22 *Verunt quibus morbi regij sexto die. Sed hos aut per vrinam purgatio, aut aluus turbata inuabat, aut magnum profluum sanguinis. Vt Heraclides, qui iuxta Aristoclidem decumbebat. Atqui huic & ex naribus fluxit sanguis, & venter turbatus est, & per vesicam est purgatus. Iudicatus autem est sexto die, non ut Phanagoreon seruus, cui cum nihil horum euenit, mortuus est.*

MULTIS dicit accidisse morbum regium sexto die, qui deinde purgatione per vrinam, aut turbata aluo, pro-

fluio ventris, iuuati sunt, aut omnibus his euacuationibus factis, quod accidit Hæraclidæ. Illi enim qui morbum regium habuerunt, nullam autem deinceps illarum euacuationum, mortui sunt, velut Phanagoreon. Per febres ex bile factum esse regium morbum, haud est mirum, cæterum facto regio morbo die sexto, seruatos esse, alicui videbitur magis mirandum, cum idem Hippocrates in Aphorismo damnauerit ante septimum diem factum regium morbum. Sed mirari desinet, qui quæ de hac quæstione lib. 10. cont. a me sunt scripta, legerit. Vbi monstrauius Hippocratem non dixisse illud esse lethale, nedum admodum lethale, sed malum, ita tamen malum, vt possint multi cum eo signo liberari. Quod quidem Hippocratem & intellexisse, & vidisse, hic locus facit palam, quem constat, neque Auerrou, neque Plinium legisse. Ambo enim Hippocratem carpunt, quasi dixerit, nullum cum eo signo liberari posse.

- 23 **P**rofluvia autem sanguinis plurimis, maximè autem adolescentibus, & atate vigentibus, & moriebantur plurimi horum, quibus sanguis non fluxisset. Senioribus autem in morbos regios, aut ventres turbati, aut dysenteria, vt Bioni, qui prope Silenum decumbebat. Vbi gabantur autem etiam dysenteria per æstatem: & quibusdam ægrotantium, quibus profluvia etiam sanguinis facta sunt, in dysenterias finita sunt. Vt Eratonis puer & Mylus, magno fluxu sanguinis factò in affectionem dysentericam inciderunt.

PROFLVIA sanguinis meritò calidis ætatibus acciderunt, quia his per se est familiaris ea euacuatio, cum autem his qui robusti sunt natura, fit fluxus sanguinis, senibus qui sunt debiles, pro fluxu sanguinis fit morbus regius, aut diarrhœa, aut dysenteria. Cum autem accidebat iuuenes & adolescentes tam esse debiles, vt non possent sanguinem effundere, constat grauius affectos eos esse quam senes, longius enim a sua natura aberat ea debilitas. Proinde moriebantur plurimi horum, quibus sanguis non fluxisset. Neque

que mirum est per ætatem vulgatam esse dysenteriam, neque quibusdam, quamquam fluxisset sanguis, accidisse, nihilominus redundante omnes per partes bile.

Multus ergo hic succus, & maximè abundabat. Quandoquidem & quibus circa crism non fluxit sanguis, tamen tubercula secundum aures excitata evanuerunt. Hæc autem cum evanuissent, secundum ilium sinistram gravitas, & summam coxam. Doloribus autem per crism factis, & urinis tenuibus exeuntibus, ceperunt sanguinem exiguum effundere. Circa vigesimum quartum fiebant in fluxum sanguinis abscessus Antiphonti Critobuli. Sedatum est, & iudicatum perfectè circa quadragesimum.

MULTVM fuisse hunc succum, sanguinem scilicet biliosum, probat, quia quibus sanguis circa iudicium non fluxit copiosè, multos deinde habuerunt abscessus, & multas euacuationes, & tandem ultra fines omnes acutorum progressi, finem acutorum ex decidentia, qui est quadragesimus, dies attigerunt.

Mulieres autem egrotauerunt multæ, pauciores autem quam viri, & mortuæ sunt pauciores. Difficilem autem partum habuerunt plurimæ, & post partum egrotarunt, & mortuæ sunt hæ præcipuè, ut Telebuli filia mortua est sexto a partu. Plurimis itaque in febribus muliebria apparuerunt, quibusdam autem ex naribus sanguis fluxit, & virginibus multis tunc primò accidit. Nonnullis autem & ex naribus & muliebria apparuerunt, ut Detharsidis filie virgini apparuit primum, & ex naribus large sanguis profluxit. Et nullam scio mortuam earum quibus horum aliquid be-

ne euenit. Quibus autem accidit, utero gerentibus agrotare, omnes, corruerunt, quas ego noui.

Dicitur agrotasse pauciores mulieres uiris, & pauciores mortuas esse. Verisimile est illud accidisse ob menstruam illam euacuationem eis adeo consuetam, quæ a multis morbis, & magnis periculis liberare solet. Fluxit copiosè sanguis hac tempestate, mulieribus etiam, usque adeo, ut quibusdam menstruæ euacuationes fluerent, quibusdamque uirginibus febre correptis, tunc fluerent primum, cum nunquam antea fluxissent, quibusdam simul hæc, & de naribus, sanguis fluxit. Et nullâ cui horû aliquid bene, idest pro multitudinis ratione, eueniret, dicit Hippo. scire se, esse mortuam: nimirum erat euacuatio Natis: congruens morbi speciei, & magnitudini. Utero gerentes dicit hac tempestate periclitatas esse. Eas n. quæ pepererunt, agrotasse post partum, & mortuas esse, eas autem quæ agrotauerunt antequam parerent, corrupisse fœtus. Quod quidem cum aeris alteratione, & ijs quæ in sententijs scripta sunt, satis est consentaneum. Nam frigiditas temporis faciebat exiguam expurgationem per partum, quare & partum difficilem, & post hunc, morbum eum qui tunc erat epidemialis qui cû alioqui esset acutissimus, partus labori superueniens lethalis euadebat. Ver autem siccum & boreale facere ad abortum, tertio libro aphorif. dixit ipsemet Hipp. quod verò Telebuli filiam sexto a partu die mortuâ dicit, aperte insinuat, quod in prognostico docuit, in muliere quæ peperit, computationem dierum decretoriorum incipere debere a partu, & non ab ipsa febre: quatenus autem illud verum sit, libro decimo controuersiarum a me dictum est. in quo caput proprium habet ea disputatio.

²⁶ *VRina autem plurimis, boni coloris quidem, tennes autem, & sedimenta exigua habentes cum deiectionibus tenuibus & biliosis. Multis autem alijs indicatis in dysenterias malum finitum est, ut Xenophani, & Critiæ. VRina autem aquosæ, multæ, puræ, tennes post crissim, & multo sedimento existente, & alijs bene indicatis.*

Memini

Memini quibus acciderit: Bioni qui decumbebat iuxta Silenum: Critiæ, qui iuxta Xenophanem: Aretonis puero, mnesistrati mulieri. Post hæc autem dysenterici facti sunt hi omnes. quod quidem vrinas reddiderunt aquosas, considerandum.

DICIT quales vrinæ apparerent in plurimis illa tēpore per morbos. boni coloris, inquit, & tenues. Has crudū morbum significare in prognostico scripsit, maximè cum sedimēta haberent, exigua, apparerentq; cum deiectionib. tenuibus & biliosis. Verū hæc narrat, vt quæ morbo eunte in iudicationem apparerent. Multis aut alijs dicit iudicatis iam, hoc est cum febres ardentes tps suæ iudicationis excessissent, malum esse in dysenterias finitum, vt Xenophani & Critiæ. Quia. s. reliquiæ excrementorum biliosorum decumbentes in intestina, ea radebant. Quibusdam etiam accidit post crism, i. post summum vigorem, alia ratio euacuationis, multa vrina aquosa, pura, tenuis. Talem autē solere iuuare, Apho. 69. particulæ quartæ dictum est, multo sedimento existēte, & alijs bene iudicatis, hoc est postquā multum boni sedimenti apparuerat, id quod summum vigorem fuisse indicauerat, & alijs beneiudicatis, hoc est secundum rationem factis alijs mutationibus per dies deteriorios, & contemplabiles. Hoc inquit accidisse Bioni, Critiæ, Aretonis puero, mnesistrati mulieri. Hos verò dicit tandem factos esse dysentericos, atque vt huius dysenterix causam significet, dicit, quod vrinas reddiderunt aquosas considerandum. Si. n. biliosas reddidissent, esset expurgata bilis, cum autem aquosas reddiderint, retenta est, quæ deinde in intestina incidens, ea exulcerauit.

27 **C**irca Arcturum autem multis iudicium accidit vndecimo die, & his non secundum rationem fientes recidivæ, reuertebantur. Erant autem etiam comatosi hoc tempore, plures autem pueri, atque hi moriebantur omnium minimè.

NON narrat quæ eo autumno, à quo tota narratio

incæpit, euenerunt, sed quæ autumnō sequentis anni, qui in tota narratione fuit secundus. Multos dicit iudicatos esse vndecimo die, atque his factas recidiuas. Mirum autem quod videtur dicere, eas recidiuas præter rationem fieri, cum tamen nihil magis sit autumnī, illius præcipuè, qui tantæ intemperiei succedens, ipse quoque insignem quandam intemperiem afferebat. Verum quod Hippo. dicit hoc est. Recidiuas tam multas illa tempestate accidisse, vt illis etiam morbis, qui videbantur esse perfectè iudicati, tunc, præter expectationem medicorum, recidiuæ fieret. Itaque perinde est ac si diceret, morbis etiam illis, qui ita soluti esse videbantur, vt secundum rationem nullæ recidiuæ viderentur euenturæ, recidiuæ fiebant. multi hoc tempore fiebant comatosi. Ob humiditatem, arbitror, austrinam, atque hac ipsa causa, maximè pueri facti sunt comatosi, qui ob humiditatem maximè eo morbo sunt correpti, & ob calorem, & naturalium virium robur, maximè liberabantur, fluxione sanguinis, arbitror, quia adulescentes, quibus sanguis non flueret, maximè mortuos esse illo anno, paulo antedixit. Puerorum autem natura naturæ adolescentium vicina est, vt ætas ætati.

28 **C**irca æquinocetium autem, & vsque ad Vergilias, & sub hyemem, producebantur etiam febres ardentes. tamen & phrenitici tunc temporis plurimi fiebant, & moriebantur horum plurimi. Fiebant autem & æstate pauci.

DVRABANT etiam febres ardentes per autumnum & hyemem, quia ea hyems cum esset calida, non extinxit bilis feruorem, Phrenitici autem, & comatosi facti tunc sunt, quia austrina constitutio omnia excrementa ad caput conuocauit. Plurimi ergo hac ratione fiebant, plurimi autem moriebantur, quia insalubris constitutio longa, iam vires debilitauerat, & multum creuerat. Nimirum in omni constitutione insalubri illi maximè solent euadere, qui primi, cum nondum causa inualuit, multum corripuntur, aut qui vltimi, cum iam languescit. In æstate etiam fiebant phrenitici

nitici nonnulli, quibus scilicet ob solam feruoris vehementiam bilis in caput efferebatur.

ERgo cum febres ardentes inciperent, significabant quibus lethalia impenderent. Statim enim incipientibus, febris acuta, parum rigeabant, insomnes, anxii, sitibundi, fastidiosi, paulum exudantes circa frontem, & clauiculas, sed nullus per totum. Multum delirabant, timores, tristitia, extrema subfrigida, pedes extremi, præcipue autem manus. Accessiones in diebus paribus, plurimis autem quarto die dolores maximi, & sudores plurimum subfrigidi, & extrema non iam recalescentia, sed liuida, subfrigida, neque sitiebant. Adhuc his vrinæ nigrae, tenues, paucæ, & alui sistebantur, neque fluebat eis sanguis ex naribus, neque his quibus hæc accidebant, sed parum stillarunt, neque ad recidiuam vlli horum res venit, sed sexto die mortui sunt cum sudoribus.

REFER T quæ signa apparuerint in ijs qui per febres ardentes mortui sunt, ea verò sunt, quæ in prognostico lethalia esse dicit. Quædam verò eorum quæ refert, erant assidentia, aut mox apparentia, cuiusmodi, febrē statim fuisse acutam, parum riguisse, insomnes, & anxios fuisse, & sitibundos, fastidiosos, parum sudantes circa frontem, & clauiculas, multum delirasse, timidos, tristes fuisse, pedes & manus præcipue frigus habuisse, & accessiones fuisse diebus paribus, quædam autem erant superuentia, quæque hominibus propè mortem iam constitutis eueniebant, à quarto die vsque ad sextum, quo mortui sunt, cuiusmodi, quarto die dolores habuisse maximos, & sudores plurimum durasse sub frigidis, & extrema non iam recalescentia, sed liuida, cum frigore, & sine siti esse factos, cum prius sitisset, & vrinas fuisse nigras, tenues & paucas, & suppressam esse aluum, neque fluxisse, sed stillasse sanguinem. Atque hæc omnia lethalia esse, & qua quodque causa, in nostris commentarijs in prognosticum Hippocratis scripsimus, præter pauca quædam, quæ necesse est vt hoc loco dicatur. Parum riguisse

riguisse incipientibus febribus, non proinde malum esse dicit, quia multum riguisse melius foret, sed quia omnino riguisse per febrem ardentem, cuius figura rigor non congruit, & ante tempus quo posset rigor esse iudicatorius, nihil aliud poterat indicare, quam malignam succorū qualitatem. Accessiones diebus paribus accidere per febres ardentes, & biliosas, deterius multo est, quam imparibus. Nam cum tales febres habeant tertio quoque die accessiones, diebus paribus habent, cum secundo, quarto, sexto, & octavo, exacerbationes: primo autem, tertio, quinto, & septimo, remissiones habent. Sed quo pacto remissio esse possit die primo, cum nondum creuerit? videtur enim omnis febris intermissio aut remissio, ex intensione fieri? certe in his non ita, sed primo die febris acuta incipit, & tamē semper crescit vsque ad finem secundi diei, ita ut in secundum diem acerbissima totius periodi pars incidat. Fitque ita, ut primo die remissior febris fuerit, non quod iam remiserit, sed quod nondum creuerit, eodem modo fiunt sequentes periodi ut ex primo & secundo, ita ex tertio & quarto, & ex quinto & sexto, hoc vero constat multo grauius esse, quam diebus imparibus accessiones esse, quanto scilicet grauius est incrementum lōgum esse, quam inclinationem. Accedit alia ratio ex dierum decretoriorum vi. Cum enim magna ex parte impares sint magis iudicatorij: iudicatorijs autem diebus facultates naturales multū iuuentur ab astris fit, ut qui habent accessiones paribus diebus, minus adiuti, deterius ferant. Ut autem diebus paribus deterius habere malum est, ita quarto die, grauissimum. Quia hic idem est par, & decretorius. Grauissimum autem esse diebus decretorius habere deterius, dictum est superiori Tempestate. Non sitire, cum febris ardens venisset ad summum, dictum etiam antea est, esse grauissimum. Corruptionem enim facultatis, aut delirium significat. Urinas nigras posse esse tenues, quidam negant, nos in controuersis affirmauimus, & probauimus. Hippocrates his ægrotis fuisse eiusmodi narrat. Stillicidia cum deberet fluere sanguis, aut omnino retineri, milites Hippocra. vituperat. Mirum verò, quod dicat, non habuisse homines reciduas, qui sexto die mortui sunt. Quo enim pacto haberent mortui? Verum Hippocrates inuit homines qui ita affecti essent, si omnino euasissent, fuisse reci-

se reciduas habituros. Nam cum tam grauibus symptoma-
tis, si adeo facultas restitisset, tamen non potuissent, nisi cū
difficili iudicio & cum recidiuis liberari. Ergo quasi dice-
ret, nullus liberatus est, sed omnes perierunt, dicit nulli ho-
rum res venit ad recidiuam, sed sexto die mortui sunt cum
sudoribus. Sexto quidem die, quia hic dies pessimus est, &
morbus erat acutissimus, quique si per impares moueretur,
attigisset septimum, sed quia mouebatur per pares, attigit
sextum solum. Cum sudoribus, quia id moriendi genus fa-
miliare est iis, quibus innatum calidū languescit, & euolat.

Phreneticis autem accidunt etiam, quæ antea scripta
sunt omnia, iudicabantur autem his magna ex parte
vndecimo, quibusdam autem & vigesimo. Quibus autem
statim non à principio phrenitis incepit, circa tertium aut
quartum diem. Sed mediocriter habentibus in primo tem-
pore circa septimum, in acutiem morbus euasit.

QUIDAM illa tempestate facti sunt phrenetici à prin-
cipio agrotationis, quidam aliquandiu febricitantes, poste-
rius phrenetici euaserunt. Verum perrarum est, vsque adeo
ut non meminerim modò an aliquando viderim, à primo
febris die, ac multo minus, a primo insultu phreniticum
fieri. Proinde Hippocra. illud à principio inuadere phre-
nitim, explicuit, dicens, circa tertium vel quartum diem.
Atque hoc loco Hippocra. ita vitur nomine principij, ut à
principio fieri dicat, quod intra primos quatuor dies. Quod
ergo hic dicit, hoc est. Phreneticos habuisse omnia quæ
antea dicta sunt, hoc est, mortuos esse plurimos, & eos ha-
buisse lethalia signa quorum nuper facta mentio est. Cete-
rum non tam cito interiisse, quam eos qui ardente febre
tenebantur: eos enim sexto die mori dixit, hos vndecimo,
ac nonnullos etiam vigesimo esse iudicatos: capisse autem
phrenitides quibusdam à principio intra primos febrici-
tandi dies, aliis verò septimo die, cum antea mediocriter
viderentur habere, eo quod sine delirio, & leuis essent ac-
cidentibus.

Muli

31 **M**ulti itaque morbi fuerunt ex laborantibus autem moriebantur maximè pueri, adoleſcentes, vigentes ætate, glabri, ſubalbidi, rectis capillis, nigris capillis, & nigris oculis qui in ocio & ſocordia vixerunt. Altam habentes vocem, & qui gracilem, & qui aſperam. Balbi, iracundi, & mulieres plurimæ ex hoc genere peribant.

MULTOS morbos dicit fuiſſe, multos ſcilicet & varios. Refert autem quales mortui ſint maximè. Vt autem morbi fuerunt varij, ita ex illis variæ naturæ homines mortui ſunt, non quidem ex omnibus omnes qui referuntur, ſed hi ex his, alij ex alijs. Velut ex alijs pueri, adoleſcentes, vigentes ætate: ex alijs glabri, ſub albidi, rectis capillis, & reliqui. Hi enim omnes frigidi ſunt, illi calidi. Calidi ergo ex febribus ardentibus, & phrenitide: frigidi ex paraplexiis & alijs morbis frigidis moriebantur. Nam ætates quas memorat, calidas eſſe, inconfeſſo eſt apud omnes: reliquos qui in hac narratione continentur, eſſe frigidos, dictum monſtratiueque eſt à Gal. lib. artis medicinalis, & à me in cõmentarijs. Glabros dico, ſubalbidos, rectos habentes capillos, & nigras oculos, & balbos, & mulieres, degentesque in ocio, & ſocordia. Sed quod nigras capillos & habentes altam vocem, & gracilem & aſperam, & iracundos, inter frigidos cõmemorat, oportet conſiderare: Nam nigras capillos caloris eſſe ſignum lib. citato docuit Gale. eſtque ab omnibus receptum. Alta autem vox (quidam etiam legunt magnam) robur videtur ſignificare in inſtrumētis vocis, quare & calorem. Iam vero iracundia multo magis videtur naſci ex calore: cum ira feruor ſanguinis ſit. Cæterum quod ad nigras capillos attinet, cenſeo, quod alio etiam loco memini me dixiſſe, non eſſe ab Hippoc. ſcriptum *μελανο πύχες*, id eſt, nigras capillos, ſed *μεγαλοπύχες*, id eſt, magnas habentes capillos, *ὀφθαλμοί* autem, id eſt, altam vocem habentes, dicuntur, qui tenuem habent, qualem eunuchi, & mulieres, & pueri, hoc autem anguſtæ viæ, ac proinde frigoris eſt, *εχρόφατοι* autem, id eſt gracilem vocem habentes, dicuntur, qui habent debilem, quod debilitatis inſtrumētorum motus eſt. Aſpera autem vox aſperitatem arteriæ ſequitur: hæc autem in excrementoſis ac frigidis non raro ſit, *ὀργίλοι* autem,

tem, id est iracundi, dicuntur, non qui animosi sunt, sed qui leui de causa, atque sæpe, irascuntur, quod frigidorum esse, mulieres indicant. Causa autem est in calidi innati debilitate, quod facillè à quavis causa molestiam subit. Verùm hoc quoque, loco citato artis medi. dictum est fusius.

In hac verò constitutione, in quatuor præcipuè signis seruabantur. Quibusdam enim ex naribus sanguis fluebat, aut per vesicam multa vrina, & multum sedimenti & bonum habens veniebat: aut per turbatam aluum, biliosa tempestiuè, aut dysenterici fiebant. Multis autem contigit non ex vno supra scriptorum signorum iudicari, sed plurimis per omnia exire, & videri habere grauius. Seruabantur autem omnes, quibus hæc contigerunt. Fæminis autem virginibus contingebant etiam omnia antea scripta signa. Quibus autem aut horum aliquid bene fiebat, aut muliebria largiter apparebant, per hæc seruabantur, & iudicabantur. Et nullam noui mortuam, earum quibus horum aliquid bene fiebat. Phylonis enim filiæ ex naribus largiter fluxit, cum autem septimum iam attigisset diem, cænauit intempestiuus; mortua est.

Ipsas euacuationes vocat signa decretoria. Erant autem simul signa & causæ. Nam & faciebant, & futuram significabant sanitatem. Erant autem quatuor quæ dicit, sanguinis è naribus fluxio, & vrinæ per vesicam, & biliosorum (biliosa vocat omnes putredinem præferentes succos) fluxio per turbatam aluum. quæ quidem dysenteriam multis offerebat, & menstrua fluxio, quæ muliebria vocat. Cum dicit purgatos esse multos vrina multa, multum & bonum sedimentum habente, non intelligit sedimentum illud, album, læue, & æquale, quod maxime probari potest. Illud enim non solet ad expurgationem esse satis, sed quod post hoc venit, multum, etsi in matula resideat, & crassum, aut varium sit. Tale enim fieri solet, cum homo purgatur per vesicam, etiam salubriter. Bonum autem hoc loco est, quod

quod est, quale euacuari oportet: velut in aliis euacuatio-
nibus decretoriis. Vt si pituitosa sit febris, & post conco-
ctionis signa multum succi crudi mingatur. aut si sit melan-
cholica, & mingatur multum nigrum post concoctionis si-
gna. Hoc enim etiam est necessarium: nam hoc est tempe-
stiuam esse euacuationem, scilicet, quæ ante concoctionis
signa, intempestiuè, quæ post illa, tempestiuè euacuatur.
Vtrumque autem necessarium esse, aperte dicit ipse Hippo-
crates, addens, aut per turbatam aluum, biliosa, tempestiuè. Nimi-
rum biliosa, est qualia oportet euacuari, tempestiuè, post
signa concoctionis. Verum, inquit, accidisse multis, quod
sæpe solet. Nimirum non iudicabantur benè, cum primum
hæc eueniebant, sed quamquam eueniebant omnia simul,
aut eorum quædam, videbantur incipere habere grauius,
nihilominus multo deterior conditio erat eorum quibus
nihil tale eueniebat; hi enim moriebantur: illi autem eadē
per difficilem iudicationem habebant multi, liberabantur
tandem omnes, & nullus mortuus est eorum, quibus horum
aliquid benè fiebat, nisi magnopere in victu peccaret. Velut
Phylonis filia, quæ etsi fluxum largum sanguinis habuit, ta-
men mortua est, quia septimodie, cœnauit lautè. intēpellius
inquit, quia cœnauit quo die maximè debuit abstinere.

33 **Q**uibus in febribus acutis, maximè autem ardentibus,
spontaneæ lachrymæ erumpunt, his ex naribus
fluxum sanguinis expectare oportet nisi alia lethaliter
habeant. Quando quidem malè habentibus non fluxus
sanguinis, sed mortem significant.

Quamquam narrare tantum ea quæ circa ægrotos ob-
seruabat Hippoc. hoc libro cæperit, tamen nonnunquam
occasione arrepta ab historia, per digressionem quædam
ad artem pertinentia, docet, velut antea non semel fecit,
atque modo facit. Lachrymas spontaneas dicit significare
imminentem fluxum sanguinis de naribus: non tamen ve-
cunquæ, sed adhibitis quibusdam distinctionibus: nimirum
non in quibusuis febribus, sed in acutis, atque inter has ma-
ximè in ardentibus, quia in his maxime solet fieri hoc ge-
neris iudicationis: sed neque in his semper, sed cum ex aliis
signis

ignis videtur homo esse salubriter affectus. Nam si non ita affectus sic possint esse signum mortis. Quod quidem ab Hippo. ipso in prognostico cap. 4. dictum est, & a me eo loco explicatum.

Quæ circa aures in febribus erumpebant tubercula cum dolore, quibusdam deficiente indicatorie febre, neq; sedantur, neq; suppurant. Hæc diarrhœa biliosa, aut dysenteria, aut crassarum urinarum subsidetia soluit. *Vi Hermippo Clazomeno.*

VELUT in Aphorismo dictum est, surditatem superueniente diarrhœa solere solui: ita modo dicit, tumores quosdã qui ex febribus relinqui solent, neq; resoluti, neq; suppurati, solere solui diarrhœa, aut urina copiosa. Est autem eadem ratio soluendi surditatem, & ea tubercula, & solutionis quæ superueniente diarrhœa, aut urinae profusio fit. Vtrumq; enim fit facultate succos in partem contrariã, & in vias euacuationis detrudente. Huius Hermippi Clazomenij morbus narrabitur paulo infra. Hic enim est ægrotus decimus illorum quatuordecim, quorum historiae narrantur in huius primi libri calce.

Quæ circa iudicationes, ex quibus dignoscimus, aut similia aut dissimilia. Velut duo fratres, qui habitabant propè theatrum simul eadem hora caperunt ægrotare, erant Epigenis fratres. Horum natu maiori iudicium fuit die sexto, iuniori autem, septimo. Redijt ambobus simul eadem hora. Intermisit dies quinque. Ex recidua autem iudicium fuit utriq; simul omnino, decimo septimo. Iudicium autem erat plurimus quinto die. Intermisit septem dies, à recidiuis autem iudicium erat, quinto. Quibus autem erat iudicium septimo, intermisit septem, à recidua autem iudicabantur tribus. Quibusdam autem erat iudicium septimo, habentes autem intermissionem tres, iudicabantur septem. Quibusdam autem defecit sexto, & intermissiones

missiones habentes sex, arripuit eos tres. Quibusdam autem defuit primo, arripuit & iudicatus est vnica. Vt Eragunti Depharsidis. Quibusdam autem iudicium erat sexto die, deficiebat septem, à recidiua autem iudicabantur quatuor diebus, vt filia Aglaide. Plurimi ergo agrotant in hac constitutione hoc modo agrotabant, & nullum noui eorum qui superfuerunt, cui non contigerint recidiua secundum rationem fientes. Et seruabantur omnes quos ego noui, quibus recidiua hac forma facta sunt. Neque agrotantium hoc modo cuiquam scio recidiuam accidisse rursus. Mortui autem sunt agroti multi sexto die vt Epaminundas, Silenus, & Philiscus Antagorei.

NUNC redit ad narrationem. Narratq; quibus diebus contigerit illa tempestate plerosq; iudicari. Dicit ipsa tempora, & modos iudicationum (hæc enim vocat quæ circa iudicationes, ex quibus dignoscimus, partim fuisse similia in multis, partim dissimilia) plurimos enim liberatos esse omnino à morbis decimo septimo die, eosque omnes cum vna recidiua, variè tamen id in illis factum esse, quibusdam his, quibusdam illis diebus, facta intermissione, & recidiua. Sunt in hac dictione quædam adeo difficilia in ipso verborum contextu, vt Galen. sensum solum explicans, dictionem corruptam esse teneat, & culpam reijciat in librariis. Mihi tamen videntur aptè satis omnia explicari posse. Velut (inquit) duo fratres Epigenis, quorum natu maiori iudicium fuit die sexto, iuniori autem septimo, & ambobus redijt simul eadem hora, & intermissio fuit dierum quinque (cui scilicet minima) nam non potuit esse ambobus eadem si iuniori fuit quinque, natu maiori fuerit sex dierum, nam iudicium fuit perfectum ambobus decimo septimo, à primo scilicet die totius morbi. Quare recidiua quinque dies ambobus durauit. Alijs hoc idem alia ratione euentu, iudicabantur imperfectè quinto, erant in intermissione septem dies, rursus tenebantur recidiua quinque, iudicabanturque perfectè decimo septimo die. Alijs aliter etiam prima febris durabat septem, intermissio totidem, recidiua tres fiebantq;

fiebantq; ex his omnibus decem & septem. Alijs erat pri-
 mum iudicium septimo, durabat intermissio tres, recidiua
 septem, vt hic quoque ex bis septem, tribus additis, fierent
 decem & septem. Quibusdam (inquit) defecit sexto, &
 intermissiones habentes sex, arripuit tres, verum hoc minus
 videtur dictis congruere. Nam ex bis sex & tribus fiunt
 tantum quindecim, sed hic Hippocratem dixisse, non qui-
 dem ἐκρίνετρίται τοίσι id est, tertio iudicati sunt, vt in alijs
 narrationibus, sed ἐλάμβανε τριτάτους id est, arripuit, aut
 male affecit tres, innuens scilicet, se non dicere, habuisse
 eos homines recidiuam, quæ tres dies durauerit, sed quæ
 tribus diebus arripuerit, hoc est habuerit tres accessiones.
 Constat autem in tres tertianas accessiones, quales in acu-
 tis sunt, quinque dies infumi, quinq; verò duodecim addi-
 tis, fiebant decem & septem. Difficilius aliquanto est quod
 mox addit. Quibusdam (inquit) defuit primo, arripuit &
 iudicatus est vna. Sed si quis attentè consideret, ipsa rei
 difficultas aperit loci legitimum sensum. Nam primo die
 quo pacto defuerit febris ardens, aut si primo die defuit,
 & vnum intermisit, rursusque vno alio soluta est, quid
 aliud fuit quam tertianæ, duos tantum paroxysmos fuisse.
 Sed quid hoc ad acutos morbos? Imo verò quid ad mor-
 bos mentione dignos? Ergo cum primò dicit & vnam,
 aliud quiddam intelligit, quam diem. Quid illud sit confi-
 derandum. Certe in disputatione hac de diebus decreto-
 rijs, nunc numerantur dies, velut hoc loco in enarratis iam
 historijs, nunc septimanæ, velut ibi dicitur ἑτερης ἑβδομά-
 σας, id est alterius septimanæ. Nunc impetus, velut in pro-
 gnostico vbi dicitur. ἡ μὲν πρώτη ἐφοδος αὐτῶν οὕτως
 λεῖτα, ἡ δὲ ἕτερη ἐστὶν ἑβδομῆν περιάγεται id est, primus
 igitur impetus eorum ita finitur, secundus autem in hebdo-
 madam perducitur. Est itaque impetus vnus, quaternarius
 vnus, vna septimana septem dies, dies vnus, viginti qua-
 tuor horæ. Neque scio an sit aliud cui numerorum fi-
 gna, in hac disputatione dari possint. Ergo quod mihi
 videtur posse dicere, hoc est, quibusdam febris defuit pri-
 mo impetu, hoc est quarto die, arripuit rursus eos vna
 septimana exacta, vndecimo inquam die, à quo rursus
 vna septimana exacta, morbus perfecte iudicatus est,
 decimo septimo. Alij iudicabantur imperfectè sexto,

E transige-

transigebant dies septem sine febre, febricitabant rursus alios quatuor dies, iudicabanturque perfectè decimo septimo. In tota hac dictione illud est obseruandum Hippocratem vnicam dierum computationem facere à principio totius morbi vsque ad finem recidiuæ, ac non potius duas, quasi duo sint morbi. Atqui hanc esse legitimam rationem computandi, in controuersijs à nobis demonstratum est. Plurimos itaque in hac cõstitutione dicit hoc modo ægrotasse, hoc est habuisse febres huius constitutionis, & nulli nouisse se eorum qui liberati sunt, cui non contigerint recidiuæ secundum rationem factæ. Vocat secundum rationem factas recidiuas, eas quæ intra hos terminos, his numeris, aut alijs similibus fiebant. Dico autem alijs similibus, velut Herophon, cuius postea in singularibus historijs mentionem faciet, nouem dies febricitauit, quinque intermisit, rursus febricitauit tres: et si qui alij fuerunt, qui à his numeris febricitantes, & intermissionem habètes, decimo septimo iudicati sunt. Ergo omnes qui decimo septimo iudicati sunt, bene & tuto iudicatos dicit: neque enim habuisse alias recidiuas. Iis itaque qui liberati sunt ita euenisse, mortuos autem esse multos sexto die. Neque mirum, siquidem hic dies semper vituperatur. Hæ autem febres, ut ante dictum est, paribus diebus fiebant grauiores. Philisti Antagorei historiam, statim scribit seorsum Hippo. inter historias singulares. Silenus hic nõ est ille, cuius paulo post mentio fit inter ægrotos quatuordecim. Ille enim obiit die vndecimo, hic sexto, ambo autem hi sunt illimet, quorum non ita pridem, in hac ipsa sectione facta est mentio, quibus quarto & quinto sanguis stillauit.

36 **Q**uibus autem fiebant parotides, vigesimo iudicabantur; soluta sunt omnibus, quibus non suppurabant, sed ad vesicam cõuertebantur. Cratistonabæ iuxta Heraclium, & pictoris ancillæ suppurarunt. Obijt Scymni pictoris ancilla. suppurauit. Quibusdam autem iudicium fuit septimo, intermisit nono, repetijt. iudicium fuit à recidiua. Fuit iudicium septimo Phanocrito, qui decumbat iuxta Gnatonem pictorem.

REFERT nunc alios, qui aliter iudicati sunt. eos quibus parotides fuerunt, dicit magna ex parte iudicatos esse vigesimo. Refert autem & speciem iudicationis. Quibusdam enim suppurasse, & horum quosdam mortuos esse, velut Cratistonaetæ & pictoris ancillæ suppuratio fuit. Obijt autem ancilla pectoris, per ipsam suppurationem, nimirum facto maiori abscessu quam ut ferri posset, & lethaliter computrescentibus quibusdam particulis (hoc enim innuit repetens illud verbum, suppurauit) Quibusdā non suppurasse dicit, hisq; bene solutas esse parotides, facta conuersione excrementorum ad vesicam. Nimirum ut solet surditas alui profluuium cessare. Cessarent verò & parotides alui profluuium & surditas profluuium vrinæ, ut nuper dictum est. Mox dicit quibusdam fuisse recidiuas, ut nuper relatis, aliter tamen, hoc est alijs diebus, habuisse enim iudicium prius septimo, intermisisse nono: quod ex ipsa phrasi qua antea etiam sæpe vsus est, intelligimus non aliud esse, quam intermisisse nouem dies. Repetisse ergo, & à recidiua iudicium perfectum habuisse, non in omnibus eisdem diebus, sed varijs; Phanocrito quidem qui decumbebat iuxta Gnatonem septimo die à recidiua.

Hyme sub solstitium hyemale, & vsque ad æquinoctium, durabant quidem & causi & phrenitides, & moriebantur multi. Iudicia quidem variarunt, & iudicium fuit plurimis à principio: quinto desiciebat, quarto redibat, ex recidiua autem iudicabatur quinto, omnino autem quatuordecimo. Iudicabatur autem & pueris hoc modo plurimis, atque atate maioribus. Erant quibus iudicium erat vndecimo, reuertebatur quatuordecimo, iudicabatur perfectè decimo octauo. Si qui autem rigeabant decimo octauo, his iudicium erat quadragesimo. Rigeabant autem plurimi circa iudicium quod ab initio, quidam verò rigeabant circa iudicium à principio, & in recidiuis simul cum iudicio. Rigeabant autem paucissimi vere, æstate plures, autumno plures adhuc,

hyeme autem longe plurimi. Hæmorrhagiæ autem deficiebant.

ADHVC perstat Hippo. explicare illud, quæ circa iudicationes ex quibus dignoscimus similia, aut dissimilia. Narrat enim multorum iudicationes, easque varias, & a dictis antea diuersas. Hyeme inquit, & sub solstitium hyemale (secundam hyemem huius totius constitutionis intelligit) durabant causi, & phrenitides. Scilicet inceperant vere superiori, durabant verò vsque ad æquinoctium sequentis veris, & moriebantur multi. Dicitum enim etiam antea est, ab autumno cæpisse mori multo plures. Variarunt autem iudicia: plurimis enim à principio fuit iudicium imperfectum quinto, quarto, post hoc iudicium, redibat febris. iudicabantur rursum perfecte à recidiua, quinto, omnino autem & à principio morbi quatuordecimo. Et hæc quidem erat optima breuissimaque iudicatio earum quæ illo tempore contigerunt. Proinde iudicium huiusmodi contigebat pueris, & ætate maioribus, adolefcētibus scilicet & iuuenibus. Quibusdam erat iudicium primum vndecimo, redibat febris quatuordecimo, & iudicabantur perfecte decimo octauo. Decimus octauus quidem non est insignis inter iudicatorios, tamen quiuis dies potest nonnullos iudicare perfecte. Atqui, si quid valet numerus à die recidiuæ (videtur autem valere hoc quoque nonnihil) erat quintus. Quidam horum hoc die, qui à principio erat decimus octauus, rigeabant, neque iudicabantur perfecte. Atqui cum hoc die, qui fere est terminus acutorum simpliciter non posset eos natura perpurgare, decidebant morbi ex acutis. Quare quadragesimum attingebant, qui talium est finis. Hunc autem motum, quem rigorem vocamus, dicit accidisse multis circa iudicium à principio, hoc est circa imperfectum illud iudicium, quod ante recidiuam fiebat, quibusdam & circa hoc iudicium, & in recidiua, circa iudicium vltimum. Neque mirum, multas enim ardentis febres rigore solui, in aphorismo dictum est. Rigeabant autem, inquit paucissimi vere, æstare plures, autumno plures adhuc, hyeme autem longe plurimi, hæmorrhagiæ autem deficiebant. Ergo vere quod erant paucissimi rigores, erant plurimæ hæmorrhagiæ, nimirum

nimirum à vere in æstatem & autumnum bilefcente sanguine, ab hoc in hyemem retenta, & alijs euacuationibus præ aeris frigore suppressis.

EX quibus morbos dignoscimus, discentes ex communi omnium natura, & cuiusque propria, ex morbo, ex ægroto, ex ijs quæ offeruntur, ex offerente. Facilius enim & difficilius ex his, ex tota constitutione, & secundum cæli partes, & cuiusque regionis ex consuetudine, ex vitu, & vitæ genere, ex cuiuscunque ætate, sermonibus, modis, taciturnitate, imaginationibus, somnis, peruigijs, insomnijs, quibus & quando, euulsionibus, pruribus, lachrymis, ex paroxysmis, deiectionibus, vrinis, sputis, vomitibus. Et quæ ex quibus, in quæ, successiones morborum, & abscessus in mortem, & in utilitatem. Sudor, rigor, frigus, tussis, sternutamenta, singultus, spiritus, ructus, flatus silentes, strepentes (biliosi) hæmorrhagia, hæmorrhoides, ex his autem, & quæ cum his accidunt, considerandum.

Nunc per digressionem docet Hippocra signa omnia, quibus uti solemus in morbis ad dignoscendum, summa capita, breui quadam distinctione comprehensens, eorum, quæ diffusè alijs in locis scripta sunt. Sunt autem multa in morbis quæ dignotione indigent. Nimirum qui sit morbus, & quàm periculosus, & quæ sit morbi constitutio. Quædam signorum, quæ nunc commemorat, vnum horum, quædam duo, aut omnia significare possunt. Velut hæc prima: Ex communi enim omnium natura, & cuiusque propria, ex morbo, ex ægroto, & ex ijs quæ offeruntur, & ex offerente, cognoscere possumus facilius an difficilius affectus sit homo, hoc est, quam grauitè ægrotet. Nimirum affectiones omnes, per quas videtur homo longe abesse ab eo quod est secundum naturam, cum communem omnibus hominibus, tum vel maximè

sibi propriam, graues sunt: per quas longe abest, sunt leues. Atqui hoc idem est quod in initio libri *nat. hist. p. 10* dixit, similia ne sint an' dissimilia. Si possemus singulorum naturas nosse, haud multum laborarem in dignoscenda communi, sed quia non possumus, communem nobis proponimus, quam intuentes, de signorum magnitudine censemus. Memini autem me alibi docuisse modum, quo possimus ex multis communibus proximè accedere ad notitiam naturæ singularis, cuiusq; hominis, etiam ignoti. iam vero ex ipso morbo dignoscitur periculi magnitudo. Sunt enim quidam per se graues, quidam leues. Phrenitis enim, pleuritis, aut pulmonia, & febris ardens, vel iplo nomine nos perturbant, tertiana autem, & quartana, ac multo magis coriza, aut diaria febris, statim contemnuntur. Sed & ægrotus, & quæ offeruntur, & qui offert medicus, significare non parum possunt. Si quis enim videt robustum hominem, & laborum dolorumq; patientissimū, iacere, aut magnopere angī, timet, ne lethalis morbus sit: verò in delicata muliere hæc eadem videt, haud multum curat. Quinimo terretur magis, si hanc subito nunc in morbis, tacitam, & plus solito quietam, considerat. tam potest ipse ægrotus indicare. Quod si ad ægrotantem iam aliquādiu accersimur, & interrogantes agnoscimus, nulla remedia esse adhibita, statim contingit opinari, morbum quidem per sese non esse adeo grauem, sed per negligentiam fieri ut duret, atq; adeo, leuissimum esse putamus, si, etiam sine remedijs mediocriter fertur. Si verò multa adhibita sunt, & homo videtur parum aut nihil iuuatus, siquidem medicum peritissimum esse putamus, imputamus id morbi magnitudini, sin imperitiorem agnoscimus, imputamus fortasse medico. Quare tanto magis timemus homini, quanto plura acta esse videmus: tanto minus, quanto pauciora (hocq; est ex oblati dignoscere) & tanto timemus plus, quanto nobilior est medicus, tanto minus, quanto ignobilior. Quod quidem est dignoscere ex offerente. Ex his ergo agnoscimus, facilius an difficilius homo laboret. Ex ipsæ quæ mox sequuntur, & hoc, & constitutionem speciemque morbi, nam ex tota constitutione aëris, hoc est ex modo quo aër affectus sit, siue eam affectionem afferat anni tempestas, siue pars cœli. Velut, si in Libia, aut Delo simus; siue

sue cuiusque regionis temperies, & in quacunq; regione, oppidi: quæ vel ex regione nascatur, vel ex ipso oppidi situ, siue locatum est in humili, siue in alto loco, siue spectat meridiem, siue septentrionem, siue orientem siue occidentum solem. Sed quo pacto hæc, speciem morbi significant? an quia eius morbi suspicio statim subit non immerito, qui ea constitutione grassatur, vel illi anni tempore, aut regioni, aut omnino vrbi familiaris est? Sed & consuetudini hominis, victui, & vitæ generi, & ætati, sunt quidam morbi familiares. Si quis enim irasci consuevit crebro multumque aut vociferari, aut inordinatè & intempersiuè moueri, frætiam calido victu vsus est, & quod ad vitæ genus attinet, est faber ferrarius aut cursor, & ætates calidiores agit, profecto biliosis febribus faciliè corripitur, statimque timetur in huiusmodi homine id genus febris. Contra, si placidissimus, mansuetusque homo, frigidovictu vtens, & piscatoriam artem exercens, & qui calidiores iam ætates excesserit, febre corripitur, ex frigidioribus succis eam pendere statim suspicamur. Speciem ergo morbi ita agnoscimus. Constitutionem verò, eodem ferè modo. Quæ iisdem specie morbi, calidioribus temporibus, & locis, & victui, & vitæ generi, & ætati, breuiores: frigidioribus, longiores sunt. Sed & periculum maius aut minus, ex his agnoscimus, agnita prius morbi specie, considerantesque an is sit congruens, an non. Nam vt in Aphorismo dicitur, in morbis minus periclitantur, quorum naturæ, ætati, aut regioni, congruit morbus, quàm quibus secundum nihil horum. Ex ijs etiam quæ sequuntur significationes sunt, ex sermonibus, ex eorum modis, ex taciturnitate. Nimirum ex sermone. Quo in genere est loquacitas aut taciturnitas, atque in loquacitate modi. In his considerantes, quod secundum naturam inest, & quod præter naturam, non minimum argumentum capimus magnitudinis ipsius affectionis. Velut si qui taciturnus est natura, modo multa loquatur: aut contra, qui verbosus, modo semper fileat, vtrumque est insanix genus, & grauis mali nota. Si verò loquax loquatur, aut taceat taciturnus, nihil mali est. Sed quod ad modos attinet, explicemus. Si qui de deo semper, & rebus ad pietatem pertinentibus loqui consueuerat, repente nunc ad lenonũ verba translatus sit, aut phyllo-

sophus nunc repete totus in armis aut re mercatoria, sit, aut leno de vita monastica, & miles de dialecticis loquatur, mente commoti esse ij omnes videantur. Siquidem nullus loquitur suo modo. Imaginationes partim ipsis sermonibus agnoscuntur, partim alijs signis. Velut qui vociferabatur, pelli è cubiculo tibicines, imaginationem sermone prodebat: nutibus prodit, qui muscas frustra venatur, aut festucas colligit. Atqui imaginationes vanæ ac falsæ, cum superueniunt, mortem, cum à principio adsunt phrenitidem indicant. Somnum & vigiliam indicare in morbis posse, multis in locis ab Hippocrate est dictum, generatimque in Aphor. Somnus & vigilia vtraque si modum excedunt, malum. Sed addit, in somnijs quibus, & quando. De præsagatione ex insomnijs seorsum est scriptum ab Hippocrate, Aristotele & Galeno. Hic breuissimè perstringit, quæ sint in illis consideranda. Considerandum, inquit, est, quæ sint & quando. In primis illud, quæ sint, species, & partitionem insomniorum continet, quando autem, tempus quo fiant. Insomniorum enim quædam sunt diuina, quædam naturalia. Diuina sunt, quæ inspiratione aliqua demonis fiunt, demonis autem, boni aut mali. Quæ fiunt sine inspiratione, sunt naturalia. Possunt autem vtraque significationem certam continere, aut esse vana. Nam nonnunquam à bono demone per insomnia, rerum quarundam vtilium admonemur. Vt accidit Danieli, & Iosepho: illudimur autem sæpe à malis demonibus, per insomnia representantibus vana quædam. In naturalibus eodem modo, quædam ex quibusdam corporis affectionibus, aut passionibus, quas ab externis causis accepit, nascuntur, quædam casu quodam, & causâ inopinabili: Non aliter ac expergefactis nonnunquam, insperatò per mentem obuersantur: atqui, velut inter colloquia solet, quorundam, nunquam expectata, mentio incidere, vt ipsi collocutores mirari soleant. insomnia ergo quæ non sunt vana, certas significationes habent. An autem vana sint, intelliges, considerans, quæ sint, & quando. Si enim ad resturpes pertineant aut inutiles, certum est non esse à bono demone, sed vel à malo, vel naturali quapiam causa. Neque verò si ad res honestas, aut etiam ad diuinum cultum, pertineant, statim à bono demone esse putandum est. Possunt enim esse

esse etiam a malo, vel naturalia. Considerandum ergo omni ratione, an sub illa boni specie possit malum aliquod, aut deceptio subesse: neque, & si non videatur subesse posse, statim a bono demone esse, confide, sed caute sustine, usque dum quid velit, Deus manifestè declaret. Ita verò te compara, ut cures numen exoratum, ne te tua culpa falli permittat. Si tunc quidem non repetant, naturalia esse puta. Ad quæ, in considerationem adhibe, quando fiant. Si interdum talia quædam locutus, noctu illud somniet, vanum somnium est, nihil significat. Nam accidit in his, quod in alijs signorum generibus. Nimirum si ex manifesta causa nascuntur, nullam habent significationem. Neque si post multos cibos, aut multam ebrietatem somnium accidat, significare quidquam putandum est, quidquid somnietur. Sed si sobrio iam homine, & cocto magna ex parte cibo, somnium accidit, non exiguam præstat significationem, quarundam corporis affectionum, & morbi exitus, an inquam morte, an salute finiendus sit. Sunt horum multa exempla apud Hippocratem & Galenum citatis libris, quæ non refert hoc loco persequi. Addit euulsionibus, pruriti- bus, & lachrymis. Euulsionibus autem sunt, velut palpebræ, labij, aut nasi eversio, & genitalium, & testium reuulsio. Pruritus autem sunt, vel totius corporis, vel partis cuiuspiam, ut in naribus fieri solet. Lachrymæ sunt, vel voluntariæ, vel spontaneæ. Hæc autem quid possint significare, in prognostico ab ipso Hippocrate, scriptum est. Quæ nunc addit, consideremus. Ex paroxysmis, dicit. Ad hoc genus signi pertinet illa sententia: febres quæcunque non intermittentes tertio die vehementiores fiunt, periculosæ: & quædam quas mox, de febrium figuris, hoc ipso sermone scribit. De deiectionibus, urinis, sputis, & vomitibus, propria capita scripta sunt in prognostico. Et quæ (inquit) ex quibus, in quæ successiones morborum. Quid dicat, quæ ex quibus successiones morborum, non est obscurum. Est enim considerandum in permutationibus morborum, qui morbi ex quibus fiant. Sed quod dicit, in quæ, aliquanto est obscurius. Videtur enim dicere, quæ in quæ, id est, quæ morbi in quos morbos. Sed si hoc dicit, quid aliud sit dicere, quæ in quæ, quam quæ ex quibus? Verum aliud

aliud est, illud in quæ. Quod ut explicaret, addidit, & abscessus in mortem & vtilitatem. Nimirum ut antea explicuimus, abscessus vocat Hippocrates omnem morbi in morbum mutationem, ea verò nonnunquam fit cum magno malo hominis, & lethaliter, velut pleuritis in pulmoniam, pulmonia mutatur in tabem: nonnunquam fit cum vtilitate, cum scilicet sequens morbus liberat a priori, velut de quartanis febribus, mox dicit. Atqui de his abscessibus bonis & malis, antea in hoc ipso opere differuimus. Ergo inquit, considerandum quæ affectiones ex quibus affectionibus fiant, in quæ, hoc est in mortem aut vtilitatem. Addit, sudor, rigor, frigus, tussis, sternutamenta, singultus, spiritus, ructus, flatus, silentes, strepentes Sudorem cum dictis euacuationibus coniungere posset, habet enim etiam hic, velut illæ, in prognostico proprium caput. Significationum etiam quas præstare posset rigor per febres acutas (præterquam quòd quarundam intermittentium febrium speciem indicat) scripta sunt sparsim multa: velut illud, in febre perpetua si sexto die rigores fiant, lethale. Et illud, ei qui a febre ardente tenetur, rigore superueniente, solutio. Cum dicit frigus, intelligere potest illam refrigerationem quæ inuadentibus quibusdam accessionibus fiunt, aut omnino frigus, ut cunque incidat. Vtroque enim modo significat speciem febris, aut periculi magnitudinem. Est enim frigus circa extrema in intermittentibus pituitosis, & in perpetuis lypirijs pathognomicum, in alijs acutis, mortis signum. Velut in prognostico & Aphorismis non semel scriptum est. Atque adeo in historijs huius libri cui nunc incumbimus, crebra mentio fit, sudoris, rigoris, & frigoris. Quin & tussis potest significationem præbere, nunc passionis, ut in pleuritide, nunc periculi aut securitatis. Sternutamentum perinde, & singultus, & spiratio Nam in prognostico inter bona signa refert Hippocrates bene spirare, & facile extussire, inter mala verò spirationem magnam esse & crebram, & difficile extussire. De respiratione seorsum in eodem libro multò plura, multarum dispneæ specierum dicens causas, & generatim, magnam vim habere facilem spirationem in omni morbo acuto. De sternutamentis quoque in eo libro ita scripsit. Sternutamenta per morbos circa pulmonem, præire & subse-

subsequi malum est, sed ex alijs morbis exitiosis sternuta-
 menta vtilia, sunt. Singultus multas pessimasque signifi-
 cationes, in Aphorismis docuit. Ab ileo, inquit, vomitus,
 vel singultus, desipientia, vel conuulsio, malum. Rursum,
 in hepatis inflammatione singultus, malum: & a vomitu
 singultus, & oculorum rubor, malum. Addit, ructus, flatus,
 silentes, & strepentes. Ad prognosticam ex ructu, pertinet
 illa sententia. Ex longis leuitatibus intestinorum, si ructus
 acidus fiat, qui antea non erat, bonum. Sed & illa. Acidū
 eructantes, pleuritide non admodum capiuntur. De fla-
 tibus, qui cum crepitu aut sine crepitu excernuntur (hos
 enim vocat silentes, & strepentes) in prognostico ita disse-
 ruit. Si flatus sine crepitu excernitur, optimus est. Melior
 verò est cum erumpit cum crepitu, quam cum reconditur
 ac reuoluitur. Quòd si ita excernitur, indicat hominem do-
 lorem teneri, aut delirare, nisi sponte flatum emiserit. Ex
 hæmorrhagijs omninò, præcipuè autem ex hæmorrhoy-
 dibus, multa docet Hippocrates præsentire. Velut in pror-
 rhetico. Sanguinis ad diuersum latus eruptiones, malæ. Et
 rursum. Post sanguinis eruptionem deiectiones nigrae ma-
 læ. Et rursum. Ex hæmorrhagia rigores multi. Et multa alia
 ad hoc signi genus pertinentia libro illo. Et de hæmor-
 rhoydibus illud in Aphorismis. Ab atra bile & phreniticis
 hæmorrhoydes superuenientes, bonum. In quibusdam co-
 dicibus inter verba illa, strepentes & hæmorrhagiæ, in-
 teriectum est *χολόδες*, idest biliosi: tamen supposititium
 esse puto, nisi significat, flatus sterpentes biliosos, hoc est
 qui ipso sonitus modo significant, multam bilem flatio-
 sam in intestino contineri. Vocat hos sonitus *βορβοριχμοὺς*.
 Ex his, & quæcunque ex his accidunt, considerandum. Hoc
 est, considerationes prognosticæ capi debent ex his, & ex
 omnibus quæ ex eis sequuntur. Quæ verba nollim sine con-
 sideratione præteriri. Continent enim partem quandam
 prædictionis vtilissimam. Ea verò est, ex ijs quæ ex quo-
 cunque signo nascuntur. Multa enim sunt signa, quæ nunc
 mala, nunc bona sunt, ant nunc lethalia, nunc non adeo, vt
 hæc aut illa ex eis nascuntur. Nimirum ad præsagij firmitu-
 dinem, semper sunt adiungenda alia signa, & in multis ex-
 pectandum est, quid superueniat. Velut in hæmorrhagijs,
 de quibus nunc dicebamus, si post multum sanguinis flu-
 xum,

xum, singultus aut conuulsio fit, malum. si verò sine his, fit febris solutio, nihil fluxu sanguinis melius est. Sed & in alijs signis considerandum quæ ex quibus fiant. Velut a singultu sternutatio superueniens, liberat. Et a longo alui profluuiio, vomitus spontaneus superueniens, soluit. & a vomitu singultus, & oculorum robur, malum. Et a sudore horror, non bonum. Et ita in alijs omnibus signis fit, vt quædam ex quibusdam deteriora aut meliora sint. Nimirum ea quæ antecedunt aut sequuntur, signorum quorumcunque causam declarant. Sed quia hæc multis alijs in locis pertractantur, hic de eis hæcenus.

- 39 **F**ebres quædam continuæ, quædam interdum tenent, nocte intermittunt, aut nocte tenent die intermittunt, & semitertianæ, & quartanæ, quintanæ, septimanæ, & nonanæ.

CUM digredi cæperit Hippocrates ad disputationes quasdam ad totam artem necessarias, atque generatim de signis omnibus dixerit, nunc de febribus generatim dicere incipit. Quia ij morbi, maximè, qui cum febribus fiunt, populares esse solent. Incipit ergo a partitione febris, quæ quidem accipit a propria earum figura. De febrium differentia seorsum scripsit Gal. multa. in quem etiam librum iam ego edidi commentaria, atque adeo ego libellum quendam seorsum scripsi de febribus, præter multa quæ in controuersijs & alijs locis. Proinde nunc satis erit Hippocratis verba explicare. Nisi suppleantur quædam, non possit partitio hæc non videri parum dialectica. ceterum in Hippocratis enarratione, meritò petimus permitti nobis suppleri quædam, quæ tacuit ille, vt semper esset breuiloquus. Possimus quidem censere hanc partitionem febrium omnium esse, quamquàm possimus etiam censere ad solas eas, quæ ex succis fiunt pertinere. Sed pertineat ad omnes. Nam duo genera: hæcticæ inquam & diariæ in continuis sint. Ergo hæc est partitio. Febres quædam continuæ sunt, velut hæcticæ, diariæ, & quædam putridarum: quædam intermittentes. Intermittentium, quædam quotidianæ, quædam tertianæ, quædam quartanæ,

nã, quãdam quintanã, quãdam septimanã, quãdam nonanã. Quotidianarum, quãdam nocturnã, quãdam diurnã. Tertianarum, quãdam simplices tertianã, quãdam semitertianã sunt. Sed cur nocturnas aut diurnas quotidianas solum intelligit, cum tertianis etiam, & quartanis, accidere possit, vt nocte teneant, aut die? porro cur semitertianarum mentionem facit inter differentias simplices cum sint compositã? aut si ad compositas quoque voluit partitionem ducere, cur non meminit quartanã cum tertiana, aut quotidiana? videntur enim aut deficere multa in partitione, aut redundare quãdam. Sunt multi qui non satis capientes methodum Hippocratis, censent illum fuisse dialecticã ignarum. Ego verò cenſeo habuisse illum dialecticã quandam, vulgari vtiliorem. Nimirum non persequatur omnia vsque ad minima, sed nullam vtilem partitionis rationem omittens, in singulis ea tantum scribebat, velut exempla quãdam, quorum mentio maximè ad vsus artis videbatur esse necessaria: vt reliqua supplerentur, vtilissimorum autem haberetur ratio maxima. Velut modo oportet nos ita persequi partitionem. Febres quãdam sunt continuã, quãdam intermittentes; hæ quotidianã, tertianã, quartanã, quintanã, septimanã aut nonanã. Rursum hæ omnes nocte aut die inuadentes, porro ex his simplicibus, compositã fieri possunt multis modis. Velut semitertianã, & aliã multã. Tamen nulla compositarum, tam insignem differentiam, & mentione dignam habet, quam semitertiana. Quia, vt mox dicetur, in semitertiana vocata, morbi accidunt acuti, & aliarum omnium hæc est maximè lethalis. Atque, interdum teneant an noctu, in nullis adeo refert, atque in ijs quã quotidie affligunt. Quia hæ aut omni die aut omni nocte laborem inferunt. Hæc est methodus Hippocratis quam alibi etiam aperuimus.

40 *Sunt autem acutissimi & maximi, & grauissimi morbi, & maximè lethales in continua febre.*

SATIS erat dicere acutissimi, quin adderet maximi &

& grauiſſimi . Nam quamquàm illud nomen acutiſſimi, per ſe ſolam celeritatem, & breuitatem motus ſignificet, verum medici, vt acutum morbum vocent, non ſunt contenti hac acutie, ſed magnitudinem præterea morbi, & periculum a deſſe volunt. Hippocrates tamen modo ſingulis nominibus propriè vtens, expreſſit omnia, quæ morbis acutis a deſſe debent. Nimirum debent eſſe acuti, ideſt breues, & magni in eſſentia propria, & graues . Atque vt explicaret rem magis, addidit, & maximè lethales, hi autem ſunt qui grauiſſimi. Hos dicit fieri in febre continua, hoc eſt, cum continua febre ſemper, ſiue in ipſa febre continua habeat eſſentiam morbus, vt febris ardens & ſemiterteriana, ſiue febris ſit morbi accidens, vt in pleuritide, & phrenitide, & alijs inflammationibus internis. Non intelligo autem hæc dicere Hippocratem quòd nunquam ſine febre acutus morbus fieri poſſit (nam ſyncope, carus, & apoplexia acutiſſimi, maximè, & maximè lethales ſunt, tamen ſine febribus plerumque fiunt) ſed quòd plerumque cum febre fiat, tuncque, cum continua. Nam quæ intermittit, quia periculo vacat, ſimpliciter acuta eſſe non poteſt, ſed tantum conſtitutione, vt tertiana exquiſita .

41 *Securiſſima autem omnium quartana, & faciliſſima, & longiſſima. Hæc enim non tantum ipſa per ſe ipſam, huiusmodi eſt, ſed ab alijs morbis magnis liberat.*

SECURISSIMAM dicit omnium. Cum tertianis & quotidianis, quæ ſunt febres crebro occurrentes, collationem fieri intelligo. Nam ſeptimana, & nonana, videtur ſecurior. Faciliſſimam dicit curatu, quanquam vulgus hominum incurabilem dicit. Verum non eſt breui curabilis. Sed faciliſſima, & longiſſima. Quod eſt, intra ſuam conſtitutionem, quæ quidem longiſſima eſt omnium crebro occurrentium (nam nonana longior etiam eſt) faciliſſimè curari. Nam victu liberari, & rariſſimis euacuationibus, & uſu longo quarundam rerum, haud multum medicamentofarum. Quod ſi dicas, hoc non eſſe curari quartanam, perinde eſt ac ſi dicas, non curari febrem ardentem, quæ
non

non tam breui, quàm angina. Nimirum vt non est omnibus eadem constitutio, ita neque æquè longa ratio curationis. Atque longe aliud est, breuem esse curationem, aut facilem. Nam vt anginæ est difficilima & breuissima curatio, ita quartanæ facillima & longissima.

42 **I**N semitertiana vocata accidit acutos morbos fieri, & est reliquarum hæc maximè lethalis. Atqui tabidi, & qui longis alijs morbis ægrotant, in hac maximè ægrotant.

NON parum comprobant, ea quæ modò affirmat de semitertiana febre, illa, quæ prima tempestate huius libri, accidisse dicta sunt. Nimirum multi ægrotauerunt semitertianis lethalibus, quorum plerique in tabe erant. Atqui quod dicit est, semitertianam esse acutum morbum: neque hoc quidem dubium est, cum sit altera ex parte continua febris, & præter eam, habeat aliam intermittentem. Dicit etiam esse maximè lethalem: quod fit, quia nulla febris acuta est, quàm tam crebro, & tam continenter, varijs symptomatis facultas affligatur. Et tabidi, atque qui alijs longis morbis laborantes in acutam febrem ex longa incidunt, in hanc maximè incidunt. Quia per debilitatem facultatum congerunt crudam, & per heciticum calorem, aut longam febrem, congerunt bilem. Atqui, ob diurnitatem ægrotationis contingit varia membra variè laborare. ex duplici autem hoc, succo, in varijs membris redundante, contingit hæmitriteo corripì. Porrò quoniam hæc habet semitertiana febris, diximus seorsum illius factam mentionem hoc in loco, in febrium partitione.

43 **N**Octurna non valde lethalis, longa autem, diurna longior. Est autem quibus & in tabem repit.

OMNEM quotidianam longam esse dicit: siquidem nocturnam longam, & diurnam longiorem. Porrò diurnam dicit longiorem nocturna, & magis lethalem, adeò vt quibus-

quibusdam in tabem inclinet. Hic tabis nomine significatur extenuatio magna, quacunque causa fiat, non ea solum, quæ ex fordido ulcere pulmonis nascitur. Duplex causa est, quæ diurna deterior est. Primum quia magis secundum rationem est, febres fieri maiores noctu, cum corpora densiora & minor dissipatio, & maior confluxio excrementorum ad interna, quam diu, cum sunt his contraria. affectionibus autem omnibus, accidit esse grauioribus tempore, secundum quod non congruunt, quam eo secundum quod congruunt. Deinde, quia minus opportuna est curationi diurna, quam nocturna. Quia tempus diurnum occupat paroxysmus, nocturnum solum superest cibis & medicamentis. quare nullam quieti & somno. Et auocantur ægroti multum a communi hominum consuetudine, laborandi & capiendi cibos interdium. Accedit (quod est maximi momenti) febres diurnas minus venire ad infabricitationem quam nocturnas, quia earum inclinatio incidit in vesperam, qua hora morbi omnes exacerbantur, ut lib. 4. dicit his verbis. quale est ad vesperam exacerbabile in omni morbo.

44 *Septimana longa, non lethalis, nonana longior ad hanc non lethalis. Tertianæ exquisita, celeris iudicatio non lethalis. Quintana verò omnium pessima, etenim ante tabem, & iam tabidis superueniens interimit.*

QUARTANA, & quæ longiora interualla habent, longissimæ sunt, tertianæ breuissimæ. Quia causa quintana omnium febrium intermittentiū pessima, & ante tabem (extenuationem hic quoque intelligit) & tabidis iam superueniens interimat, non dixit Galen. fortasse quia talem febrem non viderat, sed neque ego ad huc vidi vnquam manifestè. Vidi certè quam dubitavi, quintanam, an quartanam tardantem appellarem. Tentabo nihilominus dicere causam, quam esse suspicor probabilissimam, longo tempore inuestigatam. Hippo. non dicit simpliciter, quintanas esse pessimas, sed eas quæ tabescentibus, aut iam iam in tabem casuris, contingunt. Non sunt autem, arbitrator, tales, quæ a principio hominem, sanum antea, inua-

inuadunt, sed ubi quis quartana prius, aut longissima tertiana debilitatus est, & minorem iam materiam copiam plenè non valet pellere, in quintanam incidit, atque eadem causa, quæ cum esset iudicandus quintana corripitur, tabiscit, ob habituales scilicet facultatum debilitatem. Sextanæ verò, aut septimanæ, aut etiam rariores febres, affligunt iam, ut vitia potius naturalia, quàm ut morbi, atque adeo qui illis laborant, videntur esse homines aliqui sani, gaudentes ea febre, ut euacuatione consueta.

Sunt autem modi, & constitutiones, & paroxysmi cuiusque harum febrium, æquæ continuarum & intermittentium. Statim enim continua est quibus incipiens floret & viget maximè, & in difficillimum agit: circa iudicium autem, & simul cum iudicio, extenuatur. Est autem quibus incipit molliùs, & summissiùs; accrescit autem, & exacerbatur in dies: circa crism autem, & simul cum crisi, abunde elucet. Est autem quibus incipiens mitius, accrescit & exacerbatur, & quadantenus aucta, rursum subsistit circa iudicium, & vsque ad iudicium.

Persequitur rursum febrium partitionem secundum figuras. Retulit enim hæctenus differentias intermittentium. Nunc referre incipit differentias continuarum. Dicit ergo modos, constitutiones, & paroxysmos, id est, modos constitutionum & paroxysmorum accidere cuique harum febrium, æquæ scilicet continuis & intermittentibus. Intermittentium enim ferè dicti sunt modi. Continuarum autem, quædam est quæ statim ac incipit, viget ac floret maximè, & in difficillimum agit, hoc est in summo periculo hominem constituit: circa iudicium autem, & simul cum iudicio, hoc est morbo iam eunte in summum vigorem, & vsque ad totam declinationem, extenuatur. Huiusmodi sunt continentes, quæ vocantur Galeno decrescentes. Quædam est, quæ molliùs incipit, crescit autem & exacerbatur in dies, & circa iudicij tempus, ac per totum iudicium abunde elucet, vsque dum videtur repente tolli. Huiusmodi sunt continenter crescentes. Sunt autem aliæ continentes inter has

F

mediæ,

mediæ, neque crescentes neque decrecentes, sed semper æquales, quas ex prioribus intelligi Hippocrates voluit. Alia est febris, quæ incipiens mitius, crescit & exacerbatur, & aucta quadam tenus, scilicet per totum tēpus incrementi, & vsque ad summum vigorem, rursus subsistit circa iudicium, hoc est, statim ab incēpta iudicatione, & vsque ad iudicium perfectum, hoc est, vsque dum integrè, atque omninò soluitur. Huiusmodi sunt omnes febres continuæ, præter continentes. nam hæ omnes habent principium, & incrementum, & vigorem summum, & declinationem. Quæ ratione fiant febres continenter crescentes, decrecentes, & sui semper similes, in meo commentariolo de febribus, dictum mihi est. Sed continget hoc loco dubitare, quæ ratione fieri possit vt febres quædam circa iudicium & simul cum iudicio extenuentur, siquidem iudicium in morbi vigore fit, cum verò consistunt morbi, omnia quæ præter naturam sunt, morbus scilicet ipse, & symptomata, sint vehementiora. Summa autem ratio est hæc. Duo sunt in interna causa febris, quæ febrem ipsam faciunt, fouent, & auget possunt: ipse materiæ ardor, siue putredine, siue vstione, siue quodam feruore fiat, & quantitas. Atqui alterationem materiæ necesse est crescere, ac per eam ipsam febrem vsque ad summum vigorem, tamen quantitatem non est necesse. Minui enim potest succus morbo ad huc crescente, vel arte, vt misso sanguine aut magna alia facta euacuatione, vel natura, velut per insensibilem euacuationem, vel per paulatim factas euacuationes spontaneas. Ergo materia ipsa quæ intra corpus manet, semper magis ac magis, præter naturam alterascit, atque calorem partium, quantum in ipsa agitur, auget, fit tamen nonnunquam, vt decrecente copia, videatur hæc alteratio minui. Neque tamen proinde putandum est, non esse morbum in incremento. Crescit enim reuera ardor, in ardente materia, & in iis animantis particulis, quas contingit.

⁴⁶ **A**ccidit autem hæc fieri in omni febre, & in omni morbo.

Nihil est aliud quod dicit quàm hæc quæ dicta sunt, vt accidit

accidit fieri in febribus, ita accidere fieri, & in omni morbo, qui sine febre fit. Sed quæ sunt dicta? febrium quasdam esse intermittentes quasdam perpetuas, atque harum quasdam continuas tantum, quasdam continentes etiam. Hoc ergo idem accidere dicit, omnibus aliis morbis: intelligi autem debet omnibus pendentibus ex quibusdam succis, cuiusmodi sunt omnes fluxiones, & omnes tumores præter naturam. Est autem hoc verissimum: in podagra enim, & chyragra, hemicrania, & ventriculi, ac intestini, ac, ut semel dicam quibuscumque alijs doloribus, experimur quosdam affligi semper, sine intermissione, quosdamque horum, semper eodem modo, quosdam remittente sensim, quosdam augescēte dolore: quosdam quidem citra intermissionem, tamen cum quibusdam exacerbationibus, per vicissitudines recurrentibus: quosdam etiam cum intermissione ex quibusdam interuallis, dolere, omni dolore non raro carentes. Atqui hæc interualla nonnunquam certa, nonnunquam incerta esse videmus. Ophthalmis etiam, & erysipelatis quarundam partium, id videmus sæpe accidere. Quin etiã mihi contigit videre pleuritidem, verissimam quidem, & omnia pathognomonica signa habentem, intermittentem tamen, ita, ut homo alternis diebus pleuritide, alternis nullo morbo teneri videretur. Hoc ergo est consideratione dignissimum in omni morbo. Similes enim in omnibus accidunt modi & constitutiones, & similibus ex causis, atque in febribus. Nimirum ophthalmia quotidie affligens, pituitosa, alternis diebus, biliosa, haberi debet.

47 **O** Portet autem victum ex horum consideratione offerre.

Ex constitutione & figura morbi, magnas indicationes nasci, offerendi cibum, disserte alijs locis ab Hippocrate ipso dictum est, præcipue prima particula Aphorismorum.

48 **M**ulta etiam alia opportuna his sunt germana, de quibus quædam iam scripta sunt, quædam scribentur, ad quod discutientem expendere, considerare, cui horis

acutum & lethale, aut ex quo superesse possint, & cui prorogetur, aut non. Et quando, & quantum, & cui offerendum sit.

Multa alia signa sunt præter hæc, præter figuras, scilicet, & constitutiones febrium, quæ non aliter quam hæc, significant euentum morbi, & ad ciborum exhibitionem, indicationem præstant. Quod autem ad euentum morbi attinet, hæc oportet præsentire, an moriturus, an superfuturus homo sit: atque vtrumque, an breui, an post longam ægrotationem. Hæc autem omnia distinguere signis, Hippocrates in prognostico docuit. Atque summa ratio est, coniectari ex signis, vt habent virtus & morbus: nam quæ cum debili virtute magnum morbum indicant, breui futuram mortem, quæ cum robusta facultate exiguum morbum, cito futuram sanitatem; quæ cum robusta facultate magnum, aut cum debili exiguum morbum, significant, tardius futuram sanitatem aut mortem, vtrum videbitur altero magis pollere, virtutis robur aut morbi exiguitas: vel contra magnitudo morbi aut debilitas virtutis. In cibi oblatione considerandum, cui sit dandus, & cui non (quibusdam enim per totum morbum non est dandus) & quando, & quantum. Considerandum etiam est, quale sit dandum. Nam illud, omnis victus humidus febricitantibus conuenit, ad qualitatem ciborum pertinet. Caterum quia constitutio & figura febris ad qualitatem nihil indicat: sed tantum ad consulationem an dandum an non, & quantum & quando, hic non fecit mentionem qualis: sed tantum quanti, quando, & cui.

49 *Quæ in diebus paribus exacerbantur, in paribus indicantur, quorum autem paroxysmi in imparibus sunt, indicantur in imparibus.*

Quia paroxysmus similis motus est ei, per quem iudicatio fit, nimirum vterque fit natura expellente excrementa, merito, & si ob vim causæ alicuius supernæ in diem proximum iudicium casurum esset, rapitur à proxima accessione.

ne. Quo fit vt qui mouentur per impares, imparibus iudicetur, & qui per pares, paribus. Neque vero solum hac causa fit, vt in diem accessionis iudicium plerumque incidat, sed etiam, vt ceteris paribus, tunc melius fiat, cum in eundem diem incidit. Quia incidentibus in eundem diem ambobus motibus, perfectius agitur expurgatio. Ne tamen intelligas, moueri per impares, eos qui tertio quoque die habent accessiones, per pares autem, qui quarto quoque aut singulis. nam omnes fere acuti mouentur, tertio quoque. Tamen his, si prima accessio finitur prima die morbi, mouetur per impares, quia secunda redit tertio, si producitur vsque ad secundum, mouentur per pares, quia secunda redit quarto. Quo fit vt tanto deterius sit moueri acutum morbum per pares, quanto deterius est, quamcunque exacerbationem esse longiorem.

⁵⁰ **E**st autem primus decretorius, circuituum per pares iudicantium, quartus, sextus, octauus, decimus, decimus quartus, vigesimus octauus, trigessimus, quadragesimus octauus, sexagesimus, octogessimus, centesimus: circuituum vero in imparibus iudicantium, primus, tertius, quintus, septimus, nonus, vndecimus, decimus septimus, vigesimus primus, vigesimus septimus, & trigessimus primus.

Plus aut minus, dies omnes sunt decretorij. Iudicant autem plerumque, pares pares, & impares impares, vt dictum est. Proinde facit modo seorsum enumerationem parium, & imparium, non numerans omnes, sed multos in vtroque genere. Sunt vero in vtroque genere quidam ob causam aliquam supernam, siue motum aliquem celi, vim decretoriam habentes, quidam ob infernam causam, ob paroxysmum dico, qui in eos dies incidit. Velut inter pares, quartus, & decimus quartus, & vigesimus: inter impares, septimus, & vndecimus, & decimus septimus, supernam causam habent: infernam vero, inter pares, sextus, octauus, & decimus octauus, inter impares, tertius, & decimus tertius, & decimus nonus. Hæc autem, vt ita habere intelligas, oportet legeris, quæ de diebus decretorijs à nobis scripta

aliis locis sunt, maxime autem in enarratione prognostici. In Græcis codicibus legitur ἐκ τῶν δ' ἐν τῆσι περιόδῳ καὶ καὶ νοσῶν ἀποδόσαν ἀ γ' e atqui si ita legitur, aperte significatur, primum decretorium in imparibus: tamen hoc falsum est. Nam primus & secundus non sunt decretorij cum nullus morborum, quorum concoctionem, & iudicationem expectamus finiri vno die aut duobus possit. Quanquam profecto mori contingit eadem die, vt ex angina, aut secunda, vt foror communi, tamen decretorij vt sint, oportet, vt habere possint vtranque mutationē. Legendū ergo vbi. ἀποδοσὶ vt sit sensus, primus dies impar est, tertius. Non numerauit decimum quintum inter impares, quia raro iudicat, cum ei ob supernæ causæ vim, soleat 14. præripere iudicationem. Atque ita haud scio an occurrent iudicati ea die, nisi Hiero. 2. lib. tempestate. 2. & mulier Burdagozæ. 4. lib.

S⁵¹ *Cire autem oportet si aliter iudicentur, extra præscriptos dies, futuras recidivas significare. Et fuerint quidem lethalia.*

Hoc est quod confert dies decretorius iudicationi, vt scilicet plerunque bona sit, & sine recidua. nam vis diei iuuat naturam. Quare quæ aliter, hoc est, præter dies decretorios, iudicantur, aut lethaliter, aut non sine recidua iudicantur. Sed quanquam hæc sit dierum decretoriorum vis, & fides, non proinde videtur Hippocrates debuisse dicere, si aliter iudicentur, extra præscriptos dies, hoc est, nisi iudicentur aliquo præscriptorum dierum, futuras recidivas, aut mortem. Nam multi dies præscripti non sunt iudicatorij. Non est ergo quod in præscriptis bene extra eos malè præagatur: sed in quibusdam illorum bene, in quibusdā malè. Nam dictum est in Aphorismo febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidiuare. Tamen multo modo præscripti sunt pares, & rursus, sudores febricitanti si incæperint boni, tertio, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, & quatuordecimo, & decimo septimo, & vigesimo septimo, & trigesimo quarto. Hi enim sudores iudicant morbos. Quæ verò non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam. Ergo qui sexto, aut octauo.

octauo, aut decimo fient, non liberabunt à recidiuis. Maxime cum se xtus toties sit per se vituperatus, & ab Hippocrate & ab aliis ferè omnibus, qui de diebus decretorij, scripserunt. Cæterum quanquam hæc omnia videntur esse contraria, si bene perpendatur, quid quoque loco Hippocrates velit, non continent certam repugnantiam. Nã quod in Aphorismo quartæ sectionis dicit, nihil est aliud, quam nisi febris diebus iudicatorijs soluatur, futurã recidiuam, dicit verò nisi diebus imparibus, quia, vt alio loco explicuimus, maior vis iudicandi est imparibus quàm paribus diebus. Cum verò de sudore disputans, enumerat dies decretorios, enumerat certè alia ratione quàm hic. Illic enim eos qui simpliciter ac per se, & ob causam aliquam supernam decretorij sunt, enumerat. hic non ita: sed eos qui ad quosdam morbos sunt decretorij. Horum verò multi, vt dictum est, quanquam ad quosdã morbos sint, simpliciter nõ sunt decretorij. Sed si morbi qui mouentur per pares, melius iudicantur paribus: qui per impares imparibus, cur præferantur impares paribus? aut quid sit illud, simpliciter esse decretorios illos, hos non? Certè, vt dictum est, qui mouentur per pares, non tantum iudicantur paribus crebrius, quã qui mouentur per impares: sed etiam iudicantur melius. Nam virginem Larissæ dicit tertio huius operis libro, liberatam sexto, caruisse recidiua, quia habebat labores diebus paribus. Cæterum hi ipsi morbi, non iudicantur tutius diebus paribus, quàm si imparibus iudicarentur. Non enim minus tuto, septimo quam sexto virgo Larissæ iudicata esset. Nam dies impares, quia simpliciter sunt boni, omnibus sunt boni, quamquam iis qui per impares mouentur, meliores, quia in eisdem dies incidunt ambæ causæ, superna & inferna velut pares, sunt minus mali, iis qui mouentur per pares ob alteram causam, etiam si sint per se ignobiles. Quidam enim etiam, sunt pares, & optimè iudicantes, velut. 14. & 20. qui quidem iis qui mouentur per pares, erunt multo meliores, concurrentibus dictis causis.

O Portet autem mentem adhibere, atque scire, in his temporibus iudicationes futuras, in salutem aut mortem, aut mutationes, in melius, aut deterius.

Quatuor iudicationum species fieri possunt. Solent autem omnes diebus decretoriis fieri, vel in salutem vel in mortem facta mutatione (atqui hæ sunt iudicationes integræ, alia optima, alia pessima) vel in melius aut deterius, facta mutatione repentina, vt quam dies vnus affert. Nam paulatim factæ mutationes, neque iudicationes dicuntur (nisi cum latiusculè vtitur Hippo. eo nomine pro omni solutione) neque quibusdam diebus decretoriis fiunt.

53 **E**rraticæ autem febres, & quartanæ, & quintanæ, & septimanæ, & nonanæ, quibus circuitibus iudicentur, considerandum.

Cur erraticas, quartanas, quintanas, septimanas & nonanas, dicit considerandum, quibus circuitibus iudicentur? An non aliarum quoq; oportet constitutiones cōsiderare certe. Sed quia (arbitror) harū constitutiones, nō sunt tantæ certæ, quàm tertianarum & quotidianarū, proinde morbi non omittendum: sed considerandum. Tertianæ enim certam constitutionem scripsit Hippocra. dicens, exquisitam septem periodis, cum tardissimè, iudicari. Quotidianæ etiā constitutionem certam scripserunt alij, dicentes iudicari duobus ferè mensibus. Tamen quartanæ, quintanæ, septimanæ, aut nonanæ, nullibi dicit certā. Sed illud vnum dicit, esse longissimas omnes, & alias aliis longiores. Nimirū quanto morbus est longior, tanto minus certam habet constitutionem. Erraticæ multò magis habent constitutionem incertam, ob diuersam naturam. Hac ergo causa, difficile est scire, quot circuitibus hæ iudicentur. Accedit alia ratio, quæ non potuit inter autores adeo constare, quæ sit constitutio harū, quàm tertianæ & quotidianæ, quòd non potuit tanta esse obseruatio, quia sunt rariores morbi. Nam præter quartanā, quæ aliquanto frequentior est, adeo raræ sunt, vt quintanam, & quæ per longiora interualla fiunt Galen. nūquam viderit. Sed si non sunt harum febrium cōstitutiones certæ, qua ratione considerandum, quibus circuitibus iudicentur? Certe consideratis mutationibus, quæ secundum cōcoctiōnem in excrementis fiunt, quamquam in variis ægrotis, varix ad modum constitutiones cōtingant. In quouis homine non multum errabimus à vera constitutionis præsentione.

Quatuor-

Quatuordecim agroti, primi Epid.

Ægrotus I.



PHILISCVS qui propè murum decumbebat, primo die febris acuta, inuasit, sudauit in noctem laboriose, secundo omnia exacerbata sunt. Vespero verò post clysterem bene habuit, noctem quiete transegit. Tertio vsque ad meridiem videbatur factus sine febre. Deinceps verò febris acuta cum sudore, Siticulosus, arescebat lingua. Minxit nigrum. Nox laboriosa. Non dormiuit. Omnino delirauit. Quarto omnia exacerbata sunt. Urinam nigram reddebat. Noctem minus molestam. Urinas melioris coloris. Quintò circa meridiem, parum de naribus stillauit syncerum. Urinae autem variæ, habentes pendentia quadam, rotunda, similia semini, sparsa. Non sudauit. Apposito autem balano, exigua & flatuosa exierunt. Noctem laboriosè transegit. Somni exigui, verba, delirium. Omnia extrema frigida, non amplius recalescentia. Minxit autem nigra, dormiuit parum. Die iam obmutuit, sudauit parum. Extrema liuida: ad meridiem obiit sexto die. Huic autem spiritus ad finem vsque velut recordanti, rarus & magnus. Splen intumuit tumore rotundo. Sudores frigidi vsque ad finem. Paroxysmi paribus diebus.

NON contentus Hippocra. generatim docere quæ illa tempestate acta sunt, singulares quasdam historias scribit, maioris exercitationis gratia. Philiscus hic, vnus eorù apertè est, de quibus paulo ante ita scripserat: Ergo cum febres arden-

ardentes inciperent, significabant quibus lethalia impenderent. Et reliqua omnia enim quæ illic dixit, multis per febres ardentes euenisse, hic dicit accidisse Philisco, qui ex ipsa narratione palam fit, laborauit febre ardente, perniciosa, & acutissima, & quæ per dies pares mouebatur (est hic ille Philiscus Antagorei filius, cuius nuper meminere, die sexto mortuum dicens) quia ergo ardens ex bile erat, alternis diebus fiebat grauior, & quia per pares mouebatur, secundo, quarto, & sexto magis. Primo autem, & tertio, & quinto, leuior videbatur. Quia lethalis morbus, mori finitus est: sexto die, quia acutissimus, & per pares mouebatur. Nam si moueretur per imparés, attigisset septimum, qui acutissimorum finis est. Sed percurramus omnia verba. Primo die fuit febris acuta, ita enim dicebatur antea, iis quibus lethalia impenderent, statim incipientibus, febris acuta. Sudauit in noctem, hoc est per totam noctem primi diei, laboriosè. Sudor sanè omnino malus, & prauam affectionem significans. Nam intempestiuus, cum primo die, & tam longe à tempore iudicationis fieret, & sine tolerantia (laboriosè enim dicit) & sine conferentia, cum dicitur, secundo omnia exacerbata sunt. Esse autem omnia secundo die exacerbata, & vesperi post clysterem bene habuisse, & tertio vsque ad meridiem videri factum sine febre esse, nihil est aliud, quàm esse febrem tertianam continuam, & diebus paribus habere exacerbationes. Diximus enim prius eas febres moueri per pares, quarum periodi singulæ summos vigores habent paribus diebus, antecedentibus autem imparibus incrementa longa, & in fine ipsorum parium, & initio imparium subsequentiū, decrementa breuiora. Dico autem impares antecedentes, vt primus antecedit secundum: subsequentes, vt tertius secundo succedit. Primus ergo circuitus Philisci, acerbissimam partem secundo die habuit ad meridiem, cœpit inclinare vesperi (quare Hippocrates clystere vt iussit, vt in inclinationibus fit) durauitque ea inclinatio vsque ad meridiem diei tertij, qua hora verissimile est febrem, primo die incipisse (quamquam Hippocrates horè non meminerit) à meridie tertij diei cœpit febris acuta cum sudore vt à principio. Fuit homo siticulosus, lingua ardebat. Nimirum credebant iam cum febre ardente propria illius symptoma-

ta. Habuit enim hæc febris in primo circuitu totum principium vniuersale. Quo proinde verissimile est, vrinam cruditaris signa habuisse, in secundo, incrementum. Proindeque incæpit vrina habere signa contraria concoctioni, fierique nigra. Nox tertij diei fuit laboriosa, velut primi, & aliquanto plus, quia crescebat iam malum. Quare non dormiuit, & delirauit omnino, aperteque hætenus enim imminentis delirij notas habuerit, magis quã apertè delirauerit. Quarto sunt omnia exacerbata. Dixerat enim paulo ante, de signis quibus hac tempestate moriebantur, edisserens, quarto die dolores maximi: vrinam nigram tunc quoque reddebat, noctem tamen diei quarti habuit minus molestatam, & primas quinti diei vrinas melioris coloris, & mox stillas sanguinis de naribus. Quæ mutatio, quem non eorum qui non sunt admodum periti, deciperet, putantem, septimo die futurum bonum iudicium, siquidem quartus mutationem excrementorum in melius fecerat? Cæterum medicus prudens & non inexpertus, considerans totius morbi figuram, haud multum fideret quieti illius noctis (respondebat enim quieti secundi diei) neque quidem, considerans reliqua omnia, quæ lethaliter affectum hominem indicabant, fideret meliori vrinæ colori, recordatus illius sententiæ. Non oportet multum fidere bonis, quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim horum durare non solent. Expectaret ergo medicus mutationem, quam mox meridijs diei quinti cœpit afferre. Stillauit parum de naribus syncerum. Stillas huiusmodi vituperat millies Hippocrates & in perthetico stillas quarto die factas quales hæc fuerant. Nam ante meridiem quinti. Dies autem incipiebant à meridie: sed quod merum dicit stillasse, intelligit Galenus nigrum, quia rubrum, qualem merum sanguinem esse oportet, non putat significare grauem affectionem. Ego verò intelligo Hippocratem dicere quæ dicit. Stillare autem sanguinem purissimum, nihilo melius erat tunc temporis, immò verò fortasse etiam deterius. Quia præterquam quod euacuatio erat quantitate & tempore mala, non euacuabantur qualia oportebat, sed qualia non oportebat. Vrinx varix sunt factæ, colore, & substantia, vt varia iam excrementa significarentur: quædam similia semini, ex succis crudis: rotunda, ex vrente calore: pendentia & sparsa, ex flatu fieri cœperunt.

experunt. Non sudauit eo die, vt primo & quinto fecerat
 sed apposito balano exigua & flatuosa exierunt. Nimirum
 illo die, non tam biliosa, quam cruda & flatuosa visa sunt.
 Accidit enim in omnibus ferè illa tempestate ægrotantibus,
 duplicia excrementa moueri. Noctem quinti die illa
 fuit grauissimam, respondentem scilicet nocti primi, &
 tertij, & grauiorem, vtpote homine iam debiliori, & morbo
 facto maiori. Quare somni exigui, verba, delirium. Hoc
 est, per totam noctem loquebatur multa, & delirabat: quod
 quidem est, multum delirare. Omnia extrema frigida (hæc
 est caput, manus, ac pedes) non recalescebant iam ob debilitatem
 naturalis caloris. Appetente iam diluculo, mimæ nigra, &
 dormiuit parum, die iam obmutuit. Quod quidem propè
 mortem iam constitutis accidere consuevit, & si morbus non sit
 eorum aliquis, qui ad neruos aut musculos pertinet: sed illud fieri
 suspicor, per extremum lapsum eius facultatis, quæ thoracem
 mouet, & per magnam conturbationem hominis, vt solent
 quidam, ex repentino timore, aphony fieri. Die sexto ad
 meridiem obiit, quia tunc fuerat semper omnibus diebus
 paribus grauissima, acque difficillima hora. Huic dicit
 fuisse semper ad finem vsque spiritum magnum & raram, velut
 recordanti, hoc est velut solet esse ei, qui velut oblitus raras
 facit, & velut recordatus, magnas respirationes. Nimirum
 hic delirauit toto morbo, si quando enim videbatur sapere,
 tamen tunc quoque erat velut attonitus, sui oblitus. Quod
 quidem etiam genus quoddam delirij est, & illum spiritum
 facere potest. Nam si quis febre carens, cogitans tamen
 attentius aliquid, rarius ac vix respirat, velut solet mihi
 legenti accidere, cur non febricitanti sine manifesto delirio
 ob obliuionem nonnunquam accidat? Splen (inquit) intumuit
 tumore rotundo. Quid autem est aliud, cum magna febre, quæ
 destituta extremis vtebat viscera, rotundum splenem habere,
 quam phlegmonem atqui, quando quidem figura tumoris manu
 agnoscebatur, manus phlegmon fuerit, alioquin superpositæ
 partes prohibuissent. Itaque Philiscus non tantum habebat
 febrem ardentem, sed phlegmonem etiam in hypochondrio
 sinistro. Neque proinde febris erat accidens (erant enim
 excrementis multa putridæ febris signa) sed laborabat de
 plici

placidi morbo, febre, & phlegmone. Neque quidem hæc
 typhiria. Fuiſſet enim extremorum frigus nõ superueniens,
 ſed pathognomicũ. Sed erat hæc febris maligna, in gene-
 re earum quæ vocabantur a veterrimis elodes (ſudabat in
 aſidue magno cum periculo) & typhodes, ſuccendebatur
 enim viſcera. Verum conſiderari hoc loco velim (quod
 veriſſimum eſſe puto) perrarum eſſe febres hmõĩ acutiſſi-
 mas, & pernicioſiſſimas fieri, ſine interna aliqua affectio-
 ne. Quare nunquam omittenda cura hypochondriorum,
 & thoracis, capitis, & vteri, & renum & veſicæ, vt omni ra-
 tione inueſtigemus, quæ harum partium inſigniter labo-
 ret, & ei, quoad fieri poſſit, ſubueniatur.

Aegrotus II.

Silenum qui apud Platamonem propè Eualcidem ha-
 bitabat, ex laboribus, & potationibus, & exercita-
 tionibus intempeſtiuis, febris corripuit. Capit aut̃ ſimul
 dolere lumbis, & capitis grauitatem habebat: & ceruicis
 erat contentio. Ex aluo autem primo die bilioſa, ſyncera,
 ſpumofa, copioſè multa eſſuebant. Vrinæ nigræ, nigram
 hypotaſim habentes. Siticuloſus, lingua arida, nocte nihil
 dormiuit. Secundo febris acuta, deiectiones plures, tenuio-
 res, ſpumofa, vrina nigræ. Noctem difficulter tulit, parum
 dormiuit. Tertio omnia exacerbata ſunt, hypochondrij
 contentio, ex vtroque, ſubmollis, vſque ad vmbilicum
 protenſa. Deiectiones tenues, ſubnigræ, vrina turbata, ni-
 gra. Noctẽ nihil dormiuit: ſermones multi, riſus, non pote-
 rat ſe continere. Quarto cum eis eiſdem. Quinto deiectio-
 nes meræ, bilioſæ, leues, valde pingues. Vrinæ tenues, pel-
 lucidæ, paucę. mente conſtitit. Sexto circa caput parum ſu-
 dormiuit. Extrema frigida, liuida. magna iactatio. Ex ven-
 tre nihil exibat. Vrinæ ſuppreſæ ſunt. Febris acuta. Se-
 ptimo die ſine voce. Extrema non amplius recaluerunt.
 Mortuus. Oçtauo ſudauit frigidum de toto cor-
 pore.

pore. Exanthemata cum sudore, rubra, rotunda, parva
 velut permanebant: non faciebant abscessum. Ex alba
 irritatione parua stercora tenuia, velut cruda multa, re-
 debantur cum dolore. Mingeat cum dolore, mordacia
 syncera, pauca, recalescebat. Somni tenues, comatosi
 obmutuit. Urinæ tenues, perspicuæ. Nono cum iisdem
 Decimo potum non capiebat. Comatosus. Somni autem
 tenues, à ventre autem similia. Mingeat confertim
 crassum, subsidens. Sedimentum farinæ simile, album
 Extrema rursus frigida. Undecimo obiit. A principio
 huic usque ad finem, spiritus magnus & rarus, hypochondrii
 palpitatio perpetua, ætas circiter vigesimum
 annum.

Hic Silenus laboravit, quantum intelligo, febre
 dente, habente exacerbationes diebus imparibus. Quam
 quam id obscure, ob morbi magnitudinem, nunquam
 rum affligentis. Habuit cum febre magnum erysipelas
 in toto hypochondrio, a septo transverso usque ad um-
 bilicum, per utrumque latus. Caput autem apparere
 primo morbi die, sed a tertio. Hoc enim est quod
 cit. Hypochondrii contentio ex utroque latere usque
 ad umbilicum, submollis, hoc est sine duro tumore, que
 possemus manu inuenire. Erat enim potius ardor
 fluxione, quam tumor: faciebat autem tensionem erisipelas,
 partim fluxione, partim siccatione, quam ijs locis
 faciebat bilis. Ardorem illic maximum, vrentemque
 se, palpitatio perpetua hypochondrii, indicabat. Vocatur
 enim, ut multis alijs in locis, palpitationem, non que
 Galenus, motitationem ab incluso flatu, sed pulsationem
 quo in prognostico dicit: Si pulsus in hypochondrijs
 pareat, perturbationem, aut furorem significat. Erat
 ergo pulsus arteriæ incumbens spinæ, apprensus, ob
 gens eius loci incendium. Delirium verò, & contentio
 significabant, serpere etiam erysipelas in septum transverso
 Hæc erat essentia huius morbi, quo multi hoc anno Cæ-
 pluti laborauerunt, Neque mirum, fuit enim apud
 huc

huc usque, huius sexagesimi primi anni constitutio, ei quam nuper descripsit Hippocrates simillima: fuitque proinde duplex succi idea in morbis, pituitæ, & bilis. Ergo in ætatis initio caperunt biliosa irruere in quasdam partes, cum autem in supremas suo more reperent, depressa a pituitosis, hypochondrijs haferunt. Habebant omnes hoc morbo laborantes, hæc omnia, quæ Silenus, & præter hæc, vomitum etiam, teænte arbitror erysipelate etiam ventriculum. Sed percurramus omnia quæ acciderunt Sileno. Febre correptum dicit, ex exercitationibus nimijs & intempestiuis & potationibus. Narrat occasiones, siue causas manifestas febricitandi, non inutiliter. Multum enim præstat huiusmodi causarum cognitio, ad effectus cognitionem. Natæ certè erant hæc causæ facere crudorum succorum, & biliosorum redundantiam, simul cum obstructionibus. Labor quidem bilem auxerit, præcipue in tam calida tempestate, potationes, cruditates, intempestiui motus, obstructiones, cum per totum corpus, tum vel maximè in hypochondrio. Merito ergo cepit febricitare cum dolore lumborum, & capitis gravitate, & colitione, multis excrementis per partes effusis. Ex aluo primo die, biliosa, syncera, & spumosa, copiosè multa, effluebant. Euacuatio tempore & qualitate pessima. Nam in prognostico scriptum est, Si admodum flua, aut spumans, deijciatur, hæc omnia mala sunt. Urinæ vero fuerunt longe pessimæ, nigræ enim, & nigram habentes subsidentiam. Siticulosus (inquit) erat, & lingua arida. Nimirum hæc sunt febris ardentis signa. Nocte nihil dormiuit. Incipiebat, scilicet, cerebrum iam affligi a bile, qua afflictione crescente, secundo die fuit perurgilium cum delirio, & deiectiones, plures etiam quàm primo die, similes tamen: ut & urinæ. Tertio omnia exacerbata sunt. Quia præterquam quod crescebat iam morbus, per impares mouebatur. Cæpitque iam hypochondrij erysipelas apparere, & deiectiones, atque urinæ, fiebant deteriores. Deiectiones enim pro biliosis & spumosis, tenues, & subnigræ, urinæ, pro nigris tenuibus; turbatæ nigræ. Dico autem has esse deteriores, quia multo maiorem nigrorum succorum copiam iam indicabant. Nocte nihil dormiuit. Multa loquebatur, quod insanix est. Ridebat,

debat, ut non se posset continere. Si hic risus per demen-
 tiam fiebat, profecto secura videbatur esse hæc dementia,
 siquidem cum risu fiebat: quare cum tam longe abesset
 homo a secura affectione, suspicor non tam fuisse risum
 ex motu animi natum, quam impotentiam quandam con-
 tinendi septum transversum, ob calorem partium ad eam
 regionem pertinentium, aut ob motum conuulsium ip-
 sius septi. De qua risus specie lib. 5. controuersiarum cap.
 nono differuimus. Hoc symptoma est, quod ut significet
 Hippocrates dicit, risus, non se poterat continere. Atque
 hoc quoque symptoma nascebatur ex calore circa hypo-
 chondrium, & septum. Cui loco proinde admoûda erat
 tunc temporis frigida epithemata. Quarto die transegit
 cum his eisdem. Quinto deiectiones meræ, biliosæ, leues
 valde pingues. Leuitas & pinguedo magna, colliquationes
 magnam significabant, atque adeo declarabant, spumosa
 quæ primo die apparere cæperunt, vi caloris esse facta,
 solet in feruentibus ollis. Urinæ huius diei fuerunt
 nunes, & pellucidæ, & paucæ. Quod ex turbatis nigris
 ratione fieri potuit, nisi raptabile in superiores partes
 rum autem quod cum his urinis cæpit mente cõltare, cum
 soleat, ijs apparentibus, quod non est, fieri, & quod est, ag-
 geri, delirium). Quid enim aliud sibi vult Hippocrates,
 cens, urinæ albæ perspicuæ malæ, maximè si in delirantibus
 bus appareant? Sed tamen qua ratione fieri in Sileno de-
 iectem, audi: cum bilis, atque adeo, maligna omnia exci-
 menta, per debilitatem facultatis & malo in deterius eue-
 re, sursum reperent, tamen ab inflammatis hypochondrijs
 in media via interceptabantur. Proinde apparere cæpe-
 runt urinæ perspicuæ, & homo nihilominus mente con-
 stitit. Tamen aucto magnopere malo, quod obsidebat
 hypochondria, omnia lethalia signa ab ea die aucta ma-
 gnopere sunt, & mortuus esset homo celerrimè nisi quæ
 exanthemata varis similia (vocat variolas) oborta, libe-
 rare omnino non valentia, tamen mortem retardasset.
 Nam die sexto sudauit parum circa caput. Quod genus
 sudoris magnopere in prognostico vituperatur; extremæ
 fuerunt frigida, & quod est multò grauius, etiam liuida.
 Fuit magna iactatio. Ex ventre nihil exibat: & urina
 suppressa sunt: & febris acuta. atque ex his ipsis sympto-
 matis

matis coniecto varis similia exanthemata, hoc sexto die
 orta esse. Nam referens quæ octauo die contigerunt, di-
 cit, exanthemata permanebant. Hoc autem verbum aper-
 te significat non esse facta tunc primum: sed aliquot ante
 dies. His autem nascentibus, nihil magis sentitur, quàm
 anxietas quædam maxima, & iactatio. At qui supprimi
 euacuationes consuetae solent, cum natura in partem aliam
 tentat nouum motum. Febris autem, cum hæc excerni in-
 cipiunt, mirum in modum crescit. Septimo die obmut-
 uit, & extrema non amplius recaluerunt, & nihil minxit.
 Atqui si meminimus eorum quæ Philisco acciderunt, mi-
 rum est quòd hoc die septimo non sit extinctus, tamen ve-
 rissimile est durasse hominem vsque ad vndecimum, quia
 cum robusta facultate ægrotare cepit, & quia maxima pars
 biliosorum excrementorum, quæ malignam habebant
 qualitatem, ad cutem abscessit, quo factum est, vt reliquo
 morbo symptomata, pituitæ motum magis, quam bilis,
 significauerint. Nimirum octauo sudauit frigidum de toto
 corpore, quod quidem commotis cum bile pituitosis, fa-
 ctum puto: velut & somnos comatosos, vrinas, nunc tenues
 & perspicuas, nunc habentes multum sedimentum farina-
 ceum. Dicit, simile farinæ, album, quia est aliud farinaceum
 nigrum, quod & orobinum dicitur. Verum non omnino
 conuenit post septimum diem bilis, alioquin fortasse li-
 beratus esset homo: sed ipsa exanthemata præse ferebant
 signa vtriusque succi, bilis quidem, quia rubra: pituitæ, quia
 rotunda, & velut vari: pituitæ autem contumacis, quia non
 faciebant abscessum: & bilis non probe euntis, sed recur-
 rentis, signum præbebat irritatio illa, & excretio cum do-
 lore, stercoris, tenuis, ob cruditatem, & mictus syncerus
 cum mordacitate. Cum his productus est morbus vsque
 ad vndecimum, quo obiit. Hunc dicit habuisse à princi-
 pio ad finem, spiritum magnum & rarum. Dictum autem
 est à me antea, esse hoc mentis alienatæ, & si sine ma-
 nifesto delirio fieri possit. Pulsus magnus in hypochon-
 drio, incendium illius loci significat. Vituperatum au-
 tem est id signum magnopere ab Hippocrate in prognos-
 tico.

HEROPHONTI febris acuta. à ventre pauca, qualia per tenesmum solent, inter initia. Post hæc autem tenuia deiecit, biliosa, copiosa. Somni non erant. Urinæ nigrae, tenues. Quinto die mane surditas. Exacerbabantur omnia, lien intumescerebat. Hypochondrij contentio. Ex aluo pauca nigra exhibant. Desipuit. Sexto delirauit: sub noctem sudor, refrigeratio, delirium permanebat. Septimo circumfrigeat sitiens, desipiebat. Ad noctem redijt in mentem, dormiuit. Octauo febricitabat, lien subsidebat. Intelligebat omnia. Doluit secundum bubonem primum, secundum rectitudinem lienis: deinde dolores in ambas tibias. Noctem facile tulit. Urinæ melioris coloris, subsidentiam habebant exiguam. Nono sudauit, iudicatus est. Intermisit. Quinto repetijt. Statim eorum splen intumuit, Febris acuta, Surditas rursum. Post recidiuam autem tertio splen subsedit. Surditas minor. Crura dolebant. Noctem sudauit. Iudicatus circa decimum septimum: neque delirauit in recidiua.

HEROPHON hic, vnus quidam eorum est, quos nuper dixerat, ex febre ardente, decimo septimo die cum recidiua iudicatos fuisse secundum rationem, & liberatos. Monebatur hæc febris per impares. Talibus enim diebus exacerbatur, & iudicata est, cum imperfectè, tum etiam perfectè. Habuit vsque ad nonum diè signa quæ timorem magis afferebant, quam spem. Nam cum euacuationibus tentatis in primis (vt solent per tenesmum) deinde fluentibus, tamen tenuibus, biliosis, & intempestiuis, & cum peruigilio, urinæ erant nigrae & tenues: quæ mortales esse solent. Tamen quia nonus dies attulit signa concoctionis manifestæ (urinas enim melioris coloris cum exigua subsidentia) meritò factum est, vt homo euaderet, atq; adeo secundum constitutionem legitimam. Euasit enim decimo

decimoseptimo, ad quem à nono, tantum tempus est, quantum ad nonum à primo. Sed quia alia ex parte difficilimi morbi erant signa, alia ex parte salubriter affecti hominis, contigit vt difficili iudicio, & non sine reciduiis, ac cum multis abscessibus, homo euaderet. Abscessus autem decurrerunt vt oportuit, quo homo liberaretur. Nam à supernis ad inferna semper, & à nobilioribus ad ignobiliora semper permutatio procedebat. Nam imprimis fuit surditas. A surditate tumor lineis, ab hoc dolor inguinis sinistri (quæ rectitudo ad purgationem lienis multum fecit, & cursum quem ceperat natura tenere aperte iudicauit) deinde dolores in ambas tibias. Atqui non in alteram solum. Nam ambo crura, & ambæ manus, ob ignobilitatem sunt vtriusque lateris viscerum emunctoria: quanquam non æquè vtrorumque. Constat autem illum lineis tumorem in Herophonte, non fuisse phlegmonem. Alioqui si ex phlegmone eius visceris fuisset tantus tumor, non tam facile subsedisset, & recurrisset. Sed succus per lienem, cursum cepit, & fecit abscessum, atque adeo cum hoc factum sit, minus iam est inopinabile, etsi vrinæ nigræ tandiu durauerint, seruatum esse hominem. Nam crassi melancholicique succi verisimile est fuisse multum, cuius redundantia, siue maligna corruptione potest tales vrinæ parere. Neque scio an in omnibus ægrotis, quorum in epidemijs mentio fit, aut alibi, ab Hippocrate sit qui cum habuerit vrinam nigram superfuerit, quin causam nigræ speciei præstiterit species succi. Mirumque nisi Herophonti durus tumor in liene superfuit ex crassa succi parte, cum tenuis exudata sit, cum, sudore noni, tum etiam eo, quem hic indicauit futurum decimo septimo: qui omnino febrem substulit.

Aegrotus IIII.

IN Thaso Philini vxorem quæ filiam pepererat, & secundum naturam purgatione facta, & cum alia leuiter transigisset, exactis quatuordecim diebus à partu,

H 2 ignis

ignis corripuit cum rigore. Dolebat autem cor in initio, & dextrum hypochondrium. Dolores muliebrium. Purgatio cessauit. Apposito autem balano hæc leniora sunt facta. Capitis autem & colli & lumborum dolores permanebant. Sonni non erant. Extrema frigida. Siticulosa. Venter vsus est. Pauca deiecit. Urinæ tenues, & decolores, in initijs. Sexto die ad noctem delirabat multa, & rursus ad mentem redijt. Septimo siticulosa. Deiectiones biliosæ, crebræ. Octauo riguit. Febris acuta: conuulsiones cum dolore. Multa delirabat. Surgebat. Apposito balano multa deiecit cum fluxu bilis. Sonni non erant. Nono conuulsiones. Decimo nonnihil sapuit. Undecimo dormiuit: omnia recordata est: cito autem rursus delirauit: minxit autem cum conuulsionibus confertim multum, rarò, admonentibus, crassum, album, quale fit in subsidentibus, cum perturbatur. Repositum multum tempus, non subsidebat. Color & crassities qualis fit in iumentis: Talia mingebat, quæ ego vidi. Quatuordecimo die, dolores per totum corpus. Verba multa. Nonnihil sapuit: cito autem rursus delirauit. Decimo septimo obmutuit, vigesimo obiit.

NON dubium est vxori Philini superuenisse causam aliquam manifestam febricitandi. Alioqui, cum per quatuordecim dies secundum naturam processisset expurgatio, non febricitasset. Partus enim naturalis, bonusque fuit, si quis alius: nam sine symptomatis, quæ non ferrentur leuiter, dicit ritè esse expurgatam. Merito ergo computat dies decretorios à febre, quanquam in prognostico à partu fieri debere affirmet. Verum explicuit in controuersijs illud intelligi, cum videtur partus causam febricitandi præstitisse. Quanquam autem à principio partus non fuerit malus, tamen cum in medio partu (totum tempus naturalis expurgationis partum voco) febre

febre correpta fuerit, non potuit non habere, quæ
 per malos partus febricitantes habere solent. Ab eo
 enim die partus bene procedere desijt. Habuit ergo
 in vtero erysipelam, id quod dolores muliebrum, &
 vstio in ventre, significabant. Hæc autem facta sunt,
 quia purgatio cessauit. Recurrente autem sanguine in
 hepar, doluit dextrum hypochondrium, quod quia do-
 luit, febris erat ardentissima, & mulier fiticulosa, con-
 sentaneum est phlegmonem habuisse: fuisseque in mu-
 liere duas affectiones internas, phlegmonem in hepa-
 te; & in vtero erysipelam. Atqui aliorum sympto-
 matum, quædam affectionem vteri, quædam hepa-
 tis, quædam vtriusque partis indicabant. Rigor e-
 nim, & cordis, hoc est oris ventriculi, dolor, ijs
 quæ febricitant a partu, familiares sunt, ob consen-
 sum ventriculi & neruorum cum vtero. Capitis, &
 colli, & lumborum dolores, detentis, aut male erum-
 pentibus menstruis purgationibus, fiunt. Sitis, ve-
 hementiam febris, & phlegmonis, sequebatur. Fri-
 gus extremorum, magnitudinem phlegmonis, & na-
 turalis caloris extinctionem. Peruigilium & delirium,
 læsionem magnam cerebri. Quoniam verò morbus
 non erat vera phrenitis, neque delirium fuit perpe-
 tuum, sed quibusdam diebus incidens. Conuulsio-
 nes autem, quæ nono die ceperunt multum iam pro-
 gredi, cerebri læsionem, & neruorum omnium, de-
 clarauerunt. Maxime cum octauo antecesserit rigor
 ille intempestiuus (quia neque cocto morbo, neque
 in die decretorio) qui malignam materiæ qualitatem,
 & neruos tentari, ostendit. Habere hanc mulierem
 grauissimè, illa erant maxima signa, quæ lethalia ap-
 parebant, velut deliria magna & conuulsiones perseue-
 rare, ac crescere in dies, acsi quando viderentur recessis-
 se, statim recurrere: & ab euacuationibus spontaneis, &
 ab euacuatorijs auxilijs, quibus inter initia iuuari ceperat,
 procedente iam morbo nihil iuuari. Nam in primis
 diebus apposito balano (balanum enim intelligit vbi
 dicit, apposito autem hæc leuiora sunt facta) iuuari uisa
 est. Octauo tamen die, cum apposito rursus balano multa

biliosa deiecerit, adeo non est iuuata, vt ea nocte non dormiuerit, & nona conuulsa rursus sit. Fuerant autem septimo etiam deiectiones biliosæ crebræ. Quod vndecimo euenit, minxisse scilicet cum conuulsionibus, multum raro, admonentibus, nihil est aliud, quam eo die habuisse duo hæc symptomata, conuulsionem, & mictum, rarum & copiosum, & tunc solum cum admonebatur. Hoc verum erat, conuulsio & delirium. Nam quia mens ægrotabat non sentiebat vesicæ dolorem & pondus, ac proinde non mingebat nisi admonita, tunc verò multum, quia per intervallum longum, multum congestum erat. Conuulsiones autem cum tanta mentis alienatione, vide quam malè affectum esse cerebrum significarent. Species autem vrinæ capitis etiam laborem monstrabat. Nam in aphorismo dictum est, vrinas perturbatas, quales in iumentis esse solent, dolorem capitis, præsentem aut imminentem significare. Oportet autem ob vires dierum decretoriorum, confidere, per quaternarios accepisse morbum mutationem insignes. quatuordecimo enim, & decimo septimo: atque quia quod decimo septimo euenit, grauissimum fuit (ob mutescencia enim, quæ nisi cum ob paralysim fit lingua, vicinis iam morti solet accidere) non potuit ultra vigesimum viuere. Hunc enim diem decimus septimus indicat, vt in controuersijs dictum est. Vbi illud etiam generatim indicauimus, intra vigesimum, omnes quaternarios, eorum, qui proximè sequuntur indices. Excrementa in hac muliere habuerunt, quod & in plerisque ægrotis huius tempestatis, bilis & pituitæ significationem, deiectionum enim, bilis: vrina, pituitæ.

Aegrotus V.

Epicratis uxorem, quæ decumbebat prope Archegorem, vicinam iam partui, rigor fortis apprehendit. Non incaluit, vt ferebant, & sequenti die, eadem. Tertio autem die, peperit filiam, & alia omnia venerunt secundum rationem. Secundo die post partum, apprehendit eam febris acuta, cordis dolor, & muliebriū. Somni non erant sequenti

ſequenti quidem hæc facta ſunt leuiora. Capitis autem & colli & lumborum dolor. A ventre autem pauca bilioſa tenuia reddebat, ſyncera, vrinæ tenues ſubnigræ. Ex quo autem eam febris arripuit in noctem ſexto delirauit. Septimo omnia exacerbata ſunt, ſine ſomno delirauit, ſiticuloſa: deiectiones omnes bilioſæ ſubrubræ. Octauo riguit, dormiuit plus. Nono cum iſdem. Decimo crura cum labore dolebant, cordis ruruſum dolor. capitis grauitas, nõ delirauit. dormiuit magis. venter reſtitit. Vndecimo ſudauit. Minxit vrinas melioris coloris, ſubſidentiam habentes copioſam, leuius habuit. Decimo quarto riguit, febris acuta. Quindecimo vomuit bilioſa: frigida, ſubcrebra, ſudauit, ſine febre fuit, in noctem autem febris acuta, vrinæ crassiſſitiam habentes. ſubſidentia alba. Decimo ſexto exacerbationem nocte habuit, & cum difficili tolerantiâ, non dormiuit, delirauit. Decimo octauo ſiticuloſa: lingua aruit, non dormiuit: delirauit multa. dolebant ei crura. Ad diem autem vigefimum, manè parum riguit, comatoſa, quieta dormiebat, uomuit bilioſa, pauca & nigra: In noctem ſurditas. Circa vigefimum primum autem lateris ſiniſtri grauitas per totum cum dolore, parum tuſſiit, vrinæ autem crassiſſitiam habentes, turbidæ, ſub rubræ, repoſitæ non ſubſidebant: Cætera autem leuius habebat, non ſine febre. Statim à principio in larynge dolorem & ruborem habuit, & gurgulionem reuulſum, fluuio acris, mordax, ſalſa, vſque ad finem perſeuerabat. Circa vigefimum ſeptimum ſine febre. Vrina habuit ſedimentum. Latus nonnihil dolebat. Circa trigefimum quartum, febris eam corripuit. Venter bilioſis, turbatus eſt. Quadragefimo vomuit pauca bilioſa. Iudicata eſt perfectè. Et à febre liberata eſt octogefimo.

CUM diceret vxorem Epicratis duobus diebus ante partum

partum correptam esse rigore, ex quo non febricitauerit postea, addidit, ut ferebant: quæ verba dubitantis esse putat Gale. quia scripserat alibi, mala porro super mala eueniunt, ut post rigorem febris: insinuans, scilicet, non posse rigorem fieri, cui febris non succedat. Ego verò non omnino nunquam fieri posse, arbitrò Hippo. affirmasse, sed non nisi rare & quibusdam ex causis. Inter quas, præcipua est, crudorum succorum redundantia: addidisse verò illud, ut ferebant, veritatis causa: quòd non viderit: sed audiuerit à familiaribus mulieri. Verisimile est enim, non esse accersitum medicum usque ad diem secundum post partum, quo febre est correpta. Quamquam morbus non tantum à die quo est enim initium habuit motus, ac proinde etiam cõputationis: sed & à die quo riguit. Nam ab eo die cepit iam parere, cum symptomatis, partus grauioris, & minimè naturalis. Iudicium autè est à me in cõtrouersis illud à die quo peperit, est à die quo cepit parere. Ergo dies quo primo febricitare cepit, erat iam quintus totius morbi. Non enim febricitauit sequenti die post partum, sed post diem partus, secundo. Quare iudicatus putetur octogesimo quarto, quia à febre octogesimo. Atqui, quasi insinuet non esse eundem sextum à febre & totius morbi, dixit, ex quo eam febris arripuit sexto, ad noctem delirauit. Si enim legitima computatio esset à febre, ut in aliis, non semper in his diceret à febre, sed taceret. Apertissime hæc quoque habuit signa affectionis vteri, & multitudinis excrementi multiplicis, pituitosæ scilicet & biliosæ: quare & falsi, quin & melancholici. Habuit enim dolores muliebrium, & oris ventriculi, quod antiqui vocabant cor, quæ pars cum vtero statim consentit. Habuit etiam dolores capitis, colli, & lumborù. Quod partium earùdem passioni attestatur, & multitudinem indicat. Iam verò horrores quibus febres non superuenerunt, & coma, quod vigesimo die factum est, crudos succos: perurgilium, delirium, & biliosæ deiectiones, bilem iudicabant. Et dolor & rubor gurgulionis, qui fuit à principio per totum morbum, erat bilis, & falsæ pituitæ. Vomitus niger, & urina crassa, & turbida, sub rubra, & grauitas totius finistri lateris cum dolore, significabant crassum & melancholicum sanguinem. Nam dolor hic grauens, ad lienem præcipue pertinet, excrementis sibi familiaribus refertum. Usque ad vigesimum

decimum diem exigua erat salutis significatio: nam signa passionis erant magna. In excrementis erant, partim cruditatis, partim contraria concoctioni, signa. In genere signorum salutis aut mortis, nullum video fuisse omnino bonum: & fuerunt multa valde mala. Itaque affectio videbatur lethalis: sed quia, ut consentaneum est, facultas fortis fuit, & symptomata fortasse ob laborem partus fuerunt, quam pro morbi magnitudine, maiora, & urinae, quam pro corruptione succorum, deteriores, ob admissionem melancholici excrementi, euasit mulier: sed cum difficili iudicatione, & morbo producto usque ad constitutionem longorum. Undecimo habere cepit signa concoctionis in urina, obscura tamen (tantum enim melioris coloris) fuerant autem subnigræ: quare haud multum erat, esse melioris coloris. Subsidentiam habebant copiosam, qualis ex crudis succis fieri solet, nihilominus hæc fuit mutatio in melius. Decimo quarto fuerunt iam in urina signa manifestæ concoctionis. Urinae enim (inquit) crassæ cum subsidentia alba. Multo autem plus est habere crassitiem substantiæ quam colorem meliorem. Nam cum Hippocrates dicit crassas, non addens perturbatas, coctas intelligit. Merito ergo iuxta legem constitutionis legitimæ, iudicata est febris vigesimo septimo: sed, ob dictam causam, iudicium non fuit perfectum. Imò quia symptomata quædam durarunt, ut lateris dolor, repetiit ex acta alia septimana, trigesimo quarto, quo etiam deiectiones biliosas habuit, & quadragesimo vomuit. Nihilominus febris est producta ad octogesimum. Non mirum, si quisquam vigesimo primo die pleuritidem superuenisse suspicaretur. Habebat enim febrem perpetuam, & accidit lateris dolor cum tussi. Tamen non esse veram pleuritidem, plane intelligeret ex doloris specie. Grauians enim erat, non pungens. Atque quia ad totum latus pertinebat, non tantum ad thoracis partem, manifestum fiebat, aut ad hypochondrium cui omnia alligata sunt, pertinere, aut per totum latus causam esse effusam.

Aegrotus

Aegrotus VI.

Cleonactidem qui supra Heracleum decumbebat, ignis arripuit erraticè. Dolebat autem capite a principio & sinistro latere, & aliarum partium labores, ut quæ lassata sunt. Febres exacerbationem habebant alias aliter sine ordine. Sudores quidem nunc erant, nunc non. Maxima ex parte incidebant paroxysmi in dies decretorios præcipuè. Circa vigesimum quartum autem doluerunt ei extremæ manus: vomuit flava biliosa alias, satis multa paulo post saniosa omnia: subleuata sunt. Trigessimò iam die cepit a naribus sanguis fluere ex ambabus, & hæc erraticè paulatim vsque ad iudicium. Non abhorruit autem a cibo, neque sitiit per totum tempus, neque somno caruit. Urinæ tenues non sine colore. Quadragesimo autem minuit subrubra, sedimentum multum subrubrum habentia. Subleuatus est. Post hæc autem variarunt urinæ: nunc quidem sedimentum habebant, nunc non. Sexagesimo urinæ sedimentum multum, & album, & leue. Remissa sunt omnia. Febres intermittebant. Urinæ autem rursum tenues sed boni coloris. Septuagesimo sine febre fuit. Intermissit dies decem. Octogesimo riguit. Febris eum arripuit acuta, sudauit multum. Urinæ habuit sedimentum rubrum leue. Perfectè iudicatus est.

HÆC febris fuit erratica continua vsque ad sexagesimum, quo facta est intermittens. Erratica autem continua est, quæ exacerbationes habet erratico modo. Habuit autem ut paroxysmos, ita euacuationes erraticas; sudorem scilicet, & fluxiones sanguinis. Dolor sinistri lateris non erat pleuritis, quædam enim alia symptomata ad fuissent, sed ex adiunctis coniecto ad ventriculi os cruditatibus refertum, eum dolorem pertinuisse, sæpissimè enim id latus

ob

ob ventriculum dolet. Nimirum collocatum est eo loco eius os. Atqui ex huius passione statim dolet caput, ob malos fumos quos recipit: quin & totum corpus dolet, ut quod est defatigatum & lassatum labore, debilitatis scilicet partibus omnibus. Atqui quod 24. factum est, hoc quoque indicat. Leuati enim sunt omnes dolores vomitu biliosorum, & saniosorum. Quæ quidem partim fuerunt biliosa, quæ ob debilitatem partis confluerunt, partim malè corruptus chylus. Neque mirum non ante vigessimum quartum esse euacuata, quæ in ventriculo putruerant. Scimus enim post multò plures dies solere quædam in ventre congesta, expelli. Atqui non abhoruisse a cibo, neque sitiisse, neque caruisse somno, multus & crudus succus faciebat, & frigidus. Neque verò quoniam biliosa euomit è cauo Ventris, non habuit intra tunicas pituitosa. Dolor manuum extremarum, abscessus quidam fuerit, quales solent esse per febres longas, maximè per quas assiduæ a principio, & variæ euacuationes sunt. Velut in hoc. Id enim multitudinis signum est. Accidunt autem maximè abscessus ad articulos per febres laboriosas, cuius modi esse hanc, illa totius corporis lassitudo declarauit. Chyragra ergo censeo tentatum esse Cleonactidem. 24. habuit urinas tenues boni coloris, quales crudo morbo fieri alibi dixit, vsque ad 40. ad hoc cepit habere concoctionis manifestæ notas. Subrubra enim minxit, cum multo sedimento, subrubro. Quare vsque ad octogessimum est productus morbus. Ut hoc quoque sit exemplum legitimæ constitutionis morborum. Quanquam enim ante 80. habuit nonnullas iudicationes imperfectas, perfecte autem non antea habuit. A sexagesimo cepit fieri intermittens. A septuagesimo intermisit vsque ad 80. iam quo cum rigore, & sudore iudicatus est perfecte. Videtur autem medicis. 80. die superuenisse tertiana intermittens: factò enim rigori superuenit febris: febrì sudor, & integra solutio: quæ ipsissima tertianæ figura esse videtur, tamen non ita erat. Sed facultas expultrix mouere incipiens, fecit rigorem. Quia autem hæc non fuit adeo fortis, ut statim rigenti sudor superueniret, hærentibus excrementis per aliquot horas, arsit, vsque dum nouo facultatis impetu factò, sudauit, & iudicatus est.

Aegro-

Aegrotus VII.

ERasimum qui propè Bootæ torrentem habitabat ignis arripuit, post cœnam noctem perturbatam, diem primum quietum, noctem molestam habuit. Secundo omnia exacerbatâ sunt in noctem, delirauit. Tertio cum labore delirauit multa. Quartus fuit molestissimus. Noctem autem nihil dormiuit. In somnia & cogitationes. Deinde peiora & magna, & periculosa, timor, difficilis tolerantia. Quinto mane recreatus est, intelligebat omnia. Multum autem ante meridiem furijt. Continere se non poterat. Extrema frigida subliuida. Urinæ crudæ. Mortuus est ad solis occasum. Huic febres vsque ad finem cum sudore. Hypochondria sublimia. Contentio cum dolore. Urinæ autem nigrae habentes suspensiones rotundas. Non quiescebat, ex ventre autem reddebat stercus. Sitiebat vsque ad finem non admodum. Conuulsiones multa cum sudore. Circa mortem autem vsque ad finem.

Hic Erasinus habuit secundum vtrumque hypochondrium phlegmonem magnum, & multum compatiens cerebro & neruis, tentabatur delirio & conuulsione, adeo vt tandem conuulsus mortuus sit. Atqui quanquam ob acutiem morbi, in dies capientis maximum incrementum, videbatur sequens dies semper fieri deterior hesternis: tamen per pares dies moueri, molestia maxima, quam acculit quartus dies, & signis, quem attulit sextus, iudicantur. Habuit semper urinas nigras, quas crudas vocat, quia non erant coctæ. Non enim tantum crudæ erant, sed contraria etiam concoctioni signa. Quod non admodum sitiebat, nihilo erat melius, præter rationem enim erat. Fuit verò hic Erasinus singulare exemplum, illorum, de quibus dixerat antea, plurimos hac tempestate sexto die mortuos, his fere signis.

Metonem ignis arripuit. Lumborum grauitas cum dolore: Secundo multum aquæ bibenti aluus bene reddidit. Tertio, capitis grauitas: deiectiones tenues, biliosæ, subrubræ. Quarto omnia exacerbatâ sunt. Fluxit a dextra nare sanguis, paululum, bis. Noctem difficulter. Deiectiones quales tertio die, urinas subnigras habebat, in quibus pendebant subnigra sparsa. Non sudabat. Quinto largiter fluxit ex sinistra syncerum. Sudauit. Iudicatus est. A iudicio insomnis erat, delirabat: urinae tenues subnigræ. Balneis secundum caput vsus est: dormiuit, respuit. Hoc non repetijt, sed fluxit sanguis saepe post iudicium.

HÆC Metonis febris ex nullo succo mihi videtur pendisse minus, quam ex pituita. Nam pituitæ nulla habuit signa: sanguinis nonnulla. Siquidem habuit diebus, tertio & quarto, subrubras deiectiones. Flauæ bilis habuit multa: nam biliosas & tenues deiectiones, melancholicæ autem habuit, plurima. Nam eius delirij & peruigilij, quod post febrem solutam habuit constat causam fuisse melancholiam. Nam sine febre non fuit phrenitis. Sed consumptâ per deiectionem & sudorem, cum bile, tum parte melancholicæ putrescente, relicta est multa fex, quæ illorum symptomatum, ut solet, causam præstitit. Hæc ergo, quæ soluta febre subsequuta sunt, aperte declararunt ex nigra bile, magna ex parte, febrem pendisse. Quare consentaneum est, urinas quoque, factas esse subnigras, ob nigrum succum. Quare non est admodum præter rationem, cum urina nigra liberatum esse hominem. Fuit enim ea urina, in hoc, non mortis, sed passionis signum. Hoc idem euenit mulieri morosæ in Thaso, cuius in tertio libro mentio fit. Nimirum cum urina nigra, a melancholica passione liberata est. Verum quanquam nigra bilis præcipuè erat causa, affectus locus hepar erat, magis quam lien. Alioquin fluxio de nare dextera non adeo iuuisset. Est dignum
 hic

hic consideratione, quòd dicit, secundo die multum aquæ bibenti alius benè reddidit, nam quasi reddens causam id dixit. Nimirum alius bene reddidit, quia aquam multam ille bibit. Quod quidem potuit fieri casu, aut medici consilio. Sed utcumque, non dubito iuuisse. Nam deonerando aluum, soluerit lumborum grauem dolorem. Ego quidem sæpe hac parte grauius dolente, cum ob redundantiam in intestinis dolorem ortum coniecto, do bibendam multam aquam cum multo saccharo, aut admisto exymelite, & aut sola hac, aut immiso clystere, molior deiectionem. Fecit autem arbitror ita Hippocrates, in Metone, dixitque, ut nos imitemur. Velut illud, balneis secundum caput vsus est. Non enim profectò ipse sua sponte vsus est, sed Hippocrates iussit. neque in illa occasione excogitari melius auxilium potuit. Quia balneum, ut humida causa, melancholicæ intemperiei per se occurrebat, & conciliabat somnum (quo in melancholicis nihil est vtilius) laxando vias, fluxum sanguinis de naribus, a quo adeo uati omnes sunt, mouebat. Meto certò eo fluxu, adeo inuatus est, ut cum signa concoctionis non antecesserint, tamen quia sæpe fluxit sanguis post iudicium, sine recidua transfegerit.

Aegrotus IX.

CRITONI in Thaso, relictò ambulanti, pedis dolor capitis fortis a magno digito. Decubuit eodem die, horrensus, fastidiosus, parum subcalescens. In noctem delinuit. Secundo tumor per totum pedem, & vsque ad talarium, subrubens, & cum contentione. Pusilla nigra. Febris acuta: insaniit, a ventre autem mera biliosa, copiosa, effluerunt. Mortuus est a principio secundo die.

ACUTISSIMVS exacte, ac perniciosissimus fuit hic morbus, quo mortuus Crito est secundo die, ex quo febris acuta teneri cepit, tertio autem, ex quo dolore digiti pedis correptus est. Nihil mirum, si hic homo podagra tentari primo illo die suspicatus est. Nam ambulanti al-

huc

huc recto, dolor pedis accidit fortis. Tamen illud malum non esse mite, neque fieri, ut solet, ob virtutis robur detru-
 dentis ad articulos, quæ redundant in intimis partibus, sed
 ob venenatam quandam succorum qualitatem, suspitio-
 nem statim præbere cæpit, horridum & fastidiosum fieri
 hominem. Maxime autem suspitionem auxit, delirium pri-
 mæ noctis. Cum illo die, non esset homo oocupatus, nisi
 exigua febre, parum scilicet subcalescens. Quod nomen
 significat, ex asiduis eius dici horroribus, vix posse cali-
 dum innatum, ad corporis habitum redire: accedens autē
 fastidium, ad intima confluere, aut in intimis hæere mali-
 gnos succos. Summè verò iam aperta fuit veneni signifi-
 catio, cum facto maiore pedis tumore, pustulæ nigræ cum
 contentione, hoc est ampullæ quædam bullis distentis, si-
 miles, eruperunt. Nam scimus ex anthemata nigra per fe-
 bres acutas erumpentia, tam esse lethalia, ut vix quæquam
 cum ijs seruari contingat. Certè anno. 57. quo pernicio-
 sum quoddam genus febrium cum exanthematis grassa-
 tum est, cum rubeis multi seruabantur, cum nigris, vnius so-
 lum, videor mihi meminisse, seruati. Quominus autem ex-
 pectaret medicus Critonem abscessu cum pustulis facto
 iuari posse, febris acuta & infania fecerunt. Nimirum il-
 lis erumpentibus facta sunt omnia grauiora, pro sub calfa-
 ctu febris acuta: pro delirio, mania siue furor: & pro fasti-
 dio, copiosæ deiectiones, meræ, biliosæ, quæ cum adeo le-
 thaliter affectum hominem iuuare non possent, vires pror-
 sus deiecerunt. Cum ergo pernitiōsa signa adeo propera-
 rent, factum est, ut perierit homo intra triduum. Hic certè
 homo a multis putatus sit venenum accepisse, tamen sci-
 mus solere multos venenum intra sese, ex prauo victu ge-
 nerare, & repente mori, non aliter ac qui acceperit.

Aegrotus X.

CLazomenium, qui decumbebat iuxta puteum Phri-
 nichida, ignis arripuit. A principio dolebant illi
 caput, & collum, & lumbi. Statim surditas. Somni non
 erant. Febris acuta arripuit eum. Hypochondrium suspen-
 sum

sum erat cum tumore. Contentio exigua. Lingua arida. Quarto in noctem desipuit. Quinto cum dolore omnia sunt exacerbata. Circa undecimum autem nonnihil remissa sunt. Ex ventre autem ab initio, & vsque ad quatuordecimum multa tenuia, aquei coloris reddebat. Quæ ad deiectionem attinent, cum bona tolerantia transigebat. Deinde venter restitit. Urinæ vsque ad finem tenues quidæ, boni autem coloris, & multam habebant suspensionem, dispersam. Non sudabat. Decimo sexto minxit paulo crassius. Habebat exiguam subsidentiam. Subleuatus nonnihil est. Resipuit magis. Decimo septimo rursus tenuia. Secundum vtramque autem tumor cum dolore. Somni non erant. Delirabat. Crurum habuit dolorem. Vigesimo sine febre, iudicatus est. Non sudauit. Omnia intelligebat. Circa autem vigessimum septimum, coxæ dextræ fortis dolor. Citò cessauit. Quæ autem secundum aures, neque subsidebant, neque suppurationem accipiebant, color autem. Trigessimo primo, diarrhœa, multis aquosis, cum dysentericis. Urinas crassas minxit, subsederunt quæ circa aures. Quadragesimo autem doluit dextro oculo. Videbat obtusius: redijt ad statum.

Hic Clazomenius, est ille Hermippus, cuius pridem facta mentio est, vbi dicebatur. Quæ circa aures in febribus erumpebant cum dolore, quibusdam deficiente iudicatoriæ febre, neque sedantur, neque suppurant. His diarrhœa biliosa, aut dysenteria, aut crassarum vrinarum subsidentia soluit. Vt Hermippo Clazomenio. De hoc etiam, & qui eodem modo laborarunt illa tempestate, dixit ante, quibus fiebant parotides, vigesimo iudicabantur. Solutæ sunt omnibus quibus non suppurabant, sed ad vesicæ conuertebantur. Laborauit hic febre ardente cum inflammatione in hypochondrio. Habuit autem a principio magna magni periculi, & magnæ cacochymix. Nam dolores capitis, colli, & lumborum, ijs qui cum materiæ redundan-

tia febricitare incipiunt, solent accidere: euacuationes præ-
 terea symptomaticæ: maxima febris à principio, & deliriū.
 Tamen signa cruditatis, producta longius sunt, quam pro
 tanta febris acutie. Constante ergo virtute factum est, vt
 euacuationes vtilis essent, & homo salubriter affectus, ta-
 men febris produceretur, vsque ad quadragesimum: qui fi-
 nis est decidentium ex acutis. Atqui cum signa concoctio-
 nis non ceperint apparere ante decimum septimum, meri-
 to iuxta legem constitutionis legitimæ, vltra trigesimū pro-
 ductum est malum. Rarum autem est, huiusmodi morbos,
 qui ex acutis fiunt, non habere intermissiones, & recidivas
 & multos variōsque abscessus. Habuit hic primam iudica-
 tionem in vigesimo, vt alij, qui illā tempestate per febres,
 habebant parotidas. Vsq̄ adeo, cum morbus aliquis Epi-
 demialis grassatur, refert quam multum, considerare om-
 nia, quæ ægrotantibus contingunt. Talia enim, in iis, qui si-
 militer ægrotare incipiunt, oportet expectare. Ferè enim
 eodem morbo, cum eisdem signis laborantes, eisdem die-
 bus iudicantur. Nimirum est communis causa omnium ho-
 rum, quo fit vt curatio etiam similis congruat. Atqui iuuat
 hæc obseruatio adeo, vt multò melius soleant medici, cum
 multum iam processit tempestat, curationē suscipere mor-
 bi popularis, quam cum incipit. Vt propter medicos, me-
 lior conditio sit, eorum qui progressa iam tempestate ægro-
 tant: quamquam ob ipsos morbos, fit deterior, nisi plurimū
 iam tempestat inclinet. Omnes abscessus quos Clazome-
 nius habuit, frequenter solent per morbos occurrere. Ma-
 ximè autem occurrunt nobis hoc anno sexagesimo primo,
 qui, vt quem Hippo. describit modò, fuit siccissimus.

Aegrotus XI.

DRomeada vxorem, quæ filiam pepererat, & alijs
 omnibus secundum rationem factis, secundo die ri-
 gor accepit. Febris acuta. Capit autem primo dolere
 circa hypochondrium. Fastidiosa, horrida, & sibi displi-
 cens. Sequentibus diebus non dormiuit. Spiritus magnus
 & rarus. Hypochondrium statim suspensum. Secun-
 do

H

do

do ab eo quo riguit, ab alio bene reddidit stercorea. Urinae crassae, albae turbidae, ut fit ex subsidentibus, cum perturbantur. Reposita multum tempus, non subsidebant. Noctem etiam non dormiuit. Tertio circa meridiem riguit, febris acuta. Urinae similes: hypochondrii dolor. Fastidiosa. Noctem etiam difficulter tulit. Non dormiuit. Sudauit per totum corpus frigidum: cito autem recaluit. Quarto circa hypochondrium non nihil subleuata est: capuis autem grauita cum dolore. Subsoporata est. Pauca à naribus exierunt. Lingua arida siticulosa, fastidiosa. Urinae similes, ab alio nihil. Circa meridiem multa delirauit, & rursum cito per se redijt ad mentem. Surgebat: mox sopore correpta est. Refrigeratio exigua, nocte dormiuit. Delirauit. Spiritus magnus, rarus. Paulo post conuulsiones ex capite capuerunt. Celeriter mortua est.

CVR Hippo. narrat uxorem Dromeadae peperisse filiam, an quia filiam peperisse, multo deterius est, & ex filia, quae ex filij partu, saepius, & grauius ægrotatur. Nam & Epicuratis uxorem, narrauit prius, filiam peperisse Nimirum si ostendunt quae pepererunt, & non sunt multum expurgatae, parae sunt grauiter ægrotare, ob multitudinem excrementorum, quae nouem mensibus congesserunt, multo magis quae pepererunt filias. Quia enim magis excrementosa sunt, plerumque filias concipiunt. Hæc verò cum filiam peperisset, lethaliter febricitauit, adeo ut mortua sit septimo à partu, sexto ab acuta febre. Totus autem affectus hic, fuit: ex purgatione intempestiue suppressa. Multa excrementa maligna & varia, partim pituitosa, sursum recurrerunt, affecteruntque ita in primis hypochondrium, & ventriculi os, deinde caput, in quo, ubi semel firmata sunt, cum conuulsione mortua est mulier. Laborauit verò caput ob ascendentes vapores, per consensum, antequam firmatum in eo omnino malum est. Sed mirum est quod dicit, aliis omnibus secundum rationem factis. Si enim omnia ita facta sunt, naturalis fuerit partus. Qui ergo potuerit proximo die febricitare febre acuta? sed illud nihil aliud est, quam quæ

quæ illo die agenda fuerunt, secundum rationem fuisse facta, hoc est mox post foetum emissas fuisse secundinas. Rigor non erat signum morbi, sed malitiæ excrementorum, & passionis nervosarum partium. Quamquam non mirum si quispiam considerans, tertio die ab hoc quo primum riguit, rigere rursus, & ex rigore factam rursus febrem acutam, hoc est creuisse febrem denuò in magnam, putaret esse febrem tertianam, & ob coniunctam aliam continuam, totum morbum esse semitertianam. Cæterum quamquam primis illis diebus non habebat facilem distinctionem (nam horridam quoque fuisse post rigorem dicit) tamen sequens figura aperte prodit, non esse hunc morbum. Nullus enim rigor quinto factus est, sed sexto. Itaque rigor hic non morbi speciem: sed succi malitiam indicabat. Successit febris acuta, hoc est ardens. ut per paroxysmos solet, putrescentibus quæ erant agitata. Deinde his decumbentibus in hypochondria, cæperunt dolere. Fastidiosa fuit laborante ore ventriculi: horrida, ob malignam qualitatem succorum membris omnibus molestam: & hac quoque causa, sibi displicens. Hoc verò est anxiam esse, modo quodam iudicabili male habentem. Peruigilium, & spiritus magnus & rarus, compatiens cerebri, & incipientis delirij. Hypochondrium doluit in primis, statim factum est velut suspensum à septo, & superioribus partibus: quod succis per illud euntibus in caput, fit. Quem etiam raptum in caput, portenderunt vrinæ, quæ secundo die apparuerunt, crassæ scilicet albæ & turbidæ, quales fieri solent, quæ multo tempore repositæ perturbantur. Fiunt autem ex iis, quæ antequam perturbarentur, subsidebant. Hæ enim sunt quas alibi vocat, velut iumentorum, vbi dicit, vrinas quales iumentorum dolorem capitis significare, qui adest aut aderit. Tales etiam vrinas dicit fuisse die tertio. Quo etiam die fuisse dicit hypochondrij dolorem cum fastidio, & nocte difficilem tolerantiam, & peruigilium. Ego quidem videor mihi intelligere contraxisse iam hypochondrium dextrum aut sinistram (id enim non distinguit) aut fortasse vtrumque, phlegmonosum affectum, ex confluxu scilicet qui in eam partem à principio fieri cæperat. Quod sudavit per totum corpus, non erat malum: malum autem, quòd frigidum: quamquam leuius: quia cito recaluit. Frigidi sudoris

LIBROS H 2

duplicem

DEL DR.

L. MARCO

duplicem eo die fuisse causam puto, admistionem pituita
 cum bile, & debilitatem innati calidi male se iam diffusi
 dentis. Quarto die, pessima mutatio facta est. Id quod
 nibus qui illa tempestate sexto die mortui sunt, contigisse
 antea dixit. Nam quid aliud fuit, circa hypochondriū, non
 nihil subleuatam esse, capitis autem dolorem, grauem,
 soporem accidisse, & pauca è naribus exisse, quam permuta
 tatam esse magnam materiæ partem, ab hypochondriū
 caput? dolor quidem hanc permutationem indicabat, gra
 uitas autem & sopor crassam & pituitosam fuisse materiam
 magna ex parte. Atque adeo pituita in caput impigit, bi
 hæsit magis in ventriculo. Quare facta est lingua infige
 ter arida, & mulier siticulosa. Vrinæ quoque ex crassis
 turbidis, factæ paucæ & tenues, indicabant raptum mater
 riæ in caput. Sed oleosas quoque fuisse dicit. Galenus
 enarratione historię Parij, tertio libro dicit, oleosas vrinas
 non dici, quæ oleum contineant: sed quæ substantiæ molles
 & colore similes oleo, sint. Cæterum hoc loco constat
 oleosas non ita dici: essent, enim crassæ: at verò dicit, vrinas
 tenues, oleosæ. Non ergo substantiæ modo similes oleo
 sed velut oleo plenas intelligit. Quæ quidem colliquant
 nis soboles sunt. Sed quid mirum, tam acutam febrem fuisse
 etiam colliquantem? itaque quidquid, in historia Parij, quod
 men significet, huius mulieris vrinæ oleum continebat
 innatans. Quinto die omnia fuerunt similia, & præter hæc
 aliud est suppressa, expulserice facultate iam cessante. At tunc
 hoc tempore omnia fuerunt iam repente conuulsa. Accidit
 enim in hoc moriendi genere, ita mori, vt paulo ante,
 qui adsunt, non viderentur morituri.

Aegrotus XII.

Homo quidam calefcens cœnauit, atque adeo multum
 vomuit omnia. Noctē febris acuta. Hypochondrii
 dextri dolor. Phlegmone subtenuis ex externa parte. Noctē
 etem difficulter tulit. Vrinæ autem initio rubræ, crassas
 tiam habentes. Repositæ non subsidebant. Lingua arida.

Nos

Non valde siticulosus. Quarto febris acuta. Dolor omnium. Quinto minxit læue, oleosum, multum. Febris acuta. Sexto vesperi multum delirauit. Neque nocte dormiuit. Septimo omnia exacerbata sunt. Vrinae similes. Verba multa. Continere non poterat. Ab aluo autem cum irritatione exierunt humida, turbata, cum lumbricis. Noctem cum dolore. Mane autem rignit: febris acuta. Sudauit multum, sine febre fieri visus est. Non multum dormiuit. Ex somno frigus. Sputum. Vesperi multum delirauit. Paulo post autem vomuit nigra, pauca, biliosa: nono refrigeratio. Delirauit multum non dormiuit. Decimo crura cum dolore. Omnia exacerbata sunt. Delirauit. Undecimo mortuus est.

NULLVM est erratum tam exiguum, quod non possit magnopere lædere, eum qui ad morbum paratus iam sit. Tantum momentum habet occasio, vt non ita pridem in historia Philonis filia animaduertimus. Hic cum iam febricitare inciperet, fortasse id non agnoscens, aut tanti mali initium esse non timens, coenauit lautè, atque adeo, vt est verisimile, potauit largius. Læsus multum est, & continere non potuit cibum, sed vomuit omnia, & nocte plurimum creuit febris, & phlegmonem contraxit in hypochondrio dextero, in partibus internis. Hoc enim est quod dicit, subtenuis, ex externa parte. Hoc est, fuit inflammatio, quæ in externa parte tenuiter sentiebatur. Erat itaque interna, eius hypochondrij. Quam proinde ad hepar pertinuisse constat. Habuit proinde dolorem & ardorem eo loco, febrem ardentem, linguam aridam, exætia quoque vstionem referebant. Vrinae imprimis rubrae, crassae, ex feruente sanguine, deinde habere cæperunt multum oleosum, læue, hoc est multam pinguedinem. Hinc difficilis tolerantia. Hinc peruigilia, deliriaque cum his non erat admodum siticulosus. Nihilo tamen id erat melius. Delirij enim aut corrupti sensus. Quod septimo die exierunt ab aluo cum irritatione humida turbata, inflammationis etiam fuit soboles. Biliosa enim & vsta erant, cum irritarent.

Lumbricos autem genitos cum his esse, mirum est, necesse enim solent à bile, generationem autem accipere ex crudis cum quadam concoctione, adeo, ut morbis salutaribus euntibus in iudicationem, fieri soleant, ut in prognostico dicitur ab eodem Hippoc. hic verò expediens non fuit, quia morbus non ibat in iudicationem. Quare coniecto hunc non solum ex phlegmone, sed etiam ex satietate in ventre febricitasse. Coquendis ergo crudis in ventre genitos esse lumbricos, & ab exeunte bile necatos, & expulsos esse. In septimo die habere cepit signa mortis, è superuenientium genere, velut ex somno frigus, quod suffocatio caloris naturalis facit. Patiuntur verò ita dormientes, qui in eo ita constituti sunt, de quibus in Aphorif. dixit, ubi somnus laboriosum facit, mortale. Tale etiam fuit signum, delirium magnum. Longè autem pessimum fuit, vomere pauca & nigra. Hic enim vomitus postridie morituris accidere solet. Dolor crurum quibusdam fieri solet, cum in ea abscessus sit, tam in extremo autem iam constitutis, non ita, sed ob summum facultatis langorem. sentiente iam facultate ex ipsius membris pondus. Quod undecimo die mortuus est oblectuari debet, & ob huius diei vim, & quòd septimus, qui est index, insignem attulerat mutationem.

Aegrotus XIII.

Mulierem quæ decūbebat in littore, tertio iam mense se gravidam ignis arripuit. Statim autem incipit dolere lumbis. Tertio dolor colli & capitis, secundum claviculam dextræ manus. Citò autem lingua priuata est voce. Dextra manus languit cum conuulsione apoplectico modo. Delirauit omnino. Noctem difficulter tulit. Non dormiuit. Venter turbatus est, biliosis, paucis, synceris. Quarto lingua priuata est voce. Conuulsio eorundem. Dolor omnium permanebat. Quæ circum hypochondrium suspensa cum dolore. Non dormiuit. Delirauit omnino. Venter turbatus. Urina tenuis, non boni coloris. Quinto febris acuta, hypochondrij dolor. Delirauit omnino. Deiectiones biliosa.

biliosa. In noctem sudauit sine febre. Sexto resipuit. Omnia subleuata sunt. Circa clauiculam autem sinistram dolor permanebat. Siticulosa. Urinae tenues. Non dormiuit. Septimo tremor. Subsoporata. Parum delirauit. Dolores, secundum clauiculam, & brachium sinistrum, permanebant. Alia autem subleuata sunt. Omnia intelligebat. Tres autem permansit sine febre. Undecimo redijt. Superuiguit. Febris arripuit eam. Quatuordecimo autem uomuit biliosa, flaua, copiosa. Sudauit. Sine febre. Iudicata est non sine dolore, ex eisdem passionibus.

Omnem acutum morbum in utero gerentibus esse lethalem, in Aphorismo dixit Hippocrates. Verum si quod tempus non est admodum periculosum in huiusmodi, est à quarto mense usque ad septimum. Quia iis maxime curationem admittere potest. Itaque, quamquam graue fuerit, hanc mulierem gerentem utero, acuto morbo teneri, quia tamen vicina iam erat quarto mense, liberari potuit. Mirandum autem magis, etiam sine signis concoctionis, liberatam esse perfecte: quamquam cum difficili iudicio. Non enim ad iudicalem diem sine recidua venit. Febricitauit hæc quoque, ex biliosis & pituitosis ascendentibus sursum versus, pituita uero repetente in caput & neruos. Dolores ergo habuit in primis lumborum, de in colli, & capitis, & clauiculæ, & brachij, è regione clauiculæ, positi: multis irruentibus, & in caput, & in collum, & in eam partem, quæ ex ceruice, nerui brachium mouentes, nascuntur. Cum autem neruos tenere pituita inciperet, cito malum processit, & lingua resoluta est, & uoce priuata, quarto scilicet die. Sed quid est quod dicit. Tertio manum dextram languisse, cum conuulsione, apoplectico modo? Si apoplectico modo, certe resoluta est, si autem resoluta, non uidetur cum conuulsione languisse. Nam resolutio, longe differt à conuulsione. Verum quod contigit hoc est: quod etiam contigit quarto die linguæ. Pars resoluta est, tamé ante quam resoluta omnino caderet, motus habuit conuulsiuos, ut scilicet fieri solet, succo ingrediente neruos, & facultate repugnante, ut membrum in figura cõtineat. Sed & cerebri læsio insignis

apparuit nocte tertij diei. Deliravit enim omnino, & vigila-
lavit, & noctem difficulter tulit. Huic difficultati noctis
succesit turbatio ventris, exeuntibus paucis, biliosis, syn-
ceris. Quæ euacuatio mala fuit, & quia intempestiua & cri-
gua, & quia synceri excrementi. Vbi dicit, secundum clau-
culam dextræ manus, & rursus, dextra manus languit, con-
iecto vitiatum esse codicem Græcum & Latinum, legen-
dumque fuisse, pro dextra sinistra, & pro dextræ sinistra.
Nam paulo post, hos ipsos dolores & labores narrans, di-
cit circa clauiculam autem sinistram dolor permanebat. Et
rursus, dolores secundum clauiculam & brachium fini-
strum permanebant. Hoc autem verbū permanebant, aperte
significat de eisdem doloribus eum dicere, qui à principio
cæperat, non de nouis. Succedētibus itaque similibus signis
semper malis, cum signis autem concoctionis manifestis,
septimo soluta est febris. Non tamē ita, vt quisquam expe-
ctare posset, non redituram. Manebant enim multi dolores.
Vndecimo facta in deterius mutatione, quatuor decimo
liberata est: præter expectationē profecto, si quis alius tota
hac tempestate. Nam quantumuis viderentur constare vires,
tamen futuras reciduas admodum erat consentaneum.

Aegrotus XIII.

Melida quæ decubuit iuxta templum Iunonis, capiti
caput & collum & pectus dolor fortis. Statim au-
tem febris acuta arripuit eam. Muliebria autem panca
apparuerunt, dolores omnium horum continui. Sexto co-
matosa, fastidiosa, horrida. Rubra maxilla, parum delira-
uit. Septimo sudauit. Febris defecit. Permanebant dolo-
res. Reuersa est. Somni pauci. Urina vsque ad finem
boni coloris, & tenues Deiectiones tenues, biliosæ, mor-
daces, valde pauca, nigra, fœtida eruperunt. Urinis substi-
dētia alba leuis. Sudauit. Iudicata est perfecte vndecimo.

Haud dubie mulier hæc ob suppressionem mēstruorum
laborauit pulmonia. Nam aliquando ante febrem, capitis,
collis,

colli, & pectoris dolorem habebat fortem. Si quæ autem pars ante febrem doluit, in ea solet morbus firmari. Verisimile ergo erat, hunc morbum firmatum iri in capite, aut parte aliqua thoracis. Tantum refert ad morbi exactam cognitionem, percontari ut haberet homo, antequam manifeste febricitare cæperit. Atqui propriæ phrenitidis non sunt in hac consecuta signa (non enim delirium perpetuum) sed paraphrenitidis per consensum cum alia parte, sexto die. Laborare verò pulmonem inflammatione, omnia quæ subsequuta sunt indicant: febris acuta: rubor maxillarum: coma, & delirium. Hoc enim consensionis cerebri genus, familiaris pulmonis est. Hippocrates nunquam solet pulsus meminisse: habuerit vero hæc molles. Fastidiosa fuit, ob viciniam oris ventriculi cum pulmone, & ob fluxionem, & intemperiem. Dolor quidem pectoris, ob pulmonis affectum non solet esse fortis, sed sordidus quidam. Cæterum hic fortis fuit, antequam in ipsum pulmonem fluxio est recepta, dolentibus alijs partibus, quæ illum circumstant, per quas fluxio fiebat. Malo autem procedente, verisimile est, hunc dolorem commutatum esse cum alio tardiori. Hæc inflammatio ob partis calorem & viciniam cum corde, acutissima esse solet. Ita huic contigit: finita est intra septem dies. Nam & febris est extincta. Sed quia permanebant dolores, capitis scilicet, colli, & pectoris, quod non esse infumptam totam fluxionem indicabat, redijt inflammatio, ac cum ea febris, quanquam in recidiva malum fuit multo magis biliosum, in prima febre multo magis pituitosum. Indicant id symptomata. Habuit enim paucos somnos, deiectiones tenues, biliosas, mordaces, nigras, fœtiditas, & exiguas. Quæ quidem, & ob qualitatem, & quia exiguæ, malæ erant, tamen quia urinae usque ad finem apparuerunt, tenues, boni coloris, quæ partim crudæ partim coctæ sunt, in fine cum subsidentia alba leui iudicata est perfectè cum sudore, vndecimo. Oportet hic animadverti non esse per inflammationes quarundam partium, negligendam urinarum inspectionem, in hac ægrota maximè, in qua excrementa indicabant, febrem non esse tantum accidens, sed putridam etiam in venis. Non minus considerari oportet, vim septimi & vndecimi, esseque sudorè ac commodam iudicationis speciem in pulmonia.

Liber

Liber secundus.

Sectio Prima.



CARBUNCULI in Cranone agi-
ui. Pluebat in vstionibus aqua lar-
ga. Per totum siebat, & præcipue
flante austro. Innascebantur in cute
sanies. Cum autem erant conclusa,
calescebant, & faciebant pruri-
tum. Deinde bullæ similes vstio-
erumpebant, & sub cute vri videbantur.



FEBRES omnes cum bubonibus malæ sunt
præter diarias, vt in Aphorismo ab eodem
ctum est, tamen non omnes æque malæ, sed
tanto deteriores succi notas habent: Hinc fit
vt in ijs febribus, quæ præcipue pestilentes
sunt, carbunculi quidam, aut carbunculis proximæ inflam-
mationes, in aliqua adenosarum partium mox appareant:
quibus raro non succedit, gangrena, & mors. Raro autem
incipit pestis mox a carbunculis, sed antecedere solent fe-
bres mali moris, interimentes plurimos, fortasse sine vicio
aliquo cutis in primis, deinde cum maculis moribus cilli-
cum similibus, aut vibicibus, aut bullis, similibus ijs quæ
fiunt in combustis: tandem confirmata peste, apparent car-
bunculi; innascentibus simul alijs maculis per totam cu-
tem: nam magna significatio est malignitatis materiæ in-
tempestiua expulsio. Quare mox apparent in malignis,
quæ græci vocant phlyctenas, aut exanthemata, aut phy-
mata. Sunt vero hæc bullæ, aut maculæ, aut tumores: & ac-
cedunt his sæpe malignæ vomitiones, aut profluvia alui,
sudores copiosi, intempestiue hæc omnia, & sine conferen-
tia & tolerantia. Accedunt præterea symptomata alia ma-
lignitatis, vt deliria, & syncopes, & pulsus diuersi, & fe-
briles.

briles. Ita factum est in Cranone, ciuitate Thesaliæ, quam pestis pessimè afflixit. Fuerunt carbunculi, non quidem omnes abscessus qui eo anno in cute apparuerunt, sed qui æstiu. Verisimile est autem a principio veris, quod ab æquinoctio incipit, febres malignas solas, aut cū alijs abscessibus fuisse, ineunte autem æstate circa ortum vergiliarum cæpisse apparere carbunculos. Ita enim fieri solet, & ita factum esse hoc anno Cæsaraugustæ scimus. Atqui profectò meritò. Nulla enim incipiunt a maximis. Merito ergo alij morbi pestilentes, cum alijs minus malignis abscessibus facti fuerint in initio, factò iam maximo aeris calore, cum carbunculis. Non enim tantum qui hos habent, sunt pestilentes, & si hi maxime ita vocentur, sed quicumque populares, & adeo perniciosi, vt plurimos interimant. Accidit verò his omnibus esse contagiosis. Carbunculi autem, vt docet Galenus. lib. de tumoribus præter naturam, fiunt ex sanguine vsque ad naturam atræ bilis feruente. Communes morbi, vt in initio primi libri indicatum est, necessario habent causam in aeris infectione. Quia sola ea est omnibus hominibus communis causa. Contagiosi autem non possunt esse, nisi ob putredinem, neque admodum mortiferi, nisi ob malignam. Pestes ergo semper habent causam in maligna putrescentia aeris. Putredinis verò causæ, quod ad temperamētum attinet, sunt calor & humiditas, altera vt faciens, altera ut patiens. Merito ergo Hippocrates dicit, cū hoc loco, tum multis alijs, pestilentem aeris constitutionem esse calidam & humidam: velut & Galenus pluries quàm vt referri possit. Insinuans ergo causam, qua illo anno tam maligna pestis tenuit Cranonem, dicit, pluebat in ardoribus. Aqua larga]. Per totum fiebat, maximè flante austro. Hæc tota est descriptio maxime calidæ & humidæ constitutionis. Calidiorē enim aut frigidiorē: humidiorē aut ficiorem, annum anno, facit, non accessus aut recessus solis (hic, n. æqualis semper est) sed pluuiæ multæ aut paucæ, & ventorum species præcipuè. Vt quidem hæc sint aut non sint, sintve plus aut minus, consentaneum est varios astrorum aspectus facere, quorum secundum singulos annos mira est differentia, cum hæc inferna a supernis illis lationibus gubernentur. Nam si omnia haberent eodem modo in superio.

perioribus illis corporibus, cur non eodem modo et hic haberent, aut fierent? Ceterum hæc ipsa afferunt hanc aut illam temperiem pluias aut flatus afferendo, aut contraria. Quod ad pluias attinet quo plus pluit, eo annus humidior est, quo minus, eo siccior. Pluere autem contingit continenter, & aqua copiosa. i. plurimū (velut nūc, aqua, inquit, larga, idq; fiebat per totum tempus scilicet) aut aqua copiosa, sed cum intermissionibus, & hæc, tūc est magna pluvia, cum imbres sunt magni, & interualla breuia, (velut in Thaso dixit sectione 2. primi, aquæ multæ, largæ, magnæ, niues, plerumque mista aeris serenitas) aut aqua exigua sed continenter cadente, velut prima sectione, dixerat aquæ multæ, assidue molles. Atqui hæc etiam est valde humida constitutio. Quia causa quacunque continenter afficit, multum id valet efficiere. Imbres largi, sed ex longis interuallis, non admodum possunt humiditatem afferre, quia sequens temporis pars, priorem semper emendat: minimè vero, cum neque crebri, neque magni imbres sunt. Flatus omnes in quatuor genera distribuuntur, in quatuor partes facta terræ diuisione. In his verò maximè insignes, & qui maximè naturis differunt, sunt auster, calidus & humidus: & boreas, frigidus & siccus. Proinde illo flante, crebro solet pluere: hoc flante, non nisi raro. Et pluiæ cum austro, sunt, quod ad putrescentiam attinet, nocentiores, quia calidæ. Merito ergo tam multæ & malignæ putredines fuerunt illo anno: quia pluebat (illud vero pluebat perseverantiā quandam significat, cum sit præteriti infiniti) in ardoribus, id est durantibus imbribus per æstiuos ardores. Nam cum finiuntur pluiæ, antequam calor magnus ingruat, & si illæ per hyemem & ver fuerint copiosæ, non est tam periculum. Et pluebat per totum tempus, siue flaret auster, siue etesia, maximè autem flante austro. Est qui hoc loco legat, pro, maximè flante austro, maximè in dorso, vultque id referri ad carbunculos. Fortasse reperit in suo codice. *κί μάλιστα νότος* habetur vero. *νότος* id quod ex dictis constat melius congruere. Cum dictum sit in adenoſis partibus solere fieri pestilentes carbones, non in dorso.

- 2 **I**N ardoribus siccitates, febres maxima ex parte, absque sudore contingunt. In his autem si superorauerit, suda-

sudatoriae magis fiunt in principijs. Hæc difficiliora iudicatu manent, quàm aliter, tamen minus, si non sit ob hæc, sed ob morbi modum.

QVIDAM verba illa in ardoribus siccitates coniungunt cum superioribus, quasi noua snia incipiat ab illis, Maxima ex parte absque sudore. Verum eam lectionem nemo pbabit, qui quæ dicta sunt intellexerit, & quæ mox dicentur. Dicitum mihi antea est, febres malignas habere solere inter cætera, euacuationes symptomaticas, nihil conferentes. Nunc ergo Hippocrates per insinuationem dicit, multis in illa pestilenti cõstitutione, fuisse sudores mox ab initijs febrium. Nam dixerat, fuisse in ardoribus aquam largam. Nunc dicit, in ardoribus siccitatis, idest cū est maximus calor sine pluuijs, maxima ex parte contingere febres absque sudore (quia scilicet corpora fiunt, vt ipsa tempesta visa est, arida) in his autem, idest in ardoribus, si supererorauerit, (supererorare vocat pluere raris guttis, vt per ardores solet) magis sudatorias fieri, ob hanc scilicet externam causam. Id verò fit in principijs symptomaticè, quia in summis febrium vigoribus, & decretoriè, non ob externam causam, sed robore facultatis naturalis fiunt copiosi sudores. Hoc obseruauit Hippocrates in Perintho, vt narrat sectione tertia huius libri, dicens, Sub roribus autè, qui estate deciderunt, apparuit sudor in febricitantibus, & quidam sudores ab initio statim facti sunt. Hæc mala quæ cum sudoribus a principio fiunt, difficiliora iudicatu manent, quam aliter, idest quam si nulli apparerent. Nam paulo post dicit. Quæ bene iudicatura sunt, ne statim appareant. Iudicatoria non iudicantia, partim lethalia sunt, partim difficilis iudicationis. Non est autem semper mala febris magna per huiusmodi tempestates, quam sudores comitantur ab initio, sed nonnunquam, cum scilicet fit maligno modo, vt loco citato ex constitutione tertia huius libri dicit. Sunt hæc quas antiqui vocabant febres elodes, perniciosum genus febrium: vt perniciosæ & siccæ, dicebantur typhodes. Docet id Galen lib. quem contra Lycum scripsit. An maligno modo sudor fiat, an non, quo pacto cognosci debeat, audies in cõmentatione tertiæ sectionis,

tionis, seu constitutionis. Interim tamen scias, ex confententia aut tolerantia, de quibus prima particula aphorismorum dictum est, dignosci. Ceterum, siue maligno modo fiant, siue non, sudores a principio apparentes, difficilis indicationis febres significant. Multo autem minus, si non ob hæc (ob intemperiem inquam aeris) sed ob morbi modum fiant sudores, ante tempus indicationis, velut in tertianis tertio quoque in inclinatione, siue intermittens, siue perpetua tertiana sit, aut singulis diebus in quotidianis. Fiunt enim in his sudores ob propriam morbi figuram, ac nihilominus multitudinem excrementitiæ humiditatis significant (hanc enim ob causam omnes sibi persuaserunt, sudorem in tertiana, aliam prænuntiare) tamen minus quam in alijs morbis. Quia vt morbi, naturæ hominis congruentes, minus mali sunt, quam qui non congruunt, ita symptomatica congruentia naturæ morborum. Velut hi sudores in tertianis sequuntur morbi figuram, in alijs malignitatem Epidemiale.

- 3 **F**ebres ardentes in æstate magis fiunt, & in alijs temporibus. Siccantur autem magis æstate. Autumno magis ferina, & cardialgia. Et si hæc minus maligna sit, ipso morbo tali existente.

FEBRES ardentes merito fiunt magis in æstate, sed & in alijs temporibus, quia vt dicitur tertio aphorismorum, morbi omnes in omnibus temporibus fiunt, quidam tamen magis in quibusdam ipsorum, & fiunt & exacerbantur. Fieri ergo ob victus prauitatem in quouis tempore, etiam hyeme media, possunt ardentes febres; ob naturam autem ipsius temporis, in æstate imprimis, secundo loco, & in autumno. Nam referre morbos autumnales incipiens Hippocrates citato lib. apho. dicit in autumno autem & æstiuis multi. Sed cum vtroque tempore fieri soleant tales febres, æstate siccantur magis, idest minus sudatorie fiunt, quam in autumno. Quia, vt dictum est nuper, in ardoribus siccitatis (huiusmodi sunt æstiu) febres maxima ex parte absque sudore contingunt: in autumno autem frequentes pluias esse solere, experimento didicimus, &

Gal.

Gal. dicit in commen. primi epidemion in ipso principio. Autumno fiunt magis ferinæ, idest cum vermibus, aut cum foedis cutis maculis, vel vlceribus, & cardialgia, idest dolor oris ventriculi, & si hæc minus maligna sit ipso morbo tali exstenti, hoc est ferino, & autumnali, quam si non esset. Ita enim, est pathognomicum ipsorum vermium, aut familiare tempori, aliter est inditium malignæ, & venenosæ materiæ. Hanc esse legitimam huius loci enarrationem facile intelliges, consulens Gal. in enarratione contextus quatuordecimi sectionis primæ sexti epidemion, quo ita dicitur ferinum autumno, & cardialgia, & horrores, & atra bilis. Præterea idem Gal. libello obsoletarum Hippocratis vocum dicit, ferinum apud Hippocratem significare vermes, & foeva vlcera. Causas porrò quibus in autumno hæc fiunt, Gal. docet illo loco ex sexto epidemion esse mali succi, tunc temporis abundantiam, & intemperiei aeris inæqualitatem. Multa præterea ad hanc rem facientia nos de autumni vitijs in com. tertix particulæ aphorismorum diximus, & rursus paulo post dicemus.

A Scarides vesperi similiter huic: & illæ eam potissimum diei partem perturbant, non solum quod magis laboretur. Sed ipsi per se ipsos.

D I E I partes analogiam quandam habent cum partibus anni, non immeritò. Quia utrūque tempus finitur vna solis circuitione: dies quidem circuitione totius cœli, annus propria ipsius solis. Respondet verò merides æstati (vtraque enim est pars temporis maxime solis ad nos accessions) nox media hyemi (quia vtraque parte harum, maxime a nobis sol recedit) horæ circa ortum solis veri: circa occasum, autumno. Quia his horis mediocriter a nobis distat sol, matutinis accedens, vespertinis recedens. Manifesta est analogia, ob quam, qui quouis anni tempore sunt, ea diei parte, quæ illi respondet, solent exacerbari: Velut æstiu in meridie: hyemales, in nocte media: autumnales, vesperi. Sed nunquid & vnales mane? videtur enim, si quis omnium de ea re conceptæ opinioni, & cõmuni experientix velit credere, nullis morbis esse aurora inutilis, nisi forte

forte alicui febris, cuius exacerbationes contigit in eas horas incidere: id verò non ob morbi naturam, sed casu, ob materiam. Certe ita est. Nam neque ver habet morbos aliquos, qui per se, & ob eius temporis naturam, fiant, cum sit id tempus maximè moderatum, & proinde saluberrimum, ut ipsemet mox dicet: sed per accidens, ob eum qui est in corpore apparatus, quidam morbi eo tempore fiunt. Itaque hac causa, nulli morborum est familiare exacerbari summo mane: contra vesperi exacerbantur omnes, quia ea est deterrima hora, ut responderet deterrimo tempore, autumno scilicet. Velut ergo autumno quidam morbi fiunt, magis quam alijs temporibus, omnes autem fiunt eo tempore deteriores, quia est omnium temporum insaluberrimum, ita vesperi exacerbantur omnes ob horæ malignitatem. quidam vero etiam peculiari quadam ratione, quia sunt autumnales. Hoc ergo est quod dicit Hippocrates ascarides vesperi fatigant, similiter huic, idest eadem ratione quam hoc tempore, idest in autumno. Quia ut nuper me dictum est, vermium generatio est autumnalis morbus, & illi eam potissimum diei partem perturbant. Non solum quod magis laboretur. Idest non solum quod omnes morbi eo tempore magis exacerbentur, sed ipsi per ipsos. Idest ratione peculiari, quia est autumnalis morbus. Non autem soli ascarides, sed etiam omnium vermium genus. Meminit autem ascaridum ut solet, utens ut exemplo, vna aliqua re, earum in quibus est ratio aliqua communis. Quod ergo prius dixerat nomine communi, Autumno magis ferinæ, dicit nunc in exemplo, Ascarides vesperi similiter huic.

- 5 **A**utumno acutissimi morbi, & maximè lethales. Vniuersim simile ipsi vesperi exacerbari, tanquam ipso anno, periodum habente morborum, ut dies morbi. Quale est vesperi exacerbari, tale ipsius morbi, & cuiusque constitutionis ad se mutuo, cum nihil mouetur in superiori specie, alioqui alterius constitutionis hæc principium fuerint.

ACUTISSIMI morbi fiunt in autumno & æstate. Nam

Nā & in aphorismis cū recensuisset morbos æstiuales, adiecit, Autumno & multi ex his. Verum vt æstiuales acutiores. ita autumnales magis lethales. Quia succi autumnales crassiores, sed deterioris speciei, atrabiliarij enim, ob vstionem maximam, quæ antecessit. Ob quam eandē cām, & ob propriā tps inæqualitatem, facultates sunt debiliores, & morbi difficilioris iudicij, & vix vnquā sine productione morbi, aut malis abscessibus, aut permurationib. aut recidiuis, relinquentes. Quo fiet vt & si acutas habeāt primas inuasiones, tamen multi ex acutis decidant. Sūt. n. autumnales, mortales aut difficilis iudicij. Fit et, vt qui acutis correpti, autumno moriuntur, moriātur nihilo tardius, sed citius et quam qui æstate: qui euadūt, euadant tardius. Simul ergo acuti, & mortales magis in autumno, quā alio quopiam tporum. Ex his & ijs quæ nuperrime diximus, intelligi potest facillē tota ferē hęc dictio. Autumno (inquit) acutissimi morbi, & maximē lethales: vniuersim. i. secundū totum annum, seu totius anni rationem habendo. Simile quiddam est quod autumno accidit, ipsi vesperi exacerbari, tanquam ipso anno periodum habente morborum, vt dies quicumque hēt periodum morbi. Quia quale est vesperi exacerbari, magis quā alijs horis diei: tale est ipsius morbi, & cuiusque constitutionis ad se inuicem. Id est tale est, morbos autumno fieri grauiores, quā alijs anni temporibus, & constitutionum omnium anni, & specierum morborum, qui eas consequuntur, proportio quædam & rō est, velut ipsarum horarum diei, & diurnarum cuiusq; morbi mutationum ad se ipsas. Quæ proportio eadem semper seruetur, nisi quid in superiori specie nouatū sit. Id est nisi tempestas nouam aliquam, & insperatam mutationem faciat. Velut si procedente hyeme, rursū fiat autumnī tempestas: aut incipiente vere, antequam iustam longitudinē obtinuerit, æstas incipiat. Tunc. n. alterius constitutionis hęc, principium fuerint: i. morbi tunc quoque mutabūtur, sicut quæ non quales tēpestas, quæ procedebat, afferre erat nata, sed quales ea, quæ tunc incipit. Nam & ipsa mutatio fuerit vt initium alterius tempestatis. Cum morbi nō fiant ob hunc aut illum mensem, sed ob hanc aut illam temperiem. Vt curandum nobis non sit, quotus dies cuius mensis agatur, sed quæ temperies aeris sit.

I Quare

- 6 **Q**uare & annum ad se ipsum ita habere. In temporibus consistentibus, & tempestiue tempestiua recedentibus annis, constantes & boni iudicij morbi. In inconstantibus vero, difficilis iudicij. Vt in Perintho, cum aliquid deficiat, aut redundet, aut ventorum, aut non ventorum, aut imbrium, aut siccitatum, aut aestuum, aut frigororum.

ANNVM dicit ad seipsum ita habere debere, vt tempora sint consistentia, id est non recipientia mutatione nisi naturales, & tempestiuas, id est, talia, qualia esse secundum naturam solent, suam quocumque tempore temperate afferente. Quia cum tales anni sunt, morbi fiunt constantes (id est suas naturas, quas habent à principio, retinentes, & que facientes mutationes non naturales) & boni iudicij, id est qui perfecte iudicari solent. In inconstantibus vero annis fiunt morbi difficilis iudicij, id est, qui vix iudicantur & cum abscessibus, permutationibus, aut productionibus insperatis. Sed quia non apposuerat Hippocrates exemplum anni tempestiui, neque id satis explicuerat, apponit exemplum intempestiui, vt inde illius & huius notitia comparatur, velut rectum indicat obliquum. Vt (inquit) in Perintho, cum aliquid deficiat aut redundet, ventorum aut non ventorum, imbrium aut siccitatum, aestuum aut frigororum. Ergo tempestiuus est cum nihil horum nimium sit, aut minus quam oporteat, sed tantum taleque sit cuiusque horum quantum & quale, iuxta cuiusque regionis naturam, quocumque tempore esse consuevit. Qualia vero esse soleant hæc, quocumque loco, habet incolæ obseruantissimum. Sed cur nunc Perintho meminit, an non ubique est intempestiuus annus, in quo redat aut deficit aliquid ventorum, pluuiarum, aut caloris? certe. Sed subiit nunc in mentem fortasse ea Perinthi constitutio, quam narrabit in parte tertia huius libri. Sed huius dictionis Hippocraticæ longiusculam enarrationem inuenies apud Gal. in initio commentariorum primi libri Epidemion.

- 7 **V**er autem vniuersim saluberrimum est, & minimè lethale.

Ver,

Ver, vt nuper cæpimus dicere, nullos morbos affert per se, quia ad nullam intemperiem inclinat: sed quia multorū succorum motum cohibebat frigus hyemis, quos soluto frigore, ver fluere finit, quidam in eo morbi ex accidenti fiunt. Proinde saluberrimum esse dicit, minime autem lethale: quia qui fiunt, minus mortales esse consueuerunt, quā aliis temporibus illi ipsi, ob clementiam cœli, & facultatum robur. Sed vtrūque horum inest veri vniuersim. Nam quoddā ver, nihil prohibet insalubrius & perniciosius esse, quodam autumno, ob intempestiuas aliquas aeris constitutiones.

8 **C**irca initia morborum considerandum, an statim floreat. Manifestum autem sit ex incremento: ipsa autem incrementa ex periodis, & iudicationes inde manifestæ, & ipsis in periodis, exacerbationibus, si prius an non, & an plus temporis an non, atque si magis an non. Omnium autem continuorum, & intermittentium quæ longa, & vulnerum, & frutorum cum dolore. Et tuberculorum inflammationes, & quæcumque alia apparent posterius. Forte autem & aliarum rerum communium, quæ celerius, breuiora, quæ autem tardius, longiora. Et in periodis quod prius, & aliud incrementum reijciente morbo.

Non dubium est multa verba in hac dictione, atque adeo in toto hoc libro esse vetustate sublata, alia etiā transposita, alia corrupta. Quod ipse sermo carens nonnūquam congruentia iuxta grammaticæ regulas, ac nonnunquā mutilus, & varietas lectionum quæ occurrit in Græcis exemplaribus, indicat. Ferè cōtinet tota hæc dictio eandem sententiam, quam aphorismus duodecimus primæ particula, & si quædam illic dicuntur distinctius quam hic, quædam hic quam illic. Nam in aphorismo docet agnoscere paroxysmos & constitutiones, ex natura morbi, & temporis, & circuituum incrementis, & ex mox apparentibus; cuius modi sunt sputum, vrinæ, & deiectiones, & sudores. Hic solas constitutiones (non etiam paroxysmos) cognoscere

docet, nulla naturæ morbi neque temporis anni facta mentione: sed ex circuituum incremento, & ex mox apparentibus, & præterea ex communibus signis quorum in aphorismo non meminit. Dicit ergo initia morborum considerandum. Significat verò hic nomen inicij, neque ipsum primum insultum, neque tempus cruditatis: sed primos dies, siue primo, siue secundo, siue tertio, siue etiam aliquocumque, medicus ad ægrotum accedat. Quasi diceret, mox ac curam suscipimus ægrotantium, considerare oportet ipsos morbos. Considerare verò oportet, an statim floreat. Significat verò illud, statim, non ipsum principium (non enim florent morbi in principiis) sed quod citò: quasi diceret, an citò morbus venturus sit ad summum vigorem, velut in aphorismo dicitur, quibus statim vigor est. Oportet itaque coniectari quantum temporis superfit vsque ad summum vigorem (idem autem est hoc, atque constitutionem morbi inuestigare) nam aliter nulla ratio esse potest instituendi victum neque curandi morbos. Manifestum autem (inquit) hoc fiet ex incremento. i. ex tēpore quod vsq; ad incrementū infumitur, & ex celeritate, aut tarditate, crescendi. Nā quo citius venit ad incrementū, eò citius finitur morbus: cū sit ea morborum legitima proportio, vt tantū tēporis superfit à die quo primum apparent signa conuersionis manifestæ, quantū à primo die ad eū vsque, exactum est. Præterea tanto citius via pertransitur, quanto celerius: quare & morbus veniet ad summū tantò citius, quanto celerius crescet. Hoc est quod dicit, ipsa incrementa periodis hoc est, circuitus indicant, an morbus venerit ad incrementū, & quanta celeritate crescat. Obiter docet, quid ex hac notitia boni eueniet, dicens, iudicationes hinc manifestæ, id est, hinc coniecturam facies, an futura iudicatio sit, & quam cito. Nam acuta iudicantur, & quæ cito veniunt ad vigorem, cito etiam iudicantur. Explicat deinde quo pacto circuitus hæc iudicent, dicens. Et ipsis in periodis, exacerbationibus. Periodus constat paroxysmo & interuallo. Paroxysmus est tempus difficillimum interualli, seu ipsa exacerbatio. In exacerbationibus ergo tria dici consideranda, si prius an non, id est, si anticipent horas priorum quæ sequuntur, an non: sed eisdem fiant, aut tardent etiam plus, & an plus temporis an non, id est, an longiores

longiores sint prioribus, an non: sed æquales, aut breuiiores: atque, si magis an non, id est, si magis affligant (id quod agnoscitur magnitudine symptomatum quæ afferunt) an non: sed æquæ aut minus. Nam si anticipant & longiores fiunt, & magis affligentes, morbus crescit: si contraria omnia, decrescit: si omnia æque accidunt, stat. Si autem quædam talia, quædam contraria, crescet, decrescet, aut stabit, vt hæc illis, aut illa his, præstant, aut æqualis momenti sunt. Velut si febris anticipet (ne sit autem natura anticipans, aut tardans. Nam hoc neque crementum neque decrementum significat: sed naturam morbi) fiat autem tanto minor, siue quod æquiparari possit anticipationi, neque crescet, neque decrescet. Ex his itaque tribus considerationibus constat notitia incrementi aut decrementi. Quæ omnia complexus est illis verbis aphorismi, & circuituum inuicem incrementa. Mox addidit in aphorismo. Sed & ex superuenientibus, vt in pleuriticis si mox apparet sputum. In hanc ipsam sententiam, addit nunc. Omnium autem continuorum & intermittentium quæ longa, vt vulnorum, & spûtorum cum dolore, & tuberculorum inflammationes, & quæcunque alia apparent postèrius. Quæ sanè verba nullum idoneum sensum continent, neque congruam orationem constant, libuit tamen ea ita exprimere vt in meo codice reperi. Sunt tamen haud dubie ita restituenda, vt legit Petrus Iacobus Steue. Omnium autem morborum, tum continuorum, tum intermittentium, longorum, vrinæ, excretiones, & sputa, considerata sunt, & vulnorum dolorificorum, & tuberculorum inflammationes, & quæcunque alia post apparent. Hæc verba dignam Hippocratis sententiam continent, & aptè hærent cum his quæ sequuntur. Forte autem & aliarum rerum communium, quæ celerius breuiora, quæ verò tardius, longiora, & in periodis, quod prius, & aliud incrementum reiciente morbo. Nimirum signa quædam sunt pathognomica, his definitur propria morbi species (quare necessario accident suis morbis semper) quædam sunt superuenientia quæ superuenire solent morbis, adesse autem à principio nunquam. Huiusmodi sunt signa concoctionis, & contraria concoctioni, Nam incipiunt febres à crudis:

cocta aut contraria superueniunt iam crescentibus. Quædam sunt assidentia: hæc sunt quæ adesse & non adesse præ quocumque morbi tpe, vt capitis dolor, anxietas, delirium, fastidium, & alia huiusmodi. Porro quæ superuenientia dicuntur considerantur, nõ indistincte, in quibusuis morbis sed quædam in quibusdam, velut sputum in morbis thoracis, vrina in febribus, deiectiones in affectionibus alui. hæc sane in his, aut solum, aut præcipue. Quæ autem dñr assidentia, cõia sunt multis morbis. Nam in oibus quæ dicta sunt, & alijs quam plurimis consideranda sunt oia. Proinde referens genus superuenientium, apposuit genera morborum in quibus consideranda, dicens oium morborum, tum continuorum, tum intermittentium longorum: i. omnium febrium, seu morborum cum febribus (vt intelligantur esse bres accidentes) continuorum, qui et magna ex parte sunt acuti: & intermittentium qui longi, aut saltem nõ sunt acuti. Vrinæ, excretiones, & sputa, consideranda sunt: & in vulneribus dolorificis, & tuberculis, considerandæ inflammationes. Idest an cito & multum inflammentur partes ulceratæ, & tuberculo maior ardor (qualis in suppuratione solet) accedat. Nam hæc in his superuenientia sunt: quia incrementi eorum morborum sunt signa. Consideranda ergo, hæc, & quæcunque alia post apparent. Quia ea oia sunt signa incrementi morborum: cognoscitur verò constitutio ex incremento. Referens deinde genus signorum assidentium, & cõium (quorum in aphorismo non meminit) dicit, forte aut & aliarum rerum cõium, quæ celerius, breuiora. Nam si concursus omnium, aut multorum eius generis, malorum cito apparet, cito moriturum: si bonorum, cito, seu a surum ægrotum, significatur. Vt in prognostico dictum eisdem Hippocrati est. Si ergo insignia eius generis symptomata, seu bona seu mala, tardius appareant, longiora mala significantur. Si simul in periodis quod prius, & aliud incrementum reiiciat morbus, i. Si simul absit anticipatio paroxysmorum & prorogatio, & exacerbatio maior. Nam si hæc adsint, tam firma inditia sunt incrementi, vt significet breui finiendum morbum, vt cunque habeant assidentia. Hæc. n. dictum est posse adesse, & non adesse. Sed dices, maiores esse paroxysmos & longiores, & interualla breuiora, non sunt signa breuitatis morbi, sed contrarij Nam sunt signa

signa maioris morbi & maioris causæ, morbus autem cæteris paribus, quæ anto maior, tãto fuerit longior, vt & quiuis alius motus. Falso ergo dicit Hippocrates hæc significare morbum statim vigorem obtenturum. Hic quidam allucinantur magnopere, & incautè incidunt in contrarias assertiones. Sed oportet scire, anticipationem, magnitudinem, & longitudinem paroxysmorum fieri posse ob multitudinem materiæ, ac morbi magnitudinem, aut ob celeritatem, anticipationem quidem magis ob celeritatè: magnitudinem & longitudinem æquè ob celeritatem & magnitudinem: omnia autem hæc ob celeritatem & magnitudinem simul. Quia cæteris paribus, quod ad celeritatem attinet, quanto maior morbus, tantò hæc magis accidit: & cæteris paribus, quod ad magnitudinem, quanto morbus celerior, tanto hæc magis accidit. Itaque quicumque morbus tantò finietur citius; quanto paroxysmus magis anticipabit, & longior ac maior fiet: non inquam tanto finietur citius quàm alius quiuis, cui hæc non insint, sed quam ipsemet aut quam alius illi æqualis, cui hæc non inessent.

ET enim eorum qui statim morituri sunt, celeres iudicationes fiunt: etenim labores celeres, continui, & vehementes. Quæ autem iudicant in melius, non statim apparent. Iudicatoria non iudicantia, partim lethalia sunt, partim difficilis iudicationis. Quæ præiudicata, si cum cruditate iudicata sint, recidiuæ, sin minus acrisiæ. Fuerunt autem & lethalia, quæ non parua.

QVIA dixerat, iudicationum tempus ex notitia constitutionis morborum agnosci, dicit nunc quo tempore agantur iudicationes. Est verò summa rei, bonas iudicationes non agi ante coctum morbum. Quia quæ vigore naturæ aguntur, tempestiuè, & cum ordine aguntur: malæ verò intempestiuè. Ergo in morituris celeres iudicationes, id est quocumque tempore, & ante quàm morbus venerit ad summum, fieri solent. Nam cum mala iudicatione, mors quocumque tempore morbi lethalis, accidere potest: & si salus, nõ

nisi exacta morbi inclinatione. Atque adeo & si in summo vigore morbi moriatur homo, potuerit habere prius multas euacuationes malè iudicantes, vel a principio, nam tales sunt natura non ferente irrationes. Quia labores celeres, idest cum celeritate quadam urgentes, continui, & vehementes, esse solent. Quæ verò iudicant in melius, ne statim appareant, idest non ante actam concoctionem, quia tanto minus bona sunt, quanto citius fiunt. Tanto n. maior irritatio, & naturæ impotètia significatur. Atque adeo, & si possint aliquando parte mali succi euacuata vtilis esse, tollere tamen morbum nunquam possint. Iudicatoria autem non iudicantia, i. quæ non tollunt aut magnopere minuunt morbos, partim sunt lethalia, partim difficilis iudicationis. Itaque semper sunt signa mala: quia aut mors succedit, aut difficile iudicium. Est difficilis iudicationis morbus, qui per multos abscessus, & multas permutationes finitur, quod vocatur discrisia. Sed quædam iudicant videntur, atque adeo integre solui, cruda adhuc materia, non sunt soluta tamen perfecte ac tuto, quia recidiunt fiunt. Sin autem iudicationes accidunt, i. euacuationes, & febres manent, accidunt acrisiæ, i. iniudicationes, quod est producti plurimum febres, vt vix vnquam finiendæ videantur. Hæc vero fiunt, si paruæ sunt illæ euacuationes, vt si ferri possint. Non raro enim hæc cum per impotentiam fiât, profusæ adeo sunt, vt homines dissolutis viribus intereant: fiuntque hæc lethalia, quia non parua, idest quia maiora quam vt ferri possint.

10 **Q**uæcumque decretoria cum fiunt, hæc eadem si non fiunt, difficilis iudicij: contraria autem significatia, malum: non solum si recurrant, sed etiam primariæ naturæ contraria repentia. Vt & malorum signorum, in contraria repentia.

In omni agnostica doctrina, siue ad cognitionem presentium & præteritorum, siue ad perensionem futurorum spectet, optimum argumentum est, ab ijs quæ adsunt. Quia quæcumque adsunt, significant aliquid, illa si non adsunt, significatur contrarium. Velut si in morbo acuto nubeculam

lam in vrina fieri septimo die, boni iudicij suo tempore futuri est inditium: hoc idem non apparere, difficilis iudicij est. Si igitur ita affecto, septimo, octauo, aut nono, nulla manifesta concoctio in vrina fit, fiat autem aluus lubrica, difficilis indicationis fore morbus agnoscitur: ab eo quod adest, a ventris inquam fluxu, qui adest, cum adesse non deberet: & ab eo quod non adest, a concoctione inquam quæ non adest, cum adesse deberet. Sed in decretorijs, id est in euacuationibus quæ soluere solent morbos, hoc euenit manifestè. Nimirum sunt quædam effluxiones, & quibusdam vijs factæ, quibusdam morbis congruentissimæ, quibusdam alijs minus (enarratum mihi hoc fusius est lib. 10. controuersia.) velut inflammationi gibbæ partis hepatis mictio, simæ, deiectio. Rursum hepatis inflammationi, fluxus sanguinis ex nare dextra: lienis, ex sinistra. Igitur cum fluere sanguinem ex nare dextra in inflammatione hepatis bene, iudicatorium sit, hoc omnino non fieri, aut non fieri idem, sed aliud, difficilis iudicij est. Velut si pro ijs euacuationibus quas morbi natura amat, contrariæ fiant, vt si in inflammatione hepatis fluat sanguis ex nare sinistra, & in inflammatione lienis, ex dextra. Quæ enim contraria significant, id est decretoria significantia contrarios motus, ijs qui sunt bene iudicatorij, malum. Id quod fieri potest recurrente materia ad interna, aut ad partem male affectam. Vt si abscessus qui bene fieri cepit retrocedat. Id enim significat contrarium motum, quod quidem est valde periculosum. Sed non ita solum mala sunt, quod significant contrarium: non solum inquam si recurrant, sed etiam primariæ naturæ contra repentiã: id est, repentiã contra pristinam naturam morbi. Velut si a principio morbi videantur adesse signa motus materiæ deorsum, & nunc subito mutato eo impetu, qui huic morbo videbatur esse naturalis, apparere incipient signa raptus contrarij, in caput facti. Quemadmodum mala signa, quæ in contraria repunt, in contraria scilicet ei motui, quem per conuenientem regionem tenere cæperant succi: & ei quem natura morbi amabat. Difficilis enim iudicij hoc est, quia secundum rectitudinem quandam naturæ familiarem fieri debent naturales euacuationes, bonæ vt sint. Et quæ aliter fiunt, naturam non satis vincere materiam morbi, significant.

cant. Sed vt hac prædicendi regula, quæ est pulcherrima, possimus vti, oportet tenere notas, quibus nosse possimus, impetum succorum, quæcunq; in partem fiant, & in contraria mutatum. Proinde Hippocrates qui nihil eorum, quæ utilia sunt, omisit, apponit eas notas dicens.

11 **C**onsiderare verò sic oportet in coloribus, compressionibus venarum, tumoribus hypochondriorum, sursum vergentibus, deorsum vergentibus. Sed & multa sunt huiuscemodi. Velut abortientium mammae graciles fiunt, neque enim contrarium est. Neque tussis diuturna, quoniam vbi testis intumuit cessat: & testis tumore à tussi cessat, & subleuatur. Quæ res admonet nos communionis pectorum, mammarum, geniturae, vocis.

IDEEST, agnoscens in quam partem vergant succi, & an mutatus impetus in aliam partem sit, ex coloribus Nam rubor nimius faciei, impetum in superna significat, maxime si simul venæ tumentes sint. Velut contra, mediocri candor, & venarum compressio, significat in aliam partem sanguinem ferri. Quare sicui facies rubebat, & tumentebant venæ frontis, nunc repente mutetur color in candidum, & detumescant venæ, intelligemus in contrariam partem moueri iam succos. In quam autem, intelligemus, ex ijs quæ parti superuenient. Velut si tunc incipiat eleuari in tumorem venæ crurum, & cutis rubere. Sed & ex tumoribus hypochondriorum, sursum vergentibus, deorsum vergentibus: id est, cum tumores hypochondriorum sunt, considerantes in quam partem vergant, sursum an deorsum, intelligemus, quo inclinent succi. Nam cum tumida, & sursum retracta videntur hypochondria, sursum eunt, (quia hepar suam multitudinem in uenas sursum tendentes refundit, quibus tumentibus ille retrahitur) contra, cum detrahi deorsum videntur. Explicat deinde hæc, exemplis, præcipue quod de compressionibus partium, ex quibus recedunt succi, dixerat, & quod de tumoribus partium in quas feruntur, insinuauerat. Multa inquit, sunt huiusmodi. Velut abortientium mammae graciles

graciles fiunt (dicitur hoc idem Aphorismo. 37. particula quinta) reddens huius rei causam dicit, neq; enim contrarium est rationi, quia est magna communio mammis & utero, id quod alio etiam exemplo explicat. Neque enim rationi contrarium est, quod in tussi diuturna euenit. Nimirum tussis diuturna solet cessare superueniente tumore testiculorum, & hic tumor, superueniente tusse. Obseruauit hoc Hippocrates constitutione prima lib. 1. ubi dixit, multos eorum quos tussis sicca fatigabat, alterius, aut utriusque testiculi inflammationem incurrisse. Horum autem omnium causam esse dicit, communionem pectorum, mammarum, geniturae, uocis. Id est instrumentorum genitalium, quae sunt uterus, testes, & virile membrum, & uocalium, quae sunt imprimis larynx, & nerui recurrentes: deinde, & thorax, & omnia instrumenta respirationis. Horum consensus & communio multis significatur inditijs. Mutatione uocis ex usu ueneris, & ex testium defectu: intumescenciam mammarum ex suppressione menstruorum, & ijs quae hic refert, gracilescentia mammarum in abortu, & mutua passione thoracis & testium, qua scilicet, ex tussi sicca & antiqua intumescit testis, & ex illius intumescencia, fit tussis. Illa uocalium cum genitalibus communio est manifesta, in uenis quae de mammis descendunt, per musculos rectos abdominis, & committuntur cum ascendentibus ex utero: & in neruis sextae coniugationis, eadem enim mittit surculos quosdam in testes, & producit neruos recurrentes. Cum ergo habeant thoracis partes uias communes cum genitalibus, non mirum tenacem succum qui non potens excreari, difficilem & siccam tussim facit, per eas, in testes abscedere, & contra, qui non potest in testibus resolui, nonnunquam in thoracem reperere.

Abscessus aut per uenas, aut per ossa, aut tonos, aut cutem, aut alias emotiones. Boni autem sunt, qui infra morbum fiunt, uelut varices, lumborum grauitates ex supernis. Optimi uero praecipue sunt, inferni, & longissimi infra ventrem, & remotissimi a morbo, & qui

qui per effluxionem fiunt, velut sanguis e naribus, pus ex aure, sputum, vrina, quæ per effluxionem fiunt. At abscessus quibus hæc non fiant, sunt, velut dentes, oculi, nasus, sudor. Sed & quæ sub cutem abscedunt foras, tubercula, velut humentia, & quæ suppurantur, aut vlcus, aut eiusmodi exanthemata, aut squamæ, aut defluuium capillorum, vitiligines, lepræ, aut eiusmodi quæ abscessus suos acervatim fluentes, & non semirepentes, & quæcunque alia dicta sunt. Atque si non sint pro ratione excretionis morbi indigna. Velut temeni nepti, ex morbo forti ad digitum decubuit, qui cum non sufficeret ad suscipiendum morbum, recurrit. Mortua est. Abscessus aut per venas, aut per aluum, aut per nervos, aut per cutem, aut iuxta ossa, aut secundum spinalem medullam, aut secundum alias effluxiones, os, pudendum, aures, nares.

PER quas partes agi soleant abscessus, & qui quibus meliores aut deteriores sint, hæc dictione docet, apponem: quædam exempla. Vtitur verò quibusdam repetitionibus, vt ipse sermo indicet non satis esse hunc librum copiosum. Hippocrati abscessus est quæcunque abscessus succorum, vt dictum mihi iam antea est, non semel, sed cum effluxione extra corpus, siue sine ea, fiat. Narrat per quas partes fieri soleat, illud verò per quas, significat, per quas, solet egeri extra corpus, vt per os, nares, aures, aluum, pudendum: & per quas vias abit de parte in partem, vt per venas de mammis ad vterum: & per quas decumbunt, velut dicimus, per cutem expurgari vitæ scera oborta scabie. Dicit ergo, abscessus, aut per venas, effluente scilicet sanguine, vt de naribus, de hæmorrhoidibus, de vtero, aut non effluente, sed abscedente in partem, vt suppressis menstruis intumescunt mammæ, & lac habent, aut etiam inflammantur: aut per ossa. Hoc est quod morbo, eundem sermonem repetens, dicit, iuxta ossa. Nimirum decurrunt sæpe succi per periostium iuxta ossa, & nonnunquam in ipsa ossa subeunt, corrumpuntque ea. Nonnunquam per abscessus: aut (inquit) per tonos. Hic quidam tonorum nomine nervos recurrentes solum intelligi volunt.

lunt, quia scilicet sectione quarta huius libri differens de recurrentibus, dicit, duo verò toni à cerebro. Sed quòd illi toni sunt, recte intelligunt: quòd illi soli, non recte. Ita enim intelligere possis eos solos nervos esse, si dixerò sunt duo nerui à cerebro. Satius ergo sit putare, tonos dici nervos. Nam mox in repetitione scripsit: abscessus aut per venas aut per nervos, quasi eadem res sit nervus & tonus. Quanquam toni nomen non videtur propriè dici, nisi de nervis motus, quia illis continentur partes in tono. Itaque quod dicit est, abscessus fieri per nervos motus, eos scilicet qui inserti musculis, tendines fiunt. Per hos autem solere secundum rectitudinem fibrarum deriuari succos, & per tales abscessus resolui nonnunquam crura aut brachia, ac nonnunquam corruptione eorum claudicantem afferri, idque fieri sæpe deriuatis succis per spinalem medullam, aut secundum alteris, aut secundum vtrunque latus, res est expertissima. Proinde mox, repetens dixit, per nervos, aut secundum spinalem medullam. Exemplo est Fullo de quo lib. 4. occurret scriptum, Fullo collum, caput, septima manus stupida, nona, crus stupidum. Tussis cessauit. Aut cutem inquit (quod etiam mox repetijt) nimirum per cutem fiunt abscessus omnes cutanei (quorum etiam enumerationem facit in hac dictione) & insensilis euaporatio, & sudor. Sed quia nondum fecit omnium viarum per quas abscedunt succi, enumerationem, addit, & per alias emotiones, idest alios succorum recessus à partibus affectis. Deinde docet dignoscere bonos & malos abscessus, boni, inquit, sunt qui infra morbum fiunt, idest infra partem primario affectam, velut cum fiunt varices, & lumborum grauitates ex supernis. Sed quia tantum dixerat, bonos esse eos qui infra morbum, possunt autem esse infra morbum, & tamen in nobilem partem, velut si ex hepate fiant in renem aut vterum, qui abscessus non erunt optimi, cum afficiant partes minimè viles: atque adeo possit aliquis abscessus fieri in partem inferiorem primario affectam, esset tamen malus, velut si ex collo in pulmonem abscessus fiat, addit, optimi verò præcipuè sunt inferni, idque non vtcunque, sed longissime infra ventrem positi, & remotissimi à morbo. Nam infra ventrem sunt tantum crurum

crurum partes, omnes quidem externæ & humiles. Dicitur autem ei est in prognostico, eos abscessus maximè optari debere, qui ad exteriora expectent, & ad humiliorem partem fiant. Sed ut abscessus qui sine effluxione fiunt, tanto sunt meliores, quanto longius ab affecta parte succus pellitur, ita qui cum effluxione fiunt meliores sunt, quam qui sine ea. Nimirum ita, abscedunt etiam magis. Scribitur exempla abscessuum cum effluxione, deinde sine effluxione. Cum effluxione sunt, ut sanguis è naribus: pus ex aure sputum: vrina. Sed cur addit, quæ per effluxionem fiunt, nunquid hæc quæ dicta sunt aliquando sine effluxione fiunt? certe illud, quæ per effluxionem fiunt, potest intelligi adpositivè, aut intelligi, de sputo, & vrina. Hæc scilicet tales abscessus, cum fiunt cum effluxione decretoria. Nam quotidiana mictio, & sputio, nō est abscessus. Scribitur deinde exempla abscessuum sine effluxione, dicens, at abscessus, quibus hæc non fiunt, id est qui non fiunt cum effluxione, sunt, velut dentes, oculi, nasus, sudor. Id est, ut qui a dentes, oculos, nasum, aut sudore, fieri solent. Nimirum solent in has partes aliarum excrementa decumbere, & ex his affectis alios morbos iudicare. Exemplum abscessus in dentem facti, accommodatissimum est in calce. 4. lib. huius operis, ubi describens tempestatem quandam in alveo, dicit, quibusdam etiã dens corrosus est, tertius præcipue ex supernis, præ omnibus autem hic reperitur corrosus. Hunc abscessum cum huius met dentis corruptionem ego vidi, sæpius autem ad oculos, facta ex dolore capitis, ophthalmia, aut acri lacryma, & nonnunquam oculi corruptione aut procidetia & in nasum, factis Ozenis, aut Polypo. Iam verò sudor creberrimus abscessus est. Sed cur sudorem ponit in ijs, qui sine effluxione fiunt? An quia non effluit affatim, ut sanguis è naribus, aut ex vesica vrina, sed magis erumpit ad cutem, atque inde detergetur. Sed de omnibus quæ sub cutem abscedunt per corpus, sunt in hoc genere abscessuum. Hæc verò sunt tubercula, aut vlcera, aut maculæ, aut habentia horum quædam. Tubercula quædam dicuntur omnes tumores præter naturam, & omnes quidem possunt fieri abscessu aliorum malorum, creberrimè verò solvuntur alij morbi tuberculis humentibus, & quæ suppurantur, id est inflammationibus quæ emolliuntur & ad

ad suppurationem perueniunt. Ulcera etiam multiformia fieri solent abscessu, & maculæ, vt vitiligines, & albæ & nigra, & lentigines. Atque adeo comitari tales abscessus solet defluuium capillorum siue alopecia, siue ophiasis. Siquidem succis qui sub cutem capitis abscedunt, corrumpentibus eorum radices, fit. Fiunt etiam abscessu ex alijs morbis exanthemata omnia in quibus est omne genus scabiei cum sanie, & squammæ (sunt verò squammæ, vt magni furfures, sicca quædam scabies) neque solum simplex scabies, sed etiam quæ lepra dicitur, solet abscessu fieri (hæc omnia sunt partim tumores, partim ulcera, partim maculæ) est lepra, tetra quædam scabies, tamen non tam altè tenens carnes, quam qui dicitur elephas. Proinde lepra bonus abscessus esse potest: elephas non potest. Non tamen hæc semper sunt aliorum morborum abscessus. Nam si cui per febrem longam nascitur scabies febre nihilominus detinente, non est abscessus, sed est alius morbus, vt si alius quouis morbus accessisset. Quando ergo hæc abscessus sunt? si (inquit) non sunt semirepentia, sed acruatim fluentia, atque si non sint pro ratione excretionis morbi, indigna. Id est si non sint semirepentia, quod duobus modis fieri contingit, aut quod incæperint erumpere, non eruperint tamen bene, aut quod etsi eruperint, minori tamen quantitate, quam pro morbi magnitudine. Et quæcunque (inquit) alia dicta sunt. Quæ scilicet dictum est in bono abscessu desiderari, ne scilicet, mox appareat, neq; cum cruditate, ne sit lethale quia paruum, ne fiat in contraria primariæ naturæ, ne recurrat. Hæc itaque necessaria sunt, vt bonus sit abscessus, & ne minor quam pro morbi magnitudine. Velut Temeni nepti ex morbo forti ad digitum decubuit, qui abscessus cum non sufficeret ad suscipiendum morbum, id est ad suscipiendam totam morbi causam, recurrit, & mortua est. His dictis facit repetitionem partium per quas abscessus fiunt, mentionem nouam faciens quarundam, vt alui, perquam fieri solent crebri abscessus. Pro tonis dicit nunc neruos, vt hinc palam fiat, dictos antea esse tonos neruos. Ego verò motus tantum neruos, dixerim tonor. Addit & spinalem medullam, & os, pudendum, aures, & nares. Per hæc quidem

dem cum effluxione solere abscessus fieri res est notissima: sed & per spinalem medullam deriuari excrementa, & ita solui grauissimos morbos capitis vidimus. Quin & altera capitis pars, cum altera spinalis medullæ, solet totius capitis morbos excipere, vt paraplexia solet finire apoplexiam.

13 **E**X vtero menses, quæ iudicationum postridie, vt in lumbos, aut femur.

HÆC dictio variè admodum scripta occurrit. Et nata est varietas partim ex varietate græcorum codicum, partim ex sententiæ difficultate, diuersis diuersa coniectantibus, & variè proinde mutantibus dictionem. Quidam legunt ex vtero menses: finiuntque ibi superiorem orationem: moxque aliam exordiuntur, dicentes iudicationes postridie fiunt ad lumbos aut ad femur. Sed hæc sententia, aut falsa aut omnino imperfecta sit. Non enim omnes iudicationes fiunt postridie, neque omnes quæ ad lumbos aut femur fiunt, fiunt postridie, neque omnes quæ fiunt postridie, fiunt ad lumbos aut femur. Non explicat autem quas iudicationes dicat, neque à quo die sit illud postridie, an à primo morbi, an ab aliquo superueniente signo. Alij proinde ita legunt, ex vtero octomestri postridie iudicia facta sunt, quasi in lumbos, ac noxas malum repetent. Dicunt hi esse narrationem historię. Sed malè vbi dicunt, aut in coxas, seu in femur (nam *μίσρον* vtrunque significat) illi, pro aut, legunt &. Quomodo autem narrat et postridie illi mulieri factam esse iudicationem ad lumbos aut femur? diceret enim distinctè in quam partem. Præterea hic dicens *παρά τὴν κροτάλην* euacuationem videtur significare. Nam abscessus caperat vocare *ἀποσπασίαν*, euacuationes verò vteri, neque per lumbos, neque per coxam, neque per femur, fieri possunt. Proinde ego hanc meam lectionem, & aliam sententiam sequutus sum. Ea est, ex vtero menses fieri solere & iudicationes, idest euacuationes illas menstruas, solere fieri postridie, ex quò in lumbos aut femur dolor decumbit. Id vero est expertissimum, fitque & in illis quibus morbi talibus euacuationibus iudicantur, & bene

valen.

valentibus, quibus non omnino facile hæc euacuationes erumpunt. Causa est, quia incumbente in vterum succo an tequam referatis osculis in cauum illius subeat, intumescunt venæ, aut quæ ex lumbis in vteri fundum tendunt, aut quæ recurrentes è femoribus in illius os, aut utræque.

14 *ET in testes aliquando ex tussi, & testis ipse in se ipsum.*

HÆC quoque est repetitio dictorum antea. Dixerat enim, tusses diuturnæ, vbi testis intumuit cessant, & testis tumor cessat, a tussi. Nunc dicit, aliquando tumere testem ex tussi, aliquando perse, ipso in se ipso congerente materiam, aut saltem non per passionem secundariam. Quo quidem casu, non laborat per consensum cum thorace. Sed ille potius solet in consensum trahere thoracem, & tusses afferre.

15 *Tussiculosi abscessus, qui supra ventrem non æque perfectè solunt.*

TUSSICULOSI abscessus sunt illi, in quos tusses inueteratæ finiuntur. Si ergo rectè dictum nuper est, optimi verò præcipuè sunt inferni, & longissimi infra ventrem, & remotissimi a morbo. hi quoque perfectius soluent, infra ventrem, i. infra cauum thoracis facti, quàm supra. Sed & peculiari ratione hi soluent perfectius. Nam utcumque ex thorace descendant succi, liberantur, & expediuntur magis instrumenta vocis, & respiratus, quàm si sursum petût. Vix enim est aliqua superiorum partium, quæ non soleat tussim ipsa mouere, etiam cum primaria affectione tenetur, nedum cum ab ipso thorace malum excæperit. Non ergo æquè perfectè liberabitur pulmo, aut thorax a tussi, euntibus succis sursum, atque deorsum.

16 *Fluxus sanguinis largi ex naribus solunt multa, vt Heragoræ. Non agnoscebant medici.*

K

Non

NON solum fluxus sanguinis, sed alia multae euacuatio-
 nes quarum antea facta mentio est, solent soluere multos
 morbos, non quidem vt cunq̄ue, sed cum fiunt copiosè, &
 largè. Nam tètata euacuaciones, ne minuunt quidem mor-
 bos, & difficilis iudicij aut lethales esse significant. Quod
 quidem de omnibus decretorijs non iudicantibus, nuper
 dictum est, speciatim verò de sanguine guttatim stillante
 non semel hoc ipso opere dicit Hip. Sed cur deorsum fla-
 xus sanguinis ex naribus, nunc meminit, cum illum in
 alias euacuaciones iam numerasset? Certè vt admoneret
 hunc solere sæpe soluere morbos acutos, vt febres arde-
 tes, & inflammationes internas, in quibus maximè expe-
 ctantur iudicationes, & solere medicos sæpe falli, putantes
 malum noxiumque esse fluxum, cum tamen sit bene iudi-
 catorius, & optimus: atque adhibentes medicamenta, quibus,
 cum maximo hominum malo, naturæ repugnant. Quod
 medicis qui Heragoræ aderant, dicit accidisse. Sed & hoc
 etiam in alijs euacuacionibus potest contingere, minus ta-
 men solent medici imperiti, terreri multitudine deiectionu-
 num, aut copia sudoris, quam sanguinis, vt pote in quorundam
 iudicationem exit, non sine magno peccato cohibebunt.
 Neque verò solum hoc modo peccari hac in re potest, sed
 etiam ex contraria opinione: si quis omnem fluxum
 finat decretorium esse putans. Sæpe enim etiam ob vitium
 sanguinis, aut retentricis debilitatem, aut venæ rupturam
 fit fluxus mortiferus. Quid ergo faciendum? certè cura-
 dum tenere methodum dignoscendi salutarem & noxium
 fluxum. Ea est vt Hip. breuissimè omnem euacuacionis
 speciem complectens, dixit, ex conferentia & tolerantia.
 Quoniam autem tolerantia, quæ ex pulsu & colore, & alijs
 rebus animalibus spectatur, non admodum exercitata,
 quique vero facultatum lapsus & non reparabiles, a leui-
 bus distinguere nesciunt, potest fallere, satius sit in con-
 siderationem adhibere omnia quæ Galen. tertio de crissibus
 sparsim ab Hippo. scripta collegit, magnitudinem, & spe-
 ciem morbi, naturam diei, iudicationem, & signa decreto-
 ria, & concoctiones, quæ antecesserunt, aut non.

Qui asperas voces natura habent, & lingua subaspera: & quaecumque asperitates a morbis eodem modo. Quae ergo sunt durae natura, & sine morbo hoc habent, quae verò molles & tardiores in peccatum, non bonum: aut prior natura: considerandum & quae a victu.

CORRUPTIONEM loci huius, quae & in plerisque graecis exemplaribus, & in versione Iani Cornarij est, facile notabit quicumque perpenderit, ut a Petro Iacobo Steue primum, deinde etiam a me restitutus est. Nam haec lectio, sensum continet Hippocrateum, illa nullum non absurdum. Sed quid contineant haec verba enarremus. Dicitur est Gal. 4. de locis affectis cap. 8. mihi quae in scholijs, quae sint vocis differentiae, & quas habeant causas utque causae nonnunquam in compositione instrumentorum, nonnunquam in temperamento, eo maxime quod secundum humidum & siccum sint. Raucam enim vocem humiditate, clangosam siccitate gutturis & asperae arteriae fieri. Clangosa verò est et aspera. Nam aspera fit ob asperitatem arteriae. Asperitas verò contingit in siccitate, quia est vitium figurae in superficie, figuram autem retinere siccum natum est, humidum minimè. Et quia siccitas parit duritiem, & humiditas mollitiem. Merito ergo clangosa est etiam aspera, & utraque differentia siccitatem & duritiem instrumentorum indicat. Ergo qui asperas voces habent natura, asperitatem habuerint naturalem; qui ex morbo, praeter naturam. Sed si vox aspera vocalium instrumentorum vitium indicat, cur in asperitatem linguae id rejicit Hipp. cum lingua in instrumentis sermonis sit, non vocis? Certe quia laryngi & epiglottidi, quae vocalia sunt, est affixa lingua, & fieri non potest, quin illis siccatis, & asperitatem habentibus, lingua quoque ita affecta sit. Haec verò potest a nobis melius agnosci, ut quae in conspectum venit. Quae ergo linguae sunt natura durae & sine morbo hoc habent, voces scilicet asperas, (hic debet suppleri) quae verò non sunt naturales, non habent clangosas voces & asperas, nisi cum praeter naturam, duritiem, siccitatem, & asperitatem, acceperint. Docet deinde praesagire ex contrarijs: hoc est ex mollibus: quae verò (inquit) molles & proinde tardiores in

peccatum, id est balbutientes (nam qui sunt humida lingua loquuntur pigrius, & peccant in prolatione, mutantes quoddam literas) non bonum. Significat enim imminentem paralyfim, aut prior natura hominis talis erat: & considerandum quæ a victu. Id est malum est, nisi, id est, homini naturale, aut nunc superuenit ex prauo victu, vt si æbrius balbutit. Si ergo neque æbrius, neque id natura habens homo, incipit pigrius loqui, & peccare in prolatione, non bonum. Nam paralyfis significatur.

18 **Q**ui magno capite sunt, & magnis ceruicibus abiectionibus, & venarum magnitudo, & amplitudo ab eodem: & angustia, & crassities, & breuitates & tenuitates, a contrarijs. Quorum venæ latæ sunt, & veteres & ossa etiam latæ. Sunt autem his qui graciles, & pingues contraria horum. Et in ijs qui fame macerantur, mediocritates ex his. Ab his considerata sunt incrementa cuiusque quæ minuunt, & diminutiones, quæ augent, & in incrementis qualia simul augentur, & qualia simul roborantur, & distantia quales communes venarum.

Quia caput & ceruix occurrentium nobis hominibus facile perspiciuntur, utpote quæ in cõspectum mox veniunt. docet Hip. ex his agnoscere totius hominis robur & firmitudinem. indicat. n. magnum caput, cum quo est se proferente magna ceruix, hominis capite in humerũ aut pectus innascente, robur hominis: secundum facultatẽ animalem per loquidẽ, & manifestẽ, quia caput radix neruorũ est, & illud cum spina quæ a ceruice incipit, est radix ossiũ: ossibus vero & neruis firmatur, & agitur motus animalis: sed & secundum naturalem est & vitalem. Nam magnitudo & amplitudo partium, cum est cum bona figura, & bona partium concinnitate coniuncta, robur formatricis facultatis indicat. Ergo magnitudo capitis concinna, & cũ idonea figura (si male formatum sit, quod magnum caput, redũdantiam materij potius indicabit) significat non solum animalis, sed & naturalis facultatis robur illius, quia eius facultatis origo est,

est, huius, quia ab ea est formatum. Si verò ambæ hæ robu-
 stæ sunt, vitalis est robusta, quæ calorem naturalis illis im-
 pertitur: calore. n. aguntur omnia, & calor omnia dilatat.
 Cum ergo orta attestentur suis principijs, calidum hepar
 esse indicabunt amplæ venæ, calidum cor, amplæ arteriæ.
 Igitur qui magno capite cum magna ceruice sunt, calidi
 sunt & robusti, & venarum (intelligit verò Hip noie vena-
 rum est arterias) magnitudinem & amplitudinem hñt: hoc
 est, venas magnas & ampliter cauas. Nam hæc omnia, ab
 eadem cã fiunt, & angustix venarum, & crassities tunica-
 rum, & densitas, quæ coniunctam hêt stricturam viarum &
 breuitates, & tenuitates hoc est exiguitates secundum oēs
 distancias in membris quibusuis, ex contrarijs: puta ex fri-
 gore. Sed qui amplas venas hñt, hñt et mox amplios vêtres,
 omnes corporis cauitates amplas, vt thoracem, ventricu-
 lum, & vesicam, & magna ossa, non tamen statim & cras-
 sum corpus. Quin potius tales esse solent. graciles carnib.
 & abundantes sanguine. Quod quidem est temperamenti
 vehementer calidi & sicci: pingues, obesi que contraria ha-
 bent. sunt. n. angustis venis, & ventrib. omnibus, & exiguis
 ossib. Tales. n. sunt frigidi & humidi. Nam frigidi & sicci
 oia hæc habent exigua, & præterea graciles sunt. Inter hos
 sunt alij neque tam calidi vt illi, neque frigidi vt hi, neque
 vt hi graciles aut obesi, sed bene corporati, bene crassi, &
 habentes vasa bene magna. Quia calidi sunt cum quadam
 mediocritate sanguinis, & temperamenti. Hinc fit, vt alio-
 rum nulli sustinere possint multam inedia, graciles, qui
 sunt amplis venis, quia sicci & biliosi cum sint, facile exo-
 luuntur, obesi, aut vt cunq; exiguas hñtes venas, quia sunt
 debiles cum penuria sanguinis. Soli illi qui bene tempera-
 ti, & mediocriter carnosii sunt, possunt in victu tenui con-
 tineri, quia robusti, & satis abundantes sanguine. In quam
 sententiam dixit Hip. facta mentione gracilium & obeso-
 rum, & qui fame macerantur, i. qui famem sustinere pos-
 sunt, mediocritates ex his, i. sunt quibus hæc mediocriter
 insunt, calor scilicet & amplitudo vasorum, & corpulètia.
 Sed contingit dubitare, cum dictum sit generatim, magni-
 tudinem & amplitudinem partium ab eodem, & graci-
 litates & breuitates ac omnino exiguitates a contrario,
 quo pacto, qui sunt magnis ossibus, venis & arterijs,

sint graciles, & qui angustis venis & arteriis sint obest, & valde corpulenti? Huic dubitationi occurrens Hipp. addit, ab his consideranda incrementa cuiusque quæ minuunt, & diminutiones quæ augent, & qualia simul augetur, & qualia simul roborantur. Quasi diceret, & si magnitudo ac amplitudo omnium instrumentorum & omnium partium solidarum, ab eadem causa fiunt, & angustia ac exiguitas à contraria: non tamen omnia quæ in homine sunt augetur simul, aut minuuntur: sed quædam sunt, & in quibusdam naturis, quæ simul augetur & roborantur, quædam, & in quibusdam naturis sunt, quæ crescentia afferunt aliorum imminutiones, & imminuta, aliorum incrementa. Velut quatum pinguedinis, augetur, tantum minuitur sanguinis (docet Aril. 2. de partibus anim. cap. 5.) & ita quibus crassescen-
 bus, aut ob mutationem ætatis, aut victus, totius corporis carnosa moles crescit, venæ & arteriæ fiunt angustiores, quia ex hauriuntur sanguine, & fiunt densiores, quia pinguescentibus tunicis fiunt minora caua: quibus contra, de-
 nuo exercitatis, aut ad calidiorem regionem translatis, aut ad totum victum calidiorem, in venis incipiunt sanguis & spiritus augeri, carnea moles incipit minui. Quibusdã autem simul augetur & roborantur omnia hæc. Velut si quæ velis, frigidum natura & siccum, & proinde gracilem, & membris omnibus & partibus simplicibus, cum penuria succorum, transferre ad meliorem naturam, calido & humido victu, exercitationibus, frictionibus & inunctionibus idoneis, omnia simul augebuntur, & roborabuntur. Oportet verò hæc omnia nosse & considerare, ad agnoscendum temperiem & robur hominum. Sed quorsum Hippoc. de abscessibus & decretoriis euacuationibus differens, ad magnitudinem capitis, & disputationem de temperamentis nunc diuertit? Profecto tam difficile sit vnum quædam ductum, & ordinem, in hoc secundo libro inuenire, vt in quibusdam sententiis omnino fieri non posse videatur: tamen nunc videtur locus hic, alteri, libri sexti, sectionis sextæ, respondere, & ratio ordinis loci huius ex illo intelligi. Illic enim ita dicitur. Quibus sanguis multus ex naribus fluit, quibus quidem colorum priuationes exactæ, his parum profunt, quibus autem rubri colores, non similiter, & quibus capita bonæ tolerantæ, profunt, minime autè, quibus non.

Hæc

Hæc duo loca ex se ipsis explicantur mutuò. Nam illic dixit capita firma bene ferre fluxionem sanguinis: sed quæ essent firma capita tacuit, hic explicuit, dicens esse magna cum magnis ceruicibus. Ergo cum dixisset sanguinis fluxum multos iuuare, quosdam autem lædere, addidit firma capita esse talia, ut scilicet intelligamus quod illic explicuit, qui talibus sunt capitibus solere iuuari fluxu sanguinis. Hac occasione venit mentio firmitudinis capitis. Hinc verò nata est disputatio fusior de habitu corporum & temperamentis: docuit quæ graciles esse latis venis & magnis ossibus, obesos contra, angustis venis, quosdam in quibus simul augetur hæc. Noscit verò oportere hæc plurimum, quod exangues & pingues, fluxu sanguinis lædantur, sanguinei siue graciles, siue bene carnosissimi, iuuentur. Addit considerare etiam oportere, quales sint distantie communes venarum, hoc est decisiones communes venarum, & quo modo in quamcunque partem corporis distribuuntur venarum rami. Nam ita constare poterit quæcumque pars cum qua habeat venas communes. Iuuantur verò quibus sanguis fluit secundum rectitudinem, siue sponte siue arte fluxio fiat: non iuuantur, quibus ex contrariis. Ut si cui calido hepate, aut inflammatione tentato, fluit sanguis de nare dextra, bene fertur, si de sinistra, non ita refert, ergo multum refert nosse, & quæ simul augetur aut non, & dissectionem venarum, cum ad alia multa, tum vel maxime ad iudicandum, an sanguis utiliter fluat, an cum noxa.

A *Abdominis rupturæ, quæ quidem circa pubem sunt, plerumque sunt statim innoxia. Quæ verò parum supra umbilicum in dextra parte, dolorificæ hæ, & fastidiosa, & vomitum stercoreis faciētes, ut quod Pittaco. Fiunt autem hæ, aut plaga, aut distentione, aut alterius insultu.*

Abdomen est id quod tegit totum ventrem inferiorem, constat, cute, pinguedine, & octo musculis, huic desuper hæret peritonæus, ad medium quidem ventris secundum longitudinem concretescens cum tendonibus musculorum. Rupturæ possunt fieri hæc in parte, aut dicisso ab domine secundum altitudinem: cute inquam & musculis ac peritonæo si-

mul: velut cum vulnera penetrantia inferuntur telo aut gladio: aut incipientes ab interiori parte cute quidem sana, dirrupto autem peritonæo, vel solo, vel simul cum musculis, aut eorum aliquo. Fieri autē hoc solet, distentione facta motu aliquo vehementi, vt clamore, aut saltu, aut casu, aut incidente re aliqua aut vt cumque illata plaga. Solum peritonæum dirrumpi supra inguina, leue est, nisi attingat dirruptio eam partem, qua concreuit cum tēdonibus musculorum. Si autē ea parte rumpatur, aut in inguine, aut superioribus lateribus, aut qua nascitur scrotum, excidunt loco suo, quæ intra illud natura continentur, faciuntque ita conspicuum tumore: in inguinibus quidem aut superioribus partibus, per solā ruptionē, in scroto per hanc, aut laxitatē. Vocanturque hæ omnes, herniæ. Quin & quæcunq; magnæ intumescentiæ scroti, etiam si per dilatationē exterræ cutis, internis omnibus partibus sua loca tenentibus fiant, aut multa aqua in eo collecta aut flatu, vt sit velut eius partis ascytes aut tympanites: atque adeo si ipsa testiculorū carne plurimum auēta, scrotum intumuerit, vocātur herniæ, variâ nomina accipiētes à loco, aut causa. Vt dicatur bubonocile, enterocile, hydrocile, sarcocile, neumatocile, aut tæcumcile. Sed hæc persequi nunc opus non est, ac multo minus curationem. Illud tantum nosse expedit cum omnes abdominis rupturæ dolorosæ sint, & partes subiectas debilitari faciant, nō tamen omnes æquæ: sed quæ circa pubē sunt plerunque sunt statim innoxia, id est non tantā afferentes noxam, vt non sint multi, qui secundum eas partes rupti, longā vitam agant, non admodū miseram. Quæ verò parū supra vmbilicum, maximè in dextra parte, multo sunt periculosiores, quia per infernas rupturas intestina solum possunt exire & alterari, & ea quidē crassa, per supernas verò, omentum simul, & intestina gracilia. Omentū verò excidēs loco proprio, admodum læditur, quia vt dicitur in aphorismo, si omentum exciderit necesse est putrescere. Intestinorū gracilium quæcumque læsio maior est. Ulcerata enim non curantur (vt aliquando quidē crassa) intēperata verò aut obstructa, pro dolore colico, qui in crassis intestinis fit, voluolum vocatum afferre solent, morbum perniciosissimum, & à quo vix vllus euadit: cuius propria signa sunt, dolor acutissimus supra vmbilicum, fastidiū, & vomitus fecum. Ma-

ximo

ximo ergo in periculo sunt, quibus ruptio abdominis supra umbilicum est, quia parati sunt ad voluulū. Quod Pitaco cuidam euenisse dicit, quem verisimile est, ex ruptura facto voluulo, interiisse.

20 *Quibus quod est inter abdomen & cutem inflatum est, & non subsidet, & color qualis valde pallidus, is qui ex albo colore, ab hepate totum quod huiusmodi, & ab hoc hepatici morbi in his: & icteri ab hepate in sub candidum, & aqua inter cutem laborantes, & leucophlegmatici, qui autem ab splene, nigriores, & hydropes, & icteri.*

Hepatici dicuntur quicumque laborant morbo lōgo hepatis, ut intemperie, quæ cum debilitate coniuncta sit, aut difficili obstructione (nam eum qui inflammatione hepatis laborat, non dicimus hepaticum: sed ita affectum) harum affectionū maxima indicatio est ex colore faciei: quia cum sit propria succorum officina, & tales in cute florescant colores, quales humores abundant in corpore, necesse est vitium sanguinis in hepar reiici, & colore prodi. Ergo vitiosus color præter naturam per totam cutem factus, malum aliquod hepatis primum, aut secundarium, necesse est indicet. Quia omnis actio læsa indicat vitium proprii instrumenti: species autem coloris talis, speciem affectionis indicabit. Velut hydrops & regius morbus, qui in hoc morborum genere sunt præcipui, coloris vitiosi specie indicantur. Nam utriusque habent minimè rubrum, neque bene candidū, neque omnino naturalem, sed albidum inter mortuū, & velut ex pallido & albo. In hydropicis verò est albi multum, pallidi omnino exiguum, ut magis sit malus modus albi, quam pallor: in ictericis, est pallidi coloris multum, ut in quibusdā partibus, crocei dissoluti color. Dicitur verò etiā hic color subalbidus, quia vacua rubore cutis candida est, & fit quidam color referens effusionem flauj per candidū, & hæc quidem habent icterici, & in omni hydropis specie laborantes. Addit Hipp. & leucophlegmatici, quasi leucophlegmatia nō sit hydrops: sed aliud hepatis malū, hydropi analogum

analogum loco affecto & causa; hydropis verò sint tantum duæ species, ascytes & tympanites. Gal. certè tres species esse ponit, leucophlegmatiam inter eas recensens. Hip. videtur hanc ab alijs separare, velut certè, & vulgus hominum ex solo ventristumore hydropem iudicat. Nihil refert modo intelligatur, omnes has passiones hepatis esse. Quibus color albidus est, vt leucophlegmaticis & hydropicis, hepatis per se aut per consensum, cum ventriculo, intestinis, aut pulmone (hæc enim non mutant colorem ad aliam speciem) frigidam: quibus verò pallidus valde vt ictericis, calidam & siccam intemperiem sine obstructione nonnunquam cum solo vitio sanguinis, plærunque cum obstructione significat. Non sunt autè hæ affectiones semper simplices, sed componi possunt, cum inter se, tum etiam cum alijs. Velut si quis morbo regio laborans hydropicus fit: huic color flauus, cum albido incipiet permisceri. Verum bilis effusio plurimum huius complicationis cognitionem, quæ ex specie coloris haberi posset, interturbabit. Maxima distinctio continget ex tumore ventris, qui iam icterico superueniet. Nimirum ab ascyte est inseparabilis tumor aquosus ventris, & à tympanite, flatuosus, quia in illa multa aqua, in hac multus aer, tenet id cauum quod est inter intestina & peritonæum. Hinc fit ille tumor qui in manui occurrit. Atqui vulgus hominum putat, eam materiam inter carnem abdominis & cutem contineri. Nam ex hac vulgari opinione natum est nomen latinum, aqua intercus: & hispanum, *agua entre cuero y carne*. Hanc opinionem sequutus Hippocrates describens per propria symptota hydropem, dicit, quibus quod est inter abdomen & cutem inflatum est. Non quod Hippocrates ignoraret ipsum etiam abdomen distentum esse, sed quod istam diligentiam modo sermo non desideraret. Itaque si morbus regius & icterus simul hominem tenent, color ad albidum aut pallidum inclinat, vt alter altero magis affligit. Euidens autem cognitio fit ex tumore ventris. Cum alijs etiam copulantur hi morbi: vt cum ex liene fit hydrops, aut morbus regius. Nam vterque morbus incipere potest ab ipso hepate primario laborante, aut consentiente cum alio membro male affecto: sæpissime autem veniunt ex liene, quia refrigeratus lien refrigerat hepar, fitque hydrops; aut obstructio,

Etio, quæ lienem obfidebat, vsque ad hepar producitur, fitque icterus, sed vteruis horum morborum ita factus fit, erit cum alio complicatus, qui dicitur icterus niger. Hic est, cum atrabilis diffusa per totum corpus, cutem tingit: fitque liene non satis purgante sanguinem ab atra bile, vt dictus antea icterus, vesica felis non purgante satis à flaua. Vtrunque autem fieri potest, aut bile plurima genita, aut parte ad quam pertinet expurgatio debilitata, aut via obstructa. Si ergo ob debilitatem aut obstructionem lienis portio melancholix quæ cutem possit denigrare, diducitur, antequam hepar debilitetur aut obstruatur, fiet solus icterus niger, & color, tantum niger: si autem iam etiam debilitetur hepatis vis concoctrix, fient simul hic & hydrops, eritque color ex albido & nigricante: si autem obstruatur quâ parte expurgatur fel, fient ambo icteri, flauus & niger, & color etiam ita mixtus. Quod si hepar ambo patiatur simul, intemperiem dico & obstructionem, fient dicti tres morbi simul: duo icteri & hydrops, atque color quidam nascetur, qui hæc omnia mala ex parte referat. Verum fieri non potest, vt lien debilitatem attulerit hepatis, non debilitatus: aut obstructionem, non obstructus. Quare si hydrops aut icterus à liene caperit, necesse fit melancholiam iam male expurgari. Necesse ergo fit, eos qui à liene caperint, nigriores esse siue hydropes, siue icteros. Sed enarremus totam hanc orationem. Quibus (inquit) quod est inter abdomen & cutem inflatum est, id est, quibus regio ventris inferni tumida conspicitur, vt in hydropicis, & alijs omnibus, quibus tumores duri hypochondriorum sunt: & non subsidet, id est, & non citò subsidet, vt quibus ex lauta cœna, aut larga portione, aut satietate fructuum horariorum, aut olerum, aut etiam ex colico dolore, intumuit (nam ob tales occasiones solet tumere sine morbo hepatis, sed mox conquiescit, velut certè aliorum omnium morborum, ob manifestas quasdam causas, solet species apparere, sed duratione dijudicantur. Quia scilicet talia mox conquiescant) & color est qualis valde pallidus. Sed quia non is tantum qui proprie dicitur valde pallidus, quique in ictericis conspicitur, indicat malum hepatis, sed etiam albidus color hydropis, addit, is qui ex albo colore, id est non solum qui proprie est valde pallidus, sed qui vt cumq; ob

VACU-

vacuitatem ruboris, & coloris viuidi, vocatur vulgo, nunc pallidus, nunc albidus: ab hepate totum quod huiusmodi, idest, vtcunque homo colorem habeat album aut pallidū, aut velut ex his mixtum, & ventrem tumidum: quod fit per inflationes aut tumores scirrhusos hypochondriorum vel abundantiam aquæ aut flatus inter intestina & peritoneum; in hepate esse malum significatur: & ob hoc hepatici morbi in his, idest, & hanc ob causam hepatici morbi dicuntur, quibus hæc adsunt symptomata, & icterici, & aqua inter cutem laborantes, idest, tympanite aut ascite, & leuco phlegmatici, qui ab hepate sunt, idest, qui id per primariā passionem hepatis habent (aut saltem nō ex liene) ad subcandidum inclinant, idest, colores habent citra rubrum, & expertes nigritiæ. Hydropes autem & icteri, qui a liene incipiunt, nigriores sunt.

21 **E**T *ulcera quæ agrè sanescunt ex albidorum, & lenticulorum, & cutis valde finditur, & labia, vt Antilochus & Aleuas: quod ab humoribus ex corpore falsuginoso: quod sub cute maximè & à capite, cum à pulmone calefit.*

AP H O R I S. 8. sextæ particulæ dictum est, hydropicis ulcera facta in corpore agrè sanantur. Hoc idem dicit modò, causam præterea apponens. Dicit ergo, ulcera quæ agrè sanescunt ex albidorum, & lenticulorum, & cutis valde finditur & labia. Idest, ulcera quæ sunt in corporibus ex albidis, simul cum maculis quibusdam lentibus similibus, cum & cutis multum finditur, & labia, qualia erant quæ Antilochus & Aleuas passi sunt, agrè sanescunt. Quæ quidem duabus affectionibus lethalibus & in extremo iam constitutis hydropi & phthisi, accidere consueuerunt, in vtrisque quidè ob humorem falsum. Hic tamen colligitur in hydropicis sub cute in toto corpore, idq; est frequentissimum, & maximè fieri cōsuevit: fit autem etiā salsa pituita a capite fluente cum à pulmone calefit, vt in phthificis. Nimirum solet id malum incipere à catharro, & procedere vsq; ad hæc ulcera insanabilia. Repletur caput pituitoso succo, qui fuliginū quæ de pulmone ascendunt, calore, fit falsus, & defluit, imprimis quidem in ipsum pulmōnem recta, deinde verò & per

per habitum corporis deriuatus. Imprimis ergo ob falsam qualitatem corrodit exulceratq; pulmonem, deinde cum plurimū in eo malo processum est etiam cutem corporis, & ob hanc quæ in corpus defluit falsam humiditatem, & ob proprij cuiq; parti alimenti corruptionem. Quæ corruptio, cum ob materiæ differentiam varia sit, varias etiã parit maculas lentibus similes. Qua autem hæc vlcera ægrè sanescunt, dicta est mihi causa in commentario aphorismi. Ea est eadē quæ facit, puta falsa humiditas: cum vlceratq; partes nō aliter possint curari, quàm siccata & expurgate.

Occasiones vnde ægrotare caperint cōsiderandæ, siue capitis dolor, siue auris, siue lateris. Signum autem in quibus dentes & in quibus bubones.

OCCASIONES morborum dici solent causæ procatarticae, quæ occasionem ægrotandi præstitere, quo significato haud dubie verissima esset hæc sententia. Nam multum refert considerare qua causa ægrotare caperit homo, ob inediam an ob multum cibum, ob æstum an ob occursum aut frigidæ, ob vigiliam an ob somnum nimium: ad cognitionem quidem per se, ad curationem vero ex accidenti. Quia a contrarijs causis non potest omnino eodem modo esse affectum corpus. Vtunque autem affectus differat, debet esse ratio curationis alia. Tamen hic aliud est quod occasionis nomine significatur. Nam *αφορμη* nō fert hanc significationem, & illud *αφορμη η̄ ορχατο να μω* id est, vnde caperint ægrotare, significat esse partem primam, seu primum impetum a quo morbus caperit, & multo magis id indicant exempla. Nam (inquit) siue capitis dolor, siue auris, siue lateris, fuerit. Signum autem in quibus dentes, & in quibus bubones. Ergo quod docet est, considerare oportere, vt caperit ægrotare corpus, & ex qua passione caperit morbus, si febris caperit ex dolore capitis, siue ex dolore auris, siue lateris, siue quacunque alia passione: Sed dices quid refert hæc considerare? videtur enim satis esse scire quæ passio sit nunc, & si nescias quæ fuerit. Certe refert multum nosse quale fuerit initium passionis quã suscipimus curandam, & qui decursus, quotcunque mutationes fecerit malū: idq; siue prioribus passionibus abeuntibus, posteriores acciderint, siue manentibus, accesserint.

Si

Si recesserint nosse oportet, quot, quæ, & quo ordine fuerint, si maneant, quo ordine sint factæ. Velut si duo occurrant febricitantes, nunc quidem eodem modo. Alteri verò ex capitis, alteri ex renum dolore, facta sit febris: nosse quidem id distinctè oportet: atque sicui simul dolent, aut utique affecta sunt, ventriculus & caput, nosse oportet, an capitis dolor prius afflixerit, & ventriculi deinceps subsecutus sit, an contra. Refert enim hæc consideratio, & ad agnoscendam, & ad prognosticam, & ad curationem. Nam si dolor ventriculi antecessit, dolor capitis per cōsensum esse putabitur, & curatio incipiet à ventriculo: si dolor capitis antecessit, ea putabitur esse primaria affectio, & curabitur per se: atque si dolor capitis vehemens ante febrem, aut ea incipiente fuit, merito timebitur raptus materiæ in eam partem, & præcauebitur admoto oxorrhodino. Si doluerint renes, in illos etiam timebitur, & cauebitur decubitus. Quia si quæ pars ante morbum doluit, in ea morbus firmatur. Sed quid est quod addit, signum autem in quibus dentes, & in quibus bubones? Certe sunt exempla quæ forte fortuna tunc occurrebant curanti, & in memoriam venerunt scribenti Hippocrati velut sicui cum dolore dentium facta sit febris, timeri debet partibus superioribus, & ipsi dentes solent excidere indicatorie, ut ante dictum est. Iam verò si cum bubone ceperit, non est exigui momenti nosse, quia febres ex bubone singularem malitiam habent, ut in aphorismo dictum est, & singularem curam exigunt.

23 *Quæ sunt ulcera, & indicant febres, & tubercula: quibus hæc non accidunt, sublata indicatio. Quibus verò interius relinquuntur, his certissima reuersiones, & celerrime.*

DICTUM est nuper ab Hippocrate quæcumque indicatoria signa fiunt, eadem hæc si non fiunt, difficilis sunt indicationis: ergo & ulcera sponte nata, & tubercula, cum decretoria esse solere multis morbis, dictum etiam nuper fit, si ijs morbis qui tales indicationes amant, non fiant, difficilis indicationis, aut impeditæ indicationis, id fit. Morbi verò

verò quibus sunt tales iudicationes familiares, sunt, vt in prognostico dicitur, febres quæ prorogantur, saluo affecto homine. Proinde ego soleo mox ac febris aliqua videtur produci, & ex crasis succis pendere, estque laboriosa, si quæ pars ignobilis dolet aut doluit, in eam abscessum vocare: sin nulla talis sit, omnes partes adenosas fouere calente oleo, aut etiam alia inunctione conuocante. Nam quibus cum iuxta naturam morbi deberent erumpere, hæc manent interius, vel non satis erumpentia & si incæperint, vt cum fiunt abscessu minores quam vt prossint, vel ne tantantia quidem erumpere, celerrimæ & certissimæ sunt recidiuæ. Nam si abscessum succorum facere natura non potuit, multo minus possit euacuationem. Quæ verò relinquuntur in morbis recidiuas faciunt.

²⁴ **C**RUDOS & humidos secessus milium solidum in oleo coctum sistit. Exemplo est nautæ puer, & Myrio chaune.

DEIECTIONES madentes non biliosæ quales per diarrhœas fiunt sæpe, debilitata retentrice facultate intestinorum, vocat crudos & humidos secessus. Curatur hæc diarrhœa vsu siccantium & adstringentium: cum retentrix humiditate & laxitate maximè debilitetur. Non raro opus est medicamentis deuoratis, & per sedem iniectis, & admotis: sæpe autem sola mutatione victus ad sicciorem, & qui suapte natura difficile descendat, curatur: vt caseo veteri, & duris ouorum vitellis, & hepate asso, & alijs huiusmodi, in quibus etiam est milium integrum oleo coctum, aut solo, aut cum iure aliquo. Milij quidem in hac Hispaniæ parte, rarus est in cibis vsus, tamen pro eo vitur ad diarrhœam, oriza cocta iure carniū aut oleo. Prossunt etiam esculenta, quæ orizæ polline parantur, vt qui vulgo dicitur *manjar blanco*. Proderunt ergo etiam quæ parabuntur ex milij farina, non tamen ipsum solidum milium: cuius in nautæ puero, & in Mirio chaune periculum Hippocrates fecerat.

Sectio secunda.

Mulier cor dolebat, & nihil remittebat, sed in mali punici succum potentam inspergens, & semel in die comedens, depulit, & non vomuit, qualia quæ Charion.

HABD dubiè hic vt & alibi semper καρδalgειν significat habere dolorem oris ventriculi. Nam ratio curationis id indicat, & quòd, velut quiddam notatu dignum, Hippocrates narravit, hanc non vomuisse. Accedit quòd magna coniectura est hunc Charionem, cuius hic mentio fit, esse illum Charionem, quintum ægrotum primæ partis tertij Epid. Aut hic aut illic corrupto nomine. Nam ille habuit capitis grauem dolorem, & turbatam aluum ex tenuibus, & tremorem labij inferioris, notas acris confluxus in ventrem, & decimasexta vomuit biliosa multa. Itaque cum nomen ægroti occurrat vna literula mutata, idem, & narratio, quòd ad vomitionem attinet eadem vtròbique, videtur esse ille ægrotus. Charion verò laborauit ore ventriculi confluentibus in illud multis & acris excrementis, quæ quidem mox pariunt cardialgiam, seu cardiogmò, id est dolorem aut morsum oris ventriculi. Malum sane nõ leue: ob consensum magnum partium principum cum illo. Nam quibusdam affert lipothimiam, aut etiam syncopen, consentiente corde, quibusdam vertigines, suffusorum vitia, conuulsuos motus, atque adeo epilepsias, consentiente cerebro. Quibus ob cruditatem acidam, aut redundantiã flatus, vel crudorum succorum, aut intemperiem frigidam, os ventriculi dolet, calorifica ratio curationis debetur: quibus verò ob cruditatem nidorosam, aut confluxum biliosorum excrementorum, aut omnino calidam intemperiem, adstringens & refrigeratoria, vt bilis feruor sedetur, & laxatus ventriculus, adstrictione roboretur: vt ea quæ adest bilis dolorem non faciat, & quæ nondum veniẽs fluere desinat. In quem vsus laudatur merito malum punicum, vt cunq̃ue eo vtaris, siue totis granis perse, aut cum pane

pane manducatis, siue hausto succo solo, siue panis micis in eum intinctis, siue eum succum cum aliquo idoneo cibo admisto comedas vt cum ptissana, aut cum amylo, aut cū polēta. Paratur polenta ex farina hordei. Ergo paratis pul-
 ticularum ex farina hordei, aut farre cum succo mali punici, curari potest id malum, quia replebitur ventriculus atten-
 perante & adstringēte cibo. Ego sanè iam aliquot cardial-
 gicos & pycrocholos, iuui solum præcipiens vt tota ætate
 vterentur pro vino, decocto totius mali punici, totius in-
 quam cum cortice & granis. Dicit igitur Hippo. mulierem
 Cardialgicam, quæ citra intermissionem vexabatur, cura-
 tam esse polenta insperso succo mali punici, & *μνοσστιν*,
 id est, & semel in die cibum accipiens. Sed dubitet aliquis:
 si dolor ille ex frigore erat, quo pacto posset esse succus
 mali punici utilis, si verò calidus cur semel solum in die ca-
 piebat cibum? Nam qui ita affecti sunt nulla re magis læ-
 duntur, quam ieiunio, vsque adeo, vt nisi summo mane cibi
 aliquid capiant, ante consuetum prandij tempus linquan-
 tur animo, aut saltem grauem morsum sentiant, atque nus-
 quam melius habeant, quàm cum plenus cibus venter est,
 quibus bilis imbibatur, & astrictus ventriculus nō recipiat.
 Certè ille affectus erat fluxio calidorum, vt & in Chærio-
 ne, & qui ita affecti sunt, debent accipere cibos, neque exi-
 gua quantitate, neque tenues, quia tales vitiantur, & augēt
 cacochymiam, si verò accipiuntur multi & crassi, liberant
 à fluxione, & coquuntur. Non tamen possent coqui multi
 & pluries accepti, à vētriculo præcipue male affecto. Pro-
 inde semel & copiosè pasci debent. Sed quia neque lon-
 gum interuallum sine omni cibo possunt transigere, vti de-
 bent mane & vesperi cibus quibusdam leuibus, & medica-
 mentosis, vt polenta cum succo mali punici. Itaque Hippo-
 crates non vocat hic *μνοσστιν* vnicam degustationē cibi,
 sed vnicum prandium, vt consilium sit, semel bene prande-
 re, & aliis horis aliquid medicamentosum, quod replere
 corpus non possit, degustare. Vt si consulas primo mane
 accipere micam panis, ex vino diluto per hyemen, ex succo
 mali punici in ætate: & cœnæ tempore polentam cum illo
 succo, aut assum pyrum. Illa igitur mulier ita curata est, se-
 mel quidem bene prandens, aliis horis medicamenti loco
 accipiens polentā cum succo mali punici, & liberata qui-

L dem

dem est, non vt Chæriion, sed sine vomitibus : quod quidē indicat intemperiem fuisse maiorem quā pro materiae multitudine.

2 **M**utationes iuuant nisi ad malum mutantur, velut a pharmacis vomentibus febrium causa, fines inmeraciora putrefactionem significant, vt Dexippo.

Vt in aphorismo. 14. sectionis secundæ dicitur, in alui fluxionibus mutationes deiectionum iuuant, nisi ad praua mutatio fiat: id cum in spontanis fluxionibus verum sit, tū multo magis in ijs quæ pharmaco accepto fiunt. Nam si quam significationem malam præstare potest deiectionū varietas, multorum & diuersorum excrementorū, & multiplicis cacochimix, hanc minuit pharmacū. Nam ne prauæ quidem & variæ excretiones quæ cum accepto pharmaco fiunt, adeo malæ sunt, vt apho. 21. quartæ particulæ dicitur, his verbis. Deiectiones nigræ, velut sanguis niger, sponte venientes, & cum febre & sine febre, pessimæ sunt: & quanto plures fuerint peiores colores, tantò deterius: cum medicamento verò melius, & quanto plures fuerint colores, non malum. Si ergo varietas in pessimis, quæ sponte facta mala est, facta cum pharmaco est minus mala, varietas in minus malis, quæ vt causa prodest, & vt signum minus mala est, quā vnica ad modum syncera perseverans, cum pharmaco proderit multo magis quam sine illo. Proinde addit Hippo. hoc loco, velut vomentibus a pharmaco febrium causa, id est, velut in ijs quibus ob febres pharmaca solemus propinare. Dicit verò vomentibus quia vt ex alijs locis cōstat erat illo seculo maximus vsus vomitionum expurgantium. Sed sic ita: iuuet mutatio deiectionum non-prauarum, quia perpurgant corpus, sed vt signum, vtræ sunt deteriores, variæ an simplices? Videntur. n. deteriores esse variæ, quia multiplicium excrementorum redundantiam significant: Certè non potest hoc sine distinctione dici, neutræ. n. sunt simpliciter meliores. Sed deiectiones synceræ sunt, quædam quia non habent manifestā alterius generis permissionem, vt tantum biliosæ: quædā, quia & a suo et sero sunt depuratæ, vt quæ dicuntur biliosæ

ſæ ſynceræ, vt vitellinæ, & æruginosæ. Variæ ſunt, aut ex tñ malis, vt ex ſimpliciter crudis & bilioſis : aut ex peſſimis, vt ex opima nigra & foetida, & cruenta. Quæ variæ & peſſimæ ſunt, omnium ſunt peſſimæ, vt dicitur in prognoti- co, & apho. 2. 1. quartæ. quæ variæ ex tantum malis aut cru- dis, peiores ſunt vnica ſyncera non oïno pura, quia multi- tudinem excrementorum ſignificant: ſed minus malæ, quæ in vnica ſyncera ſecundo modo. Quia talis admodū mala eſt, & vituperatur apho. 7. ſeptimæ, vbi dicitur Meracæ alui ege- ſtiones, malum. In quam et ſniam, cauſam ſimul reddens hic dicit, ſines in meraciore putrefactionem ſignificant, vt Dexippo. Id eſt mutationes excrementorum fini in vnã ſpēm meracioris excrementi, graue eſt, quia ſignificat pu- trefactionem, i. magnam excrementorum corruptionem, & magnam vim, & firmitudinem cauſæ corruptentis. Nā in quacunque actione naturali cum oēs materiæ partes in vnã ſpeciem trahuntur, magna effectricis cauſæ potentia ſignificatur. Nam cum ea eſt minor, diuerſa gignuntur, ſecundum conditionem materiæ. Igitur vnica talem deiectionem perfeuerare, deterius ſignum eſt, quàm muta- tiones fieri: & non ita iuuat, quia non tam fit natura cor- pus per purgante, quàm ob putrefactionem. Id contingit Dexippo.

- 3 **S**erapis ex liquida aluo intumuit. Pruritus haud ſcio quot dies, non vltra. Habebat autē & abſceſſum quendam in parte inani, qui quidem denigratus occidit.

Ex quacunque euacuatione profuſa ſolere hydropem fieri Hipp. & Gal. dictum ſæpe eſt, & experimento notiſ- ſimum. Nam minus fluentibus menſtruis, vt in aphoriſmo dicitur, morbi ſiunt (explicuimus verò in commentario hydropem inter alios) fluentibus etiam plus ſatis hæmor- roidibus, ſuccedit hydrops. Quin & nimijs alui fluxio- nibus ſolere ſuccedere, dicitur apho. 43. ſextæ, his verbis, Quicumque lienofi a dyſenteria corripiuntur. Simile quiddam coniecto eſſe, quod mulieri de qua præſens nar- ratur hiſtoria, contingit, ei quod in hoc aphoriſmo fieri ſolere Hipp. dicit. Collegerat in hepate aut liene aut alio

quodam internorum viscerum multa & mala excrementa, cæperatque per aluum deponere, & ob malignitatem exeuntium facta est effluxio nimia, vacuatis simul succis vitilibus cum malignis, quo factum est, ut debilitato naturali calore, hydrops successerit: hydrops verò non ex aqua tantum, sed malignis simul quæ per ventrem ibant, cum aqua distributis, tentauit natura per cutem pellere, & factus est pruritus qui durauit aliquot dies, & non potente natura eum abscessum absoluere: repente, ita ut fit in malignis abscessibus, euauit pruritus (id enim significant illa verba, non ultra, quasi diceret, non ultra productus est pruritus, sed euauit) & retrocedente materia in partem inanem collectus est magnus abscessus, qui ob magnitudinẽ cutem obsedit, & subiectas etiam partes tenuit: ob malignitatem verò succi, ex inflammatione facta est gangræna. Proprium enim inflammationis abeuntis in gangrænam inditium est, denigratio. Gangræna verò quæ internas partes attingit, pernitiõsa est.

- 4 **E**T *Stymargi vxor ex ventris perturbatione paucorum dierum, cum multum curasset sistere, & abortum fecisset fœtus fœminæ quadrimestris, a corruptione sana facta, intumuit.*

HÆC historia quadam ex parte similis est proximæ, quia hæc etiam mulier a perturbatione ventris incæpit laborare, & postea intumuit. Verum hæc euasit & si magno cum periculo. Hæc mulier cum vtero gereret (maximè cū filiam concepisset) meritò multa & praua excrementa collegerat primis mensibus, vnde factum est ut proxima iam quarto mensi, alui profluuiõ corripereetur. Quod quidem magnum erat abortus periculum. Nam nisi sisteretur, irritatione & mordicatione intestinorum, partium vtero adeo vicinarum, aut ob euacuationem nimiam subtracto fœtus à alimento factus fortassè esset abortus: atque hoc forte timore medicus aliquis sistendum omni ratione curauit: & cum nondum esset purgatum corpus, hoc idem euenit. Cõuersa sunt enim excrementa ad vterum, & corruptione acetabulorũ subsequutus est abortus quadrimestris. Quod verò

verò quadrimestris fuerit, non minimum auget significacionem periculi. Nam recentiores & antiquiores foetus facilius abortiuntur. Nihilominus sanata est, a partu, & febre, & alui profluuiio: & in extremo mali intumuit, reliquijs morbi abscedentibus ad cutem, & hepate debilitato, ita vt fit in magnorum morborum inclinationibus: tamen per bonum victum, pristinum habitum recuperauerit, & perfectè sanata fuerit. Hic casus nos admonet quantum periculi esse soleat in sistendo alui profluuiio. Quoniã verò non minus etiam est, nisi sistatur antequàm nimius fiat, considerare caute oportet in omni effluxione, quid agendum sit, an sistendum, an mouendum magis, an permittendum fluere. Scopi verò in hac cõsultatione sunt, conferentia, tolerantia, & modus fluendi. Nam si cum conferentia & tolerantia, bene fluit, permittendum tantum: si cum illis, tñ lentè fluit, mouendum: si sine illis, sistendũ est.

Moscho admodum calculoso, in superiori palpebra hordeolum fiebat, versus aurem magis, deinde ruptum est intro. Quinta & sexta ab interiori parte pus effluxit, quæ infra soluit. Bubon iuxta aurem erat, & infra in ceruice secundum rectitudinem superioris bubonis.

CALCVLOSI fiunt quibus multi succi crassi in lumbos incumbere solent. Multis aut cessat ea affectio in alias partes factò talium succorũ abscessu. Neq; mirum est factò vno aliquo abscessu magno, solui affectionem, quæ sæpe solet redire, ita, vt non redeat amplius. Nam frequentes in eandem partè reditus fiunt ob illius debilitatem, quæ plærunque conseruatur reliquijs materiæ pertinaciter hærentib. Per magnos autem abscessus solent primario affectæ partes illas etiam reliquias perpurgare, & firmari in posterum, velut Moscho euenit qui cum calculosus valde esset, oborto aliquando hordeolo in palpebra superiori ad angulum externum, qui spectat aurem, & rupto intro, effluente quæ pure ex interna parte oculi, vt ex oculo prodire videret, quinta & sexta die ab orto hordeolo, simulq; ortis duobus bubonibus in ceruice, altero iuxta aurem, altero inferius è regione prioris, soluta est affectio calculosa, & iam inde

melius habuit. Sed miretur aliquis solutum esse morbum renum facto ad oculum abscessu, cum ex partes nullam re-
 ctitudinem habere videantur: deinde ad tantum morbum
 soluendum, hordeolum, exiguum adeo tuberculum, mo-
 mentum aliquod habuisse. Verum oportet nosse, plerunq;
 fieri abscessus secundum re-ctitudinem, & eos meliores
 esse quam contrarios: nonnunquam autem fieri in alias
 partes quibusdam occasionibus, non inutiles. Nam Hippo-
 ipse. 6. Epid. parte 3. dicit, Alterius loci morbos loca exci-
 pientia, aut ob dolorem, aut ob grauitatem, aut ob aliud
 quiddam, liberant, aut quod aliis sunt communicationes.
 Hæc illo loco. Fortasse ergo Moscho occasione aliqua alia
 doluerunt partes circa caput, aut debilitatæ sunt, vt hanc
 ob causam lumborum fluxionem exceperint, & si id re-cti-
 tudo partium non admodum fecerit. Est etiam verisimile
 Moscho fluxionem in lumbos à capite venire, vt plerisque
 venit, atque ita oculo & ceruici, & si cum parte recipien-
 te nulla esset, cum transmittente fuisse magnam re-ctitudi-
 nem & viciniam. Neque quidem abscessus adeo exiguus
 fuit, vt subsecutam sanitatem adeo mireris. Non enim
 fuit hordeolum solum: sed cum hoc duo bubones insignis
 magnitudinis. Hippocra. verò noluit omittere quippiam,
 eorum quæ acciderunt. Accedit, nonnunquam abscessus
 exiguos, assiduitate expurgandi, & duratione, liberare so-
 lere à magnis morbis, vt vel vnica pustula multum tem-
 pus non sanescens, sed sordes quasdam continenter de-
 mittens, liberet nonnunquam ab epilepsia, aut morbo alio
 magno.

6 **F**Rater vxoris Aristlei fatigatus itinere incalescebat.
 Deinde in tibia terebinthi fiebat. Deinde febris con-
 tinua fiebat, & postridie sudor fiebat, & alijs etiam
 diebus paribus fiebat semper. Adhuc autem febris
 detinebat. Erat autem sublienosus. Fluebat sanguis ex
 sinistra nare, sæpe & paulatim. Indicatus est. Postri-
 die iuxta aurem sinistram tumor. Postridie & iuxta
 dextram: minor autem hic, & incalescebat: hæc euanne-
 runt, & non sunt suppurata.

Hic

Hic haud dubie cepit iter agere plenus succis melancholicis: oportuit autem redundantiam illam deponi antequam exerceretur, nedum laboraret. Nam ut Gale. docet in aphorismo. 20. tertiæ particulæ, si homo vel pituita, vel flava bile, vel atra vel ipso etiam sanguine plenus, ad exercitationem perducatur, in multa atque adeo gravissima mala perducetur: nam apoplexia, aut epilepsia fiet, aut, rupto vase in pulmone, morbus insanabilis: & multi cum febricitare cepissent, propter exercitationes acutissimis morbis fuere correpti, & quibusdam aliis exercitatione euacuante excrementa ad cutem, ulcera oborta sunt. Nimirum Hipp. dicit, si impurgatus exercearis, ulcera fiēt. Merito ergo hic cum cacochymus iter ageret incalescebat id est, calore quodam febrili tentabatur, qualis per neutras dispositiones fieri solet, incipientibus malis succis putrescere ob calorem ex labore. Et in cruribus facti sunt terebinthi, id est (ut Gal. interpretatur. 6 Epid. parte 3 com. 37.) tumores quidam nigri cum pustulis figuram fructus terebinthi habentes. Habent enim ortū ex melancholico succo, Cum verò hic abscessus minor esset, quàm pro multitudine excrementorum, quæ cæperant alterari, subsequuta est continua febris, cui utpote pendenti ex multo succo, successit sudor postridie, & aliis sequentibus diebus paribus: qui sudores, ut apho. 36. par. 4. dicitur, significant dolorem, & longitudinem morbi, & recidiuam. Addit autem Hipp. factos esse illos sudores non quidem quibusdam diebus paribus, quibusdam non, sed sequētib; diebus paribus, semper. Nimirum, & apho. 42. eiusdem particulæ dicitur, sudor semper fluens significat morbum. Sed quorsum cum dixisset febris continua fiebat, dicit deinde, adhuc autem febris detinebat? Certe ut magis explicet hos sudores symptomaticos fuisse, & multitudinis sobolem. Nam dixit apho. 56. dictæ particulæ. Febricitanti sudor eueniens febre non remittente, malum. Moram enim trahit morbus, & multam humiditatem significat. Merito ergo huic euacuationes multæ & variæ, non tamen copiosæ & affatim liberantes, sed sæpe tentatæ, & imperfectæ euenerunt. Factus est lienosus: quod maximè declarat dictam succi speciem. Fluxit sanguis sæpe & paulatim ex sinistra nare. Quæ euacuatio etsi symptomatica, atque ut signum mala, fuit, tamen

quia secundum rectitudinem facta, profuit, liberauitque non perfecte & tuto. Vt si esset bona iudicatio, sed cum abscessibus. Oborti enim sunt tumores post aures: post sinistram quidem maior, ob dictam rectitudinem cum liene, & quia id latus succis melancholicis magis obsidetur: sed quia toto etiam corpore abundabant, alius, et si minor post dextram, & oborti his tumoribus incalescebat homo, sed est tentabatur rursus febrili calore, reliquiis succorum putrescentibus tamen, cum tam multæ antecessissent euacuationes, factum est ut euanescerent resoluti, sine suppuratione.

7 *Qui ab Alcibiade venerat, ex febribus modicis ante iudicationem tumidum habuit sinistrum testiculum. Erat autem & splenem habens magnum. Et certum tunc iudicata fuit febris vigesimo die, & deinde subincalescebat subinde, & spuebat subfloridum.*

Hæc quoque narratio indicat ex crassis melancholicis succis factam esse febrem huic. Nam quod morbus reciduas, & abscessus multos habuit, & quod febris adhuc intra fines acutorum fuit modica, indicat, succos non fuisse biliosos & acres: quod in lienem & partes sinistras incubuit, indicat fuisse melancholicos. Ergo primum corruptus est febre continua & modica, procedente febre intertuit, primum lien ob naturam succi, mox testiculus sinister, ob rectitudinem cum liene. Iudicata est febris vigesimo die, ultimo scilicet sine acutorum: sed non tuto: non enim cum manifesta aliqua euacuatione. Abscessus ergo à principibus partibus potuit facere febris interruptionem, perfectam solutionem sine euacuatione non potuit. Subinde ergo subincalescebat, & successit tussis, & excretio subfloridi, id est, semialbi & rubri, quia ut dictum est proxima sectione, tussis à tumore testis, & tumor testis à tussi fit, ob communionem genitalium cum spiritualibus instrumentis.

8 *Qui manus dextra, & crus sinistrum ex tussiculari affectu, cum spuisset tenue & non dignum mentione resoluta*

resoluta sunt paraplectico modo, alio autem nibilo alterata est, neque facie neque mente. Non quidem fortiter illis, In melius cœpit progredi circa vigesimum diem. Fere factum est circa muliebrem fluxionem, & forte tunc primum facta est. Virgo enim erat.

Multis atque adeo grauissimis morbis corripuntur virgines tempore pubertatis, nisi maturè prodeant menstruæ euacuationes: à quibus, cum erumpunt, liberantur: vt Hipp. docet libello de morbis virginum. Nam confluens sanguis de toto corpore versus vterum, si liberum exitum non inuenit, redundat in partes alias, & nihil mali est, quod non possit facere. Nam septum transuersum præmens, retracto vtero, præfocationem: in caput irruens, insaniam, epilepsias, carochos, aut etiam apoplexias: occupans thoracem, facit tussiculares affectus: irruens in cor, palpitationes, & tremores cordis, ac nonnunquam syncopas: occupans aliquando vnâ aliarum partium, qua nervos excipit, facit stupores & immobilitatem, & ita resolutiones. Velut huic virgini euenit, volentibus iam mensruis euacuationibus erumpere, neque id facile facientibus ob naturalem vasorum angustiam, aut sanguinis crassitiem, aut expultricis facultatis debilitatem, tussi primùm & difficili respiratione laborauit (nimirum est consensus facilis genitalium cum spiritalibus) deinde cum nihil mentione dignum spuisset, resoluta sunt manus dextra & crus sinistrum, irruente copia in ceruicis dextram partem, qua committitur cum thorace, & in brachium, & in lumborum imam partem & sinistram, & in femur: non occupauit autem cerebrum, neque partes superiores ceruicis. Quare neque facies, neque mens alterata est, vt in alijs ex simili causa fieri solet. Neque illis partibus fortis passio facta est. Non enim erat resolutio vera, vt quæ pituita occupante nervos fieri solet, sed stupor magnus compressis multitudine nervis. Quod exitus indicauit. Nam fluentibus mensruis vigesimo die cœpit melius habere. Hippo dicit, fortasse tunc primum eruperunt. Suspiciatur id, non sciuit certò. Tamen non multum referebat scire. Nam eadem mala fieri possunt

sunt menstruis suppressis, quæ nō erūpentibus suo tēpore.

P *Pamantus, & fabri pater, eius qui caput fregit, & Nicostratus, non extusierunt: erant autem alibi secundum renes dolores, interrogationes (factæ sunt) dicebant enim ipsi semper repleti potu aut cibo.*

Quod dicit pater eius qui caput fregit, nihil aliud est, quam quædam nota ad facilem memoriam comparata. Hi tres ægroti laborabant tussi, alioqui non narrasset non extusisse. Laborabant præterea dolore circa renes, in lumbis scilicet. Difficilis erat scitu causa. Proinde interrogationibus opus fuit. Maximum autem momentum habet ad præsentem corporis statum agnoscendum, de vita ante acta interrogare. Interrogati responderunt, se semper repleti potu aut cibo. Quid ergo ex his coniectes? Certè illos ob voracitatem collegisse multam crudæ humiditatis copiam, hinc excitatas fluxiones de capite, ut sit, decubuisse in thoracem: aut in thorace ipso primum congestam copiam, ob cruditatem verò nihil notatu dignum excreatum, sed descendisse fluxionem in lumbos: ubi ob frigiditatem, & capacitatem partis, multum hærens, & crudior manens, poterat diu vexare, ac fortasse facere hydrophem, aut impingens in vrinę vias, aut in vesicæ collum, suppressionem urinæ facere, aut abscedens in intestina, diarrhæa solui: aut abscedens in uterum, profluvium muliebri facere. Opus ergo erat sicco & tenui victu, pituitæ expurgatione, & clysteribus.

10 *Dolores vehementissimos quomodo cognouerit quis conspicatus. Terror bonæ tolerantia. Oblationes & ignavia.*

Do c e r notas quibus cognoscere possis, an dolor sit vehementissimus. Sed fortasse dices, non fuisse his notis opus, si quidem dolor ipse per sese proditur, cum sit ipse tristis sensus. Tamen quia dolor ægroti quidem manifestus

flus est, medico verò non nisi ex narratione ægroti, aut notis his: ægroti verò non omnes eadem dicunt, aut conqueruntur eodem modo, dolentes: sed est qui ne tantillum dolorem sine vociferatione ferre potest, est qui maximos dolores silentio transigit, vt non ex querela modo possit medicus agnoscere quantus sit dolor, sed opus sit notis. Accedit, dolorem non solum dici vehementem, quòd magnus sit, sed quòd plurimum debilitet: quæ duo non necessario æque fiunt, sed contingit ob morem morbi, dolorem videri minorem, noxæ verò afferre plus. Vehemens ergo dolor nunc dicitur, qui plurimum lædit. Quantum autem lædat, duo signa præcipue indicant, alterum capitur à terrore aut tolerantia, alterum ab oblationibus aut ignauia. Tolerantia significat virium constantiam, & tolerantiam doloris, idest benè ferre dolorem, sine facultatis lapsu, quod ex pulsu præcipue, deinde ex animalibus actionibus agnoscitur. Oblationes dicuntur Hippo. cibi qui offeruntur. Hic verò oblationes, dicitur ipsum bene habere ad oblationes, hoc est cibos libèter accipere. Ponitur verò terror vt contrariũ tolerantia, & ignauia oblationi. Ergo terror significat disphoriã, idest, difficilem tolerantia doloris, & ignauia, tædium accipiendi cibos. Causa verò qua terror ponitur pro disphoria, quia cum dolor grauis est, & virtutem debilitat, similem passionem affert, ei quam magnus terror. Nimirum qui grauissimo dolore cruciatur, pulsum habet contractum, & extremorum frigus, & quarundam partium tremores, & ciborum in appetentiam, vt qui terrentur. Qui hæc non patiuntur, non admodum graues habent dolores. Graues ergo indicat mala tolerantia, & fastidium: non graues, bene ferre dolorem, & bene habere ad oblationes.

Aqua quæ celeriter calefcit & celeriter frigescit, semper leuior est.

HÆC sententia sine vllò ordine interiecta est, vt aliæ multæ huius libri. Explicata mihi est antea in aphorismis, sed nunc quoque aliquid in eius enarrationem dicitur. Nō sane scripta est, vt doceamur agnoscere, quæ aqua leuior sit

fit (nam quid refert?) sed quæ melior. Quia quæ leuior melior est, nisi aliqua corruptio, aut aliena qualitas illi accedat. Nam monstratum mihi est in physicis, totam leuitatis causam esse in tenuitate. Igitur aqua quæcûque, quânto leuior, tantò tenuior: porro quanto tenuior, tantò facilius alterascit, & in calidum, & in frigidum. Nam in rebus omnibus, quarum est eadem natura, euenit, vt quanto tenuioris subtilitatis sunt, tanto facilius recipiant vtramq; passionem. Nota ergo substantiæ leuioris est in aquæ generibus, facilius commutatio: atque facilius commutatio & leuitas, substantiæ tenuioris. Aqua verò quânto tenuior est, tanto est melius alimenti vehiculum, quia tantò minus moratur in hypochondrijs, sed distribuitur, deducitque secum cibos solidiores.

12 **C** *Ibi & potus experientia indigent, an ad æqualitatem maneant.*

TOTA ea medicinæ pars, quæ ad ciborum & potuum scientiam spectat, est Empyrica, nam cibum aliquem esse multum aut parum, cito aut tardius nutrientem, citæ aut tardæ excretionis, excrementosum aut excrementis vacis, boni aut mali succi, nulla exacta ratio est agnoscendi præter experimentum. Non tamen proinde dicit Hippo. nūc, cibi & potus experientia indigent. Nam nihil horum est, ad æqualitatem manere. Sed id dicit, propter ciborū vsus, & quantitatem. Nam æquale & inæquale de quanto dicitur, & dicitur ad aliquid aliud. Significat ergo Hip. opus esse experimento ad cognoscendum an cibi & potus ad æqualem mensuram maneant cum aliquo alio. Sed quid illud est? Ratio vtendi cibus est, nosse, quantum, & quale, & quo tempore, & ordine, dandum sit, id verò scire possumus, secundum rationem communem aut singularem: secundum communem, ratiotione possumus discere: velut biliosis dandum plus & solidius, pituitosis minus & tenuius: dandum cibum posteriorem vbi prior descendit: dandum tenuem ante crassum: tamen secundum rationem singularem, non possumus sine experimento propriæ naturæ,

naturæ, eius cui cibis instituitur. Immo verò nisi præsen-
 tes, & periculum facientes, & quædam addendo, quædam
 detrahendo. Nam victus non instituitur homini, sed huic
 homini. Singularium verò non est scientia. Quod ergo di-
 cit Hippocrates, est, opus esse experimento ad præscriben-
 dum cibum & potum, ita vt ad æqualitatem maneant cum
 eo, quod corpus & dispositio petit, idest, vt exactè tantum
 detur, quanto opus est. Hanc esse legitimam enarratio-
 nem loci, constat ex eodem Hippocrate lib. 1. de diæta,
 vbi ita dicit, Si quidem enim supra hæc inuenta fuerit ci-
 borum mensura, & laborum ad vnquamque naturam
 numerus, ita vt excessus, neque supra neque infra mo-
 dum fiat, inuenta sanè exactè fuerit hominibus sanitas.
 Nunc verò prædicta quidem omnia inuenta sunt, qualia
 sint, hoc verò inuenire impossibile est. Si quidem igitur
 præsens quis sit, & inspiciat, cognouerit quidem ho-
 minem exeuntem, & in gymnasijs exercitantem, vt cu-
 stodire sanum possit, alia detrahendo, alia apponendo.
 Verùm non præsentem, impossibile est cibos ac labores
 exactè præscribere.

D I C E N D V M quod sanguine fluente ex pal-
 lescunt, & quæcumque alia huiusmodi dicere de-
 bent.

S I fieri posset, vt medicus singulorum hominum na-
 turas nosset exactè, id esset optimum, atque utilissimum.
 Sed non potest. Debet proinde conari, vt quantum pos-
 sit, agnoscat eius cuius curationem suscipit, naturam. Et
 multa quidem, ex ijs quæ de temperamentorum notis tra-
 dita sunt à medicis, cognoscet, non tamen omnia. Pro-
 inde interrogare debet multa, & ipse ægrotus debet dice-
 re, quæcumque per experientiam proprii corporis obser-
 uauerit: vt, quibus soleat iuari, quibus lædi: qualibus affe-
 ctionibus, qualibus symptomatis corripi facile soleat. Ni-
 hil horum debet ægrotus omittere, neq; medicus negligere,
 sed hic interroget multa, ille respondeat libèter, quæcumq;
 circa seipsum obseruatione cognouerit. Velut si solet facie
 fluente

fluente sanguine linqui animo, aut expallescere, dicere debet: & quæcunque alia huiusmodi. Nam quibus id accidit minus mitti sanguis debet, quia parum iuuantur, ut Hippocrates ipse 6. Epid. parte 6. dicit, his verbis: Quibus sanguis multus fluxit ex naribus, qui quidem decolores mero modo sunt, parum prodest, quibus verò colores rubicundi, non similiter. Non ergo parum refert hoc medico narrare, ut cautius sanguinem mittat.

10 *Sexaginta dierum masculi corruptio in detentionibus partus salubris.*

NOMEN ἀπὸ φάρμακων quo hic utitur, non significat abortum sponte factum, is enim dicitur ἄρρωστος, sed corruptionem foetus factam medicamento venenato. Quare præceptum hoc ad veneficos spectat. Medicis enim, neque vitæ neque honoris cuiusquam gratia, licet id tentare. Quanquam antiquissimis illis seculis, quibus lex naturæ minus culta erat, corruptentibus medicamentis utebantur. Ac proinde occasiones quibus illis uti quis tuto poterat, obseruabant. Sed cur Hippocrates qui iureiurando se astringerat, discipulosque suos astringi faciebat, nihil se tale propinuros, docet nunc occasionem idoneam ad propinandum? An aliquando iuramenti oblitus, ille quoque propinabat? Si quidem puellæ psaltriæ abortum saltu molitus est? An solum erat piaculum pharmaco corrumpere, non etiã saltu? An ut alij qui corruptentia dabant, cum minori periculo darent, hæc docet? An ex hac venefica obseruatione, aliquid etiam quod nobis utile sit nascitur? Nimirum si corruptio masculi, quæ exactis sexaginta diebus agitur, salubris est, id est sine matris periculo agitur, & abortus masculi post sexaginta dies sponte factus, sit salubris: foeminae vero eodem tempore: aut masculi, minori, sit insalubris. Sed qua causa masculi abortus siue sponte, siue pharmaco factus, sexaginta diebus est salutaris? Masculi, certe semper, & partus & abortus est salubrior, quam foeminae, ob dictam sæpe causam. Maxime autem qui sexaginta diebus. Nam ut ipsemet Hippocrates dicit, libello de natura pueri, masculus triginta diebus formationem accipit, foemina

mina multo pluribus. Atqui vt ibidem Hippocrates autor est, tempus expurgationis respondet tempori formationis, & in Leuitico præcepit Deus, eas quæ masculos peperissent, non adire templum ante triginta dies, quasi id esset longissimum tempus expurgationis, in illis. Itaque mares triginta diebus formantur, femina non tam cito. Docet præterea Hippocrates libello de alimento, duplum tempus infumi in sensus & motus accessionem, atque informationem. Itaque masculum si triginta diebus formatur, sexaginta moueri & sentire, foeminam multo tardius. Ergo masculus veneni vim, aut quancunque causam abortus sentiens, poterit sexaginta diebus iuuare exitum proprio motu, ante verò id tempus non poterit, neque foemina eo tempore. Iam verò si causa superior spectetur, sexagesimus dies non est infelix. Nam motus solis habet aspectum sextilem lustrata sexta parte Zodiaci. Si menses lunares numerentur, incidit in tertium mensem, qui foelicior est mensibus paribus. His omnibus accedit Hippocratis auctoritas & experimentum.

Hercules intumuit mali die octaua.

QVID euenerit Herculi non narrat, illud vnum narrat, abscessum esse illi factum octaua die, die non iudicatoria. Quid tum postea? hac causa non fuerit bonus abscessus. Mirum ergo si morbum priorem soluit, aut si non retrocessit.

Dysenteria tentatur magis, qui & tenesmo.

TENESMVS est in extremo recti intestini, quod dysenteria in intestinis. Merito ergo qui est *τενεσμός* id est tenesmo tentatur crebro, est etiam *δυσεντερίας* id est paratus ad dysenterias. Nimirum affectiones, & causæ, & loci male affecti, sunt similes.

Lactans quadam papulas per totum corpus habebat. Cum autem cessauit lactare, sedatæ sunt æstate.

Lactan-

LACTANTIBVS raro fluunt menstrua vsque dū cessant lactare, aut ad centum vsque tempus: quia ob naturalem necessitatem feruntur in mammas, quæ in vterum abire consueuerant, & redundantia sanguinis, in lac insumitur. Neesse est ergo lactare, nisi alioqui sint valde euchy-
mæ, repleti malo succo. Quia & si menstrua euacuationes cessant, quia lactant, non tamen eadem est materia, earum & lactis. Nam menstrua fiunt ex pessimo sanguine, lac ex bono. Expulsione enim fiunt illa, hoc tractatione, & commutatione. Pultrix vero facultas, fertur in prauum: tractrix in bonum. Ergo insummitur in lac bonus, & retinetur malus in lactantibus. Quare non mirum, si lactans illa habeat p totum papulas, referentes caco-chymiam, & cessans lactare, profluentibus menstruijs euacuationibus, sedatæ sunt. æstate narrat solutas papulas. Merito id quoque factum est: quia id tempus est accommodatissimum ad omnes de-
cretorias euacuationes. Hic continget aliquem dubitare, si suppressio menstruorum etiam in lactantibus est causa ca-
cochymæ, cur quærantur nutrices quibus non profluant. Videtur enim esse satius, vt singulis mensibus purgentur, quam vt impurus sit sanguis. Tamen res non ita habet. Nō inquam quærendæ sunt, quibus profluant. Quia cum non possit fieri expulsio excrementorum, quam non antecedit excretio, necesse est singulis mensibus, tempore excretio-
nis (quam, doloribus totius corporis qui antecedunt agnos-
scimus) totum sanguinem perturbari, atque adeo perturba-
to vitari lac. Satius ergo sit, bene temperatam nutricem eligere, & bonos succos ei idoneo victu procurare, quam cum illius conturbatione crebra, sanguinis expurgatione
& menstrua euacuatione expectare. Accedit, quod nature
opera ordinem habent, cum ergo menstruus sanguis sit ge-
nerationis principium, cum is apparet, ad aliam iam pro-
lem natura conuertitur, quare ad priorem inepta esse inci-
pit: quare & puerum oportet transferre ad aliam nutricem.
Quod si non est copia nutricum, sed vna adest menstrua
habens euacuationem, singulis mensibus, dum profluit. Vi-
detur, quo ad fieri possit, lactationem. Magis autem videtur
vnum aut duos dies antequam erumpat (quod tempus lac-
tationis est) quam cum iam fluit.

18 **C** Oriarij, qui coriacea faciebat, (uxori) cum peperisset, & soluta esset perfectè, visum est secundinæ aliquid membranofum remanere. Erupit quarto malè. Nam stranguriosa fiebat: Statim concipiens peperit marem. Multos autem annos iam habebat. Demunquæ, neq; menses fluebant, cum autem peperit, intermisit stranguria modicum.

Qvæ potuit hæc mulier soluta, id est liberata esse perfectè à partu, manète interius parte membranosa secundinæ? Certè nullatenus. Sed perinde intelligendum est ac si diceret, cum videretur soluta esse perfectè, deinde visum est secundinæ aliquid membranofum remanere: erupit quarto die à partu malè. id est magno cum labore & difficultate: quia fiebat stranguriosa, id est cæperat iam antea cū stranguria fieri, quod non minimum auxerit difficultatem expurgationis vteri, & excretionis secundinarum iam putrescentium, ob viciniam colli vteri, & vesicæ. Omnibus sane iam iam partui proximis fit passio quædam stranguriæ similis. Vltimis mensibus antequam dolores multum fiant, ob compræssionem vesicæ quam distentus vterus, facit, deinde & ob hanc, & ob naturalem nixum vteri deorsum, per compræssionem, vesicæ collum irritatur. Plærisque nulla passio propria in ea parte fit, quibusdam autem fit, & post partum etiam manet, vt alijs etiam hæmorrhoides. Huic ergo fortasse, ob hanc occasionem fiebat, fortasse etiam multo antefieri cæperat, aucta tamen tunc est, & purgationis difficultatem auxit. Hic mirantur quidam, quòd conceperit tam multos annos nata, vt iam cessassent menstruæ euacuationes, idque miraculum esse putant. Ego verò non intelligo menstrua huic cessasse antequam conciperet, sed post hunc vltimum partum nunquam amplius effluxisse. Mirum quidem quod ea ætate marem pepererit, non tamen adeo vt fide carere debeat. Quod stranguria intermisserit modicum à partu, copiosa expurgatio fecit: nimirum excrementa diuerterunt à vesica ad vterum, & hæc liberata est, vsque dum collectis rursus excrementis, morbus redijt.

19 **Q**uod adam coxam dolebat antequam conciperet, postquam autem concepit non amplius doluit. Postquam autem peperit, vigesima die rursus doluit, peperit igitur masculum.

Hic haud dubie uteri os erat contortum in coxam per morbum uterinum. Nam idem Hippo. lib. de superfœtatione ita reliquit scriptum: Si cui dolores in coxendice, aut in capite, aut manibus, aut aliqua alia corporis parte fuerint, cum verò prægnans est, desinunt, conceptu autem ab utero exoluto, rursum insunt, odorata, & bibere, & ad uteri os apponere, conducit. Porro lib. 1. de morbis mulieribus dicit, Quibus verò os distortum est, & ad coxam allapsum: fiunt enim etiam talia prohibentia, ne uterus semen suscipiat: Quum igitur tale quid acciderit, odoratis fomentis fouere oportet, Post fomentum autem per digitum auulsum à coxa detrahito. Hæc Hippo. quibus constat illum dolorem coxæ, morbum uteri fuisse. Nam illi morbo congruit curatio, quæ odoratis suffitibus agitur. Prohibebat verò ille morbus conceptum, sed vsu venereorum curatur, & conceptione, & tempore prægnationis liberæ sunt mulieres ab eo malo, quia insumitur materia, quæ os distorquebat, in foetum: maximè cum masculus conceptus est: quia quæ foeminam concipit excrementosior est, & frigidior, & plus ei excrementi redundat, & insumitur minus. Huic ergo cõceptione solutus est morbus uterinus, & toto tempore prægnationis, & viginti dies à partu qui fere in expurgationem uteri insumi solent, vt lib. de super foetatione scripsit, durauit sanitas. Post id tempus, rursus doluit. Sed quando ita ei contigit, merito peperit masculum. Quod insinuans dicit: peperit igitur masculum.

19 **I**n utero habenti in tibia dextra inferne, tertio aut quarto mense exanthemata, ad quæ manna thuris utimur, & in manu dextra iuxta magnum digitum. Haud scio an pepererit, reliqui enim eam semestrem. Habitabat autem, vt ego existimo, prope Archelaum in rupe.

VTE-

UTERO gerentes colligunt cacochymiam, quia non expurgantur singulis mensibus, & non infumitur in foetum tam prauus sanguis, quam expurgatur. Proinde primis tribus mensibus solent illis fieri Picæ, nausæ, fastidia, & vomitiones: deinde pani, & aliæ multæ maculæ, & exanthemata. Velut huic facta sunt exanthemata, qualia curari solent insperfo puluere mannæ thuris, aut cerussæ. Sunt maculæ quædam rubentes cum excoriatione. Facta quidem sunt ob cacochymiam, in illis autem partibus, quia sunt emunctoria propria hepatis, velut sinistra manus, & pes sinister, lienis. Indicauerunt ergo illa exanthemata male affici hepar, & consentaneum quidem est, vitium sanguinis, hepar primùm persentire, quia est officina propria illius. Hac ipsa causa ego censeo scétionem venæ factam in manu dextra inter digitum medium & anularem, aut hunc & minimum (eodem scilicet loco quo hæc habuit exanthemata) vtilem esse in iecoris affectionibus.

30 **A**ntigenis vxor quæ circa Nicomachum, peperit filium, carnosum quidem, habentem autem maxima discreta: magnitudine autem vt quatuor digitorum, sine ossibus, post modum verò crassum rotundum. Hæc ante partum asthmatica fiebat. Deinde simul cum partu pus euomuit modicum, quale ex furunculo.

HVIC mulieri cum cõcepisset monstrum, accidit etiã difficilis respiratio, sientie in carnosâ parte fundi ventriculi, aut in aliquo viscere, eorum quæ iuxta vetriculum sunt, suppuratione. Id quod exitus indicauit. Nam simul cum partu pus euomuit modicum. Monstruosum partum fuisse satis indicat descriptio. Dicit enim peperisse filium, carnosum quidẽ, idest vt frustũ quoddam carneum, crassum, & rotundum, sine ossibus, habentem tamen in magnitudine quatuor digitorum discretas maximas partes, vt caput, brachia, & crura. Monstri verò generationem nullus non tribuit debilitati formatricis, aut defectui aut corruptioni, aut redundantix materiæ. Nam monstrum fit, aut deficiente parte naturali, vt si nascatur sine brachijs: aut

redundante, vt si duplicia habeat: aut partibus naturalibus male positis, vt si caput nascatur ex medio pectore: aut habentibus figuras alienas, vt caminas, aut equinas. Defectus partis, defectu materiæ, aut debilitate formatricis in parte fiet: defectum verò, qui semen de toto corpore decidi, putant, dicent esse defectum partis seminis ex parte tali decidendæ: qui ex solis vasis seminarijs, non ita, sed defectu materiæ in parte factum, postquam gigni foetus capit, aut separatione particulæ seminis, aut corruptione. Redundantiam, qui muliebri tantum semen præstare materiam putant, dicent esse ex superflua redundantia seminis cepta generatione multarum partium, quæ ad multos foetus pertinebant & coalescentibus. Iuxta sententiam putantium vtrumque semen præstare vim & materiam, simulque decidi de toto corpore, fiet & ob hanc causam, & quod femina non misceantur aptè, vt si separatim sint partes decidæ à capite mulieris & viri, & ob id duo capita generari incipiant. Malus positus, si de toto corpore semen deciditur, fit, quod facultas formatrix non bene separet partes seminis, sed male commistæ sint: si de solis vasis seminarijs, quod cepta iam materiæ alteratione & cum alterum est iam potentia crus, aliud manus, ante tamen quam duruerint, malè contenta confunduntur. Alienæ figuræ fiunt, ob corruptionem seminis. Nam figuræ alienæ non possunt fieri per se à causa formatricæ, sed per accidens, ob materiæ dispositionem. Dispositio autem, qua semen fit, potentia, aliud quàm erat, corruptio est. Nisi his addas vitiosæ & alienæ imaginationis vim, quæ quantum quoque causa possit alterare foetus, alio loco mihi disputatur. Præter imaginationem vero, constat, causas omnes dictas, non nisi in morbofis corporibus accidere. Nam aut defectus alimentis, est, aut redundantia excrementi, aut maligna qualitas & corrumpens, aut debilitas facultatis non bene coniungentis, quæ coniungi, aut separantis, quæ separari, oportet, aut quædam formantis, quædam alia non formantis. Velut in hoc foetu, caro quidem genita est, vtpote genitu facilior, ossa verò minimè, deficiente formatrice in ea parte, vt difficiliori. Debilitatem vero facultatis constat in morbofis corporibus esse, quale erat huic mulieri, cui simul cum conceptu, collectio puris in visceribus facta est, atque

atque ob id difficilis respiratio, compressis instrumentis
respirationis. Meminit Gal. huius dispu. cap. 12. de diffi-
cultate respirationis, non longè à fine.

11 **E**ius quæ filias gemellas peperit & difficulter pepe-
rit, & non admodum est purgata, intumuit totum cor-
pus: deinde venter magnus est factus, alia autem subsede-
runt: & rubra fluebant vsque ad sextum mensem, dein-
de alba valdè iam totum tempus: atque hæ fluxiones Ve-
neri officiebant, & mera rubicunda fluebant.

HVIC ex partus difficultate facta sunt duo grauissima
mala, hydrops, & vlcera vteri. Merito autem fuit difficilis
partus. Quia peperit fœminas duas. Nam & quia fœmine,
& quia duæ, poterant id facere, cum geminus partus sim-
plici sit difficilior, & fœminæ quam viri. Proinde non satis
est purgata, & distributis per totum corpus excrementis
intumuit: suffocato deinde calore eorum multitudine, hy-
drops successit. Cuius manifestæ notæ sunt, vètrè intumuisse
alijs partibus superioribus extenuatis. Nā lib. de affectio-
nibus, ita scriptum est, Si expurgatione non facta, fiat hy-
drops, venter aqua impletur, pedes autem & suræ attol-
luntur. Humeri verò, & clauiculæ, & pectora, & femora,
liquefunt. Hoc est quod nunc dicit, magnum esse factum
ventrem, & alia subsedisse. Vlcerata verò facta esse in vtero
indicat fluxiones rubræ ad sextum mensem durantes, & factæ
deinde albæ, factæ scilicet iam pure in vlcibus, quæ in
venereo congressu dolebant ob confricationem, & mera
rubicunda rursus fundebant. Fecerunt ergo hæc quod alia
omnia vlcerata, receria fuderunt sanguinem, inueterata pus,
refricata sanguinem rursus.

22 **D**iturnis leuitatibus intestinorum, acidum rectum
fieri, antea nunquam factum, signum vtile, vt De-
manete accidit. Fortasse autem est & arte facere. Et
enim turbationes huiusmodi alterant. Fortasse autem &
acidi ructus leuitatem intestinorum solunt.

APHORISMO primo sextæ particulæ dicit, ructum aci-
dum post longam leuitatē intestinorum, esse bonū signū,

id quod explicatum mihi suo loco est. Nunc verò dicitur signum utile, ut insinuet, non esse solum bonum ut signum, sed ut causam etiam. Nam non omnino idem est, *αγαθόν* & *χρησιμόν* nam illud est quod bonum, hoc quod utile. Utile verò dicitur non quod solum bonum aliquid indicat, nisi etiam proficit. Hic ergo insinuat esse bonum ut signum, & ut causam, vltus duobus his nominibus, signum utile. Nam signum est quod significat, utile quod prodest. Sed quia multo certius est, talem ructum esse bonum signum, quam causam, addit fortasse autem & acidi ructus leuitatem intestinorum soluunt: ut causæ scilicet salutares, atque ita fortasse, est (id est licet) eos arte facere. Nam quæ sunt bona tantum signa, non licet arte facere, sed quæ cū facta sunt, iuuant. Reddit causam qua adducitur, ut suspicetur, acidus ructus licere arte facere, dicens, Etenim turbationes huiusmodi alterant: id est, nam turbationes huiusmodi, mutant corporis dispositiones, quare poterunt fortasse transferre ad melius. Sed quid est quod Hippocrates docet? Eloquamur apertius. Certè lienteria, cum ex debilitate concoctricis & retentricis sit, quarum illa calorem, hæc siccitatem amat, ob frigidam & humidam intemperiem plærunque fiet. Hanc proinde, calefacientibus siccantibus & adstringentibus, curari vult Hippocrates, & ructum acidum, cum succedit, probari quidem ut signum, non fieri tamen arte, quin potius dari cibos, qui facile concoquantur & quoad fieri possit, non tam facile descendant. Si tamen hac via non succedat, quæ legitima est, tentari aliquando ructus acidus arte facere (illegitimum quidem hoc, sed fortasse aliquando utile, tentandumque vbi curatio legitima non cædit) dando cibos qui facillime acescant, ut si concoquere non potest ventriculus, saltem ad aciditatem trahat. Nam magis languescet nihil faciens omnino, quam prauè commutans, quia nulla ratione magis languescunt vires omnes, quam cessatione.

²³ *S* Anabatur hellebori potione Lycia. Postea splen magnus, & dolores, & febres, & in humerum dolores, & vena, quæ secundum splenem, incubito secabatur, & pul.

pulsabat quidem sæpe, aliquando autem non fuit secta, sed cum sudore abiit, aut sponte. Ex quo autem abierunt, splen in dextra, intendebatur, spiritus intro duplicabatur, non quidem magnus. Delirabat, contegebatur, flatus, inerat, non deieciat deorsum quidquam, neque mingebatur. Mortua est ante partum.

HÆC mulier uti inditia manifestè declarant, mortua est ex inflammatione lienis, & antequàm inflammatio ea fieri inciperet, laborabat: non narrat quo morbo: fortasse melancholico: aut abundabat excrementis, ut solent utero gerentes. Hanc verò, ut euentus declaravit, contigit tunc abundare malignis. Videbatur iuuari ex purgatione, & vsa est helleboro, atque a priori quidem passione visa sana ri, postea in dictam inflammationem incidit. Non mirum. Nam medicamenti expurgantis vsus, cum non est ad modum tempestivus, qualis quidem esse in utero gerente vix potest, habet periculum, inter cætera, inflammationis hypochondriorum. Nam quæcunque causa morbum aliquem, cum adest, augere potest, eadem nondum præsentem nata est facere, in corpore valde parato. In hoc ergo tam excrementoso facile fieri potuerit inflammatio interna ab hellebori potione. Fuisse autem talem morbum, indicant imprimis signa pathognomonica deinde & tota syndromes signorum: quorum quædam sunt passionis, quædam magnitudinis morbi, quædam mortis: passionis quidem, ut magnus splen, & dolor, (ex tactu scilicet) & febris: magnitudinis inflammationis, ut dolores in humerum, (nam dolor humeri dextri quasi deorsum detrahebatur, significat inflammationem hepatis non exiguam: sinistri, lienis. (Proinde ego intelligo hos dolores humeri sinistri fuisse & pulsus arteriæ in cubito, & quod splen in dextra intendebatur, id est crescebat ut videretur ire in partem dextram: mortis, ut spiritus intro duplicatio (hic enim significat convulsionem) & delirium, & quod contegebatur quasi frigus, quod cum interna vitione pessimum est: & quod flatus inerant, quod etiam frigus inferni ventris significat: & suppressio deiectionis & urinae

quod omnium humorum ad inflammatam partem accursum significat. Non sunt autem hæc æquè mala, sed quædam superueniunt prius quædam proximis iam morti. Et narrat quidem Hipp. ea eodem ordine quo acta sunt. Primum ergo ab expurgatione, splen magnus, cum dolore, & febre, & dolore sinistri humeri, & pulsatione arteriæ in cubito, non continenter, sed quibusdam temporibus. Nimirum inflammationes plereque exacerbantur ex quibusdam interuallis. Sed quia vt dicitur 6. apho. 22. Dolores ex dorso in cubitum descendentes venæ sectione curantur, secuit Hipp. aliquoties venam in cubito, cum pulsaret (non quidem eadem secabatur quæ pulsabat, sed Hipp. venæ nomen venis & arterijs tribuebat) & abibat pulsatio exhausto sanguine calidiori, qui venas eo loci replebat: aliquando autem non fuit secta, sed pulsatio cum sudore abiit, aut etiam nonnunquam sponte, idest, sine aliqua euacuatione, natura aut arte facta. Hæc pulsatio in cubito prænuntiabat futuram insaniam. Nam in hoc ipso libro tempore 4. dicit, Quibus vena in cubito pulsat, insanum & furibundum. Deinde procedente malo abierunt hæc, dolor inquam humeri, & pulsus in cubito, quia totus calidus sanguis collectus est ad partem præcipue affectam, & creuit plurimum inflammatio, vsque adeo vt splen videretur intendi ad dextram partem. Hinc iam spiritus offendens, & delirum, tracto cerebro ad magnam compassionem. Tamen non fuit spiritus magnus, etsi deliraret homo, quia aderat dolor inflammationis, qui prohibebat, & conuulsio, per quam, cum dilatari cæperat thorax, retrahebatur. Hinc iam grauius affecta ob magnitudinem febris interne, & omnium succorum & spirituum ad interna reuocationem, cepit sentire frigus extremorum, & demittere flatum. Proximè autem iam morti suppressa deiectio est & vrina. Mortua itaque est ante partum. Admonet nos hæc historia, ne in ijs quæ vtero gerunt, medicamentis expurgantibus, nisi leuissimis, vtamur.

24 *Quæ circa fauces in alterutram partem impetu lata, non sunt exulcerata, ad sinistra conuertebantur. In splenem venit dolor non decretoriè.*

Non

NON satis constat an hoc enarret, vt quod Lyciæ cō-
 tigerit, an quod illa tempestate contingeret multis. Nam
 Lyciæ factus est tumor lienis non decretorius, fortasse ante
 hunc tumorem reperant succi in alterutram partem fau-
 cium, & illinc collecti sunt in lienem, narraturque id nunc
 ab Hipp. præpostere. Magis autem videtur hæc dictio con-
 tinere quod in multis obseruabatur illa tempestate. Nimi-
 rum succi impetu ferebantur in fauces, hoc est, in internā
 oris partem, & quædam impegerunt in eas partes, & vlce-
 ra fecerunt: quædam non hærentia ibi, in quancunque par-
 tem faucium, siue in dextram, inquam siue in sinistram, fer-
 rentur, colligebantur in sinistra, & in liene dolorem facie-
 bant, non decretoriè, quia eo abscessu non soluebatur ma-
 lum, sed procedebat acerbius, vt in Lycia contigisse legi-
 mus. Nam vt euacuatio agi potest decretoriè (vt cum tem-
 pestiue venit, & qua oportet, & soluit, aut subleuat mor-
 bum) aut symptomatice (vt cum non confert) ita etiam
 abscessus. Ergo in liene fieri potest dolor, & tumor, per
 abscessum decretoriè, soluiturque ita aut subleuatur mor-
 bus prior: aut non decretoriè, velut cum febris quæ expe-
 rat, mox succedit inflammatio lienis, non minuens, sed au-
 gens febrem. Porrò cum tumor lienis febrem facit, nihil
 minus est ille tumor, quam decretorius, non est ipse præci-
 pius morbus: tamen cum aliquando ex febre prægressa fit
 tumor, reijcientibus venis sua excrementa in illam vni-
 cam partem, & febris prior soluitur, decretorie fit tumor.
 Illis verò de quibus loquitur Hippo. non ita est factus, sed
 intempestiue, & augens magis periculum, quam minuens.

²⁵ **H**ieronî iudicatio facta est decima quinta die.

TAM rarum est iudicationem decima quinta die fie-
 ri, vt cum occurrebat, velut notatu dignissimum, scripto
 ab Hipp. mandaretur. Velut nunc Hieronî dicit accidisse,
 & 4. huius operis, foeminæ cuidam in Bulagoræ villa. Cau-
 sa autem qua per pauci hoc die iudicantur est, quia illi
 maximè iudicari possent, in quibus morbi mouerentur
 diebus imparibus, sed & in illis quatuor decimus, qui in-
 ter tredecimum & quindecimum positus est, arripit iu-
 dicationem, fere semper. Proinde lib. 1. huius operis
 nume-

numerans dies quibus iudicari solent, qui mouentur per impares, dictos duos omisit, quasi raro iudicantes ob di-
ctam causam.

26 **C**oi sorori hepar elatum est splenico modo. Mortua
est secunda die.

Ingens hepatis inflammatio fuit hæc quæ secunda die in-
terfecit sororē Coi. Si enim fuisset scirrhusus tumor, quali
solet lien intumescere, nō potuisset tam breui interimere.
Quare quod dicit splenico modo elatum esse, ad magnitu-
dinem tumoris pertinet. Nimirū solet lien tumescere adeo,
vt in dextram partem videatur aliquando tendi, vt Lyciz
accidisse super narrauerat. Nunc explicans inflammationis
magnitudinem dicit, intumuisse splenico modo, id est, in
tantam molem elatum esse, in quantam lien solet. Sed quā-
tumuis inflammatio fuerit magna, mirum est occidisse mu-
lierem secunda die, cum Galenus dicat, primum & secun-
dum diem decretorios non esse, atque velit, cū in prognos-
tico dicit Hippocrates deterrimas febres interimere quar-
ta die aut citius, intelligi, quarta aut tertia. Tamen simile
est hoc ei quod de angina diximus in commentario pro-
gnostici, nimirum angina, quantumuis acuta sit, non potest
ante diem tertium solui, tamen potest secundo atque etiā
primo strangulare. Nam strangulatio fit crescente tumore,
qui, vt contigerit esse impetum fluxionis, crescet, solutio
verò morbi, non nisi depulsa materia à natura, quas depul-
siones non potest natura nisi decretoriis diebus perfectè
facere. Ita etiam tumor hepatis potuit tantopere crescere,
vt compressione septi transversæ, & compassione cerebri,
secunda die interfecerit, tamen solui non potuisset ante
diem aliquem decretorium.

27 **B**ion simul copiosè mingebat sine sedimento, & san-
guis de sinistra nare fluebat. Erat enim splen in gibe-
rum elatus & durus, & sursum latus. Superstes fuit.
Recidua.

HANC quoque fuisse inflammationem lienis existimo.
Nam

Nam in aliis eius visceris tumoribus, neque expectatur indicationes, neque recidivæ. Quod autem liberatus sit Bion ab ea inflammatione, fluxu sanguinis de nare sinistra, non mirum. Nam ea est ei morbo maximè accommodata euacuatio, & maximè secundum rectitudinem procedens. Tamen quod fluxu multæ urinæ, mirum fortasse videatur alicui, qui legerit apud Gal. 13. meth. nullam huic visceri ex purgando patere per renes viam. Tamen nosse oportet, & si manifesta via à liene ad renes non sit, nisi per multos an fractus, esse tamen haud dubie, naturæ vias notas, per quas possint succi abscedere. Nam Hipp. dicitur, omnia conspirabilia & cõfluxibilia, & alibi, natura inuenit sibi vias. Itaque expurgari posse lienem per urinam constat, per vias occultas, & si id frequens, non sit, quod nullæ sint manifestæ. Tamen videtur Hipp. docere non hoc solum exemplo: sed alibi etiam, sequutus communes obseruationes, posse expurgari ita lienem, quin etiam & solere. Itaque videtur Galeno repugnare. Nam libello de passionibus, seu affectionibus (quamquam eum librum Polibij esse Galenus putat, non est aspernendus) docens rationem curandi splenicos, post alia quædam, suadet vti diureticis medicamentis. Quæ (inquit) mollire splenem, scriptum est. Si igitur diuretica mollientia splenem sunt, non mirum, neque sane rarum, mictione copiosa crassæ & perturbatæ urinæ solui lienis tumorem. Quin & Gal. ipse in curatione quartanæ iubet vti diureticis, & si ea febris cum affectione lienis plerumque sit. Animaduertendum est posse partem aliquam malè affectam iuari, per se, euacuata materia propria morbi, aut ex accideti, expurgato toto corpore. Prodest enim tantopere in partium morbis totius vacuatio, vt sæpe sola ea sit satis ad perfectam curationem, quin ad medicamenta localia procedere opus sit. Ita ergo vsus diureticorû mollire potest lienem, non quidem per se, sed quod deriuata crassiori parte sanguinis, quæ splenis duritiem fouebat, ad urinæ vi eas, ille mollescat. Itaque mictio copiosa, affectio ni lienis, raro esse possit vacuatio propria, deriuatio tamè esse possit, sitque non raro, in iis: quibus, biliosi cum sint, bilis vltione, crassa in liene colliguntur. Nam in illis causa antecedens mali, est bilis flaua, quæ ob tenuitatem facile mingitur. In pituitosis & melancholicis, non ita fiet, quia
neque

neque proxima, neque antecedens causa, purgari per urinam facile possit. Quartanam eodem modo curant diuretica, expurgatis scilicet totis, aut maximis venis & arteriis, per eam viam. Ita ergo Bion liberatus est ex lienis inflammatione, mingens copiosè, & sine sedimento, hoc est crassum & perturbatum, atque ob perturbationem non residens. Sed non potuit tam perfectè lien illa deriuatione perpurgari, ut non redierit morbus, minor tamè, & ex quo superstes mansit. Hæc verò intellige dicta de communis formationis hominibus. Nam raris quibusdam, quibus à vena caua viâ quædam fertur in mesenterium, facile potest lien purgari per urinam, recurrentibus succis à mesenterio, per cauam, in urinæ vias.

²⁸ **E**Rant autem anginosorum passiones huiusmodi. Cervicis vertebræ intro vergebant, quibusdam plus quibusdam minus. Exteriores cauum habens cervix, atque dolebat ea parte tacta. Erat autem & cuidam infra os quod dens vocatur, cui non similiter acutum est. Est autem & quibusdam valde conspicuum maiori peripheria, siquidè cum dente vocato fauces sint, non inflammata, sed iacentes. Partes sub buccis tuebant, non inflammatarū modo, neque glandulæ alicui tumuerunt: sed secundum naturam. Et linguam non facile conuertebant: sed maior ipsis esse videbatur, & prominentior, & venæ sub lingua conspicuæ sorbere non poterant, aut valde difficulter: sed in nares effugiebat, si valde conarentur, & per nares loquebantur. Spiritus autem his non valde sublimis. Quibusdam autem venæ in temporibus, & in capite, & in ceruice elatæ. Tamen parum quiddam horum quibusdam iratis tempora calida, etsi alioqui non febricitabant. Non suffocabantur plurimi, nisi deglutire cuperent, aut saliuam, aut aliud aliquid, neque oculi intus desidebant. Quibus tumor in rectum, neque in alteram partem vergens, hi neque paraplectici fiebant. Cæterum si quempiam perijsse viderim, in memoriam reuocabo, quos autem nunc noui, super-

stites

flites manserunt. Erant autem quædam celerrimè allentia, plurima autem etiam in quadraginta dies perueniebant. Hoc autem plurimi etiam sine febre: multi autem & in valde longum tempus habentes partem aliquam tumoris, & deglutitio & vox significabant. Columella quoque eliquatæ significationem quandam præbebant, nihil mali habere apparentes. Quibus autem in alterutram partem inclinabat malum: in ea parte unde vertebræ inclinabant, resoluebantur, & versus alteram trahebantur. Erant autem hæc in facie apparentia maxime, & ore, & intersepto secundum gargareonem. Quinetiam inferiores buccæ pro ratione mutabantur. Paraplexia autem non per totum corpus fiebant, ut ex alijs, sed usque ad manum, à parte quæ erat sub angina. Atque hi coctæ spuæ erant. Quibus autem in rectum, etiam spuæbant. Quibus autem cum febre, hi multo magis & difficulter spirantes, & fundebant salivam, & venæ his magis attollebantur. Et pedes omnium frigidissimi. Horum autem maxime hi erecti stare non poterant, & quidam non statim mortui sunt. Quos autem ego noui omnes perierunt.

Hactenus singulares historias narrauit, huc communem quendam morbum describit, qui quadam tempestate multos inuasit. Explicata autem est hæc narratio Gal. 4. li. de locis patientibus cap. 5. & mihi in scholijs. Quare minus nunc opus sit sermonem multum producere. Multi periculum suffocationis incurrerunt ob luxationem vertebrarum ceruicis, quibusdã luxatis in rectum, id est in nullum laterum, sed intro, quibusdã in latus: rursus quibusdã cum febre, quibusdã sine febre. Fiebat verò ob hæc non exigua differentia passionum & accidentium. Atqui omnia hæc quibusdã accidebant acutiora, quibusdã tardiora, ob causæ speciem: quibusdã etiã maligniora, quibusdã mitiora. Atque ita erat magna differentia magnitudinis symptomatum propriorum, & superuenientium: quorum, mala fere sunt, strangulatio & si deglutire non tentarèt, respiratio sublimis, tumor

venarum

venarum in ceruice, fronte, & temporibus, & sub lingua, & calor in temporibus, & effusio multa saliuæ, refrigeratio extremorum: bona verò, contraria. Vocat Hipp. hoc malam, passionem anginosam seu anginam, ob symptoma, quæ præfocabat. Omnem enim strangulationem per passionem aliquam ceruicis accidentem, vocabat anginam Hipp. non tantum eam quæ inflammatione eo loco oborta fieret, vt posteri: ac multo minus distinguebat cynanchas & synanchas. Non enim profecto inflammatio his vertebra luxabat, sed tubercula cruda in ligamentis ossium facta, vt & gibberum patientibus ex morbis, aut lente contractum, fieri solet. Nam & in illis solet fieri intro spinæ curvitas cum repanditate, aut extra cum gibbero, aut in alterum latus, cum obstipitate. Fuisse autem tubercula, constat, quia non videtur quæ alia causa potuerit vertebra suis locis euellere: deinde, & quia soluebantur concoctione, & ex creatione concoctorum, quod quidem, si sine his essent laxatæ vertebra, fieri non poterat. Quæ enim esset materia cōcoctioni apta. Erant (inquit) anginosorum passionis huiusmodi. Ceruicis vertebra intro vergebant, quibusdam plus, quibusdam minus, exterius cauum habens ceruix (qua scilicet recesserant vertebra) atque dolebat ea parte tacta. Erit enim diuulsæ partes, ac proinde dolentes. Erat autem & cuidam ossi, infra id os quod dens vocatur, id est, infra secundam vertebra. Nam hæc ob figuram vocatur dens. Itaque dicit in quibusdam fuisse luxationem in tertia vertebra, innuens scilicet multis alijs fuisse in secunda. Addit, quod non similiter acutum est, intelligendum verò non os (nam secunda vertebra acutius os est, alijs omnibus) sed malum, non enim tam graue est luxari tertiam, quam secundam: quia secunda & prima præstant motum proprium capiti, tertia solis buccis. Accedit quod secundæ luxatio obturare magis potest spiritus viam. Itaque malum minus acutum est luxari tertiam, quam secundam vertebra. Quamquam quibusdam simul cum tertia luxabatur secunda, & illis erat malum satis conspicuum, maiori peripheria externæ excavationis. Hoc est quod dicit, est autem quibusdam valde conspicuum maiori peripheria, quibus scilicet luxata tertia simul cum vocato dente, quibus erant fauces, id est partes oris inter laryngem & gulam, non inflam-

mata

matæ (non enim inflammatione tenebantur) sed iacentes, idest, afflictæ & compressæ. Metaphoricæ enim iacentia dicuntur quæ male habent. Pars dictionis huius quæ hætenus enarrata est, occurrit mille modis scripta, & in Hippocratis græcis codicibus, & in eo quem secutus Galenus est, & mille etiam modis donata latinitate, interpretibus in multos ac varios sensus euntibus. Tamen quia eam lectionum differentiam loco citato, ex opere de locis male affectis exposui, nunc satis sit simpliciter dixisse, quod est maximè consentaneum. Addamus reliqua. Partes sub buccis, idest, internæ oris partes, tumebant, non inflammatarum modo, sed vt pulsæ loco à luxatis ossibus, neque glandulæ, externæ scilicet & quæ in ceruice (nam parythmia cum partibus sub buccis intelliguntur) alicui tumuerunt, idest, nullus tumor videbatur in collo aut ceruice, sed glandulæ illæ habuerunt secundum naturam. Et linguam non facile conuertebant, sed maior ipsis esse videbatur, & prominentior, & venæ sub lingua conspicuæ. Sorbere non poterant, aut valde difficulter, sed in nares effugiebatur, si valde conarentur, & per nares loquebantur. Hæc omnia strangulationis symptomata sunt. Ita enim fieri solent, omnibus, quibus ceruix comprimitur, & spiritus via quacunque causa obturatur. Spiritus his non valde sublimis. Dicitur sublimis spiritus, non vt quidam falso putant, qui trahitur recta ceruice, sed per quem sublimia respirationis instrumenta mouentur, muscoli scilicet venientes a ceruice simul cum clauiculis. Hic in summa necessitate fit, & viarum obstructione, aut animalis facultatis debilitate. Quibusdam autem venæ in temporibus, & ceruice, & capite elatæ, ob multitudinem sanguinis, qui accurrens ad caput hæc, & tubercula simul in ligamentis ossium, fecit, aut post factam luxationem, per præfocationis angustiam conuocatus est. De horum symptomatum malitia maiori aut minori, ita scriptum est. 6. Epid. 7. parte: Qui solum deglutire non poterant, his valde mites & toleratu faciles erant: qui verò etiam insuper obscure loquebantur, his molestiores ac diuturniores. Quibus verò etiam venæ circa tempora & ceruicem attollebantur: his aliquantum malè erant. Pessimus verò ijs quibus spiritus sublimis coeleuabatur. Hæc Hippocrates, ex quibus

bus facile intelliges, eorum quæ accidisse hac tempestate anginosi narrat, quæ augeant, & quæ minuant periculum. Addit parum quiddam horum quibusdam iratis, tempora calida & si alioqui non febricitarent. Illud iratis Græce *παλιγγράτισιν* ut in scholiis quarti de locis patientibus monuimus, per metaphoram dicitur de ipsis malis. Id est, malis cum viderentur facta mitiora redeuntibus, & factis malignioribus, non suffocabantur (inquit) plurimi, nisi deglutire cuperent, aut saliuam, aut aliud aliquid (hoc leuis suffocationis esse dictum est antea) neque oculi intus defidebant, sed aut manebant secundum naturam, aut nonnulli erumpebant. Atqui secundum naturam manere esset optimum, quia neque suffocationem, neque contractionem partium, quæ in extrema debilitate fieri solet, significaret, tamen leuius esset in hoc affectu timere exertos, quod familiaris est suffocationi, quam contractos esse, quod est à suffocatione alienissimum. Hactenus narrauit quæ in commune acciderunt anginosi non omnino grauius affectis: sed sine febre, siue in rectum siue in alterum latus luxatæ vertebræ inclinarent. Deinde narrare incipit, seorsum quæ in quibus in rectum, id est, in anteriorem partem, non in latus aliquod, luxatio est facta, & quæ quibus in latus: sed vtriusque quidem sine febre: postremò, in calce dictionis, narrauit quæ febricitantibus euenerunt, qui fere omnes mortui sunt, cum eorum qui sine febre laborarunt vix vltius sit mortuus. Sed redeamus ad Hippocratē. Quibus tumor, inquit, in rectum, neque alteram partem vergens, hi neque paralytici fiebant (id est nulla parte resoluebantur) omnes tamen quorum Hippocrates meminerat, liberati sunt. Merito quidem nam lethalia signa, quorum in hoc morbo magna vis est, non admodum his accidebant. Neque tamen omnes liberabantur citò: sed quidam celerrime quidam autem non ante quadraginta dies, qui finis est morborum neque acutorum simpliciter neque iam longorum. Hoc autem plurimi habebant etiam sine febre (certè hactenus de his qui sine febre ita affecti erant loquitur, de febricitantibus postea loquitur) multis autem etiam chronicus fuit hic morbus, & in longum tempus, in annum fortasse integrum, productus est, & habuerunt partem aliquam tumoris (tumoris illius quem impulsa vertebra faciebat) in ore (nam nullus alius

alius tumor apparebat) & deglutio difficilis, & vox gracilis, ut per angustam fistulam significabant perseuerantiam affectionis. Et columellæ liquatæ, hoc est extenuatæ & factæ graciles, quales in extremo mali fieri solent iis qui fluxione partium oris laborant, siccata, quantum suspicor, calore aeris per angustum expirati, significationem quandam præbebant mali nondum soluti, & si nihil mali habere videbantur, id est, & si neque inflammationem, neque vlcus, neque aliud quippiam tale habere videbantur. Quibus autem in alterutram partem inclinabat malum, in ea parte vnde vertebræ inclinabant, resoluebantur, & versus alteram trahebantur. Erant autem hæc in facie apparentia maximè & ore, & inter septo secundum gargareonem: id est, & gargareone: quinetiam inferiores buccæ, id est, quæ inferiorem mandibulam vestiunt, pro ratione mutabantur, id est ab ea parte in quam inclinabant vertebræ contorquebantur in contrariam. Paraplexiæ autem, id est, lateris resolutiones, non per totum corpus fiebant, ut ex aliis passionibus. Solent, ex affectionibus scilicet cerebri, ut paraplexiæ quæ ex apoplexiis solent superesse, atque etiam nonnunquam ut ego existimo ex epilepsiis, sed vsque ad manum, à parte quæ erat sub angina, id est à parte quæ erat sub luxatione eo latere in quod inclinabant luxatæ vertebræ. Sed ut hæc omnia quæ de resolutione dicit, non sine causa euenerint, utque his acciderint, illis non, & his partibus non illis, & hoc modo, facile intelliget, qui quæ diximus 4. de locis affectis oblitus non sit. Nimirum curuitas spinæ fieri potest angulata, ut cum vertebra proxima à proxima decessit, ita ut angulus ex ambabus fiat: aut arcuata, ut cum multæ incuruantur singulis à vicinis paulatim recedentibus. Vtrumuis horum fieri potest introrsum, aut extrorsum, aut ad latera: porò horum quodcumque, in ceruice, aut dorso, aut lumbis. Præterea, partes contorqueri possunt, resolutione, aut conuulsione. Per resolutionem laxatur pars malè affecta, ac proinde ea trahitur in contrariam: per conuulsionem, pars affecta contrahitur, & proinde trahit contrariam. Porò ob læsionem spinæ illæ partes corporis resoluuntur aut conuelluntur, quæ ex ea parte qua spina læditur, accipiunt nervos. Luxatio spinæ angulata, si magna sit, & magnum angulum facit, in qua-

N

curus

cumque partem fiat, comprimit, aut mediam secat spinæ medullam, quare omnes infra positæ corporis partes sensum amittunt & motum, non tantum ex partes quæ è regione læsionis sunt, & quæ nervos ab ea spinæ parte, qua læsio contingit, accipiunt. Non enim solum læsio contingit secundum ipsas nervorum radices, sed secundum medullam. Si autem læsio arcuata fit, servatur incolumis medulla, quia ipsa quoque incurvatur sensim nullibi compressa. Potest tamen lædere nervorū radices, ad latus aliquod facta, quia cum nervi oriuntur à lateribus spinæ, ex foraminibus, quæ commissura superiorum cum inferioribus vertebris constant, vertebris à vertebris recedentibus, distrahuntur nervorum inde orientium fibræ in ipsa radice: atque etsi quæ maximè arcuata læsio fit nervi in eam partem, in quâ spinæ inclinatur, laxitatem facit, laxitas verò nervorum affert partibus resolutionem: in contraria verò parte, à qua spinæ refugit, facit contractionem, & contractio conuulsionem. Tamen hæc mala non in toto corpore quod infra læsionem est, sentiuntur: sed solum in partibus quæ inde nervos accipiunt. Atque hoc evenit magis & apertius in partibus superioribus spinæ, quam in inferioribus, quia in superioribus pertinet foramen æque ad ambas vertebrae, superiorem & inferiorem, quanto autem pars spinæ est inferior, tantò foramen magis pertinet ad superiorem. Quanto autem magis æquales partes tribuunt ambæ foraminibus, tanto quod inde prodit magis distrahere possunt distractæ. Maximè autem conspicua est flexura partium, quæ, quibusdam resolutis, & contrariis conuulsis fit, in facie. Quippe in qua, cum non fiant gemini artus, ut brachia, aut crura, necesse est à conuulsis laxatas trahi, & laxatas in non laxatas abire, velut loris equorum ab altera parte laxatis aut contractis, capita equorum torquentur. Merito ergo luxatio in rectum nullam resolutionem fecit. Ea verò quæ in obliquum, fecit partes, ab ea parte in quam fiebat spinæ flexura, torqueri in contrariam. Apparebat verò in facie solum, & vsque ad manus, quia illæ partes sunt quas solas attingunt nervi ex ceruice. Sed cur non etiam sentiebatur resolutio septi transversi: quod quidem ex ceruice accipit nervos, etiam antequam manus. Certè nervi qui ex quarta & quinta vertebris veniunt, antequam attingant septimum

commit-

committuntur cum neruis ex sexta coniugatione cerebri. Non potuerunt ergo læsione spinę toti lædi. Atqui fortasse quod, ob alterius partis neruorum læsionem, difficultatis respirationi allatum est, angustię laryngis imputabatur. Sed redeamus ad narrationem. Vtrosque, & eos quibus in rectum & in obliquum luxatio erat, spuisse cocta, & fuisse raucos dicit. Non immerito, raucitatem enim facit in larynge imbibitus humor, nisi autem concocta & dissipata essent tubercula, non essent illi liberati. Sunt autem liberati ferè omnes quos hæcenus narrauit. Velut quos in fine dictionis narrat, mortui sunt omnes: qui scilicet cum febre magna & perpetua id mali passi sunt. Nam & in aphorismo dicitur, ei qui à febre tenetur, si collum repente peruertitur, & vix potest deuorare nullo tumore apparente in faucibus, lethale. Neque mirum Nam febris magna, & repente facta vertebrarum luxatio significat in his inflammatione esse, quod in prioribus tubercula crudiora: quod verò nullus tumor apparet, significat interius propè ipsissimam spiritus viam esse. Quo pacto autem non intereat homo simul aucto plurimum vsu ob febrem, & constricta via ob inflammationem? Maximè autem si non solum interna inflammatio sit, sed ea etiam maxima, quod quæ apparebant in ægrotis symptomata, indicabant. Nimirum hi cum febre multo magis & difficulter spirabant, & fundebant saliuam inter loquendum, & venæ his magis attollebantur, & pedes frigidissimi. Horum autem maximè hi erecti stare non poterant, quia cum conabantur erigere ceruicem, dolebant ob inflammationem. Multi cito moriebantur, quidam non statim, quos autem (inquit) ego noui, omnes mortui sunt.

Sectio tertia.

IN Perinthum circa solstitium æstiuum venimus, fuerat autem facta hyems clementi cælo, austrina. Ver autem & æstas valde sine aquis vsque ad occasum vergiliarum. Si enim aliquid factum fuerat, erat vt ros. Et Etesia non admodum flauerunt, & qui flabant sparsim.

TOTVS hic annus fuit calidus & ficcus. Calidus quidē quia frigus hyemis cohibuit auster, & calorem æstatis parum emendauerunt Etesia. Humidus autem, quia toto illo anno ab initio hyemis vsque ad initium alterius hyemis, quam occasus vergiliarum inchoauit, perpauca & exigua pluuia fuerunt. Nam hyemis tota fuit clementi cœlo serena & sine pluuibus, reliquum valde sine aquis: atque si quid pluuia fiebat erat non largus imber, sed velut cadēs ros. Solus auster potuit emendare siccitatem hyemis. Sed humiditas austrina sine pluuibus, minor est quam pro naturali hyemis humiditate. Quare ea etiam anni pars sicca fuit.

A Estate causi populariter grassati sunt multi. Erant autem sine vomitu, & ventres turbati tenuibus, aquosis, non biliosis, cum multa spuma. Habebant autem aliquando hyposthasim reposita, ex quibus sane quod sub dio reponebatur simile erat. Excretiones similes specie semper, malum. In his multi comatosi erant, & delirantes, hi autem ex somnis tales fiebant. Cum enim expurgiscerentur, intelligebant omnia. Spiritus sublimes, non quidem valde. Urinae tenues plurimis, & modice, alioqui non decolores.

Confidera hic narrationem intempestiuae aeris temperies capisse ab initio hyemis quae antecessit, narrationem vero morborum ab initio sequentis æstatis hoc est ab ortu vergiliarum qui circa finem aprilis contingit, inchoare. Non enim fiunt morbi populares quales illa dies petit: sed quales ea corporis dispositio quae antegressa temperies reliquit. Itaque necessario aeris mutationes incipiunt multo antea, quam morborum ea species quae specie temperies referat, incipiat esse communis. Fuerit ergo is morbus qui ab initio æstatis grassari coepit, qualē temperies hyemis & veris nata fuerat facere. Fuerat autem hyems calida austrina, talis vero solet multā pituitā falsam generare. Hyems enim pituitā semper facit magis quam aliam speciem, calida autem calidam, qualis falsa est. Fuerint ergo causi ex falsa pituita. Nam praeterquam quod quae dicta sunt de causo id indicant,

cant, symptomata et quæ adfuerunt, multo magis id declarant, fuerunt. n. sine vomitu. At verò Hippo. 1. de morbis, describens causam ex bile dicit, plerunque verò in primis diebus vomitur, aut quatuor aut quinque. Nimirum bilis efferi in superiora nata est, ac proinde vomit, pituita verò falsa quæ per venas putruit magis repit deorsum in intestina. Ventres erant turbati tenuibus aquosis non biliosis & spumosis. At verò lib. de ratione victus in acutis dicit in causo ex bile, fieri liquidas & palidas, biliosas scilicet ex tenui bile: his autem factæ sunt tenues & aquosæ, quia ob pluuix defectum venæ totius corporis aquam multam ex ventre traxerant, vt arbores quibus desuper ros aut pluuia non incidit largiori irrigatione indigent a radicibus. Distributa verò aqua & admista cum putrescente pituita, salita est, quæ iam tunc redundans ad vêtrem inclinauit. Spumosa vere fecerat auster. Is enim ventus quia crassus & laxans, flatu replet corpora, qui cum aquea substantia mistus spumam parit. Quod autem pro vomitu deiectiones acciderunt, falsi causi admodum est. Nam loco citato ex lib. de ratione dictus in acutis primam notam talis causi scribens dixit; Aluus subit, itaque deiectiones factæ sunt liquidæ, non totæ per totas aquæ, sed partim ex aqua falsa, partim ex pituita. Proinde repositæ, cum aliquando reponerantur & repositæ seruabantur hypostasim habebât, residet enim crassum sub tenui. Ex quibus quod subdicio reponeratur simile erat. Illud subdicio reponi nihil nobis nunc significat, neque. n. alterationem aliquam quam aer in deiectionibus faceret, sed narrat rem hanc vt agi solet. Solent. n. alui excrementa noctu quotidie extra domum deportari, & in sterquilinia proieci, illa illo in loco dicit similem speciem multum tempus retinuisse. Vbi in primis admirari oportet Hipp. hominis quidem suo tpe nobilissimi, & philosophi summi diligentia in curandis ægrotis, quod non tñ recens factas deiectiones domi cõttemplabatur in pelui, sed sæpe et hesternas in sterquilinijs requirebat, nihil cõtens indecens, neque indignum, quod ex officio pro tuenda hominis vita agatur. Sed quid significabat illa eiusdem formæ in deiectionibus perseverantia? malum certè. Nam excretiones (inquit) similes specie semper id est multum tps perseverantes sui similes, malum. Causam Hipp. non dicit,

ea verò est hæc. Quocunque morbi tempore excrementa sine mutatione insigni diu durent, significatur morbi longitudo. Nam distinctio temporum morbi agnoscitur præcipuè mutationibus excrementorum in concoctione aut contrario, si autem idem tempus, quodcunque illud sit, producit, totum morbum produci constat, quia tota constitutio morbi constat temporibus vniuersalibus, & eorum proportio quædam est. Si verò post multas mutationes in vnam speciem incidunt excrementa, & eam diu continent, iam id corruptionis & mortis signum est. Quod Hipp. ipse docuerat proxima sectione dicens, fines in meratoria putrefactionem significant. Id itaque malum in his morbis fuit quod excrementa parum mutabantur. Illud etiam erat malum in multis, quod comatosi erant ob vapores pituitæ putrescentis qui in caput vi febris efferebantur, hoc verò morbi & causæ speciem non nihil referebat, illud verò erat grauius delirare ex somno. Nam in aphor. scriptum est, vbi somnus laborem facit mortale, si inuat non mortale: ac rursum vbi somnus delirium sedat, bonum. Ergo per insinuationem dicitur si somnus delirium facit mortale. In his verò constabat ex somno esse delirium, cum enim expergiscerentur, intelligebant omnia, id est cum aliquantulum experrecti sine somno conciterentur. Non enim delirarent dormientes sed recens excitati, redirent verò ad mentem paulo post. Erat etiam his spiritus sublimis, id est qui superno thorace trahebatur, quia ardente febre tenebantur, non tamen admodum, atque sane immeritò. nam admodum sublimis spiritus valde lethale est. ex his verò febribus nulli narrantur mortui. Urinæ his erant tenues & non decolores, sed ruffæ fortasse, quod in prognostico dicitur crudam affectionem significat, minus verò quam si etiam essent albæ & tenues, vt hoc exemplo constet posse esse urinam boni coloris sine bona substantia. Modicæ etiam fuerunt his urinæ, quæ erant alui turbatæ tenuibus & aquosis. Vt ergo copiosa deiectione exiguam deiectionem facit, ita copiosa deiectione, maximè aquosa, facit exiguam mictionem.

3 *Sanguinis fluxiones è naribus non fiebant nisi paruis, neque parotides erumpebant, de quibus postea scribam*

scribam: neque splenes attollebantur, neque dextrum hypochondrium, neque dolorosum valde, neque intentum fortiter. Significabat autem aliquid & maxime. Iudicabantur omnia frequenter circa decimam quartam, pauca cum sudore, pauca cum rigore: & admodum paucis recidiuæ fiebant. Sub voribus autem æstate fientibus, apparuit sudor in febricitantibus. & quidam sudores statim a principio fiebant, non tamen maligno modo: & quibusdam sub hoc tempus iudicationes cum sudore fiebant. Superueniebant autem in æstiuis febribus circa septimam, octauam, & nonam, asperitates in cute miliaceæ, culicum moribus maximè similes, non admodum pruriginosæ; hæc persistebant vsque ad iudicationem. Nulli autem viro hæc floruisse. Mulier autem nulla mortua est, cui hæc accidissent. Auditu erant graui, & comatosæ. Prius autem non valde erant comatosæ quibus futura erant.

NARRAT Hippo. iudicationes quæ non accidebant & quæ accidebant ægrotis illa tempestate, iudicationes verò quæ cum excretionem, & quæ sine excretionem per solos abscessus, & quæ tempestiuè & quæ intempestiuè. Sed quorsum quæ non accidebant, aut cur non persequitur omnia quæ non acciderunt? Non enim dicit, non fuisse copiosam excretionem, neque fluxisse pus ex aure. Certè vanum esset narrare, quæ non acciderunt nisi quòd accidere soleant talibus morbis aut verisimile esset, tunc temporis affutura, atque ipsum non superuenire, significationem aliquam præstaret notatu dignam. Sanguinis fluxiones ex naribus in ardentibus febribus frequèntes sunt, elatis sursum succis præ feruore: atque in quibus ob aliquam càm nõ potest satis erumpere, fieri solent parotides. In his verò neutrum horum fiebat, fortasse quia succi pituitosi cum essent non efferebantur sed deorsum repebant. Sed cur narrat splenes non attolli neque dextrum hypochondriũ fuisse dolorosum admodum, neq; intentum fortiter? An quia vt

dictum Hippo. est in prognostico debent in febribus acutis considerari semper hypochondria, ut quæ magnam significationem præstare possunt boni aut mali. Quandoquidem ergo Hipp. narrat modum quo hypochondria habuerunt, constat illum id perquirendi habuisse curam, habendamq; proinde nobis in omnibus acutis morbis. Nam

, ut dicitur in prognostico, Hypochondriorum optimum, quod
 , sine dolore est, & molle & æquale dextris & sinistris par-
 , tibus: inflammatum autem & dolens, vel intentum, vel inæqua-
 liter affectum dextris partibus ad sinistras, hæc omnia obser-
 uare oportet. Nam tumor in hypochondrijs durus & do-
 lens pessimus quidem si in toto est hypochondrio: si verò
 sit in altera parte, minus periculosus est in sinistra. Hoc er-
 go bonum erat in his ægrotis non atolli, neq; intenta fuisse
 hypochondria multum, significationem tamen (inquit) quan-
 dam præstabant. Idest non nihil nihilominus erant affecta.
 Et pleraque iudicabantur circa decimam quartam, quæ erant
 acuti morbi. Tales verò ut in aphorismo dicitur, quatuor decim
 diebus iudicantur, pauca est cum rigore, quæquam hæc duæ
 iudicationum species familiares sunt febribus ardentibus.
 , Nam ita dicitur in aphorismo, In febre ardente rigore su-
 , perueniente, solutio, & in prognostico, Sudores optimi
 , sunt in omnibus acutis morbis, qui in diebus decretorijs
 fiunt & febrem perfecte submouent. His verò ægrotis non
 contigerunt hæc iudicationes, nisi paucis, nimirum rigores
 affuerunt, quia morbi pituitosi, magis quam biliiosi erant,
 sudores verò, quia tempestas sicca. Nam sub toribus æstate
 fientibus apparuit sudor in febricitantibus, ut est in initio
 sectionis primæ huius libri, narrans tempestatem, quæ in Cra-
 none dixit, in his si minutæ imbris guttæ deciderint, magis
 sudatoris fiunt ab initio. Ita hic quoque dicit apparuisse
 sudorem in febricitantibus sub toribus fientibus, id est cum
 pluebat velut narrauerat, & quidam sudores statim ab ini-
 tio fiebant ante tempus iudicationis, quia non fiebant ob in-
 ternam causam, natura iam tentante materiæ expulsionem, sed
 ob externam quæ corpora humectabat: tamen & si ab initio
 illi sudores fierent, non maligno modo fiebant, id est non ma-
 nebant difficiliora iudicatu quam aliter, ut in historia Cra-
 nonis dicebat, sed fiebant non maligno modo, quia etiam
 essent signa mala ut certè omnes symptomaticæ euacuatio-
 nes,

nes, non tamen lædebant, sed iuuabant fortasse partem aliquam materiæ facientes euacuari. Neque quidem oēs sudores erant ab initio, sed quibusdam sub hoc tēpore iudicationes cum sudore fiebant, quibus. succidebat concoctos iam esse succos cum incipiebat pluere. Vna quædam insignis abscessus species superuenit horum plurimis in æstiuis febribus circa septimam, octauam, & nonam, asperitates scilicet in cute milij granis similes, culicum moribus maxime similes, non admodum pruriginosæ. Hæ, ut ex hac descriptione & accidentibus, quæ mox dicit, constat, erant illæ maculæ quæ Hispanis nouato nomine vocantur tabardillo. Sunt. n. maculæ quædam per cutem erumpentes in febribus ardentibus symptomaticè, ob feruorem & malignam corruptionem succorum. Superioribus annis fuit malum hoc in Hispania frequens. Malum alioqui rarissimum, vsque adeo ut tunc temporis primum videretur morbus cum nomine natus. Tunc obseruauimus illis qui eo malo affliguntur fieri hæc quæ narrat Hippocrates symptomata. Nimirum antequam erumpant maculæ, anguntur plurimum & vigilant, ægroti, succo qui interius secernitur, & cuius natura parat expulsionem, lædente viscera: postquam eruperunt & dum erumpunt delirant & comatosi fiunt. Nimirum hoc malum non fit ex sanguine tenui admodum, ille enim non cohibetur cute, quia dissipatur, sed ex crassiusculo malignè putrescente, aut tenui cum crasso admisto, quod etiam non esse admodum pruriginosas eas facit. Cum tenui ergo effertur crassior sanguis in caput, faciuntque vapores putredine mala affecti delirium, crassi coma. Hæ maculæ colore plurimum differunt, indicatque colorum differentia tantam malignitatis morbi differentiam, ut ex nigris aut liuidis, vix vllus euadat, ex rubris pauci admodum intereant. Tales fuerunt in ægrotis huius tempestatis, quando quidem tam pauci ex his mortui sint, ut nullum Hippocrates viderit. Atqui profecto merito illius anni morbi, etsi magni ac vehementes, fuerunt tamen tam boni iudicij, ut omnes ferè liberarentur, & per paucis acciderent recidiuæ. Quia etsi fuit annus male temperatus, quod quidem morbos multos & magnos, inclinauit tamen ad siccius, quod securiores & melioris iudicij facere poterat. Quia ut dicitur in aphorismo, Ex anni constitutionibus,

tionibus, in summa siccitates pluuiofis salubriores sunt, & minus lethales. Quod mulieribus solis dicta exanthemata per febres ardentes hac tempestate eruperint, duplicem causam esse puto, & quod ob deteriores temperiem malignius eis succi putrescerent, & quod ob densiorem cutem, & debiliorem calorem, minus exhalatione insensibili discuterentur.

- 4 **N**on tamen in totum perseuerabant, sed comatosæ & somnolentæ æstate & vsque ad pleiadum occasum. Deinde autem vigiliæ magis, sed neque omnino sub hac constitutione moriebantur. Ventrem igitur non dabatur, neque ijs quæ gustantur sistere, sed præter rationem putaret aliquis medicationem conferre. Atqui per multa erant quæ quibusdam ibant, quod quis in frigore iaceret prostratus vt exulceret quidem frigus. Calefaceret autem hanc speciem ex appositione est potius, & nullam naturæ passionem fieri. In quibus etiam, & qualia signa, & plura, aut pauciora sientia, oscitatio, tussis, sternutatio, pandiculatio, eructatio, flatu, omnia huiusmodi corumpunt.

Hoc loco & in græcis codicibus occurrit tanta lectio num uarietas, & in latinis versionibus, vt difficilimum proinde fuerit intelligere quid Hippocrates velit, & quod ego sciam, intellexerit nullus. Tamen labor hic susceptus mihi est, & collatis codicibus, inuenta lectio hæc, emendatissima, & apertissima. Febres illæ ardentes & comatosæ, de quibus hucusque locutus est, non durarunt nisi vsque ad occasum pleiadum, qui principio hyemis fit. Ab eo tempore laborauerunt dysenteria curatu difficili, facta ex refrigeratione. Cuius accidentia & causam & curationem hac breui oratione complectitur, simulque communem omnis refrigerationis curationem, & notas insinuat. Non
 , (inquit) in totum, idest per totum annum perseuerabant di
 , ctæ febres, sed comatosæ & somnolentæ erant æstate & vsque ad pleiadum occasum, deinde autem, idest, hyeme,
 vigilie

vigiliæ magis, quia dysenterix non permittebant satis dormire. Sed neque omnino, idest, sed neque per totum hunc annum moriebantur. Quare neque sub hac constitutione moriebantur vt neque sub superiori: etiam si erant dysenterix magnæ, vsque adeo vt non posset venter sisti, neque ijs quæ gustabantur, sed præter rationem putaret aliquis curationem conferre, idest, sed omnis curatio quæ conferre solet, præter rationem agi videretur. Hic apertè insinuat Hippocrates sistendi aluum maximam spem collocandam esse in cibis & potibus idoneis & medicamentis ore acceptis. Atqui profecto ego ita puto, siue ad sublimia siue ad humilia intestina malum pertineat. Quanquam detergentium etiam clysterum vsus in hac passione est vtilissimus, astringentium verò esus aut potus. Itaque difficile his sistebatur. Atqui per multa erant quæ quibusdam ibant. Occasio autem ægrotandi erat, quod quis in frigore iaceret prostatus. Itaque maxima ex parte laborabant pauperes, ita vt sic, & qui carentes lectulis decumbent in frigida humo. Id verò fiebat, vt exulceret quidem frigus idest, vtpote quod frigus exulceret. In talibus verò oportet calfacere non repente & multum sed ex appositione potius, idest paulatim, vt nulla naturæ passio fiat. Quia si dysentericos etsi præfrigore laborare cæperint, plurimum calfacias, auxeris exulcerationes & fluxiones. Oportet ergo id facere modice & paulatim, vt refrigeratio solvatur tuto, & in omnibus refrigeratis etiam si dysenteria non tententur, eadem ratio curationis tenenda est, quia refrigerati ob cohibitionem calidi effluuij facile incidunt in febres magnas, & internas inflammationes. Ergo in omnibus frigidis passionibus calfaciendum est modicè. His & talibus signis cognosci possunt, qualia in illis esse solent, aut omnia aut quædam plura aut pauciora, vt plus aut minus secundum plures aut pauciores partes. Refrigerati sunt. Hæc sunt oscitatio, tussis, sternutatio, pandiculatio, eructatio, flatus. Omnia enim huiusmodi corrumpunt, idest significant refrigerationem. Nam etsi omnis immodica intemperies corruptio est, refrigeratio verò potius, quia vita calore seruetur præcipuè.

Quibus

5 **Q**uibus in febris anxiosis, horridis, rubescunt facies, laboriosè degunt. Dolores oculorum, capitis grauitates, paraplexiæ, & muliebria si apparuerint: maxima autem quibus primum, sed & virginibus, & mulieribus, quibus ex multo tempore, sed & quibus non quo consuetum est tempore, aut vt oportet, apparent, deinde pallidæ fiunt.

Hic narrat Hippo. quæ muliebribus accidere solent quòd menstrua non fluant, aut quòd ex multo tempore, id est rarius quam oporteat, aut quòd non quo consuetum est tempore, sed nunc crebrius nunc rarius, aut nō vt oportet, sed difficile & parum. Quibusdam enim consueto tempore semper fluit, sed semper minus quam pro corporis indigentia. Ob hæc omnia merito accidunt multa & grauissima mala, quia ea expurgatio menstrua maximè necessaria est corporibus muliebribus, vtpote quæ excrementosa admodum sunt. Ergo ea priuata redundant multis & malignis excrementis, qualia sunt quæ illa euacuatione expelluntur, inciduntque in morbos quibus ob grauitatem & symptomatum horribilium multitudinem Hippo. librum proprium dicauit, qui est de morbis muliebribus. Atqui, quia hæc eadem grauiora multo accidunt virginibus, quippe quibus, quia venere non vtuntur, sanguis minus fluit, & semen etiam (quod est multo grauius) detētum putrescit, seorsum scripsit de morbis virginum. Hicque eandem ob causam dicit, maximè autem quibus primum, id est ijs quæ adolescentiam ingrediuntur. Sed & virginibus, id est omnibus venerem non expertis, etsi sæpe iam menses fluxerint. Et muliebribus inquit, id est, sed & ijs quæ venere usæ sunt, si non frequenter, & consueto tempore, & vt oportet, apparent. Hic quidem non narrat omnia quæ dicta occasione muliebribus fieri solent (neque enim tam breui possent) sed præcipua quædã. Verum & quæ dicit & quæ omittit facile intelliget qui legerit dictos libellos. Nā libello de morbis mulierū docet Hipp. nō tātū quas noxas afferre soleat menstruorum difficilis fluxio, sed & quo ordine

dine, & quas primo mense defecerunt, & secundo, tertio, ac deinceps, vsque dum fit malum incurabile. Inter cætera dicit corripī sæpe mulieres febribus cum anxietate, simulque explicat quid vocet anxietatem. Nam, inquit, anxia erit & alias atque alias se ipsam iactabit. Horridas etiam esse, ac labore plenas his febres dicit. Nam hæc sunt illius verba suffocatio aliàs atque aliàs in ipsam irruet, & febris aliàs atque aliàs corripiet, & horror, & lumborum dolor. Sed hæc etiam omnia grauiora fieri in virginibus: simulque resolutiones quarundam partium: quæ cum alterius corporis partis sunt, paraplexiæ dicuntur, libello alio dicit. Iam verò dolores oculorum ad radices, & capitis grauitates fieri vterino morbo detentis, Hippo. dicit, sed & mulieribus omnibus est notissimum. Omnia autem hæc fiunt, non tam cum mulier priuata est fluxione consueta, quam eo tempore quo fluunt malè, aut quo tentatur ea expulsio, sed non perficitur: cum scilicet, vt dicit Hipp. libello de morbis virginum, sanguis in vteros confluit velut effluxurus. proinde hic dicit & muliebria si apparuerint, idest accident hæc cum muliebria apparuerint male, aut cum instant. Nam quod hæc euacuatio cesset tantum colligitur in corpore cacochymia, tamen cum sint quieta excrementa melius transigunt mulieres, dum autem fit, aut instat, agitur vitiosus sanguis missus in vterum vndique. cumque non inueniat exitum recurrit ad superiora, & male afficit cor, caput, & instrumenta omnia respirationis, atque ante etiam quam recurrat effumat agitated, vnde capitis grauitates, oculorum dolores, rubores faciei, anxietates, suffocationes, nonnunquam etiam insanias facit. Cum igitur (inquit Hippocrates) osculum exitus non fuerit apertum, sanguis autem amplius influxerit, tuæ sanguis non habens effluxum præ multitudine resilit ad cor, & ad septum transuersum. Sed paraplexias quo pacto facit? quemadmodum (inquit Hippocra.) cum aliquo longo tempore desidente sanguis ex coxis ac femoribus depressus in tibias ac pedes torporem inducit, a torpore autem pedes ad iter faciendum impotentes fiunt, donec sanguis ad seipsum reuertatur. Itaq; resolutiones in his fiunt, confertim replente partē sanguine, atq; ita, repen-

te,

te, eunte sanguine, solvuntur, vt genus causæ ignoratibus, videantur multa talia miraculosa. Sed quæ dicta sunt, fluenta, aut dum tentat natura fluxionem, maximè fiunt, postea verò suppressa fluxione cacochymæ fiunt mulieres, debilitanturque earum facultates naturales, & multas obstructions contrahunt, deinde pallidæ fiunt.

MAGNUM autem in omnibus quod deinceps, & in quo tempore, & in quibus, præcipuè in febris valde biliosis, vniuersim quibus in crura purgatio. Medicamentorum etiam modos scimus, ex quibus fiunt qualia, & quæ. Non enim omnes, sed alij aliter bene disponuntur: & alibi citius aut tardius accipienda manuum tractationibus, velut siccare, aut tundere aut coquere & alia huiusmodi. Mitto plurima quæcunque vnicuique conducunt, & in quibus morbis & quo morbi tempore, atatem, speciem, victum, quale tempus anni, & quod, & qualiter procedat & huiusmodi.

BREVISSIME vt solet hac oratione complexus est multa ad curandi rationem spectantia, quæ medicus scire & facere debet, & quæ considerare vt præstantia indicationem faciendorum. Sunt verò hæc omnia quæ hoc loco simul collegit, sparsim scripta ab Hippocrate in multis alijs. pars prima orationis æquè videtur posse duo significare: alterum, magnum esse, id est, magni momenti, in omnibus morbis scire quod deinceps ægroto superuenturum est: & quo tempore, hoc est, an mox an aliquanto an multo post: & in quibus morbis quidque superuenturum sit: quia non sunt eadem omnibus morbis superuenientia æquè bona aut mala, sed quibusdam meliora aut deteriora. Atqui præscire quod deinceps futurum sit differentiam habet exijs quæ possunt superuenire. Aut enim superuenturum morbum morbo præsentimus, aut accidens aliquod morbo, idque bonam aut malam significationem præstiturum consistens in genere signorum salutis aut mortis, vel concoctionis & contrarij: aut constitutionem aut iudicationem

dicationem & iudicationis speciem (cum quibus intelli-
 go signa omnia decretoria) aut salutem aut mortem. Mor-
 bus morbo superuenire potest, aut citra necessitatem aut
 necessario. Atqui quod citra necessitatem, aut quod ita
 solet, aut casu quodam. Casu quodam superuenire potest,
 quodcumque cuicumque cum quo potest complicari, &
 huius agnoscendi nō est ratio aliqua ex specie morbi prio-
 ris, sed ex signis quæ solent præcedere posteriorem. Quod
 solet, ut primo de morbis Hippo. dicit, ex pleuritide fe-
 bris ardens (febris scilicet morbus, nam febris accidens
 necessario coniuncta est) ex phrenitide perineumonia, dy-
 senteria ex tenelmo, ex dysenteria lienteria, ex lieteri hy-
 drops, ex pituita etiā alba hydrops (nā leucophlegmatiam
 nō vocat hydropē Hippo.) ex perineumonia & pleuritide,
 pectoris suppuratio: Necesario, ut (inquit) si vigor corri-
 puerit necesse est superuenire febrē: si nervus dissectus fue-
 rit conuulsionē facit: ex cerebri vulnere necesse est febrē su-
 peruenire, & alicuius partis corporis cōuulsionē: factō flu-
 xu sanguinis in ventrē aliquē, necesse est grumos putresce-
 re. Accidentia mala sentimus, ut si vulnus cerebrū attingit,
 superuenturum vomitum biliosum, si inflammatio irrepit
 in septum transversum, futurum delirium: si dentes stridēt,
 futurum furorem, bona, ut si quis purgationem copiose
 fluere considerans, prædicat sitim, futuram perfectæ purga-
 tionis notam. Signa concoctionis, ut si quis videns turba-
 tam urinam iam clarescere, prædicat futurum ut cito ali-
 quid contineat, & videns semirubrum semialbum sputum,
 futurum purulentum: Constitutionem, hoc est futurum
 morbum breuem aut longum, agnoscimus maximē ex si-
 gnis concoctionis, quia si mox apparent morbum contra-
 hunt, sin autem tardius, producant. Iudicationem futuram
 esse ex magnitudine & acutie morbi coniectamus, quia
 magna iudicantur, parua soluuntur, ut Gal. dicit. Ad præ-
 sentionem speciei iudicationis multæ Hippocratis senten-
 tiæ spectant. Velut illa in prognostico, inquirendum num
 doleant caput, an hebetudines subeant oculorum, fluxus
 sanguinis de naribus instat. Huc etiā spectat quod mox
 in hac ipsa sectione dicit è directo etiā laterum intentio
 dolorosa, & hypo chondriorum intentiones, & splenis
 elevationes è naribus eruptiones. Salutem futuram signi-
 ficant

ficant omnia signa quæ ab Hippocrate siue in aphorismis, siue in prognostico siue prorrheticis, siue hoc ipso opere, siue alibi, bona dicuntur, præcipue verò quæ admodum salutaria: mortem, omnia quæ mala, præcipue verò quæ lethalia, ac multo magis quæ valde lethalia. Talia sunt quæ possunt deinceps fieri quæque magni momenti est præsentire. Magni quidem momenti, & ad honorem medici, & ad curationem suscipiendam vt in prohemio prognostici indicatum est. Hæc verò datur præsentire non tantum futura esse: sed quo tempore, velut si nubecula quarta die rubet apparet, iudicatio erit septima: & quibus septima die cerni incipit excreatio partim biliola partim purulenta, eos morituros quatuordecima spectare oportet. Porro à die qua inuadunt rigor & febris & pro dolore pondusruptionem suppurationis expectare oportet vigesima, trigesima, quadragesima, aut etiam sexagesima die. Porro considerare expedit non solum quid superuenturum sit: sed etiam in quibus morbis: quia id quoque magnum momentum habet. Nam fluxus alui superueniens surditati, hydropi, aut spleneticis est bonus: pleuritidi aut perineumonix, malus. Conuulsioni ex alui profluuiio febris superueniens, mala, conuulsioni ex partu, bona. Omnium ergo horum præsentio magni momenti est, præcipue verò in febribus valde biliosis, id est, in morbis acutis qui cum putridis febribus continuis affligunt (nam in his est maior usus artis prognosticæ) & hæc sunt quæ iudicationes habent: sed & in iis quæ pro iudicationibus habent abscessus (velut multæ ad crura, & pote partem externam humilem & ignobilem) id est, in longis. Itaque hæc periphrasis præcipue in febribus valde biliosis, vniuersim quibus ad crura purgatio significat idem, ac si diceretur, præcipue in acutis sed omnino etiã in longis. Hoc ergo est quod prima totius huius orationis pars significare potest, pertinetque iuxta hanc enarrationem ad partem prognosticam per se, ex accidenti, etiam ad curatoriã, vt curationi morborum prænotio subseruit. Alterum est magni momenti, scire quid post quid circa ægrotantem agi oporteat. Ad quem locum spectat illa consideratio, vt sit potius post ex purgatione mittere sanguinem, an expurgare post sanguinis missionem, & illa, an ab epoto pharmaco dormiendum an mouendum, & an à clystere mittendus sanguis

sanguis an contra, atque alia innumera: latissimus enim hic locus est, & multas considerationes continens, quia non satis est scire, quæ agenda: sed etiam quo ordine. Atqui iuxta hanc enarrationem proprius vsurpatur illud deinceps, quam iuxta priorem. Nam Aristotele enarratore, deinceps succedere aut esse dicuntur, non quæcunque postea utcunque sunt: sed quæ proxima, ita ut nihil eiusdem generis intercedat. Itaque sit hæc consideratio, a quocunque auxilio medico quod aliud mox succedere debeat, ut recte procedat, quæcunque curatio suscepta sit. Non est autem satis nosse quæ agenda (nam hanc considerationem priorem intelligi volumus) & quo ordine: sed & quo tempore morbi, anni, aut diei. Morbi, ut an expurgandum ante diem quintum, an non ante concoctionem, an utendum solis resolventibus in summo vigore, an non ante inclinationem: Anni, quia quibus venæ sectione aut expurgatione est opus, vere facere expedit, ut in Apho. dicitur: Diei, quia ut. i. de morbis dicitur, quidam morbi sunt quibus occasio est ut curètur matutina diei hora, alij quibus occasio est ut curètur semel in die; nec refert quo tēpore id fiat. Sed & in quibus morbis, ut an in pleuriticis sit expurgandū, an solū mittendus sanguis, an in angina sit utendū repercutientibus, an non. An in affectione ventriculi liceat uti solis laxantibus aliquādo. Sed cum hæc omnia nosse in morbis omnibus magnū momentum habeat, præcipuè verò in acutis, quippe in quibus si quid ob imperitiā erratum sit, minus ob breuitatē emendari poterit. Prima ergo pars hæc continet. Secunda pars continet, quæ spectant ad materiā. Pertinet verò ad medicum, quia ut Arif. dicit ad eundem artificem pertinet nauem facere, & nosse ex quibus lignis facienda sit. Medicamentorum (inquit) modos scimus, id est scire debemus, vocat verò modos differentias seu species. At qui medicamentorū nomine licet hic intelligere, aut quæ proprius medicamenta vocamus, aut generatim omnia auxilia medica. Atqui utroq; modo verum est quod dicitur, & multi modi intelligi possunt. Nam scire debet medicus omnes modos auxiliorum secundum primas differentias & posteriores vsque ad vltimas. Secundum primas dico, velut quæ victu aguntur: quæ pharmacis, quæ chirurgia: aut ut aliis placeat diuidere, quæ assumenda, quæ adiuuenda, quæ agenda.

da. Secundum posteriores, vt rationem mittendi sanguinē, expurgandi, instituendi victum, medicamentis alterandi, & aliud quiduis faciendi. Medicamentorum quoque modos nosse oportet & eos qui sunt secundum differentiam facultatum, & secundum modos præparationum ad vsum. Primo modo, vt quæ calida, quæ frigida, quæ humida, quæ sicca, quæ duo horum habent: sed & secundum facultates secundas vt quæ adstringentia, quæ laxantia, quæ resolutoria, quæ mouentia pus, quæ diuretica, quæ expurgantia. Sed & secundum tertias, quæ velut proprietates quædam sunt, vt quæ capitalia, quæ hepatica, quæ lieni vtilia. Secundo modo vt quæ ore accipiuntur forma liquida, potu: aut forma boli, aut trochiscorum aut tabellarum, esu accipi posse: aut catapotiorum aut puluerum, deglutitione. Quæ admouetur, infundi, vt embrochas, aut inungi vt olea, linimenta: aut admoueri, vt cataplasmata: aut affigi vt emplastra aut ceratos linteolos. Modos hos omnes medicaminum & medicamentorum nosse oportet, non enim omnes eodem modo, sed alij aliter bene disponuntur, & curantur. Et alibi citius aut tardius id est: & alij indigent curatione celeriori, alij tardiori. Vt scilicet morbus ipse acutior est, aut tardior. Nimirum, vt dicitur. i. de morbis, repentinæ auxiliorum occasiones sunt in acutissimis morbis, in aliis minus repentinæ. Sed hoc quod de celeriori aut tardiori curatione dicimus, ad considerationes curatorias spectare videtur, quod mox addit pertinet ad materiam. Assumenda (inquit) manuum tractationibus velut siccare, aut tundere, aut coquere, & alia huiusmodi. His verbis insinuat artem seplasiariorum etiam esse ad curationes obeundas necessariam, ac proinde medicinæ partem. Quia medicamenta omnia indigent præparatione aliqua manu facta, aut mistorum aut simplicium. Mistorum quidem præparatio est artificiosa & quæ vnicuique congruat, mistio: simplicium, vt quædam siccare oportet, & in pulueres redigere insolata aut ad ignem: quædam tundere, idque tenuiter aut crassiuscule: quædam elixare in aqua, quædam aliter parare. Sed cum omnia medicamenta præparationem quandam desiderent, ea maximè quæ intra corpus assumenda sunt, quia plerunque qualitates aliquas noxias præparatione deponunt, & in assumendis magis periculum ab inemendatis impendet, quàm in iis quæ admo-

admouentur. In fine orationis per præoccupationem dicit omnia à quibus curatorix indicationes accipi possunt. Ea verò sunt omnia quæ naturalia, & præter naturam & nõ naturalia sunt. Naturalia quidem, vt temperies naturalis, & ætas, & peculiaris cuiusque natura, seu proprietas & consuetudo. Peculiarem naturam intelligit dicens, quæ vnicuique conducunt, secundum conditionem, scilicet singularem: temperiem quæ secundum appellationem communem dicitur, intelligit, dicens speciem. Consuetudinem intelligit, dicens victum. Considerare scilicet oportet victum qui antecessit. Præter naturam sunt morbus, & quæcunque morbi pars, causæ & symptomata. Non naturalia sunt, tempus anni, & quæ huiuscemodi, vt regio. In anni tempore considerandum, quod sit vt an ver, ætas, autumnus, an hyems, magis autem quale. Non enim semper ver est sui simile, neque omnibus annis sunt tempestiua tempestiue. Magis autem refert ad curationes morborum considerare quo pacto affectus sit aer, quam qui mensis, aut quotus illius dies sit. Sed & quo pacto procedat. Nam mutationes aeris quæ dum morbus durat, succedunt, magnas etiam mutationes morbi constitutioni afferunt. Quare non solum quale tempus sit semel considerandum: sed quotidie etiam qualis sit ille dies. Nimirum ex his omnibus nascitur ratio curationis, quæ tenenda est, rebus naturalibus petentibus similia, rebus præter naturam petentibus contraria non naturalibus, nunc similia, nunc contraria, vt euenit iuuare naturam aut morbum.

7 **Z** Oilo iuxta murum ex tussi concocta, febris acuta, & faciei rubor, & aluus intercepta nisi ad necessitatē. Lateris sinistri dolor, & auris è regione dolens valde, & caput non adeo. Spuens semper, suppurulentum egrotabat. Sed alia iudicata sunt. Et secundum aurem pus multum effluxit, circa octauam aut nonam diem. Principia autem nona diei doloris auris finis. Nescio quomodo sine rigore iudicium. Sudauit caput valde & hic. Firma inustio sinistri lateris. Sursum simul cum aure secundum scapu-

lam præcipuè leuatus est dolor. Sed & prius sputa multa quæ secundum principia spuebantur florida, & circa septimam aut octauam. Deinde concocta. Venter restitit vsque ad nonam & decimam. Dolor euauit. Tumor remittebat, & sudores exigui fiebant, non tamen iudicabant. Manifesta autem erant & alijs, & secessu. Cũ enim inciperet dolor auris, etiam venter turbatus est. Effluxit autem ex aure nona die, & iudicatus est quatuordecima sine rigore morbus eadem die. Caterùm sputum largius ibat, & magis concoctum, postquam ex aure effluxit. Sudores vero & herpes in capite in multum tempus fiebant. Arescentes tertio quoque die.

Difficilem faciunt hanc narrationem repetitiones quibus utitur. Videtur enim nunc ad eadem deuolui, nunc redire ad priora, nunc dicere contraria. Causa verò est, quia in principio narrat breui totam historiam, summam attinens prima & vltima, mox redit rursus ad eandem narrationem à principio, narrans sigillatim singula. Intelligentur verò faciliè verba re ipsa prius explicata vt acta est tota. Zoilus proculdubio laborauit catarrho ob redundantiam excrementorum in capite (nam id totus processus & exitus morbi indicauit) hic fecit tussim, quæ sicca durauit aliquandiu, ita vt fit, deinde maturescere iam tussi, cum calor in eo vegetior esset factus, roboratum cerebrum tentauit multitudinem expellere, expulsiq; simul magnam partem ad porum auditorium sinistrum, & ad sinistram partem thoracis, & ad totum id latus secundum alteram capitis & ceruicis & scapularum partem. Itaque cœpit simul laborare auris inflammatione, & pleuritide, & dolore occupante totum id latus. Cum auris dolor cœpit, ac cum eo reliqui etiã dolores & febres, fluxit etiam aluus copiose, vnum fortasse diem, aut etiam noctem, deinde restitit vsq; ad decimum diem, vt nihil nisi ad necessitatem, id est vix siccum & cum clysteri egereret. A principio dolorũ & febris, cœpit excreare suppurulentum seu floridum, hoc est semisanguinem, semi pus. Vtraque inflammatio, auris, inquam,

quam, & lateris, suppuratione iudicata est. Auris quidem inter octauam & nonam diem, lateris autem quatuor decima, utraque sine rigore. Circa iudicationem inflammationis auris, factus est sudor copiosus capitis. Ab eo tempore exigui quidam nihil iuantes processerunt, à suppuratione pleuritidis processit sputum largius & magis concoctum, id est bene suppuratum deposito iam rubore, & adhibuit medicus vitionem thoracis, quæ in hoc malo maximo remedio esse solet, & multum tempus post hæc fiebant in capite sudores, & herpes, qui tertio quoque die exacerbabantur, & tertio quoque crescebant. Ita tandem euasit. Zoilo, inquit, iuxta murum habitanti, ex tussi concocta, febris acuta. Tussim illam ex redundantia excrementorum in capite fuisse, euentus declarat, decubitus illi materię secundum rectitudinem cum capite, & sudores, herpesque capitis, quibus tandem solutus morbus est. Cerebri enim excrementa abscesserint primum ad alteram illius partem, inde magna illius pars, in aurem, & latus secundum rectitudinem positum, incubuerit. Quod verò eo qui cœpta tussi alia grauiora mala superuenerint, non mirum. Nam cum multitudinem excrementorum magis quam cruditatem sequi possint, sæpe vno malo concocto aliud superuenit deterius. Faciei rubor hic, ad suppurationem tendentibus pleuritidibus, aut ad perineumoniam, solet fieri. Alius intercepta est præ febris magnitudine, & vehementia impetus ad superna concitati: atqui deterius fuit, quod, ut mox dicitur, in principio multum soluta multum siccata alius est, illud enim significauit magnam copiam, hoc magnum recursum, atque adeo in morbis thoracis, & capitis vtrumque malum est, & multum fluere, & multum siccare alium. Lateris sinistri dolor, & auris è regione posita, hoc est sinistra, dolens valde, & caput non adeo. Nimirum auris dolor, quem ego ex catarrho aliquoties in me ipso expertus sum, acutissimus est. Spuens semper, id est à principio febris acutæ (cum enim hæc exciperet concoctam tussim, fieri ita potuit) sub purulentum, id est semipus, ægrotabat. Alia iudicata sunt, id est, quæ pertinebant ad aurem, ceruicem, & scaulam soluta. Rationem verò & tempus iudicationis indicat, dicens. Secundum aurem pus multum effluxit circa octauam aut nonam diem. Ex-

plicans deinde cur dicat circa octauam aut nonam, dicit, Principia nonæ diei doloris auris finis, idest finitus est dolor circa principium nonæ diei. Nescio (inquit) modo sine rigore iudicium factum est. Miratur Hippocrates quæ suppurationes in partibus sentientibus solet rigor comitari. Nam in prognostico dicit initium suppurationis esse, ex quo primum eum rigor apprehendit. Fortasse in hoc homine abstulit rigorem copiosus sudor, qui hoc ipso tempore, hoc est circa octauam & nonam diem, contigit. Proinde dicit, sudauit caput valde & hic. Firma iniustio sinistri lateris. Idest firma tandem curatio fuit, iniustio sinistri lateris. Auxilium sane Hippocrati in his & in omnibus ferè doloribus diuturnis familiarissimum, nostro tempore non sine magno ægrotantium discrimine inusitatum iam. Quia si quis medicorum eo uti vult, tempestiuè ægroti non parent, utpote meliora & minus molesta sperantes: cum iam in extremo vitæ constituti quid vis paterentur, medicus non vult id tentare, ut qui videat iam nullam salutis spem esse. Quod ego iam in aliquibus facere cæpi, cessitque optimè, audi: Nihil præfatus sub emplastro aliquo quo ad dolentes partes utor, pono medicamentum causticum, quæ emplastrum hæret loco, quem vri volo. Aegrotus doloris causam non intelligens, incautè patitur, vsque dum facta sufficiens iniustio est. Fieri verò id potest in vna aut pluribus particulis, ut res exiget. His dictis cum extremam narrationis videretur attigisse, redit Hippocrates ad nuper dicta. Sursum simul cum aure secundum scapulam præcipuè leuatus est dolor. Idest, simul cum dolore auris, sedatus est dolor scapulæ & humeri & ceruicis è regione. Sed & sputa multa quæ prius secundum principia, & circa septimam & octauam spuebantur florida, deinde, hoc est septimam & octauam, concocta, idest suppuratione iam spuebantur. Venter restitit vsque ad nonam & decimam diem. Ergo intelligimus circa nonam & decimam fluxisse. Iudicet autem benè morbos aurium, fluxus ventris. Nam in aphorismo dicitur profluuium ventris surditatem tollere. Itaque dolor auris euauit circa initium nonæ diei ut dictum est. deinceps tumor, hoc est inflammatio lateris remittebat, & sudores exigui fiebant. Non tamen iudicabant. Manifesta autem erant, excrementa quæ in corpore abunda-

abundabant, & alijs & secessu. Nā et si dictum est aluū reffū tisse, & nihil egerere nisi ad necessitatem, tamen cum inciperet dolor auris, hoc est primo die, aut etiam secundo febris & dolor, venter turbatus est, vt etiam circa nonam & decimam. Effluxit autem, vt dictum est, pus ex aure nona die, & iudicatus est totus morbus, pleuritidis scilicet, quatuor decima, sine rigore etiam fuit solutio hac eadem die, vt fuerat nona. Cæterum sputum largius ibat & magis concoctum, hoc est suppuratum, ex quo ex aure pus effluxit, atque ita processit, vt intelligamus post quatuor decimam fuisse adhuc copiosiores puris excreationes. Hoc tempore etiam vstio facta fuerit, & si id Hippocrates non repetat. Sudores verò & herpes in capite in multum tempus fiebant, arescentes tertio quoque die, & tertio quoque die refflorescentes, quod quidem significabat biliosam fuisse capitis cacochymiam.

Q *Uæcumque sine signo aliquo disparent, difficilis sunt indicationis, vt puella Pollimarci erysipelas.*

ERISIPELAS non potest bene solui nisi paulatim & exusta in parte male affecta cute, relictoque vestigio: si nullo relicto euanescat repente, non debet probari ea solutio. Significat enim introuerti, quod tantopere in prognostico vituperatur.

I *N bubonibus febres malæ sunt exceptis diarijs, & qui in febribus bubones nequiores in acutis ab initio decrecentes.*

DICTVM mihi est in commentatione aphorismi quinquagesimi sexti quartæ particulæ, siue febris non diaria superueniat buboni, siue bubo febrili, siue ingruant ambo simul, malum esse, quia significatur viscerum graue malum. Itaque bubones malos esse cum febribus putridis. Addit nunc Hippocrates eos esse deteriores qui in acutis febribus sunt, tales enim solent esse periculosissimi, atque

adeo pestilentes. Maximè verò eos qui ab initio decre-
scunt, idest mox in initio pullulantes, deinde non crescunt
cum febribus, sed decrescunt febribus crescentibus, illud
enim & esse malignam materiam, & recondi in visceribus
significat.

10 **S**piritus hypochondrijs eleuatio mollis & intentio neu-
tra, in ipsis sursum rotundum, in dextris velut circunse-
rentia, suppuratoria. Aliud longius magis, aliud diffu-
sum, aliud deorsum repens, & hinc inde contentio vsque
ad vmbilicum. In omni sursum reëtitudine, si reuocetur
& abeatus rotundum, siquidem spiritus sine iudicatione,
extenuatur calore: si autem hoc effugiat, in suppurati-
onem tendit.

NOTAS causæ & affectus & affectæ partis in ventris
tumoribus docet, & si non persequitur omniâ, sed tangit,
vt solet. Docet hæc fusius Gal. lib. 5. de locis patientibus.
Dicit Hippocrates eleuationem in hypochondrijs mol-
lem, hoc est non admodum retinentem tactui, cum disten-
tione, tamè quæ facit vt fouea quæ compressione facta fue-
rit, non multum retineatur si intentio neutra est, hoc est ad
neutram partem inclinans, sed totum hypochondrium te-
nens, significare spiritus, hoc est flatus. Tale enim est quod
in tympaniticis apparet. Si verò supra hoc est in suprema
ventris parte, in dextris, hoc est in hepatis loco, rotundus
umor velut circunferentia, suppuratorium est. Quia illo
loco tumor rotundus cum alijs necessarijs notis, inflamma-
tionem hepatis significat, & eam quidè magnam, exiguâ
enim musculi occultant. Ex magnis autem inflammatio-
nibus plærunque suppurationes fiunt, maximè ijs quæ in
hepate sunt, nam vt in prognostico dicitur, œdema quod
in ventre fatigat, minus facit abscessum, quàm quod in hy-
pochondrijs. minimè verò partes sub vmbilico in suppu-
rationem vertuntur. Atqui tumores in ventre non omnes
rotundi, sed aliud longius magis, idest aliud tumor est in
longum productus, talis est qui tenet musculos rectos,
aliud deorsum repens, non secundum rectum, talis tumor
est

est qui tenet musculos obliquè descendentes, aut obliquè ascendentes: obliquè descendens musculi est, qui repit a parte posteriori in anteriorem deorsum, obliquè ascendens qui a parte anteriori ad posteriorem deorsum, aut (quod idem est) a posteriori ad anteriorem sursum. Et hinc inde contentio vsque ad umbilicum. Tales sunt tumores musculorum transversorum. Aliud est diffusum, idest ad varias partes pertinens & versus varias spectans, ut cum tumores tenent musculos diuersos, aut internarum partium multas variè disitas. Atqui tumor rotundus mox ac producitur ultra constitutionem inflammationis, suppurationis suspicionem præbet, tamen non semper suppuratio est, sed nonnunquam collectio flatuosa. Atqui sane vtraque collectio & puris scilicet & flatus, & tumoribus aut tentionibus diffusis, aut in longum productis, reuocatur aut colligitur in vnam partem materia, & in rotundum abit. Sed an flatus sit, ita dignoscitur. Si spiritus seu flatus est, sine iudicatione, idest sine manifesta euacuatione, extenuatur & insensibiliter absimitur calore, idest calorificis fomentis: si autem hoc effugiat, idest huic curationi non obediatur, in suppurationem tendit.

Densi spiritus, parui, magni, rari, parui rari: exit extra magnus, intro paruus, hic quidem tardans, ille festinans, duplex intro reuocatio velut super inspirantibus, calidus, frigidus.

Hæc eadem sententia cum multis sequentium scripta occurrit sexto libro epidemi. parte secunda, atque adeo hic desunt duæ voculæ quæ illinc transferendæ huic sunt. Scilicet magni densi. Nam cum hoc & illo loco velit Hippocrates breuibus amplecti omnes differentias respirationis, & tres differentias coniugationum magni & parui cum raro & denso scribat, densi scilicet & parui, magni & rari: parui & rari, quarta haud dubie deest, magni & densi. Sed ut Hippocrates tam breui oratione ferè nullam respirationis differentiam non attigerit, considerare oportet, etsi quam omisit, addere. Differentiæ plurimæ
com.

communes sunt respiracioni & pulsui, non tamen omnes. Nam quædam huic quædam illi sunt propriæ. Communes quidem sunt, magnitudo, celeritas, & crebritas, irrhythmus, æqualitas, aut inæqualitas, ordo aut contrariû. Debilitas & vehementia. Hæ quidem eodem modo in vtrisque definiuntur, & dicuntur vniuocè. Propria differentia pulsus est durities, & mollities. Quia in respiracione, cum non sit eius iudex tactus, considerari haud quaquam potest. Velut respiracionis est differentia propria sublimem aut non sublimem esse, quia hæc differentia capitur, ex numero instrumentorum quæ in actionem adhibentur, quæ quidem quia multiplicia, & liberè mouentia, non adhibentur semper eadem. At verò pulsui non potest esse differentia aliqua quæ huic respondeat, quia semper agitur instrumentis eisdem, corde inquam & arterijs leuibus. Velut etiam accidit soli respiracioni vt quodam positu facilius aut difficilius agatur, vnde ea differentia prodiit quæ orthopnoea nuncupatur. Est etiam propria respiracionis differentia quæ capitur ex qualitate materiæ, quæ expiratur. Vnde spiritus calidus & frigidus dicitur: in pulsu verò nullus sensus esse potest materiæ, quæ trahitur aut pellitur. Hic igitur Hippocrates omnium differentiarum communium respiracioni & pulsui meminit, præter vnâ debilitatem aut vehementiam: & vnius propriæ, calidi inquam & frigidi. Duas ergo solum proprias omisit, sublimis & non sublimis, & quæ ex positu capitur orthopnoea. Quas si addas, nulla amplius deesse videbitur. Dicit verò Hippocrates non tantum simplices, sed & compositas. Simples enim sunt magna & parua: velox & tarda; seu tardans & festinans: densa & rara. Fiunt hinc compositæ quatuor differentiæ: magna & rara, magna & crebra, parua & rara, parua & crebra. Et sunt hæc differentiæ significatione insignes. Nam vt in prognostico dicitur, spiritus, spiritus creber & magnus significat ardorem: creber & paruus, dolorem: rarus & magnus, delirium: rarus & paruus, extinctionem caloris. Ac qui celeritas & tarditas cum dictis differentijs componuntur. Nam qui magnus & creber est spiritus, celer etiam necessario erit: qui paruus & rarus, tardus etiam statim: qui magnus & rarus, etiam celer, quia cum non cogit
summa

summa necessitas cessant à respiratione qui delirant, cum verò cogit, respirabunt etiam celeriter. Paruus & creber, ut vrgebit magis calor aut dolor, ita erit tardus aut celer. Si enim calor etiam cum dolore vrget ut per inflammationes, erit celer & creber: si verò dolor multum & calor nihil aut exiguum, ut per conclusos flatus, erit paruus & tardus. Rhythmus est, cum secundum naturalem proportionem respondet magnitudo expirationis & inspirationis: sunt mali rhythmici cum ab hac proportione deficiunt, aut quod dilatatio sit maior constrictione, quod fit cum maior est necessitas attemperandi cordis calorem aut reficiendi spiritus cerebri, quàm expellendi fuligines: aut quòd constructio sit maior dilatatione, quod ob contrarias causas euenit. Aequalis & inæqualis multæ differentiæ esse possunt: & inæquali sunt ordo aut deordinatio. Tamen Hippo. vno exemplo inæqualitatis maximè insignis, attigit totum hoc genus. Duplex, inquit intro reuocatio velut superinspiratibus. Hic est qui in aphorismo vocatur offendens, diciturque conuulsionem significare. Calidus præterea aut frigidus. Calidus spiritus mediocriter, naturalis est: vrens, est febrilis: frigidus est pessimus, quia extinctionis caloris soboles: ac proinde dicitur in prognostico admodum exitialis. Superest addamus differentias quas hic deesse diximus, ut euadat perfecta hæc lucubratiuncula. Has diximus esse tres, vnam communem cum pulsu, & si habeat non eandem rationem dignotionis. Hæc est spiratio fortis aut debilis. Hæc est in vehementia illius motus, ut quiuis alius vehemens aut debilis esse potest. In ijs qui adhuc loqui possunt, ex vocis vehementia, agnoscitur ea quæ est in respiratione, utpote materiam præstante voci respiratione. Vocis autem vehementia auditu cognoscitur. In ijs verò qui loqui non possunt, considerandum an super pectore ponderis aliquid ferre possint, quanto enim possunt ferre minus, tãto maior respirationis debilitas significatur. Duas diximus esse proprias, vnam quæ ex positu quem ægrotus respirandi gratia requirit, capitur: in hoc genere est orthopnoea: quæ aut ob ardorem summum, aut angustiam viarum respirationis, contingit: alteram quæ ex instrumentis quæ in respirationem adhibentur, capitur. Instrumentum quod primo adhibetur, idque solum necessario ac semper,

est

est septum transversum, post illud, secundo loco musculi intercostales: tertio, qui veniunt à lumbis in thoracem, ultimo, qui à claviculis & collo descendunt. Ea tamen lex mouendi est, vt hoc quo dicta nūc sunt ordine, priora sine posterioribus moueri contingat, posteriora verò sine prioribus, minimè: sunt verò dicta priora quæ humiliora, posteriora quæ superiora. Respiratio igitur sublimis & quæ sublimibus iam instrumentis agitur, extremæ necessitatis debilitatis est, nulla iam potente facultate mouere satis, ac proinde mouente omnia.

12 *Medicatoria continuarum oscitationum longa, respiratio, non potantibus autem, & vix, respiratio breuis.*

RESPIRATIO longa dicitur quæ ex longis interuallis fit, & multum producitur, magna scilicet & rara: breuis respiratio est, quæ huic contraria, parua scilicet & crebra. Medicatorium dicitur, non quod vtcunque bonum, sed quod sanat, estque causa salutaris. Respirationem longam & raram dictum nuper est esse signum phreniticum, nunc dicit curare assiduas oscitationes. Causa autem est, quod crebræ oscitationes tunc fiant cum multus & crassus flatus redundat circa ventriculum, aut per capitis aut thoracis partes, ex quibus in musculos buccarum redundant. Vnde fit, vt oscitentur & qui fame præmuntur, quod multum flatus in ventriculo colligant, et qui somnolenti, quod in caput multus vapor ascendat, & qui alioqui redundant multis excrementis flatuosis. Illos quidem cibus aut somnus curat omnium optimè, hos cohibere spiritum & non nisi ex longis interuallis respirare (non potest autem respirari ex longis interuallis, nisi longa respiratio, in quibus consulto detinetur thorax) quia ita dissipantur optimè flatus qui in ventre aut vijs instrumentisue respirationis continentur, vt scilicet sanari solet singultus, & tussis arida ex frigida intemperie. In altera parte in qua Hippocrates dicit non potantibus & vix, respiratio breuis, intelligunt plærique, vix potantes, esse phreniticos, quia Hippocrates in libro prorrheticorum dicit *ὁ φρενιτικὸς βραχυπνοτα* id est phrenitici

phrenitici parum bibentes. Nam reuera phrenitici etsi videntur admodum siti, ac proinde sæpe accipiunt potum, auidèque, si offertur, tamen nunquam nisi exiguum bibunt. Non tamen video quo pacto possit dici phreniticorum curatorium respiratio parua & crebra. Dicunt, quia magna & rara in phreniticis mala est, paruam & crebram esse bonam. Tamen non dicimus respirationem magnam & raram esse malam in phreniticis vt causam noxiam, neque vt signum mortis per se, ita enim contraria esset in eisdem bona vt causa, aut signum, sed vt signum pathognomonicum: significat enim ita respirantes phreniticos esse. Quare phreniticis non possit contingere contraria respiratio. Non ergo potest esse curatoria in phreniticis, siquidem ne esse quidem omnino. Dicunt, non posse breuem respirationem phreniticis accidere, posse tamen succedere cum phrenitis soluitur, significareque iam solui. Cæterum hoc, imprimis improprie dicitur curatorium, deinde falso etiam. Nam etsi phrenitis soluitur, non fiet respiratio parua & crebra, nisi soluta phrenitidi succedat inflammatio alicuius instrumenti respirationis. Quod si dicas breuem spiritum dici eum qui tam longus esse desinit, improprietatis multum, utilitatis exiguum, continebit oratio. Proinde aliter puto: vix potantes dici eos qui strangulantur, vt neque respirare, neque deglutire possint præ multitudine humorum, aut fuliginum, irruentium in septum transversum & cor, quæ quidem passio histericis & hypochondriacis solet accidere. In talibus, in ipso paroxysmo consilium est, vt quâ maximè possint conentur respirare crebro (multum enim non possunt) ita enim expurgantur fuligines, & passio minus præualet. Natura quidem ipsa ita affectos docet hoc auxilium. Quum verò respirationem intermittunt, oportet assistentes acclamare, & hortari vt loquantur, aut comprimentes digitos aut aliter dolorem ciere, cogereque vt conquerrantur & clament. Loquentes enim, aut saltem edentes vocem, non possunt respirationem intermittere. In quibusdam codicibus legitur vtròbique respiratio longa, vt tota dictio sit: medicatoria continuarum oscitationum longa respiratio, non potantibus autem & vix, respiratio longa. Iuxta quam lectionem placet non potantium
& vix

& vix potentiam nomine intelligi phreniticos, esseque perinde ac si deceret, Respiratio longa, quæ necessario magna est & rara, medicatoria est oscitationum continuarum, & phrenitidis indicatoria. Itaque non eodem modo dici esse oscitationum & phrenitidis, sed illarum vt salutarem causam, huius vt signum pathognomicum.

13 *Secundum rectum & laterum intentio dolorosa, & intentiones hypochondriorum, & lienis eleuationes, ex naribus fluxiones.*

HÆC oratio pars esse videtur decissa ex alia longiori sexti epidemiæ sectionis secundæ, qua ita habetur. Secundum rectum & laterum dolorem, & intentiones hypochondriorum, splenis eleuationes, & ex naribus fluxiones. Et aures secundum rectum. Horum plurima eadem etiam in oculis. Nunquid igitur omnia, anque infernè sursum secundum rectum, vtque iuxta buccas aut iuxta oculum & aures: quæ autem supernè deorsum non secundum rectum? An etiam quæ infra hepar sunt ex supernis distributa vt in testes, ac varices? Eadem vtrobique sententia est, hæc scilicet, decubitus omnes humorum, qui ex quibusdam partibus in quasdam fiunt, & fluxiones spontaneas secundum rectitudinem solere fieri, esse scilicet rectitudinem partem recipienti, aut viæ per quam euacuatio fit, cum parte primario affecta, & quæ mittit. Rectitudo verò est dextrorum cum dextris, sinistrorum cum sinistris, superiorum cum superioribus, inferiorum cum inferioribus. Dextra & sinistra dicuntur secundum hominis latera: superiora & inferiora distinguntur qua est hepar. Quod apertè insinuat Hippocrates dicens, an etiam quæ infra hepar sunt ex supernis distributa. Itaque vtrobique est hæc eadem sententia, sed interest quia quod hic dicitur simpliciter, illic non simpliciter, sed producta quadam dubitatione, an scilicet vt ex infernis sursum secundum rectitudinem lateris fiunt abscessus, vt ex hepate parotis dextra, aut fluxus sanguinis ex dextra nare, ita & qui ex supernis in infernas, id est infra hepar positas partes. Decisio verò est vltima illa interrogatio, an etiam quæ infra hepar sunt ex supernis, vt in te-
stes

tes ac varices. Quasi diceret, non solum in illis, sed in his etiam atque adeo omnibus, rectitudinem seruari solere. Quod non dicit simpliciter, sed quibusdam exemplis, partim decubitus, (vt cum dicit secundum rectum laterum intentio dolorosa, & intentiones hypochondriorum, & lienis eleuationes) partim euacuationis, cum dicit, ex naribus fluxiones. Solent quidem abscessus secundum rectitudinem fieri, non tamen omnes necessario fiunt. Euenit enim nonnunquam abscedere in partem contra positam, aut effluere per viam nullam rectitudinem habentem. Neque mirū. Nam omnia sunt confluxilia. Sed qui secundum rectitudinem fiunt, meliores & vtiliores sunt (ceteris paribus) ijs qui sine rectitudine. Atqui hæc est maxima præcipuaque causa, qua in euacuationibus, aut reuulsionibus, quas arte paramus, dictam legem rectitudinis seruare debemus: nimirum eorum quæ naturaliter eueniunt imitatione. Tametsi enim ratio hæc argumentandi est Empirica, tamen est optima pro præsentī loco in quo practicas rationes sectamur, magis quam logicas argutias. Disputata verò est diffusè admodum ea questio in controuersijs.

14 **Q**Uæ relinquantur in morbis post iudicationem, recidivas facere nata sunt. Primum igitur lienum eleuationes, nisi in articulos siniantur, aut sanguis fluat, hypochondrij dextri intentio, nisi profluant vrinæ. Hæc enim vtrorumque interceptio, & recidivæ horum merito.

RECIDIVAS fieri cum corpora nō sunt in primo morbo perpurgata, sed quædam relicta sunt post iudicationē, in aphorismo etiam dictum est. Nunc verò id docet, simulque quæ soleant relicta recidivas facere. Primum, inquit, fieri solent, ex febribus difficilis iudicationis, eleuationes lienum, nisi in articulos fiant abscessus, aut sanguis fluat: fieri etiam solet hypochondrij dextri intentio, nisi profluant vrinæ. Hæc enim est vtrorumque interceptio, idest interceptio eleuationis lienis est abscessus ad articulos aut fluxus sanguinis: intentionis hepatis interceptio, est profluuium vrinæ. Et recidivæ horum merito fiunt, idest,

Et

& cum hæc supersunt ex morbis, neque intercipiuntur illis modis, merito ex illis recidiuæ morborum fiunt. Hippocrates quidem docet hic quæ plurimum contingunt, constat verò neque hæc solum solere ex febribus superesse, neque has solum interceptiones habere hæc mala, neque a solis illis posse præseruare quancumque illarum. Nā multa alia solent superesse ex febribus significantia recidiuas, velut ventriculi durities, aut vteri, aut solum oris amaritudo, linguæ ariditas, & sitis. Intercipi etiam potest lienis eleuatio vrinæ profluuium, nam si intercipitur abscessus ad articulos, multa vrina crassa & alba facta, vt aphorismo. 74. particule quartæ dicit, & eleuatio lienis abscessu ad articulos, profecto & eleuatio lienis profluuium crasse vrinæ. Intentio etiam hepatis possit intercipi fluxu sanguinis. Quare & fluxus sanguinis, & vrinæ profluuium, possit interciperere vtrumque malum, non tantum vtrumque alterum.

15 **A**bscessus igitur horum, non fientes facere, fientes autem declinare. Hos autem excipere si eant quales oportet, qui verò non valde, cooperari, eos autem auertere qui omnino inutiles fuerint, præcipue autem hos futuros, sin aliter, cum nuper incæperint.

BREVISSIME dicit indicationes omnes, quas ab abscessibus accipere potest medicus. Abscessus enim aut sunt boni aut mali, atque vtrique, aut fientes aut futuri. Atqui fientes, aut satis magno impetu fiunt, aut lentè. Bonos ergo nondum fientes, idest, qui si fierent, essent boni, hos facere. Malos fientes aut futuros declinare, bonos & fientes quales oportet, excipere tantum, idest nihil facere, sed sinere vt fiant, bonos & fientes, non valde, idest non satis, sed lentè, cooperari, idest iuuando naturam conari vt perfectè fiant. Omnino inutiles, ac multo magis noxios, auertere Optimum autem fuerit eos auertere futuros, idest antequam fieri cæperint, sin id non possis, saltem cum nuper cæperint. Nam sero medicina paratur, cum mala per longas conualuere moras,

Quarto

16 **Q**uarto die facti sanguinis fluores, difficilis iudicationis.

Nullo alio in morbo posse videntur fluxus sanguinis quarto die facti esse bene iudicatorij, quam in febris continentibus ex sanguine, quæ ob multitudinē crassi sanguinis cum spontanea lassitudine fiunt, ut aphorismo. 74. sectionis quartæ dictum est, tamen in illis etiam, dictū est eodem aphorismo, non esse satis ad perfectam iudicationem, nisi simul multa & crassa vrina fluat, & sanguis ex naribus. Solus ergo sanguinis fluor etiam in illis erit difficilis iudicationis, vt pote non sufficiens euacuatio.

17 **Q**uæ diem vnum intermittentes, altero superrigent, cum iudicatione in septimum.

Bene intermittere & cum rigore incipere proprium tertianæ exquisitæ est, quæ verò talis est ad septem periodes cum longissimè prorogatur, vt in aphorismo etiam dicitur.

18 **S**copo ex coryza & faucium phlegmone prauo victu vso, aluus intercepta est, & febris continua facta est, & lingua arida, & sine somno, infra vmbilicum intensio vehemens aequalis, paulatim in infernam partem in dextris spiritus subdensus, dolebat hypochondria & cum respiraret & cum conuerteretur, sine tussi excreabat subcrassa. Data peplus ab hypochondrio depulit, prodijt autem nihil. Postridie autem glandes duæ appositæ non apparuerunt. Vrina autem crassa & turbida. Hypostasis leuis & aequalis, & stetit aluus in turbulentia, atque venter mollior erat, & lien elatus, & deorsum vergens siebat. Puto utebatur oxyglyci. Decima, sanguis aquosus paucus ex sinistra venit. Non valde autem debilis ob hoc ipsum. Et vrina subsidentiam habens, in hypostasi autem subcandidum quiddam adherens vasi tenue,

P

neque

neque quale semen, neque dissimile. Fluebat hoc breui. Postridie indicatus febre liber, & descendit subtenax vndecima, quod circa fluxum, biliosum. Urinae autem purgatio multa, & multitudine & subsidentia, & priusquam vinum potare capisset, parum quiddam emollitioni simile. Penetrauit vndecima die, vt quod essent pauca, lenta autem & stercoreosa turbulenta. Hoc indicatorie, quod & quod Antigenis in Perintho.

PERRARVM est non listi cito & tuto coryzam nisi quis in principio prauo victu vtatur. Tamen a principio vtentibus copiosiori cibo & potu, multa neque leuia mala ex ea procedere, rarum non est. Quod certè & Scopo euenit, qui cum coryza laborans, vt exitus iudicauit, biliosa, sed ex multa materia & phlegmone faucium ob destillationem, & prauo victu vteretur, neque idonea curatione, febre continua vndecim dierum laborauit, cum multis non leuibus symptomatis. Habuit enim a principio febris alui interceptionem, linguæ ariditatem & perürgiliū. Infra umbilicum ad inguem dextrum fuit intentio vehemens & paulatim in infernam partem inclinans, & æqualis secundum tempus, id est, citra intermissionem affligens. Habuit etiam dolorem hypochondriorum, hoc est supremæ regionis ventris, sentiebatque hunc dolorem, & cum respiraret, & cum conuerteretur de latere in latus habebatque spiritum subcrebrum, excreabat subcrassum sine tussi. Causa horum hæc fuit, cum excrementa, quæ coryzam & inflammationem faucium faciebant plurimum in capite redundarent, natura tentauit ea pellere, non potuit autem affatim extra corpus, depulit ergo in partes humiliores. Illa repentina deorsum, simulque putrescentia, fecerunt febrem, & dolores aliarum & aliarum partium. In initio febris aluus intercepta est præ febris vehementia siccatis fecibus, & humiditatibus auersis ab intestinis, conuersis in partes quæ doluerunt. Lingua etiam arida & perürgiliū significabant febris magnitudinem & bilem. Bona pars succotum defluxit in hypogastrium dextrum, vnde intentio accidit vehemens, paulatim in infernam partem vergens.

vergens, & nunquam intermittens. Maxima succorum
 pars hæsit in hypochondrijs, fecitque ibi distentiones &
 repletiones. Vnde spiritus fiebat subcreber ob compres-
 sionem septi transuersi, vt in ijs quibus ventriculus mul-
 to cibo distentus est. Hinc etiam dolor hypochondrio-
 rum, & cum respiraret, & cum conuerteretur: cum enim
 quis, cui pars illa ventris distenta est, vehementius respi-
 rare conatur, ipso septo transuerso comprimit distentam
 partem, simulque cum ipso septo mouet (mouentur enim
 inter respirandum etiam intestina) ob vtramque causam
 dolor fit. Nam mouetur vtroque modo succus aut fla-
 tus qui in cauis continentur. Plurima autem quæ quieta
 dolorem non faciunt, mota faciunt, & quæ quieta leuio-
 rem, mota grauiorem. In intestino id experiri est facile,
 cum succus aliquis aut flatus frigidus mouetur. Conuer-
 sio corporis eadem ratione dolorem facere poterat, mo-
 uendo scilicet, nam cum conuertitur corpus de latere in
 latus, quædam internarum partium laxantur, quædam di-
 stenduntur, quædam comprimuntur, atque ita quod inte-
 rius est, mouetur. Quo fit vt cum aliquis flatum sentit,
 neque facillè emittere potest, conuertere corpus consi-
 lium sit, sæpe enim hoc solo remedio pellitur. Quæ sine
 tussi excreabat subcrassa, de capite veniebant ad pala-
 tum. Nam si de thorace excrearentur, non possent sine
 tussi; illa ergo via expurgabatur quod in cerebro erat re-
 lectum, neque abscesserat in inferiores partes. Quidam
 ob vehementiam febris suspicantur fuisse dolorem illum
 hypochondriorum, inflammationem internam: ego verò
 non ita puto. Nunquam enim Hippocrates dedisset pe-
 plum, cum nihil, vt ipsemet docet, lib. 4. de ratione victus
 in acutis, sit à ratione alienius quàm dare medicamentum
 expurgans tentatis inflammatione hypochondrijs. Quod
 si quando per eas inflammationes eo est vtendum, tamen
 non ante inclinationem. Constat verò nondum venisse
 in inclinationem illud hypochondrij malum cum peplo
 Hippocrates vsus est. Nam multi dies restabant a data pe-
 plo vsque ad vndecimum, quo febris soluta est. Non erat
 itaque inflammatio, sed quod diximus. Proinde vsus est
 peplo, quòd scilicet intelligeret succos fluere deorsum a
 cerebro, quare etsi non dicat quo die, vsus fuisse suspicor

peplo intra primum quaternarium . Expurgationes enim reuulsoriae quaeque non expectata concoctione succorum, sed quod fluant, faciendae sunt in ipso principio, id est intra tres aut quatuor dies fieri debent, antequam scilicet cesserint fluxiones. Nam in hanc sententiam dicit ipsemet. *de ratione victus*; Hos si ab initio purgare volueris, id ante diem quintum facito, cum venter murmurauerit: si non a medicamentis abstineto. Vtrum si murmurauerit, fuerintque excrementabilia, scammonia medio critere purgato. Quantum verò ad aliam pertinet sanationem, quam nimè exhibebis tum potus, tum sorbitiones, ut melius aeger habeat, nisi remissione facta decimam quartam fuerit egressus. Itaque duplex occasio purgationis est, altera ob fluxiones reuulsoria cum nondum fluxio cessauit, aut inclinata materia in vèntrem, quod murmure agnoscitur, altera post exactam concoctionem. Prima quidem purgatio agi debet in principio, secunda post summum vigorem. Proinde in morbis simpliciter acutis quorum summus vigor quatuor decimo fieri solet, prima occasio expurgationis intra primum quaternarium est, secunda non nisi post quatuordecimum, quod & libello de expurgantibus medicamentis Hippocrates dixit. Præter has duas expurgandi occasiones quæ certi temporis sunt, est alia incerti temporis, cum scilicet turget materia. Nam quocumque tempore, immo verò etiam quocumque die turgeat, expurgandum est, ut fiant iam tres occasiones expurgationis. Ergo Hippocrates videns Scopo descendere ex capite humores, eosque per hypochondrium viam capere cepisse, morari autem illic, ne plus satis morarentur, & inflammationem aliquam aut grauem alium affectum concitarent, dedit pepalum intra primum quaternarium arbitror. A data peplo nihil per ventrem descendit, sed vsque adeo sine expurgatione transacta res est, ut duæ glandes quæ postridie appositæ sunt, non apparuerint, sed interius remanserint. Nihilominus noxium non fuit medicamentum, neque inutile, nam depulit ab hypochondrio succos, qui depulsi, in primis in vias vrinæ deriuati sunt. Deinde & in ventrem post duos scilicet aut tres illos dies, quibus post acceptum pepalum ne glandes quidem reddebat, interim etiam in hac excrementorum turbatione, cum non omnes viam

cepe-

experint, alui, aut vrinæ, quædam pars in lienem collecta
 est, qua ille elatus est. Vrina ergo post datam peplum fuit
 crassa, non vt concocta, sed turbida, hypostasis leuis & æ-
 qualis. Sed quo pacto in vrina turbida erat talis hyposta-
 sis? An cum reponebatur clarescebat, subsidebatque leue.
 Non arbitror quale id quod perfecte cocto iam morbo so-
 let, sed quale quod cæpto coqui. Durabat autem pertur-
 batio plusquam pro elaboratione eius quod subsidebat,
 ob conditionem morbi qui cum eo catarrho principium
 traheret, flatum etiam multum habebat cum succo permi-
 sum, qui vrinam magnopere perturbat. Alius stetit in
 turbulentia, & venter mollior erat. Hoc est, cæpit etiam
 postea fluere ex aluo, perseverauitque ea ventris turbatio
 aliquot dies. Lien elatus deorsum vergens fiebat. Sæpe
 quidem lien intumescit secundum propriam figuram tras-
 uersim, seu indicotomæ lunæ figuram, sæpe etiam produ-
 citur deorsum. Nimirum est laxæ cuiusdam substantiæ &
 versus quaque aptæ dilatari, producitur in totum aut me-
 dium, aut extremum fluxio incumbit. Potu(inquit) ute-
 batur oxygllici *ὄζυγλικῆς* esse potionem quandam para-
 ri solitam in Græcia ex fauis expresso prius melle, jelixatis
 in aqua purissima. Gal. dicit secundo de fracturis com-
 ment, contextus 29. Ego vel ipso nomine cogor suspica-
 ri aliquid aceti in eam portionem infundi solitum, alioqui
 cur vocaretur *ὄζυγλικῆς*. Sed & vsus illius id indicat.
 Seruabatur enim ad ætatem vt potus sedans sitim. Quod
 quidem si ex solo melle pararetur non posset præstare. Ve-
 rum est non posse esse nisi perquam exiguum aceti, quod
 illa potio acciperet, alioqui non esset potio utilis laboran-
 tibus neruosis partibus, vt Gal. ibidem notat. Erat itaque
 potio non admodum diuersa a mulla, aliquanto suauior,
 quippe qua ad voluptatem utebantur homines per æsta-
 tem, velut nunc ea quæ Hispanis vocatur aloxa. Constat
 ergo eum potum ad catarrhosam affectionem esse vtilem,
 magis verò in noc carere reprehensione si accipiebat ali-
 quid aceti ob magnam febrem, & bile permistam fluxio-
 nem. Malo ita procedente, decima sanguis aquosus pau-
 cus ex sinistra nare venit. Qui quidem fluxus illud vnum
 habuit boni, quod secundum rectitudinem fluxit, tamen
 illa mala, quòd die non decretorio, & quod paucum
 fluxit

LIBROS
 DEL DR.
 L. M. AYO

P 3

fluxit & serosum. Quibus causis videbatur fore inutilis & noxius, & solam debilitatem ægro allaturus. Non tamen ita fuit, neque valde debilis ob hoc ipsum factus est æger, quia mox ab hoc fluxu, sequuta est bona iudicatio, ut fluxus sanguinis potius esset velut initium quoddam (et si non admodum idoneum) iudicationis vndecimi diei, quã euacuatio decimi. Vrina adhuc erat subsidentiam habens, & ex subsidentia quiddam sub candidum adhærebat matulæ, tenue quidem, neque quale semen candidum & filiosum, neque dissimile, idest neque partes admodum diuersas habens: erat illud ex pituita quæ sedimenti formam nondum exactè receperat. Fluebat (inquit) hoc breui, idest ex breuibus interuallis & celeriter: ex breuibus quidem interuallis, quòd crebro mingeret, celeriter verò, quòd et si multum succi cum vrina redderetur, neque obstruebat, neque hærebat in via, neque pigrè reddebatur. Cum hac euacuatione quæ post datam peplum incepit, & decima die aucta est, postridie est iudicatus & liberatus a febre, & descendit ea die subtenax, quod circa fluxum biliosum: idest, descendit per ventrem, subtenax, idest lentum & crassum & biliosum. Fluxus scilicet ex pituitosis & biliosis. Nam ex talibus erat morbus a principio. Vrinæ autem purgatio hac quoque die multa, & multitudine & subsidentia, idest futuræ ipsius copia, & subsidentia. Et prius (inquit) quam vinum potare cæpisset, parum quiddam emolitioni simile, penetrauit vndecima die, ut quòd essent pauca, lenta autem & stercorosa & turbulenta: hoc est, antequam vinum potare cæpisset, emollitio quædam ventris erat, influere enim iam in ventrem cæperat humor, penetrauit autem, idest integrè erupit vndecima die, ut quòd iam superessent pauca. Subsecutæ ergo sunt deiectiones non multæ, sed lentæ stercorosæ & turbulentiæ, ex pituita scilicet & bile, stercore & flatu. Hoc iudicatoriè factum esse cætus indicauit. Fuit enim febre liberatus. Quòd (inquit) & quod Antigenis in Perintho, illud non habet vim causticæ, sed perinde est ac si diceretur, velut & quod Antigenis in Perintho. Itaque insinuat Hippocrates se dedisse Scopu vinum circa septimum aut octauum diem. Nam ante decimum quo euacuationes manifeste creuerunt, non tamen antequam emolliri cæperit ventor, qui cæpit quidem duos

duos aut tres dies, ab accepta peplo. Mirum tamen quod in febre ex catarrho & siticulosa vinum dederit, quod calidum cum sit, febres augere & sitim natum est, & cum facile diducatur, fluxiones augeat, quod facile efferatur, caput repleat, & cum multum penetret, tentet nervos: quibus de causis, cum paucis affectibus febriculosis sit utile, catarrhosis maxime sit noxium. Caterum considera Hippocratem non dedisse nisi cum deturbati iam a superioribus partibus succi vias urinæ & alui tenere cæperant, cum que iam linguæ ariditas erat bona ex parte sedata. Neque quidem dederit vinosum & merum, sed oligophorum quod 3. de rat. vict. in acutis maxime commēdat, & æquale æquali permixtum, quali ad affectiones, quæ vinum maxime omnium amant uti iubet. 7. aphorismorum. Tale illa occasione dari poterat, quo cæptas euacuationes iuaret, cum fluxiones ad superiora iam destitissent: ac fortasse etiam iuuat tantopere exhibendi vini indicationem natura propria hominis, ut vitari non potuerit. Nam aliter suspicor me febris acutæ solutionem fuisse expectatum, ne catarrhus quantumuis videretur esse solutus, vsu vini recrudesceret. Ego cum utroque modo peccari posse non negem, multo tamen plus periculi esse puto in nimia vini indulgentia, quam in nimia detractioe. Cum præcipuè tam multæ potiones medicatæ, omnes vini commoditates præstare possint.

19 **Q**uæ circa linguas eleuantur, coagmenta, & exigui existentes lapilli, & quæ podagricis iuxta articulos debiles illorum sunt; etenim ossium natura causa & quod hæc durescant, est, & quod contenduntur.

OSSIVM naturam esse causam, quæ durescant & contenduntur, coagmenta quæ eleuantur circa linguas, & lapillorum exiguorum, & eorum quæ circa debiles articulos podagricorum sunt, nulla ratione videtur posse dicere quantumuis quidam conentur id reddere consentaneum. Dicunt tamen quædam aliena & longe petita. Proinde ego existimo longe aliud Hippocratem

dicere. Nimirum ea quæ circa linguas eleuantur, & exiguos lapillos, quacunque in parte generentur & quæ iuxta debiles podagricorum articulos colliguntur, coagmenta esse idest congestione generari. Omnia enim huiusmodi congestis excrementis fiunt, vt tumores quidam lapidei in lingua, congestis excrementis alimenti proprii ipsius linguæ, lapilli in renibus aut vesica concretescentibus arenulis aut crassis succis, tophiossei circa articulos podagricorum, excrementis crassis duretescentibus & concretescentibus cum ipsis ossibus. Atqui in his tophis materia est crassum illud excrementum: effectrix causa duritiei, & contentionis, idest coalescentiæ cum ossibus, est ossium natura. Quia naturaliter ipsa ossa congesta excrementa in naturam suam mutant: crescuntque ibi ossa in ossea tubercula, vt lapides crescunt accrescente terra & aqua. Hoc itaque est quod dicit, ossium natura causa est, quod hac duretescant, & quod contendantur, idest accrescant, augeantque ipsa ossa.

20 **Q**uod Hippostrati (uxori) ex annua quartana tumebat, cum subfrigida palam esse videretur, impetus in totum corpus, & sudor, ita iudicata est, & post hæc muliebria plura, multitudine & tempore. Tunc enim supprimebantur, abscessus non est visus constitisse.

VBI ego legi quod tumebat, legit Cornarius collectio, & Iacobus Steue, de vertice decurrebat. Neuter tamen mihi videtur exactè expræfisse quod dixit Hippocrates. Quamquam Cornarius accessit propius, quia intumescens velut collectio quædam est, sed non est omnino idem. In primis ex illa lectione quam sibi fingit Steue, non videtur aptè explicare posse illa verba, abscessus non est visus constitisse, neque ille explicat, de quo abscessu dicatur. Deinde non quadrat cum græca lectione. Nam hæc occurrit scripta in græco codice τὸ τῆς ἰσχυρᾶς ἀπὸ τοῦ ἐπιτεταρταυσιανώτου ἀποκόρου non videtur posse fluere nisi à verbo κορυφῶμαι quod significat attolli aut tumere: atqui iuxta hanc versionem redditur sensus contumacis. Nimirum Hippostrati uxori per annuam quartanam

, tamen intumuerat pars aliqua, non dicit quæ pars, fuerit
 tamen quæcunque. Multæ enim & variæ solent per diutur-
 nas febres intumescere quas scilicet euenit in ægrotis esse
 alijs debiliores, tamen quædam in quibus magis solent id
 pati, velut per quartanas solet lien intumescere, neque ta-
 men ille solus, sed nonnunquam crura nonnunquam etiam
 pars alia quæcunque. Ratio autem intumescentiæ, quæ per
 tales febres debilibus partibus fit, præcipua est congestio
 reliquiarum eorum succorum qui in singulis paroxysmis
 putrescunt aut vruntur, quæ quidem illic hærent, vsq; dum
 per iudicationes perfectas simul cum succis qui à princi-
 pio morbum facere cæperant, euacuuntur. Ita euenit huic
 mulieri, pars quædam per quartanam intumuerat, ea, ex
 annua quartana, hoc est post quartanam, & cum subfri-
 gida iam palam esse videretur, idest, cum videretur iam
 esse sine febre, natura partis tentauit id quo tumebat pel-
 lere, cumque id extra corpus vno impetu per ventrem, aut
 vrinæ vias, aut conspicuam aliam viam, egeri non posset,
 impetum cepit per totum corpus, distributumque est, de-
 inde partibus totius corporis incumbencibus in expulsio-
 nem, sudor factus est, & ita mulier iudicata hac ratione. Et
 abscessus ille in partem tumetem factus, non est visus con-
 stituisse, idest euauit. Tamen hæc iudicatio nunquam fuisset
 tuta & perfecta, nisi fluxissent deinde muliebria plura
 multitudine & tempore, tunc enim supprimebantur. Idest
 nisi fluxissent multa & multos dies, nam per febrem sup-
 primebantur, & consentaneum est suppressionem euacua-
 tionis adeo necessaria fecisse morbum, hunc verò attulisse
 partis tumorem, ergo tumoris iudicatio non posset esse sa-
 tis ad morbi solutionem, quia tumor nõ erat morbi causa,
 sed ex morbo potius processerat, nisi accessisset euacuatio
 menstrua, quæ quidem morbi præcipuè causa præscindeba-
 tur. Sed videri possit mirum quartanâ febrê cum ex crasso
 & melancholico succo originem ducat, sudore quo serosi
 & tenues succi euacuuntur, iudicatâ esse perfectè. Desines
 verò mirari, videns non solo sudore sed magis euacuatio-
 ne muliebri iudicatam esse, & sudore quidem abscessum
 illum potius quàm febrem, hæc verò alia euacuatione. Ne-
 que quidem quod exudatur necesse est serum esse, sed tā-
 tum tale vt calore fundi possit. Neque sane melancholia
 succus

succus est feri expers. Atqui per morbos melancholicos multum feri gignitur, non ob speciem succi per se: sed per debilitatem caloris naturalis, & facultatis debilitatem ac incoctionem, velut etiam gignitur multa pituita. Illud ergo serum nonnunquam æquè per totum prouenit, diluitq; ipsam melancholiam, fiuntq; ita sæpe copiosi sudores per quartanas, nonnunquam colligitur vno loco, & ea contrahit tumore aquosum, atqui si ea pars ventris regio sit, superuenit hydrops ascites. Itaque in illa muliere reliquæ melancholiæ sero dilutæ, collectæ in loco qui intumuit, fuerit vnde distribui in totum corpus, & exudari potuerunt.

21 **I**N salientibus seu pulsantibus hæmorrhagiis figurâ inueniendum, & omnino si ex decliui accliuæ fiat.

Vbi ego cum Iano Cornario legi, in salientibus seu pulsantibus, vult Iacobus Steue deleri *σπύζων*, & scribi *σπύζων*, id est constringunt, gratis autem id fingit, quoniã non assequitur quid velint sibi hæc Hippocratis verba. Ego verò legi salientibus aut pulsantibus, quia vtrumque significat verbum *σπύζων* quinimo solum significat salire aut subsultare, ac proinde arteriæ *σπύζων* dicuntur, quod subsulant. Itaque duo videntur posse hic significari aut in hæmorrhagiis salientibus, id est in quibus sanguis exit saliens, aut in hæmorrhagiis quæ fiunt ex venis pulsantibus. Atqui possit vtroque modo eadem res significari, si illud saliens significat modum exeundi ex arteriis. Cognoscitur enim sanguis ex arteria exiens quod subsultim exeat. Potest etiã illud saliens significare nihil aliud quàm copiosam eruptionem sanguinis siue ex arteria siue ex vena. Atque ita nihil aliud sit quàm si diceretur in copiosis sanguinis fluoribus: illo modo, in fluoribus sanguinis ex arteriis. Vbi ego legi inueniendum, legunt alij omnes amplaque existens, referuntque ad figuram: nam Græcè habetur. *σπύζων*. Ego quia non video cur figura ampla desideretur in hæmorrhagiis, nisi improprie dicatur ampla id est idonea, censeo legendû pro *σπύζων*, *εὐπεδέου*, leuis enim corruptio codicis fuerit & redditur sensus expeditus & facilis. Nimirum in fluxionibus sanguinis magnum momentum

rum habet inuenire figuram accommodatam. Vt scilicet si decliuus est pars ex qua fluit accliuus fiat, quia positus decliuus multum auget fluxionem. Neque verò hoc solum desideratur ad idoneam figuram, vt scilicet sit accliuus: sed etiam vt sit figura indolens, plurimum enim currit sanguinis ad partem dolentem gratia doloris, neque sanè sola figura solet esse satis ad sistendas hæmorrhagias: sed multæ aliæ sunt suppressiones, quas. 6. epid. his verbis collegit, Sanguinis venarum suppressiones, deliquium animi, figura alia, interceptio, linamentum, appositio, deligatura. Dicit verò hic de figura, vt quæ ante alia sit procuranda. Neque solum sanè in hæmorrhagiis ex arteriis, necessaria est idonea figura: sed in omnibus vt hac ratione satius videatur intelligere in hæmorrhagiis, quæ affluenter subsiliunt. Si tamen quàm maximè videatur intelligi de hæmorrhagiis ex arteriis, dicendum de illis loquutum Hippocratem, non quod solæ: sed quòd maximè curatione indigeant. Difficilius enim sistitur fluxus rupta arteria quàm vena.

22 *Qua propter & ligaturæ impetum faciunt in venarum sectionibus, quæ si fortes sint remorantur.*

Hæc sententia pertinet ad chirurgiam mittendi sanguinem. Nam cum vena secatur in manu aut crure, vt fieri solet, curandum vt sanguis copiosè fluat & ex alto corpore, quod vt fiat conuocari debet ad partem, frictione, balneo, & ligaturis, aut horum quibusdam. Ligatura verò ita fieri debet. Antequam secetur vena, ligari debet fortiter pars, mox debet vltra ligaturam sectio fieri: a facta verò sectione debet ligatura, non solui quidem: sed laxari tantillum, ne fortis sit. Nam si solueretur omnino, efflueret id quod attractum erat, moxque venire sineret, cessaretque impetus, si autem nihil laxaretur, non posset sanguis exire astricta vena vehementius. Nam ligaturæ mediocriter fortes impetum faciunt in venarum sectionibus, id est sanguinem faciunt impetu effluere, quia enim mediocres sunt, neque qui dolore trahitur, venire, neque qui iam venit, effluere cessat, fortes verò ligaturæ remorantur: sed quo pacto potest hæc dictio cum proxima con-

coniungi, ut hæc incipiat à particula illa quapropter. Certe illa particula aperte significat aliquid deesse priori orationi, illud verò fuerit quod ego in commentatione suppleui ac si ita diceretur, In hæmorrhagiis salientibus figuram inueniendum quæ sine dolore, & ut ex omnino decliui à ccliuè fiat. Qua propter, quia scilicet dolor conuocat sanguinem, ligaturæ impetum faciunt in venarum sectionibus, quæ si fortes sint, remorantur.

23 *Sanguineum subbiliosumque acidum ructum faciens, forte autem & in atram bilem bis finiatur.*

GALENVS 3. de locis male affectis capite. 5. refert eos qui ad melancholiam morbum parati sunt, dicit, macri verò & nigri, & hirsuti, & quibus latæ sunt venæ, aptissimi sunt ut huiusmodi humor in ipsis cumuletur. Fitque interdum ut impensæ rubri homines affatim in melancholicam temperiem decidant, atque post hos flauis. Hoc est quod Hippocrates dicit nunc, sanguineum & subbiliosum temperamentum, quale est in per-rubris & in flauis, solere in melancholicum mutari, atque adedò tales homines solere in melancholiam morbum incidere. Sanguineum quidem, quia abundat sanguine multo & crasso. Fit autem ex tali multum naturalis melancholiæ, ut ex multo & crasso vino multæ feces: biliosum, quia bilis vstione migrat in atram bilem. Biliosi verò incurrunt id periculum in iuuentute, quia ea ætas est calidissima: vritur verò succus alioqui vstioni aptus calore eius ætatis. Sanguinei verò in ætate consistendi. Tunc enim frigidior crassior & minus spirituosus sanguis fieri incipit, quare faculentus crassus & terreus. Itaque hæc temperamenta in melancholiæ morbum nata sunt incidere. Signum autem iam iam incidentium, sunt ructus acidi. Cum enim multa melancholia alio qui naturalis, aut multa atra bilis vsta colligatur in illis circa viscera, redundetque in ventriculum, fitque omne genus melancholiæ acidum, admiscens sese cum cibis eos vtiat, facitque acescere, vnde ructus acidi fiunt. Neque quidem obstat nasci semper ex frigore ructus tales, omnis

nis enim melancholia vt acida est, ita frigida subiecto, & terrea.

²⁴ **R**igores incipiunt mulieribus à lumbis per dorsum in caput. Quin & viris etiam parte corporis posteriore magis quàm anteriore, velut cubitis ac femoribus. Sed & cutis rara. Indicat autem capillus animalium.

HÆC sententia & eisdem verbis est aphorismus sexagesimus nonus particulae quintae, atqui hæc eadem scripta est. 6. epid. parte. 3. atque adeò multo distinctius quàm hic, quia illic addita aut hic sublata est quædam particula multum addens perspicuitatis. Illic enim ita dicitur, Rigores incipiunt mulieribus quidem magis à lumbis, & per dorsum in caput. Sed & viris posteriore corporis parte magis quam anteriori. Høremus enim magis exterioribus quam interioribus corporis partibus, velut cubitis, femoribus. Sed & cutis rarior. Indicat autem pilus. Quod est, rigores magis incipere à partibus posterioribus, lumbis scilicet, & per dorsum vsque in occiput, quam anterioribus, & exterioribus, vt cubitis & femoribus, quam interioribus: quia rigor passio frigida est, & posteriora quam anteriora, & exteriora quam interiora, frigidiora sunt. Cæterum cum hæc ratio communis sit fœminis & viris, & vtrique magis posterioribus quam anterioribus, & exterioribus quam interioribus rigere incipiant, tamen fœminæ magis quam viri incipiunt a lumbis, quia habent vteros lumbis alligatos, qui frigidis passionibus maximè capiuntur, & viri magis quam fœminæ incipiunt a cubitis, & femoribus, quia fœminis vt dictum est, est maior causa incipiendi a lumbis per dorsum in occiput. Hinc tamen non fit, vt viri incipiant sæpius a femoribus & cubitis quam a lumbis, neque contra: sed vt ab vtrisque æquè aut ab alterutris vt contigerit. Probat verò Hippocrates partes posteriores frigidiores esse anterioribus, quia in anterioribus cutis rarior est esse autē cutē rariorem indicat pilus, qui in anterioribus magis abundat.

Vtrumque

Vtrumque autem, & amplitudo inquam pororum & abundantia pilorum, indicat calorem: & pili quidem abundantia indicat pororum amplitudinem.

25 **Q**uibus nihil intra constitutum tempus, singulis partus vitales fiunt.

IDEST quibus nulla causa abortus accidit, sed manent usque ad constitutum & fatale tempus exeundi, partus vitales fiunt. Partus non vitales sunt non quicumque recens nati moriuntur (moriuntur enim citò multi alioqui vitales, ob erratum aliquod, aut morbum qui superuenit) sed qui ob imbecillitatem quam ex utero trahunt non possunt viuere. Huiusmodi autem sunt, qui aut nondum ortui maturi ante tempus legitimum abortiuntur, aut qui intra uterum morbum aliquem contraxerunt, quo nondum soluto, eduntur. Ergo dicit Hippocrates quibus ante constitutum tempus, nihil accidit, idest nulla causa abortus quæ ante tempus exire coegerit, & nullus morbus qui vel in ipso tempore fecerit exire debilem, in ipso tempore nascuntur vitales. Sunt autem abortus causæ missio sanguinis, atque omnino alimenti subtractio utcumque facta, corruptio foetus veneno aut admodum medicamentosa re accepta, ut vehementer mouente menstruas euacuationes, aut expurganti medicamento, aut motus vehemens corporis aut animi, atque ob vehementem animi motum, quantum ego existimo (etsi medici quidam aniles quasdam fabulas de hac re somniant) Pica, seu appetentia rei alicuius qua potiri non detur. Morbosos exire foetus facit, aut morbus aliquis, aut maligna cacochymia parentum, aut prauus victus utero gerentis. Debiles facit tenuis victus gerentis utero, aut euacuatio aliqua fluens, quia hæc cum fiunt impossibile est foetum esse fortem, ut in aphorismo dicitur. Quibus ergo nihil horum accidit intra constitutum tempus, in ipso constituto tempore eduntur, & vitales. Constat tamen intelligi debere, si quæ utero gerit sterilis non sit. Est enim quoddam genus sterilium (ut Hippocrates ipse libello de sterilibus dicit) quæ concipere quidem possunt, tamen non possunt deinde retinere, propter crassitiam aut humiditatem

tem aut ob exiguitatem vterorum, aut quod omnino dilata-
 ri pro foetuum magnitudine non possunt. Talibus sane
 abortus sunt quibusdam certo, quibusdam incerto tem-
 pore, etiam si nihil dictorum accidat. Tempus partus non
 est tam constitutum mulieribus, quam alijs animantibus,
 & Aristot. 7. de hist. animalium & plin. 7. de hist. natu-
 rali dicunt. Habent enim multa tempora in quæ natura-
 les partus solent incidere. Capra verò & ovis quinto men-
 se semper, sus quarto, asina, & equa undecimo parit, & ita
 aliorum animalium vnum quodque. De temporibus natu-
 ralis partus dubitata sunt multa, & à iure consultis & à
 medicis. De undecimestri an possit esse vitalis, ac multo
 magis de duodecimestri, & de octomestri, ac de minori
 septimestri. Nonum mensem esse maximè omnium natu-
 rale tempus partus, & eo omnes ferè in lucem edi, expe-
 rientia est confirmatissimum, & nemo dubitat. Septimo
 etiam & decimo mense edi posse vitales, concedunt om-
 nes. Undecimo mense posse edi vitalem negauerunt qui-
 dam iureconsulti, tamen de hac re consultus diuus Adria-
 nus considerata causa decreuit, posse. Idque merito. Nam
 Hippocrates etiam id dicit pluries. Ultra undecimum mē-
 sem produci posse partum nemo dixit, præter Auicennam,
 qui quatuordecimum etiam aliquando attigisse, se a quo-
 dam accepisse dicit. Octomestris adeo non putatur posse
 esse vitalis, vt si quis videatur octauo mense natus viuere,
 putetur mulier conceptionis tempus ignorasse. Ante septi-
 mum mensem aut ante centum octoginta duos dies posse
 aliquem edi vitalem, negat Hippocrates. Ego vix quip-
 piam in rebus naturalibus quod omnino impossibile, aut
 necessarium sit, esse affirmo. Horum causas, referunt in nu-
 merorum naturas qui sectantur Pythagoricam philoso-
 phiam: Astrologi in stellas errantes: Hippocrates lib. de
 octomestri partu insinuat tres causas quas nos lib. 2. cont.
 vno capite complexi sumus, primam ex proportionem tem-
 porum prægnationis, quod scilicet tempus motus sit du-
 plum tempore figurationis, & tempus partus triplum tem-
 pore motus. Secundam quæ ex numero quadragenario-
 rum, quod quadragenarij dies magnam vim habeant in
 affectibus foetuum, incidat verò septimus quadragenarius
 in nonum mensem, & quintus in septimum. Tertiam quæ
 refert⁴

refert hos euentus in proportionem causæ factricis & materię, & in experimentum. Dicitum mihi est loco citato primam causam non satis esse idoneam (quamquam proportionem illam temporum fetationis teneri sæpe dicat Hippocrates vel hoc loco statim) post hanc verò secundã esse commodiorem, tertiam omnium maximè carere calumnia. Verùm hæc & illo loco & in commentario libelli de alimento dicta sunt fusius.

26 **A**pparentia quibus mensibus fiunt, labores in circuitibus, quod in septuaginta mouetur in triplicibus perficitur.

Eadem sunt quæ vocat apparentia, & quæ labores. Nimirum eas mutationes insignes fetus quæ temporibus quibusdam & articulis prægnationis contingunt, & apparent, notis quibusdã, maximè verò laboribus & doloribus, qui illis momentis vtero gerentibus accidunt. Cum enim moueri incipit fetus, & viuificatur, quædã anxietatibus, quædam doloribus, quædam deliquis animi corripuntur, ut quædam mulieres dicant se animæ ingressum sensisse. Hæc ergo apparentia dicit oportere considerare quibus mensibus fiant, Nam fiunt ex quibusdam circuitibus, quorũ ratione habita, poteris præsentire tempus partus, si die cõceptiuis notata, cõsideres. Nam quòd in septuaginta diebus mouetur, in triplicibus, hoc est biscentũ & decem perficitur. Quantũ autem certitudinis hoc habeat, dictũ mihi iam est.

27 **P**ost mēstrua aliquãdo dextra, aliquãdo sinistra hiant.

Duplici causa a recens facta euacuatione menstrua, scilicet fit conceptio in plerisque, & quia nuperrime aperta hiant, & os vteri, & quæ in vterum finiuntur venæ & arteriæ, & quia recens vacuatus vterus avidè trahit humorem. Nam dum adhuc fluunt: malè retinet vterus, ut post conuerso per eum ad euacuationem toto corpore, ut per id tempus non concipiant nisi quædam quibus vterus adæquæ conuiuet natura, ut nunquam satis hiet, nisi dum fluunt. reliquo tempore omnibus conuiuet aliquanto plus quam a recens

à recens facta euacuatione . Ergo post menstrua facile concipiunt, quia hiant uteri partes, aliquando masculum aliquando foeminam, quia dextra hiant, aut sinistra, aliquando geminos foetus, quia utraque hiant. Quare gignitur secundina utrinque una, & foetus duplex. Neque mirum videri debet, nunc in dextra nunc in sinistra parte, nunc in utraque, foetum gigni, etsi uterus muliebris sinus non habeat: sed vnicum, cauum. Habet enim nihilominus in latus utrumque distributas venas & arterias, secundum iustitiam & æqualitatem laterum, quam natura semper tenuit, quibus productis secundinæ fiunt, quibus foetus continetur & alitur. Fiunt ergo nunc ex dextris, nunc ex sinistris, nunc ex utrisque. Cur mares in dextra, foeminæ in sinistra gignantur magis (quod etsi hic non dicat, insinuat tamen, quandoquidem differentia laterum meminit) dictum mihi est in commentatione aphorismi quadragésimi octavi sectionis quintæ.

28 **H**umiditas per exeuntia, victus ratione siccissima.

Multæ non concipiunt, quòd habeant uteros humidos, & excrementosos, adèd ut neque avidè recipiant semen, neque possint retinere, quæ quidem dispositio contraria est ei, per quam indigent menstruis, ut hiant uteri. Agnoscitur hæc dispositio exeuntibus. Effluunt enim mucosa quædam frequenter. Curatur victus ratione siccissima. Nominè victus hic intelligi debet tota ratio viuendi, qua & curationis ratio contineatur. Nam huic passioni non semper solus victus, qui in cibo & potu consistit, est satis, curatio verò fuerit, ut in aliis morbis, contraria affectioni. Ut hinc constet quam non sit una ratio curandi eas quæ non concipiunt, ut vulgares medici sibi persuaserunt: sed varia & multiplex pro ratione causæ quæ sterilitatem parit. Quasdam enim omni ratione humectare, quasdam siccare, quasdam tantum calfacere, nonnullas etiam refrigerare, & humectare conuenit.

29 **Q**uod citius discretum & motum est, augetur rursus segnius & in longius tempus.

Q

Mulie-

MULIEBRIA corpora cum geruntur vtero tardius recipiunt figuram & motum quam masculina, postquam verò hæc nata sunt crescunt citius & breviori tempore, idque non solum dum vtero geruntur, sed postquam edita iam sunt, atque ita citius decrescunt senescentia: masculina contra in vtero discernuntur & mouentur citius, deinde crescunt tardius, produciturque eorum incrementum in longius tempus, atque adeo crescunt & viuunt plus. Hoc ergo est quod Hippocrates dicit, quod citius discretum & motum est, augetur segnius & in longius tempus.

• *Causam verò huius necesse est esse in differentia temperamentorum vtriusq; sexus. Nimirum muliebria corpora sunt humidiora & frigidiora, maximeque oportet talia fuisse principia, ex quibus sint genita. Humidum verò difficile recipit figuram propriam, ergo embrio humidior, tardius recipiet figuram, ac proinde etiam animam. Nam cum anima sit corporis talis, hoc est ad vitam bene dispositi, præcipua autem dispositio sit organorum formatio, quanto tardius figuram recipiet, tanto etiam tardius & animam, quæ non aliter quam motu agnoscitur, quare & motum. Ergo corpus muliebri, quia humidius, tardius recipit figuram & motum, atque hac ipsa causa citius crescit, quia que humida facilius quam sicca dilatantur, dum est calor qui id facere possit. Est verò mulieribus primis annis, quod etiam frigida sint natura, tunc per ætatem calent. Cessant verò citius ab incremento, crescuntque minus, quia frigidiores cum sint, non potest earum calidum incrementum usque adeo producere. Itaque augentur citius, quia humidiores, minus verò, quia frigidiores. Accedit illa menstrua euacuatio sanguinis, quæ mox atque accidit, tollit corporis incrementum.*

30 *L* *Abores circa tertium diem supra quinquaginta, & sextum supra centum menstruales secundo & quarto, quæ oportet nosse ad septimestrem.*

DIXERAT antea labores in circuitibus. Nunc circuitum quendam laborum narrat, qui obseruari solet in futuris septimestribus, non quidem necessario in omnibus, sed in multis. Sentiunt videlicet labores quinquagesimo tertio,

tio, & centesimo sexto. Menstruales, hoc est si per menses velis dicere, secundo & quarto. Nam quinquagesimus tertius secundi, centesimus sextus quarti mensis est. Hoc quidem, qui in Hippocratis observatione volet acquiescere, minori labore recipiet. Si tamen dicendum de causa aliquid, quod si non evidens consentaneum tamen sit, ea esse videtur, quod de diebus quinquaginta nouem qui duo menses sunt, detractis septem qui ob expurgationem menstruam plærunque detrahi debent, super sunt quinquaginta duo. Est ergo quinquagesimus tertius primus tertij mensis. Vt ergo in morbis acutissimis qui plærunque mouentur imparibus magnam vim habet tertius dies, ita prægnatione breuissima tertius mensis. Nam mensibus constat & finitur tempus prægnationis. Est aliud genus articulorum prægnationis maximè insigne, quod in quadragenarijs est. Centesimus verò sextus incidit in tertium quadragenarium, proinde hic quoque labores affert, hic verò magis quam alius eiusdem quadragenarij, quia complet tempus duplum tempore primorum laborum, redeunt verò hi secundum quasdam proportionem. Sed si quinquagesimus tertius affert labores, quia primus tertij mensis quo pacto est secundi mensis? Certè secundum computationem vulgarè mensium græcorum aut latinorū. Nullus enim computans menses, detrahit de mensibus integris, & si ratio, ex quorundam dierum detractio, constet.

A *Vt à menstruis numerādi sunt nouem menses, aut à conceptione, & in ducentos & septuaginta dies græci menses fiunt, & si quid in super, aut maribus aut feminis, hæc fiunt, aut contraria.*

N V N C docet practicam rationem computandi in partu legitimo, ac frequenti, quem dicit esse nouem mensium græcorum, hoc est qualium in Græcia erat cōmunis vsus, qui erant triginta dierū. Nouem ergo tales; menses habent ducentos & septuaginta dies. Sed dices, nouem menses tales, incidunt inducem lunares. Videtur verò haberi debere, iuxta dictas hic & alibi causas, ratio lunarium, ergo partus communes decem mensium sunt, non nouem. Ita est perfectō, quodammodo nouem, quodammodo decem

Q 2 men-

mensium, sunt. Atque ita componuntur facile autorū verba, si quando siue in naturæ historiographis, siue poetis, siue etiam in literis sacris, legitur, nunc nouem, nunc decem mensibus, fieri. Nouem enim fieri plærunq; scribūt omnes sequuti vulgarem computationem. Sed et Vergilius de cōmuni partu intelligens dicit, *matri longa decem tulerint fastidia menses.* Aristotel. quoque. 7. lib. de hist. an. mal. c. 4. dicit foeminas magna ex parte decimo mense parere. Sunt verò hi decem, nouem menses græci. Est autem hic finis partus communis, potius quam lunares nouem, quia longius abest fœtus qui græcos nouem compleuit, à sexto quadragenario, quo vt Hippocrates cœset, ægrotabat, quā qui lunares. Quod autem sit exacte hic finis, scilicet. 270. dies causa fuerit proprio facientis ad materiā. Causā enim cœlestem nullā scio, quæ huic fini admodum quadret, nisi forte id facit aspectus tetragonus solis, quem ferè illo die habere incipit, cum pūcto quo facta fuerit conceptio, quæ percurrerit tres partes integri circuli. Computatio huius cōmunis partus incipere debet à conceptionis die, si modo is agnosci possit. Sunt verò nonnunquā inditia necessaria, vt cum ex vnico cōgressu cū viro cōceptū est: semper autem licet considerare eas notas, quas Hippocrates lib. de genitura his verbis scripsit, Postquam coiuit mulier, si quidē conceptura non est, foras procedet genitura, vbi si femina volet. Quod si femina partus perita sit, & cogitauerit, quā genitura non exciderit, sciet qua die intra se ipsam concepit. Rursus libello de canibus dicit, Satis manifestū est, harum rerum peritis, quod mulier cum in ventre concepit, statim horret, & calor, & dentium stridor consequitur, & conuulsio occupat, tum articulos, tum totum corpus, & vterū segnities & corpor. Si igitur his signis agnoscere possumus diem conceptionis, ab illo incipere debet cōputatio, sin minus, à menstruis, nō quidem ab ijs quæ vltimo fluxerunt, sed ab eo die quo primū defecerunt, cū expectarentur. Nā à die conceptionis procedūt dies. 270. Perrarum autem sit diem cōceptionis esse ipsummet diē quo fluxerunt, siue primū siue vltimum quo fluxerunt intelligas. Si ergo computatio fiat a menstruis fluentibus, sepe per videbitur produci partus ultra nouem menses græcos eritque computatio incerta atque non raro peccabitur in victu

victu, putante muliere se iam ingressam nonum, cum nondum egressa octauum mensum sit. Si autem fiat computatio a menstruis deficientibus, semper attinget nonum mensum, & nunquam excedet. Nam pariet post 270. dies, exceptis tot quot precesserint a die conceptionis usque ad diem deficientium mēstruorum. Si igitur conceperit recens expurgata, pariet in initio noni, si cum iam menstrua imminerent, in fine, si inter hæc, medio mense: semper tamen intra nonum græcū, & ultra ducentos septuaginta nunquam producet, si modo partus communis sit. Quoniam autem non nunquam contingunt partus singulares longiores, addidit etsi quid insuper. Atqui quoniam nulli dicti partus necessarij sunt, neque quidem alij maribus, alij feminis necessarij, sed quibus eorum & maribus & feminis potest accidere, & contrarij, addidit, aut maribus aut foeminis hæc fiunt, aut contraria. In quam sententiam dixit libello de alimento, enumeratis partibus. est, & non est. Hic verò quiddam aliud addidit, dicens, & maribus & foeminis. Scilicet non tantum non esse hominibus certum aliquem partum, sed neque sexui cuique suum. Sed utrosque mares scilicet & feminas, posse his aut alijs diebus nasci. Quare quod Aristotel. 7. de hist. animalium, mares magis quam feminas fieri septimestres, foeminas magis decimestres dicit, non admodum probō. Nam præterquam quod feminas vidi septimestres, tamē neque ratio admodum est pro illa sententia. Nam etsi tardius recipiant figuras & motus, non crescunt tardius, sed ut dictum nuper est, etiam citius, & proinde incidunt & marium & foeminarum editus in eadem tempora.

32 *C* *I*bis & *p*otibus *h*umeri ac *m*ammæ *i*nflantur, & *e*orum quæ sunt in *c*apite *i*nfirmities & *i*nflationes *i*ncrementa recipiunt.

DE vtero gerenti loquitur haud dubiè, dicitque illis mammas & humeros intumescere (hoc enim significat hic verbum inflari) nam hæc est nota prægnationis inter cæteras, quod mammas intumuerint, & solidæ ac duræ factæ sint. Quod aphorismis. 52. & 53. particulæ quintæ

Q 3 *i*nfinua-

insinuatur. Facit verò hunc tumorem sanguis, qui cum vterus uterum vocetur undique, in venas mammis & utero communes venit, & in utranque partem abundat. Sanguis verò est commune alimentum, quod rationem sequitur semper cibi & potus atque ut Aristoteles dicit. 2. de partibus animalium cap. 3. quoties cibus non ingeritur sanguis deficit, quoties ingeritur augetur. Atque si alimenta bona assumuntur, sanguis integer est, si prava, vitiosus. Igitur si utero gerens laute capiat potus & cibos, non utrumque mammæ, sed humeri ac mammæ replebuntur: atque debilitas, & repletio capitis, si qua mulieri antea fuerat, aut ex conceptione superuenit, incrementa recipient, tumorem comparantibus humeris & mammis. Nam si, quibus in mammis sanguis colligitur, furorem indicat, quia significat sanguinem melancholicum ferri in partes superiores, profecto quæcunque redundantia in mammis & humeris, portendet capitis repletionem, & imbecillitatem, quæ redundantia statim succedit, quia quod mammas distendit & humeros, sursum petit.

33 **D** *Onec ossa solida fiunt, mensium circuitus est. Quæ ante hæc fiunt graua sunt, laboribus octimestrium germana, & primiperarum.*

34
OSSA recens natis sunt mollia, & rara, & laxius posita, procedente ætate durefcunt, densantur, & concrefcunt. Itaque senibus iam solida sunt. Menstrua sanguinis euacuatio naturalis est genere, non quod semper mulieribus accidat, sed quod omnibus, & si non semper. Nam neque in pueritia, neque in senectute, sed fieri incipit pubescentibus, desinit senescentibus. Est itaque circuitus mensium ab initio adolescentiæ (quia arbitratur ea ætate est iam minor euacuatio insensilis, atque per corpus totum dissipatio) vsque ad finem consistentiæ, & initium secundæ senectutis. Quo tempore frigidum & siccum iam est corpus, & sanguine minus abundat. Igitur ut diceret vsque ad senectutem mensium circuitus est, vsus est hac periphrasi, donec ossa solida fiunt. Quod addit, quæ ante hæc fiunt graua sunt, videtur significare ante euacuationes menstruas esse esse

esse difficultates & dolores, idque est verissimum. Nam secretio magnos labores affert. Tamen quod addit, laboribus octimestrium, & primiperarum germana, videtur in alium ferre sensum. Nam labores abortum facientium octauo mense, & primiperarum sunt insignitè granes: illarum, quia ægrotat foetus, & ipsæ etiam ob malam aliquã affectionem tentant partum intempestiuum: harum, quia non hiant satis vteri. Quorsum ergo conferret quæ antecedunt menstruas euacuationes in commune, cum doloribus octimestrium & primiperarum? Proinde putandum est eum loqui, non de omnibus menstruis, sed de vltimis, & quæ antequam omnino cessent, fiunt. Illæ enim solent fieri cum magna difficultate & doloribus, nunc exiguæ, nunc profusæ, & sine certo ordine rarecentes. Quia sanguis iam ea ætate crassus, non nisi cum magna difficultate, per vias, angustiores, duriores, & minus dilatabiles, effundi potest. Proinde in primis rarescit, sex mensium nonnunquam intermissi onem faciens, nulla quæ sentiri possit noxa corpori accidente, deinde rursus multum nitente natura, multum pellitur crassi, ac cum eo etiam tenuis, duratque multum euacuatio, ac non pauca hac occasione, profluuij menstrui periculum incurrunt, manentque, cum sistitur, sicca & exsucca, atque hac ipsa causa, imposterum sine ea euacuatione transigunt.

34 *L* *Ac nutrimento mutationem accipiente, octimestri vtero perficiente.*

GENERATIONEM lactis, & tempus quo in vtero gerentibus primùm apparet, docet breui hac oratione. Lac fit nutrimento mammarum (idest sanguine qui ad nutritionem mammarum venit) mutationem accipiente. Nimirum mammæ in sui substantiam trahentes sanguinem, lac faciunt, cum abundat quidem sanguis & commutatur, tam abundanter, vt redundet, & exugi possit, cum non adeo abundat, commutant, quantum suæ nutritioni satis est, nullum autem exugitur. Quibus menstruæ euacuationes fiunt, raro fit lac, quia eadem est materia vtriusque, sed neque vtero gerentibus, quia insumunt eam materiam in

foetus generationem, sed pragnationi succedit lactis proventus, ut oportet scilicet, quo infans recens editus, lacte nutriatur. Succedit verò lac pragnationi non affatim, sed paulatim, ut successivæ aliæ mutationes solent. Atque non cum iam editus infans est, incipit primum lac fieri, sed cùm iam partus instat, incipit apparere, quo scilicet, cum iam uti eo infantem oporteat, maturius, concoctius ac velut paulatim paratum lac fit. Incipit quidem aliquibus primis, plerisque autem octavo mense lac in mammis apparere. Quod Galenus docet in comment. aphorismi. 39. quinte particulæ. Huius autem rei causam esse puto, quod ultimis mensibus octavo inquam & nono, multum iam crassioris sanguinis congestum est, in venis & arterijs uteri, per quas foetus alimentum trahit, quod influenti sanguini impedimento est. Foetus verò magnus iam multo indiget, & multum trahit: multus ergo tractus, & penetrare non potens, recurrit per communes venas ad mammas: qui recursus, & ad lactis, cuius usus iam imminet, præparationem, utilis est, & ut foetus alimenti penuriam magis sentiens, calcitret, dirumpatque acetabula, & in lucem prodeat. Hæc autem omnia ita mensuravit natura, ut necessarias causas, ijs que fieri expedit, apraverit. Post enarrata verba succedunt quædam alia de ulceribus, tamen ipsamet res, de qua agitur, indicat, dilaceratas, & malè commixtas esse has dictiones, transferendaque huc esse verba hæc.

35 **Q**ua propter menses quales octimestrium, qui fiunt ad decimum tendentibus malum.

DICTUM est lac fieri incipere utero gerentibus, octavo mense, quia perpauca, naturaliter habentibus, fluxus menstruæ evacuationes dum gerunt utero, aut dum lactant. Sed à principio pragnationis insumitur in foetum, deinde in lac illa materia. Propterea (dicit) menses quales octimestrium qui fiunt utero gerentibus, tendentibus ad decimum mensem, malum. Insinuat verò hac brevi dictione multa: in primis, malum esse fieri menses utero gerentibus, deinde solere esse talibus difficiles, & quales octimestrium, deinde solere fieri hos tendentibus ad decimum, id est, parturientis.

rituris non ante decimum, aut vndecimum mensem græcū, quibus scilicet partus producendus, vltra consuetum tempus, est. Sunt verò hæc omnia rationi consentanea. Nam si vtero gerenti fluunt menstrua, impossibile est foetum esse sanum, vt in aphorismo dicitur. Quod si ægro foetu fluunt, laboribus, quos ipsi fluxus afferre solent, accedentibus alijs ex foetus ægrotatione, erunt quales octimestrium, idest octauo mense abortientium. Quibus verò hæc fiunt, merito partus producitur. Quia si bene fortis foetus, non potest vitalis exire, nisi ex labore septimi mensis quadraginta dies quiescat, debilis pluri tempore indigebit ad refectionem, & præter hæc, ferius veniet ad perfectionem. Duplex enim ratio esse potest, qua partus producat, aut quòd ob amplitudinem viarum matris & foetus, & naturam alimento abundantem, tardius sentiat foetus alimentum penuriam, & respirationis indigentiam: aut quòd ob debilitatem, tardius veniat ad perfectionem. Illi eduntur robusti, ac tanto citius, quàm solent alij, ridet, quanto tardius nati sunt: hi habent omnino contraria. Atque ita partus producti, nonnunquam meliores, nonnunquam deteriores sunt, quàm communes.

36 *Si in vulneribus fortibus tumor non appareat, magnum malum, laxi vtile, crudi, deterius. Quibus tumores in vlceribus non valde conuelluntur, neque insaniunt. His autem euanescentibus repente, quibus quidem in posteriora, conuulsiones cum doloribus, quibus autem in anteriorem partem, aut insaniæ aut dolores lateris acuti, & dysenteria rubra. Tumores præter rationem leuantes, sal-lax, vt Andronici puero erysipelas recurrit. Nisi in eundem locum veniens vtile aliquid significet. Huic ex generatione circa aurem, ad pubem distributum est, alteri tertio die ex natiuitate factus suppuratus est nona. Hic septima die sanus euasit. Deteriora sunt que repente euanescent.*

APHORISMIS. 65. & 66. & 67. sectionis quintæ, hæc eadem, eisdem ferè verbis, scripta sunt, quæ cum in com. mihi explicata sint, haud erit hic multum immorandum.

Vbi

Vbi legi crudi deterius, habetur in Græco codice *εὐνομεύει*. id est, sursum pascens: sed restituimus hunc locum ex aphorismo, quo legitur *εἶραμα* quam lectionem sequitur Gale. in commentatione. In vulneribus tumores non apparere malum est, quia secundum rationem apparent, fluxionis gratia. Atqui, etsi medicus curat tumores medicamentis arcere, nihilominus, medico id nō moliente, sponte sua non apparere, non est bonum. Quia apparentes tumores, & si mala causa sint, quia prohibent vlceris curationē, tamen signum nōn malum. Atqui legi potest, si tumor non appareat magnus, malum. Aut si tumor non appareat, magnum malum, litera græca vtrunque sensum fert, & vterque est verus. Nam dicit in fortibus vlceribus, id est in magnis & malignis, vt quæ circa articulos, aut in neruis fiunt. In talibus verò non satis est apparere qualescunque: sed magnos etiā tumores petit ratio vlcerum. Si verò in fortibus vlceribus, non apparere tumores magnos, est malū, nullos apparere sit magnum malum: oportet enim apparere, & magnos. Non tamen qualescunque si appareant bene actū iam cum ægrotō sit: sed si molles, seu laxi, id est facile cedentes curationi, crudos enim, id est, rebelles, & insuperabiles auxilijs, apparere, deterius est, fortasse etiā quam nullos. Dicitum enim mihi in comm. aphorismi est, illud laxi, & crudi metaphoricè accipi, ac significare quod dictū est. Quis autem probet in vlcere Cancrum, aut Carbonem? Tumores verò mites apparere, bonum. Quia quibus tumores in vlceribus, non valde conuellantur, neque insaniunt, quæ signa perituris ab vlcere maximè solent accidere. Quibus verò non fiunt, aut euanescent, fiunt hæc & alia non minus mala, pleuritis fortis, suppuratio, aut dysenteria cruenta. Docens Hippocrates, quibus hæc, & quibus illa, dicit in aphorismis. Quibus à parte posteriori, conuulsiones cum doloribus, quibus ab anteriori, insanig, dolores acuti lateris, suppuratio, dysenteria, præcipuè si rubri erant tumores. Hic dicit: Quibus in posteriora, quibus autem in anteriorē partē. Sed eadem res est. Nam quibus à posterioribus, proinde fiunt illa, quia in posteriora, & quibus à prioribus, quia in priora. Nimirum, quia posteriora vlcera, rectitudinē habent cum neruorum exortu, in eum a posterioribus recurritur, & conuulsiones cum doloribus fiunt, & quia anteriora,

riora, cum cerebro, thorace, & ventre, illis timetur, cum euanescentur repente tumores. Nam fallax salus est, tumores repente euanescere, quod Hippocrates millies docet, & nunc, recordatus pueri Andronici, exemplo confirmat. Fieri tamē aliquando potest, ut cum bono aliquo euascat tumor, si scilicet ad certam aliquam partem recurrat, eamque contingat esse humiliorem, exteriorem, & ignobiliorem (nam ad tales salubriter fieri abscessus. 2. sectione huius. 2. libri dictum est) velut cuidam, cui ex generatione, id est, ab ortu, fuerat circa aurem tumor, euauit: sed ad pubem distributum est, facta scilicet est ad pubem permutatio, eaque euascentia tumoris, non fuit mala. Alteri (huius meminit obiter, quod forte fortuna eodem tempore obseruauerit) tertia die, ex qua natus est, factus est tumor, & suppuratus est nona. Intelligi potest nona ex natiuitate, & ita quasi suppuratione ipsa sanus euaserit, addiderit, hic septima die sanus euasit, quia septima a tumore, erat nona a natiuitate. Aut nona a facto tumore, atque sanus euaserit septima a suppuratione. Vt cunque hoc factum sit, cum malū sit tumores circa vlcera non apparere ob dictas causas, deterius tamen est, cum apparuerint, repēte euanescere, cum non in certam aliquam partem, eamque ignobilē conuertantur. Proinde concludit totum hunc sermonē Hippocrates his verbis. Deteriora sunt quæ repente euanescent.

Sectio quarta.

Hepatitis in lumbis vsque ad magnam vertebram inferne, indeque vertebris committitur sublimis per iecur ac septū transuersum in cor, & hæc quidem recta ad clauiculas, inde autem aliæ quidem in collum, aliæ autē in scapulas, aliæ autem deorsum reuertentes, ad vertebrae & costas inclinant, & ex sinistris quidem vna prope clauiculas, ex dextris autem, ad quandam regionem alia. Hæc autem paulo inferius reflexa, vnde quidem illa deficit, defertur iuxta, costis reliquis omnibus, hæc hinc atque inde, ramos in quamcunque trahit.

buit, vna cum sit. A corde quidem ad regionem quandam in dextris magis existens, in ea quæ sub arteria vsque dū delitescat, & eò veniat, vnde hepatitis eleuari cæperat. Prius autem quàm eò perueniat, iuxta extremas duas costas diuisa est. Et cum alia quidem inde, alia autē inde vertebrarum peruenit, euanescit. *Recta* autem à corde ad claviculam contendens supra arteriam est, & ab hac, vt & ad lumbos, sub arteria abit, ad hepar, partim quidem in portas & fibræ, partim in reliquum parum infra septum transuersum. Septum autem transuersum adnascitur hepatis, quod non facile separet. Geminae autem à claviculis, alia hinc, alia inde, sub pectore in abdomen. Quo autem inde, nondum noui. Septum autem infra iuxta vertebram quæ sub costis, quæ renem ex arteria hac circumcingit. Arteriæ quidem ex tendine nascuntur, hinc inde arteriæ tonum habentes. Hic iam tandem finitur, quæ recurrit à corde, hepatitis. Ab hepatitide autem per septum transuersum maximæ duæ, alia hinc, alia inde, feruntur, sublimes, multifidæ autem per septum transuersum, sunt circum circa illud, & inseruntur supernè per septum. Hæ autem præcipuæ conspicuæ.

CENSERET Iacobus Steue totam hanc dictionem, & quæ mox succedit, historiarum venarum, & neruorum, esse adulterinam, & ab aliquo imperito, aut impostore, huc coniectam: quod narratio non videatur satis distincta & exacta, neque, vt ille putat, vera: atque adeo, quia occurrit hic nomen arteriæ pro arteria leui, cum id nomen non soleat antiquissimis significare nisi asperam, vocenturque illis, arteriæ leues, venæ pulsantes. Ego verò mihi imperari, quæ in Hippocratis operibus repererim, neque aperte falsa, neque omnino indigna, etsi suboscuro, ac fortasse etiam indistinctius tradita, illius esse censere, quia leue est, leuiter auctori denegare (quamquam id sit aliquando necessarium) quæ ex multis seculis sub illius nomine recepta

cepta sint. Maximè quæ vt genuina ab aliis antiquissimis citantur. Velut hic locus citatur, non sine commendatione, a Galeno quibusdam in locis, præcipue autem. 2. de natura humana commentario contextus sexti, vbi ita scripsit. Vna est vastissima vena, quam vocant cauam, per gibbum iecoris tota animantis longitudine porrecta. Dirimit autem septum transuersum inam animantis regionem a supra. Hæc vena caua septum transuersum penetrat, contenditque supra ad cor, infra ad spinam secundum iecoris gibbum peruecta, itaque ex illa quæ supra petit, tanquam caudice, venas supra septum transuersum germinari, apertè cernas, ex altera quæ ad spinam diuertit, inferiores. Horum Hippocrates in 2 morborum vulgarium autor est, vbi iecorariam appellat cauam venam. Hæc etiam confirmant quotquot anatomiam tractauerunt. Hæc Galenus. Itaque eo enarratore, hæc ab Hippocrate scripta sunt, atque adeo quæ Hippocrates hoc loco docet, sunt quæ Galenus verissima, & ab omnibus qui anatomiam tractauerunt confirmata, esse dicit. Esse vnam aut alteram vuculam, additam, detractam aut transpositam, possum adduci, vt credam, ob libri vetustatem, tamen omnino negare esse Hippocratis, negligentiam esse puto, nisi cum id ob maximas causas fit, quæ profecto hic sunt nullæ. Nam & si hæc quæ de venæ distributione dicuntur, dici fortasse possent distinctius & fusius, tamen dicuntur verè. Quod quidem satis est, illo præcipue seculo, quo nondum erat anatomies historia adeò culta. Nam facundiam & elegantiam ab Hippocrate quis requirat? Ego certe nuperrimè hunc locum discipulis meis enarraui, non alicuiquam posita ob oculos vena, factaque coram multis illorum eius dissectione, qua facile intellexerunt quæ docet Hippocrates verissima esse. Hepatitem vocari venam cauam Galenus autor est, quòd ex hepate oritur. Caua autem vena est, non solum qua erumpit ex hepate: sed & in quamcunque partem producat. Itaque tota vena, non pulsans, dicitur hepatitis: arteria dicitur vena pulsans, aut non hepatitis, atque nonnunquam arteria sine addito, plerunque arteria leuis, quia antiquissimi arteriæ nomen tribuebant asperæ. Magnam vertebra hic vocat coxæ articulum. Duo enim articuli

ticali solent Hippocrati magni dici, hic, & qui ex secun-
 da cervicis vertebra fit, quem autem quoque loco intelli-
 gat, descriptione solet explicere: velut libro de ossium
 natura, dicens, Coxa verò magno verticulo, quod iuxta
 os sacrum est, ex ligamento cartilagineo ac nervoso adhe-
 ret. Hic magnum verticulum intelligit, quod in osse sacro.
 Paulo post addit, hinc vsque ad magnum verticulum
 quod supra supernas humeri partes est, è directo gibbo-
 sa est. Hic haud dubiè intelligit secundam cervicis ver-
 tebram, quandoquidem dicit supra supernas humeri par-
 tes est. Velut hoc loco constat significari articulum ossis
 sacri, quandoquidem dicit, in lumbis infernè. Hippo-
 crates quidem hic vnico illo nomine, hepatitis, insinua-
 uit venæ principium, & venarum radicationem hepar es-
 se, ac proinde venas hepate humiliores ab eo descen-
 dere, superiores ab eo ascendere, atquè adeo communem
 superiorum & inferiorum venarum radicem, esse in ipsa
 hepatis parte gibba, quâ exit vena. Ibi diuidit vt in duos
 magnos caules, alterum sursum, alterum deorsum, iuxta
 spinam repentes. Incipiens ergo Hippocrates narratione
 ab hepate, caulem deorsum repentem vocat hepatitisdem
 in lumbis: repentem sursum, vocat hepatitisdem sublimem.
 Et ab inferiori caule incipiens, dicit, hepatitisdem quæ in
 lumbis est, attingere per infernam partem vsque ad os sa-
 crum. Perfecto & vsque ad extremos pedes producit,ur,
 sed quia in osse sacro secatur in duos ramos, deficiente iâ
 caule, in eam vsque partem produci dicitur, quasi non am-
 plius procedat vna existens. Inde (inquit) idest ab ex or-
 tu vsque ad extremum ossis sacri, in ipso osse sacro & lum-
 bis, vertebri spinæ committitur, idest iuxta spinam iacet
 producta. De hac venæ parte hoc tantum dicit, & ad subli-
 mem transgreditur dicens: sublimis per iecur, idest per ie-
 coris gibbam partem, ac per septum transversum in cor
 tendit, & hæc quidem, neq; insumitur in cor, neq; in illud
 intrat, sed præteriens iuxta, & in illius dextrum ventricu-
 lum mittens ramum, recta ad clauiculas ascendit, vbi in
 multos iam ramos secta, vna esse desinit: velut de hepatitis-
 de in lumbis antea dicebatur: abit verò eò loci in venas ir-
 regulares, quæ per cervicem in caput subeunt: quarum quæcū-
 que, duæ venæ deinceps sūt. quarum aliæ internas, aliæ ex-
 ternas

ternas capitis partes adit. Præter has sunt eò loci alia tria paria venarum non tam insignium, quarum alie abeunt ad scapulas nutriendas (quæ venæfacere solent, vt raptum sanguinis in caput, dolor scapularum antecedit) alie eodem loco ortæ deorsum reflectuntur magis, & in vertebrae primas dorsii infumuntur: alie duæ descendentes, vtrinq; vna, à dorsii initio producuntur vsque ad quintam vertebrae dorsii, & mittunt, quæcunq; in suum latus ramulos conspicuos, qui nutriant quatuor spatia intercostalia. Ante autem quam vena hepatis sublimis clauiculas attingat, & vna esse desinat abiens in vnas has, demittit multas alias in via ad nutritionem partium, consistens in via, & è regione posita: velut profecto venas axillares mittit in brachia, quæ incubitis internæ vocantur (harum hinc non meminuit, & si profecto insignes satis sint) atque mox ac cor prætergressa est, mittit per partem dextram venam quæ sine coniuge vocatur, quia ei nulla in sinistra parte respondet. Hæc repit deorsum, incipiens quæ desinunt duæ, quas diximus nutrire quatuor spatia intercostalia, & mittit in septem reliqua spatia binos ramulos, in vtrunque latus, vnum, atque ita sola hæc vena est pro duabus superioribus. Hæc docens Hippocrates dicit, ex sinistris quidem id est in sinistra parte, vna solum vena (intellige reflectitur per spatia intercostalia) & hæc quidem propè clauiculas, ex dextris verò, duæ. Nam vna propè clauiculas; coniux eius quæ ex sinistris, & ad quandam regionem (ad quintam scilicet vertebrae thoracis) alia. Hæc autem paulò inferius reflexa, vnde quidem illa deficit, defertur hæc costis reliquis omnibus, hinc atque inde ramos in quancunque tribuit, vna cum sit, vna scilicet & sine coniuge. Describens rursus hanc eadem venam dicit, à corde quidem ad regionem quandam in dextris magis existens, in ea quæ sub arteria vsque dum delitescat & eò veniat, vnde hepatis eleuari coepit. Id est ab ea parte qua cordis suprema pars est, orta ad regionem quandam procedens per partem dextram, decurrens sub arteria aspera, nam partim later dextra parte arteriæ tecta, partim etiam sub tota arteria, amittit surculos in sinistra spatia, & producit vsque ad eam partem qua vena cava, quam sublimem appellauimus, ex hepate orta, sursum ferri cepit: hic enim finitur: aut si

quid

quid amplius pcedit, extenuatur adeò, vt deliteſcat. Prius autem quam eò perueniat, vnde hepatitis eleuari cœpit, iuxta extremas duas coſtas diuerſa eſt, vt ſcilicet & iuxta ſuperiores, eſt verò hæc vltima diuiſio eius venæ, atq; cū alia hinc, alia inde vertebrarum peruenit, ideſt, cum alia in hanc, alia in illam partem, alia vltra, alia citra vertebraſpina peruenit, euaneſcit. Redit deinde ad hepatitisidē ſublimem dicens, rectā autē à corde (ab ea ſcilicet parte qua vena ſine coniuge orta eſt) ad clauiculam contendens, ſupra arteriam eſt, & ab hac, vt & ad lūbos ſub arteria abit ad hepar, ideſt, à clauicula abit ſub arteria, vt & ad lūbos ſub arteria abit ad hepar. Ita illud ſub arteria repeti debet collatio enim eſt à clauicula venam quæ ferebatur ſupra arteriam fieri ſub arteria, vt & ea quæ eſt in lumbis. Quod vt intelligas, ſcias hic arteriam Vocari venam pullantem: porro per totum corpus ferri venas cum arterijs, utrum per partes extremas, cuiuſmodi ſunt, manus crura, & ceruix, ac tota cutis, venas eſſe exteriores, ſub illis arterias (alioqui non eſſent venæ tam opportunaſectioni) tamen in internis partibus. Atquè intra corporis ventres, thoracem dico, & quod intra peritonæum, venas eſſe interiores arterijs, propiores enim ſunt arteriæ ſpinae, & illis incumbunt venæ. Neceſſe eſt ergo venas & arterias, cum iam iam ſunt ex internis emerſuræ, poſitum mutare, atque eas quæ ſuperſtant, ſubmitti: atqui proſeçto ita fit, iuxta clauiculas vena quæ incumbere arteriæ thorace toto videbatur, ſub arteria fit, atque ita tota ceruice exterior fit quàm arteria. Et vena, quæ, per tota crura fertur exterior quàm arteria, iam ingreſſa ventris regionem ſub arteria eſt, & ad lumbos inſilit in arteriam non per illam recta produçta totius ventris longitudine, ſed tranſuerſim ſuper arteria tendens, tranſiliens in dextram partem quaſi tendens in hepar, partim in portas & fibram, partim in reliquum paruum infra ſeptum, ideſt partim in gibbam & ſublimem eius partem, ex qua hepatitis oritur. Dixit verò, vt hanc hepatitis partem ſignificaret, paruum infra ſeptum, quia ſeptum tranſuerſum adnaſcitur hepati, quod non facile ſepares. Hoc vſque adeo verum eſt, vt ſemper ex macello cum hepate aliquid ſepti tranſuerſi deportetur. His de hepatitis, quæ in lumbis, & de hepatitis partibus,

bus, & septi situ obiter dictis, redit ad hepatitisdem sublimem, dicens, geminæ aliæ a claviculis hinc inde sub pectore in abdomen. Hæ sunt venæ quæ de hepatitisde sublimi, quæ iam separantur venæ, ituræ ab brachia erumpunt in mammas, & repunt exterius per thoracem, & per musculos rectos abdominis, vtrinque vna. Quare illud sub pectus, non dicitur, quod sub osse pectoris feratur (fertur. n. per exteriorem thoracis partem) sed quòd non finita in thorace, sub per illum feratur in abdomen, idest per musculos rectos quòd autem (inquit) inde nondum noui. Non habebat id exactum, neque mirum, nullam enim aliam in partem tendunt, sed ibi cum ascendensibus ex vtero congressæ, coalescunt. Redit rursus ad septi transuersi situm, & hepatitisdis finem, dicens, septum autem infra secundâ vertebram quæ sub costis, quæ ren ex arteria hac circuncingit. Septi figuram & positum oculis contemplari oportet, vt hæc intelligantur. Est quidem musculus figuræ singularis. Nam quasi quædam membrana carnea tenditur, diuidens totum corporis cauum, per medium circuncingens, quæ finis est costarum. Ex illo ergo & costis fit thorax, velut ex eodem & peritonæo, venter. Hoc septum penetrat vena hepatitis a dextra versus sinistram partem sursum tendens circa partem anteriorem, & superior pars ventriculi a sinistra versus dextram obliquè descendens circa medium, & arteria magna quæ a corde recta per spinam descendit. Hæc ergo penetrat septum in postrema parte iuxta spinam, quæ illud spinæ alligatur. Hoc est ad vltimam thoracis vertebram & primam lumborum. Quæ vt significet, dicit, septum, circuncingit, hoc verbo innuens illius positum, infra iuxta vertebram, quæ sub costis, i. alligatum vertebræ vltimæ thoracis: atqui reuera alligatur vndecimæ & duodecimæ. Describit verò hanc partem alijs notis, dicēs, quæ ren ex arteria. Nimirum illo loco erumpit, vt dixi, magna arteria, ex thorace in ventrem descendens: atquæ ex ea, in ipso egressu, recipiunt renes arterias. Ergo alligatur septum spinæ, quæ ren pendet ex arteria. Quia scilicet procedunt inde ad renes duæ arteriæ. Eodem ferè in loco, ex vndecima vertebra thoracis, procedunt tendines quidam in quosdam musculos femorum, quibus magna arteria, quæ per lumborum vertebra procedit vsque ad os sacrum,

utrinque habens unum, firmitudinis gratia alligatur, atque adeo, & quæ tendunt in renes. Hoc ut insinuet, dicit, arteriæ ex tendine nascuntur. Non nascuntur profecto arteriæ ex tendine, sed eodem loco ex magna arteria nascuntur, quæ magna arteria erumpit e thorace, & quæ tendines nascuntur ex vertebra. Itaque dicit arteriæ ex tendine nascuntur, habentes hinc inde arteriæ, idest ab utraque parte arteriæ magnæ tonum (hos ipsos tendines vocat hic tonos) hic iam tandem (inquit) finitur, quæ recurrit a corde hepatis, idest vena sine coniuge. Sed quomodo finitur quæ septum transversum alligatur spinæ, si verè antea dictum erat, eam produci vsque dum perueniat eò, unde hepatis eleuari cœpit? Nam hepar infra septum transversum est? Certè vena sine coniuge quodammodo finitur in ultimo spatio intercostali, quia ibi mittendi in utrumque latus furculos finem facit, quodammodo etiam attingit vsque ad eam partem quæ hepatis eleuari cœpit, quia ad eam vsque, ac fortasse etiam aliquanto plus procedit, quidam gracilis illius venæ finis, ut cauda quædam muris evanescens. Non est tamen prima productio quæ ex hepate sublimi fit, vena sine coniuge. Nam contra hepatis penetrat septum, mittit per illius supernam partem duas venas satis magnas, aliam hinc aliam inde, quæ per supernam septi partem multifidæ, per illud feruntur, & inferuntur supernè, toto septo alimentum præstantes. Hic finem ponit narrationi venarum, dicens, hæc autem præcipuè conspicuæ, quod aut de his ultimis quæ nutriunt septum intelligi potest (dixerat enim eas esse maximas) aut de omnibus dictis; quasi non sint expositæ venæ omnes, sed quæ præcipuè conspicuæ. Non possumus negare multas venas non ignobiles, omittas in hac narratione esse. Nam venientium ad brachia nulla est facta mentio, neque venarum emulgentium, neque genitalium, neque venæ arterialis, tamen non proinde quæ dicta sunt, non sint dicta verè, neque pro antiquissimo illo seculo; parùm exactè.

Duo autem tona a cerebro sub os mani verticuli descendunt, & ad stomachum præcipuè utrinque arteria procedunt, uterque in se ipsum incidens, vni similis, deinde de vertebra & septum transversum coalescunt. Hic finitur.

niuntur, & quidam dubij ad hepar & lienem, ab hac
 communione tendere videntur. Alius tonus ex verte-
 bris que vtrinque iuxta spinam, tenditur oblique verte-
 brarum, & costis distribuitur, vt veng ita hi per septum
 transuersum in mesenterium, mihi, videntur tende-
 re, in his verò deficiunt. Rursus autem vbi septum
 transuersum cohesit, hinc continui existentes iuxta me-
 dium sub arteria, reliquum vt venæ, uertebis distribuunt,
 vsque dum absumentur, cum ad sacrum os peruenerint.

EXIGVVM quiddam docet Hippocrates de neruorū
 historia, mittitque dicere multo plura: neque quidem quæ
 dicit satis exponit: nontamen proinde non sunt hæc ve-
 rissima. Velut nuper non narrauit historiam venarum
 omnium, atque externarum nullam mentionem fecit, ita
 nunc non omnes neruos neque eos qui in proximas ex
 quadam spinæ parte procedunt, velut persequi, sed eos qui
 in multas partes, quasi multis communes, per interna defe-
 runt. Hi sunt tantum duo, sextum par ortorum ex cere-
 bro, & quartum ortorum ex ceruice. Quanquam sextum
 cerebri par, recipit tantam accessionem ex septimo, &
 quintum ceruicis, ex quarto & sexto & septimo, vt
 contingat dubitare, sexto, an septimo cerebri, & quin-
 to ceruicis, an aliorum alicui, tribuenda sit illa distributio.
 Quin & qui ex cerebro veniunt, ex his qui ex ceruice, ac-
 cessionem accipiunt, & hi ex illis, vt quocunque eorum al-
 terutri ferantur, videantur quodammodo ferri vtrique: ta-
 men singulis in proprias fibras sectis, & re ita explorata,
 constat eos qui ex ceruice veniunt, ferri in medium septi
 transuersi, deferentes illi motum, atque in illud multifari-
 am distribui, ibique finiri, eos verò qui ex cerebro ve-
 niunt, cum primùm attingunt supremam thoracis partem,
 portionem quandam mittere ad radices costarum sub mē-
 brana succingente costas, in initio quidem exiguam excur-
 rentem verò per totum thoracem deorsum, & ex neruulis
 venientibus a vertebis, in singulis spatijs intercostalibus,
 recipientem accessionem, & hanc quidem neruorum por-
 tionem, penetrare in ventrem cum arteria, ea parte quæ
 R 2 septum

septum vertebrais alligari diximus, atque furculos mittere, in primis in ipsum septum, deinde & in omnes ferè partes infra septum positas: nam in fundum ventriculi, & omentum, & crassa intestina, quin & in tenuia, iecur, lienem, & vesicam fellis, atque & adeò & in genitalia: aliam porro portionem dictam maiorem, per internum cauum thoracis procedere, ex qua fiunt nerui, qui vocantur recurrentes, & furculi mittuntur in pulmonem & pericardium, & quod eius, post has distributiones, superest (est verò id satis multum) infumitur in os ventriculi. Totam hanc historiã narrat Hippocrates quanquam non satis distincte. Duo (inquit) toni, idest duo nerui motus, veniunt a cerebro sub os magni verticuli. Os magni verticuli vocat hic secundam vertebraem ceruicis. Sed quo pacto duo illi nerui veniunt a cerebro, & sub os magni verticuli: certe duo nerui, sunt duo illa neruorum paria quæ dicta sunt, sextæ coniugationis cerebri, & quintæ ceruicis. Aliud nascitur ex cerebro, aliud sub os magni verticuli, & vtrunque fertur deorsum. Itaque legendum videtur, duo autem toni, a cerebro & sub os magni verticuli, deorsum. Narrans deinde, quo tendant, dicit, & ad stomachum (idest ad os ventriculi) præcipue vtrinque arteriæ (asperæ scilicet) procedunt. Hi sunt rami sextæ coniugationis qui per thoracis cauum feruntur, quorum pars sunt nerui recurrentes, vterque (inquit) in se ipsum incidens vni similis. Tria videntur significare posse hæc verba, aut vtrunque cum altero coalescere multis locis, eum inquam qui ex cerebro & qui sub os magni verticuli, & conflare vnum neruum, quasi eodem in seipsum per partes incidente: aut vtrunque eorum neruorum qui a sexta coniugatione vtrinque arteriæ feruntur in stomachum præcipue, antequam eo peruenerit, recurrere, quasi in se ipsum incidentem, quodammodo vnum, quodammodo duos factum: aut hos eosdem neruos cum os ventriculi attigerint, ita congregari, vt vtrisque in se ipsos incidentibus & complicatis, vni similis fiat. Deinde vertebra & septum transuersum coalescunt (vbi antea dictum est) hic finiuntur. Qui hic finiuntur, sunt nerui dicti sextæ coniugationis, & nerui qui nascuntur sub osse magni verticuli, qui nerui septi transuersi vocantur, quia in medium illius incidentes motu illi præstant. Et quidam dubij (neruuli scili-

scilicet) ab hac communione (idest ab hoc loco quo septum & vertebræ coalescunt) ad hepar & lienem tendere videntur. Certe quædam reliquæ exiguæ neruorum oris ventriculi insunt in cauum hepatis. In lienem hinc non apparet quid feratur, sed ille proinde dicit, dubij. Alius (Inquit) tonus ex vertebris quæ vtrinque, iuxta spinam tenditur oblique vertebrarum, idest alius nervus (hic est pars sextæ coniugationis, quæ sub membrana succingente costas repit) per vertebras, quæ vtroque, & supra septum & infra septum sunt, tenditur iuxta spinam, nõ per medias ipsas vertebras, sed oblique vertebrarum (liceat vti hoc græcismo) hoc est deflecentes non nihil a vertebris, & per thoracem, distribuitur costis, & vt venæ (inquit) ita hi nerui (quod nunc dicit alius tonus, nunc hi, nihil refert, nam est vnus vtroque in latere) per septum transuersum in mesenterium mihi videntur tendere, & in his, hoc est partibus mesenterij, deficiunt. Rursus autem vbi septum transuersum cohæsit hinc cõtinui existentes. Hoc dicit Hippocrates secundum ipsam rationem administrationis anatomicæ. Nimirum, licet neruum illum, qui sub membrana costarum descendit per septum transuersum, consecrari, persequi quæ surculos, quos demittit ad omentum & mesenterium, eisque ibi finitis, redire rursus, in eã partem, qua septum transuersum cohæsit vertebris, vbi videntur nerui continui existentes, nimirum rami ex eodem caule, inde ferri iuxta medium corporis, sub arteria magna quæ illac descendit, & reliquum, quod superest ex sexta coniugatione, varie distribuunt vertebris, vt venæ. Nimirum vt vena caua quæ illac etiam repit, demittit ramulos in proximas quasque partes, ita illi neruuli. Sed quod dicit distribuere vertebris, iuxta veritatem non satis exacte dicitur. Nam ex singulis vertebris nascuntur neruuli qui coalescunt cum surculis, quos illi nerui demittunt, quare non magis tribuunt vertebris, quàm ex illis accipiunt. Sed dicitur hoc, vt monui, secundum administrationem, ad quam nihil interest, nerui hi tribuant vertebris, an accipiant ex vertebris, modo dissector videat surculos ex dictis neruis demissos, ire in vertebras. Atqui ita fit, vsque dum absumantur, cum ad sacrum os peruenerint. Nam si quid

genitalibus ex hac coniugatione tribuitur, id quoque sub sacro osse est. Itaque horum neruulorum historia, etsi non satis exactè, verè tamen Hippocrati narrata est. Quod tamen sæpe dicere soleo, nunc non omittam, partium historiam a nullo autore petendam esse, sed oculorum intuitu inuestigandam. Nam citra hunc, sola lectione nihil certi consequi possis.

3 **I**N Aeno leguminū esu continenter vtentes, fœmina & viri, crurum impotentes fiebant, & ad finem vsque perstiterunt. Verùm orobum comedentes, dolentes genua.

HÆC eadem sententia eisdem omnino verbis sexto lib. sectione 4 scripta occurret, quamquam fortasse perperam interposita illo loco est, hic solum ab Hippocrate scripta. Galenus enim nullam illius mentionem facit in eius libri commentarijs. Sed vt eunque hoc habeat, morbosa hæc constitutio facta est, quòd homines multo leguminū esu essent vsi per famem, hoc est, anoniæ caritatem, vt dicit Galenus in commen. apho. 16. particula. 3. in quo, vt alijs multis in locis, hanc citat historiam. Accidit verò id in Aeno vrbe Thraciæ, regionis sterilis admodum & frigida, vt vel hac ratione magis, accidere fuerit consentanea. Quod fœminas & viros laborasse dicit, videtur insinuare fuisse morbum epidemiale, talem enim esse dicimus, eique vtriusque sexus & omnis ætatis homines apprehendit, tamen quòd non in acre causam esse dicit, sed in prauis cibis, alia ex parte non videtur epidemialis. Si enim illi solum tali morbi genere tentati sunt, qui leguminibus sunt vsi, non fuit epidemialis. Fieri autem potuit, vt incipiente a malo victu morbo, in aerem infectio serperet, essetque ita epidemialis, & ægrotarent ob communem esum leguminum, qui nunquam legumina gustassent, ita vt fit. Sæpe enim pestis grassatur in vrbe, cuius causa prima non fuerit communis, sed peculiaris aliqua, vt vestis, aut lectus, aut cibus: Proximam verò, iam cum epidemialis morbus est, necesse est communem esse causam. Ita fieri potuit in Aeno. Incepit tamen malum ab esu leguminum, & maxima

xima ex parte tentati fuerint tali morbo, leguminum esu
 vtentes continenter. Non enim profecto qui aliquando
 fortasse, ac cum reliquis cibis condita, vt solent, legumina
 gustassent, sed qui eis in præcipuis cibis vterentur semper,
 aliorum penuria. Hi verò merito ægrotarunt. Nam vt Hip
 pocrates ipse lib. de rat victus in acutis dicit, legumina om
 nia flatuosa sunt, & cruda, & fricta, & macerata, & viridia.
 His autem vtendum non est nisi cum cibis. Vnumquod
 que verò ex ipsis sua peculiaria vitia habet. Galenus
 etiam libris de cibis boni & mali succi, legumina in ci
 bis mali succi ponit, adeo vt paucis nominatis, di
 cat, cæteris homines non vesci, nisi fame & rerum in
 opia præmantur, velut scilicet hi qui in Aeno. Habent
 itaque legumina, omnia multa communia vitia, vnum
 quodque verò ex ipsis sua peculiaria velut nunc omnibus
 leguminibus vtentibus crura sunt debilitata, vtentibus er
 no doluerunt præterea genua: & hæc quidem non per ip
 sas putridas & malignas febres, quibus consentaneum est
 fuisse correptos in initio mali (quod & lib. 4. huius operis
 dicitur, vbi de hac tempestate aliquanto plura, et si bre
 uissimè etiam, scribentur) sed postea etiam per totam vi
 tam, crurum vitia perseverabant. Quia, arbitror, ex legu
 minibus multum prauis & crassis succi colligebatur. Atqui
 quod crassum in crura paulatim subsidet. Hinc sunt varice
 s, elephantæ, cancri, sine vlcere aut cum vlcere, hinc atrophie
 crurum, quia vbi multum mali, exiguum
 est utilis succi, & id quod est, a prauo, nonnunquam prohi
 betur affigi. Hinc etiam fit, vt nervi crurum ab humori
 bus crassis occupati, nonnunquam resoluantur. Eruum
 præterea habet insignem vim siccandi, & partes acres, v
 que adeo vt ne bobus quidem detur sine magna præpara
 tione, vt Gal. lib. de alimen. facultate cap. 39. docet. Potue
 rit, ergo siccare ligamenta articuli genu, ac facere male fle
 xilia, vt, cum flecterentur, dolerent, atque eius acres par
 tes, in altum articuli collectæ, dolorem mouerint. A ta
 libus autem succis, tam crassis inquam & contumacibus,
 paulatim factæ infirmitates, non poterant non tota vi
 ta durare.

4 **C**urandum iram inferre, & reuocandi coloris causa, & effusionis succorum, & letitiam, & timorem, & huiusmodi, atque si aliud corpus simul ægrotet, simul curare, si autem non, hoc.

Quandoquidem ira, gaudium, timor, & huiusmodi passionēs, animi sunt non solius, sed communes cum corpore, vsque adeo vt ex motione sanguinis & spirituum definitiones physicas & materiales habeant, constat esse eas alterantes nostra corpora, vsque adeo, vt quædam illarū sint caloricæ, quædam refrigeratoriæ causæ: id quod ex differentijs quas pulsibus afferunt, manifestum fiet. Quod si alterare nostra corpora possunt, possint esse causæ salutare, possintque sanare, cum contigerit, ea teneri morbo contrario affectioni, quam naturæ sunt afferre. Vel hoc solo argumento, quod possint morbos quosdam gignere, possint a contrarijs liberare. Vti ergo potest medicus omnibus animi motibus in curatione morborum. Utatur verò singulis opportunè, & ad quosdam morbos, aut quibusdam occasionibus. Utimur motibus quibusuis, nunc ob communes causas: nunc ob proprias. Communes appello, eas quæ non nascuntur ex morbi natura, sed alijs rebus aduentitijs, quæ quidem in alijs etiam morbis fieri possent. Vt cōsuspicamur aliquem assistētium noxium esse ægroto, & suademus ægroto vt eum arceat, si non possumus aliter, et curantes vt in eum irascatur. Aut cum timidum esse suæ naturæ ægrotum videmus, aut timere nunc morbi periculum, vsque adeo vt debilitetur, animum facimus, suadescentes nihil periculi in malo esse: contra cum non vult ægrotus nobis obedire, timorem incutimus, grāuia comminantes. Si videmus tristem esse, exhilaramus. Hæc verò communia sunt. Propria autem, per morbos frigidos ad iram prouocare, vt pote ira caloris existente causa. Nam vt. 6. lib. epidem. sectio. 5. dicitur, ira trahit in caput calidum & humidum. Feruet enim per eam passionem sanguis circa cor, proinde calefcunt thorax & caput, replenturque sanguine feruente, vt feruore redundat in olla succus. Simul etiam cum præcipuis partibus calefcit totus habitus corporis. Ergo cum friget multum corpus, redundatque cru-

dis,

dis, & calor, vt ignis sub viridibus lignis, periclitatur suffocari, quod color cutis albidus & intermortuus prodit, nō ab re erit, ad iram prouocare crebrō hominem. Ita enim funditur sanguis & reuocatur color, pariterque viuificatur calidum naturale, & expeditur ab obruentibus fuliginibus. Potestque esse vsus iræ, & in reductione corporum morbidorum, & in curatione ægrotantium. Lætitia vtitur, vt proprio eorum medicamine, per morbos melancholicos. Nam metus & mœstitia sunt symptomata propria talium morborum, læduntque duobus modis, & debilitantia virtutem, & conseruantia augentiaque rursus morbum, a quo nata sunt. Si enim multi occasione aliqua correpti metu & mœstitia, cumque hæc passiones multum perseuerarent, melancholici euaserunt, poterunt eadem præsentem seruare & augere. Igitur tollere tristitiam (quod est lætitiã inferre) est curatio legitima, quia ex causæ seruantis sublacione, estque symptomatum facultatem debilitantium sublacio. Timore curantur etiam infani, quia metus facit vt mens sese colligat, & ad sapiëntiam redeat. Timore etiam repentino curatur singultus, quia territi continent spiritum, spiritus autem detentione singultus tollitur. Quin & quartanam febrem vidi, timore hora paroxysmi superueniente sublata, non amplius redisse, & multi alij testificantur. Id verò fit, quia timore cietur alius succorum impetus vehementior motu paroxysmi, atque ita natura obliuiscitur motus illius consueti. Accedit, timore turbari ventrem non rarò, deponique ita feces, cum ex toto corpore, tum vel maxime ex liene. Itaque non rarò vtendum est motibus animi, vt proprijs morborum auxilijs. Nunquam tamen omittenda sunt alia auxilia, si morbus aliud auxilium exigat ratione sui, aut causæ, aut corpus alio morbo teneatur, præter id quod petierat animi motum: aut ipse motus animi, dum vnam curat, aliam passionem intulerit. Velut si sublata aliqua ex parte videatur infania, aut quartana febris, timore, non est proinde omittenda expurgatio melancholiæ, atque si timor ob singultum illatus, deliquium fecerit, deliquium curare. Si quartana febre simul cum obstructione laborat homo, & timor quartanam substulerit, lienem proprijs auxilijs molliere,

lire, & aperire. Itaque si reliquum corpus ægrotet simul, simul curare: sin minus, id est si non sit affectio alia, nequè alia curationis indicatio, hoc, id est hoc solum facere sic factis. Vt si solo singulu ob flatum in ore ventriculi laboret, solus timor est satis.

- 5 **S**Tymargi famula Idumæa erat, cum peperisset filiam, os uteri contortum est, & in coxam & crus dolor. Liberata est iuxta talum secta vena, etiam si tremores secundum corpus eam tenebant. Sed ad occasionem oportet venire, & occasionis initium.

FILIARVM partus solere esse difficiliore, dictum antea est sæpe. Huic dolorem ad coxam & crus faciebat, os uteri plenitudine contortum, & proinde præmens nervos, qui rectâ eunt ad crus eius lateris: ita scilicet ut sit cû lapide laborat ren, videbatur huic non mittens sanguis, ut neq; alijs q̄ p̄focatione cû uteri peruersione, aut retractione laborant, q̄ ea passio frigida est, sanguinis verò missio auxiliû refrigeratoriû, maximè cû tremores frigus, aut debilitatè, aut utrûque indicarent. Id dico, q̄ si cõcussiones cû rigore vocat tremores, passio calidi innati est, sin aut veros tremores, est facultatis motricis impotentia. Nihilominus secuit Hippocr. venam, quia oportet ad occasionem, & occasionis principium venire. Nimirum, ut cognitio incipit a postremis, hoc est a symptomatis, ab ijsque procedit ad affectus essentias, & ad causas, proximas primum, deinde remotas vsque ad primas, ita curatio incipere debet ab indicationibus causarum, primarum primum, mox proximarum, deinde affectus, tandem symptomatum, si quæ sunt, quæ non tollantur simul cum morbo. Hoc ut significet, dicit, veniendum ad occasionem, & occasionis principium, id est, per causas vsque ad primam. Nam occasio, est causa procatartica, quæ prior est antecedente, & in ipsis procatartice, sunt aliæ ante alias. Oportet verò venire ad omnium primam, quia etsi procatartice quæ recesserunt, curatoriam indicationem non habeant per se, præstant tamen multum ad cognitionem affectus, & causarum internarum, quas habent. Oportet ergo in curatione, rationem

tionem habere prius causæ quàm affectus. Velut in hac, secta est vena, quia etsi esset frigida affectio ac cum debilitate, tamen erat ex exigua purgatione partus, quod ex ipsis symptomatis palam fit, & Galenus libro de rigore tremore & palpitatione dicit. Fieri verò ex hac occasione, indicabat frigidam passionem ex accidenti factam esse. Nam sanguis per se calorem magis natus erat facere. Si ergo erat affectio ex accidenti frigida, auxilio indigebat ex accidenti calido, cuiusmodi est missio sanguinis. Est etenim per se auxilium refrigeratorium, aliquando verò per accidens calfacit, cum refrigeratio multitudine obruente erat facta. Atqui debilitas ex euacuatione suppressione, non in essentia, sed per aggrauationem esse cognoscebatur, hanc verò tollit euacuatio. Quod si mittendus erat sanguis, profecto ex talo eiusdem lateris. Quia id exigit ratio rectitudinis.

Sectio quinta.

Qicumque rufi sunt, & acuto naso, ac paruis oculis, prauis: qui vero ruffi, simi, & magnis oculis, boni.

HÆC sententia & aliæ quædam huius libri, spectant ad physiognomiam, quam philosophiæ partem, non esse inanem probat Arist. multis argumentis, in libro cui Physiognomicâ, titulus est. Gale. quoque libello quod animi mores corporis temperaturam sequuntur, multa physiognomica docet, cum ex illo libello, tum vel maxime ex. 1. de historia animalium. Esse autem physiognomiam, manifestum est, quia norunt venatores bonos canes & venationi idoneos ex corporum formatione dignoscere, & equites agnoscunt solo intuitu generosos equos. Si ergo belluæ notis corporeis agnosci pnt, possint & homines, cum præcipue illis colorum, & formæ totius longè maior differentia fit, quam alicui alij animantium generi. Sed & rone constare potest. Si. n. animi mores corporis temperaturam sequuntur,

quantur, vt Gal. toto illo libello confirmauit, & compositio idonea instrumentorum sequitur cuiusque mores & temperaturam, vt septimo cap. illius libelli de sententia Aristo. dicit Gal. constat ex forma externa posse ingenium & mores coniectari. Hoc verò est physiognomiæ, videlicet ex naturalibus notis agnoscere, quæ intra hominem, ad animam pertinentia, delitescunt. Sequi mores hominum & ingenia temperaturam, constat, quia cibus & potibus, morbo & langore, & ætate, & mutatione temporum, videmus eiusdem hominis mores sæpe mutatos. Constat verò hæc mutare corpus, manente anima eadem. Præterea regionis differentia facit ad differentiam ingenij & morum, quod exemplo Europeorum & Asianorum docet Hippocrates libello de aere locis & aquis. Constat verò id ad differentiam temperamentum regionum referri, quæ non aliter, quàm corpora aliter afficiendo possunt mores permutare. Præterea, humores multum præstant ad mores, vt 1. de natu. huma. comm. 39. Gal. docet, humores verò rationem quandam habent ad temperamenta. Sed præter dicta constat quod dicitur, quia virtutes & vitia, vt Arist. docet de sententia Platonis, quæ Galen. maximè placet, sunt in tribus animæ partibus, aut earum aliqua, rationali inquam, irascibili, aut concupiscibili, quæ in tribus præcipuis membris sedem habent, rationalis in cerebro, irascibilis in corde, concupiscibilis in hepate. Prudentia ergo est in rationali, fortitudo in irascibili, temperantia in concupiscibili, iustitia in omnibus. Igitur mutatis membris, mutantur potentia illæ, aut partes animæ, ac cum illis virtutes & vitia. Præterea si quæ pars est animæ propria, & non communis cum instrumento corporeo, ea est mens seu intellectus: si igitur mens perturbari potest, aut lædi per corporeas passiones, vt certè potest, quandoquidem vino & phrenitide, constat omnia quæ ad ingenium & mores spectant, posse cum corporis temperie permutari. Sed & cum his mutari instrumentorum formatione, ac proinde externam corporis speciem, constat. Quia animalium cuique dedit natura compositionem maximè accommodatam illius moribus, nam audacibus dedit cornua, rapacibus unguis, timida inermia fecit, sed ad velocitatem comparata. Igitur & in singulis cuiusque speciei
ita

ita fecerit, dederitque cuiusque moribus accommodatum corpus, simileque eius animalis corpori, cuius mores maxime imitetur. Atqui stulte, nisi ita, faceret. Velut si quis sutori fabrilia instrumenta, & fabro sutoria tribueret. Si igitur temperamentum facit ad mores & ad compositionem & compositio etiam ad mores, poterit significare forma exterior mores & morbos. Dico autem mores, non qui sunt (nam hos educatio, & doctrina, & Dei gratia, solet mutare) sed ad quos propensus natura, quisque fit. Morbos dico, quos natus quisque habere fit. Si enim in vinculo animæ & corporis hæc pedia principium habet, poterunt eisdem signis præsentiri morbi animi & corporis: constatque iam hinc, quo pacto physionomica doctrina ad medicinam referatur. Versantur physionomi circa naturalia apparatus, indeque capiunt notas, ut circa partes omnes, & particulas, earum figuram & colorem: circa voces, ut quod gracilem habeant aut crassam, & motus, ut quod oculi nictent, aut non: & mores apparentes, ut quod tristes sentiatur aut hilares. Argumentantur cuiusque notæ significationem, relatione ad alia animalia. Velut oculos magnos rotundos & eminentes, bouinos mores, & ingenium significare docet Arist. i. de historia animalium, cupiditates scilicet & hebilitudinem, quia tales oculi bobus sunt: & relatione ad alios homines, velut molles carne, mansuetos etiam esse & prudentes, quia tales sunt Asiatici: aut relatione ad passionem, ut nares secundum pinnas ualde apertas, iracundi esse, quia irati solent nares ita aperire: & relatione ad alias ætates, ut caluities significat senilem maturitatem & prudentiam, quia senibus solet accidere. Est alia ratio argumentandi, ex obseruatione morum, ut quibus aures arrectæ, loquaces sunt, quia tales esse solent, qui eiusmodi. Sunt duæ alie rationes philosophicæ, & potiores: relatione ad causam. Ut magnitudo partium præcipuarum & viarum, bonos mores quia significant robur facultatis: plerumque autem meliora, quæ fortia & virilia; deteriora, quæ debilia & muliebria: alia ratio est ex quibusdam, quibus aliud necessario succedat, uelut si tristem & iracundum necesse est esse inuidum, si notæ tristitiæ & iracundiæ sint, & si non sint notæ inuidiæ, iudicabitur indus esse. Obseruandum verò in hac parte est, ut in alia omni prudenti conie-

coniectura. ne communia signa pro proprijs capiantur, vt si quis leoninum signum vocet, qđ non minus fit in equo, aut morem leoninum, quem habeant æquè alia animalia: præterea, ne cum multa signa sint, vni soli credatur, aut ambiguo, sine alijs quę possint significationem ambiguum certam facere. Velut nunc dicit, rufos bonos esse & malos, sed distinguit ex adiunctis. Color rufus capillorum mediocris est, inter eos qui frigiditatem temperamenti significant, & eos qui calorem. Proinde rufi temperie mediocri sunt, atque ingenio acuto, tales autem non norunt esse mediocres moribus, sed aut probi aut nequam, vt in hæc aut illa studia incumbunt. Præterea rufus color capillorum, videtur fieri posse ob mediocritatem temperamenti, aut ob mixtionem contrariorum excrementorum, quæ quidem ex mixtione contrariorum succorum, & contrariorum principiorum, ortum trahat. Mediocritas faciet ad probos mores, mixtio contrariorum ad perfidiam, itaque his rationibus videtur, vtriusque contrarij nota rufus color. Quin & in sacris literis celebrantur duo rufi, Esau & David, quorum alterum odio habuit Deus, alterum secundum cor suum esse pronunciauit. Rufi itaque, & boni & mali sint. Bonitas quidem non est vna aliqua virtus singularis, sed in omnibus consistit. Definitur autem bonitas præcipuè beneuolentia, & inuidiæ vacuitate. Nam qui omnibus bene vult, nulli vnquam iniurius esse poterit, sed quo ad fieri poterit, omnibus utilis, & in bonum dirigit semper consilia, & operabitur, atque proinde Plato proprium bonitatis esse putauit, nulli inuidere: eritque contrarij, omnibus male velle, & facere. Sed cum rufus color vtriusque possit esse nota, accedente naso acuto, id est angusto, & ad extremitatem in acumen desinente, & oculis paruis, prauos significabit: accedentibus naso simo, & magnis oculis, bonos. Mimirum vt Aristo. in physiognomico docet, nasus amplius, & latis vijs, qualem quidem nunc simum vocat, significat magnanimos, & audaces homines, quia refertur ad leones, atque quia cerebrum & thorax facilius ventilantur & expurgantur, quare minus virgeatur fuliginibus, suntque animosi, qui *θυμώδεις* dicuntur græcis, non iracundi, qui *δρακόνες*. Magni etiam oculi, maioris facultatis formatricis in cerebro (quia orta acceduntur

stantur principijs) & naturalis caloris plus: acutus nasus, & exigui oculi, contraria. Omnia autem quæ magnanimitatem & robur significant, sunt probitatis, quæ pusillanimitatem & debilitatem, improbitatis signa. Quia ut Cicero in officijs dicit, iniuria nascitur ex timore. Quare minimè sunt perfidi, aut iniurij, qui minimè timidi. Cæterum neque simum quod in naso commendat, est qualecunque, neque magnum in oculis. Qui enim valde simi sunt, ut angusti sint narium pori, neque bene ventilantur, neque absunt ab omni nequitia, quia sunt valde falaces, referuntur enim ad ceruos: sed simum nasum vocat, amplum, non valde pressum. Oculos magnos rotundos & prominentes Aristoteles vituperat. 1. de historia animalium. Boni ergo sunt qui magni, angulati satis, & mediocriter demissi. Tales ergo sunt boni. Exigui verò mali, maximè si exigui, simul & caui admodum, sint.

H *Hydropici charopi & calui fuerint.*

PUTARI possit hæc etiam snia ad physiognomiã pertinere, ut prior, & quæ mox sequitur, quia dictum nuper est significari talibus signis, ut mores, ita & morbos. Itaque putetur nunc dicere, charopos & caluos, paratos esse ad hydropem. Mihi tamen id non videtur admodum consentaneum. Nam charopus color significat temperamentum calidum & siccum, caluitium siccum: hydrops verò nata est fieri ex frigore & humore. quod vero soleat siccitas partium per atrophyam succedere hydropi, nihil facit. Nam temperamentum cui morbus aliquis est familiaris, non est simile ei quod ex accidenti succedit morbo, sed naturæ quam habet morbus a principio. Proinde censeo hæc sententiosam, pertinere ad prognosticam medicinæ partem, significareq; hydropicos solere, pcedente malo, fieri charopos & caluos. Cû aut charopos dicit, intelligit glaucos abutens nosse, velut èt in cælee tertix sectionis tertij epidemii, enarratore Galeno. Nimirum illic Hippocrates describens tempestatem quandam hydropicorum tabescentium, dicit forma tabidorum erat leuis, subalbida, lentis colorem

lorem referens, subrubra, & charopa, pituita alba referti. Galenus in commen. dicit, hydropicis non posse fieri charopos oculos, hos enim esse leoninos, ac proinde calorem & siccitatem referentes, fieri tamen illis glaucos, abscedente in oculos pituita, atque adeo consentaneum esse Hippocratem ab usum nomine, dixisse charopos pro glaucis. Est autem huic enarrationi admodum consentaneum, quod aniculæ cuidam hydropicæ glaucos oculos factos esse narrat. 4. epidemiom. Hoc verò facit pituita, quæ in hydropicis redundat, quæ cum putrida & salsa sit, radices capillorum corrumpens, ophyas, & alopecias, & caluitium infert. Tametsi caluitij nomen propriè non dicitur, nisi de naturali capillorum defectu, qui ob naturalem siccitatè, aut senectutem fit, transfertur tamen etiam nomen ad id defluuium quod corruptione pilorum supra frontem fit. Sole re autem fieri redundatia pituitæ defluuia capillorum, aut canitiem intempestiuam cum oculorum glaucescencia, experimento didicimus. Fieri itaque possint hydropici calui præter naturam, tamen secundum naturam calui non fuerint, parati ad hydropem. Neque sanè glauci & calui esse naturaliter possint, cum alterum humiditatis, alterum siccitatis sit. Quare & si glauci pro charopis intelligantur, non potest esse hæc sententia physiognomonica, sed prognostica, ut explicatum est.

3 **V**ocis gracilitatem soluit varix ad sinistrum & dextrum (testem) absque horum altero fieri non potest, ut soluatur.

GRACILITAS vocis fit, aut ob angustiam asperæ arteriæ, quam vocant λεπτοφωνίην græcè, aut ob debilitatem musculorum vocis, quam vocant χροφωνίην. Quo nomine hic utitur Hippocrates. Pueris vsque ad pubertatem est vox gracilis, debiles enim sunt vocales in pueris, ut alij musculi, ob humiditatem temperamenti, & arteria est gracilis vsque ad eam ætatem. Quibus ex testibus semen effunditur, siccantur partes, præcipuè autem vocales, propter eam communionem, quæ est inter vocalia & genitalia quam in sectione huius libri 2. celebravit Hippocrates. Firmatur ergo musculi vocales, & hac causa, & quia procedit arteriæ

arteriæ incrementum, mutatur vox in crassiorem. Quibus verò testes percinduntur, manet musculorum humiditas, & cessat subtractione caloris dilatatio arteriæ, & ita gracilitas vocis perseverat. Ut igitur puerilis vocis gracilitas tumescentibus semine testiculis tollitur, ita quæ per debilitatem ex morbo contingit, soluitur varicibus in testem utrunque. Non enim ut tussim solui diximus sectione. i. tumore facto in alterutro testiculorum, ita vocis gracilitatē putandum est: sed factis in utroque varicibus. Nimirum tussis plerunque fit ob succos in altera thoracis parte impectos, gracilitas ob debilitatem musculorum omnium. Proinde dicit, absque horum altero fieri non potest, ut solvatur.

4 **M**agni, calui, balbi, gracili voce præditi, boni.

NON dicit Hippocrates hos omnes magnos inquam, & caluos, & balbos, & gracili voce præditos, esse bonos: sed eos qui omnia hæc habeant, qui scilicet simul magni, calui, balbi, & gracili voce præditi sint. Nam quodcunque seorsum nasci possit ex aliqua causa mala: magnitudo, ex materiæ redundantia: caluitium ex siccitate, balbuties & vocis gracilitas, ex debilitate musculorum. Cæterum hæc simul, signum quoddam non exiguum probitatis exhibent: physiognomica causa, quia caluitium refertur ad senes, balbuties & gracilitas vocis refertur ad infantes, itaque ambo simul representant senilem prudentiam cum infantili simplicitate. Præterea est causa naturalis hæc. magnitudo fieri potest ob facultatis robur, aut ob materiæ redundantiam, tamen cum caluitio coniunctam, non est verisimile ex redundantia materiæ esse: cum caluitium siccitatis sit, quæ neque cum multa, neque cum valde humida materia esse possit. Caluitium præterea siccitatem significat, quare per se mores duros & seniles, tamen magnitudo & balbuties ac vocis gracilitas, non ferunt siccitatem esse nimiam, neque quidem caluitium fert humiditatem, quæ balbutiem facit & gracilitatem vocis, esse nimiam, neque pertinere ad cerebrum. Quare horum signorum contra pugnancia, significationem bonam facit. Neque contraria ipsa in extremo possunt consistere, cum in particulis adeo vicinis, & ad eandem corporis partem, puta ad caput, pertinentibus sint.

S

Morbos

5 **M**orbos autem habent balbus, aut caluus, aut gracili voce, aut hirsutus, vehementer atrabiliarios.

NON debent legi hæc coniunctim vt in proxima oratione, sed diuifim, quòd illa particula, aut, quæ femper interponitur, apertè significat. Nimirum eum cui aliquid horum accidit, esse inquam balbum, aut caluum, aut gracili voce, aut hirsutum, paratum esse ad morbos atrabiliarios: non tamen, cui duo aut tria horum, necessario etiam fit talis, sed cui aliquod eorum seorsum. Nam qui simul est caluus & balbus, & gracili voce, accedente magnitudine, bene temperatus ac morigeratus est. Sed hæ notæ seorsum vnaquæque, morbos atrabiliarios significant. Caluitium quidem, & hirsuties, quia vtrumque est ficci temperamenti, quo proinde succi terrei multum colligetur. Sed Caluitium significabit melancholiam naturalem, vt quod ficitatem solam cerebri significet, non etiam calorem aut frigus: hirsuties atram bilem, ob calidum & ficcum temperamentum. Sed balbuties, & gracilis vox, est consideratione dignum, qui possit tales morbos significare, cum pituitosa potius signa esse videantur, & pituitæ substantia tam longe absit à melancholia, vt in illam transire vna mutatione haud possit. Certè Alexander Trallianus, vnã quandam speciem resolutionis esse putat, ex melancholia, quia etsi succus potètia ficcus est, succus tamen cum sit, videtur neruos emollire posse. Adducitur vt id ita putet, quòd nihil magis expertum est, quam melancholicis passionibus laborantes, resolutiones multarum partium pati: atque adeo salua acida abundare solent, & humidis vomitionibus. Ego quidem an ex melancholia fieri possit resolutio, non contendo modo, tamen qui negant, dicent plerosque eorum qui resolutionibus simul & melancholicis morbis tenentur, non ob melancholicum succum vtrorsque pati, sed resolutiones ob pituitam, quæ in melancholicis multa colligitur ob incoctiones. Nam & quartana febre affecti, crebro vomunt pituitam, & melancholici sunt saliuosi, atque pituitosi, & melancholicæ passionibus sæpe concurrunt, non quidem pituitoso

roso homine melancholiam generante (nihil enim minus) sed melancholico pituitam. Itaque balbuties, & gracilis vox, possunt in pituitosis fieri per se, possunt etiam fieri in melancholicis ex accidenti, atque tunc temporis significabunt melancholicos morbos. Itaque non dicit has notas morborum melancholicorum, quod semper fiant in melancholicis hominibus, sed quod possunt, & soleant, quodque in pituitosis aut melancholicis nata sint fieri, & qualis sit is, in quo tales notæ considerantur, ex alijs notis facile iudicari possit. Si enim balbus, simul sit toto corpore albidus, glaber & mollis, & piger, pituitosum esse constabit, & pituitosis morbis obnoxium; si verò quæ pituitosam naturam significant, non adsint, & balbus sit, melancholici morbi merito expectantur. Quædam etiam alia balbuties est, ut in commentatione aphorif. 32. sextæ diximus, quæ iracundum hominem significat, ac proinde biliosum, quod cum alicui valde inest, atrabilarij morbi in iuuentute media fiunt.

6 **Q**ui lingua titubant, & manuum non sunt potentes, necesse est cum hæc solvantur, suppuratos fieri.

E A D E M passio significatur in lingua, atque in manibus, nimirum quod in nervis septimæ conjugationis, deferentibus motum linguæ, facit illius titubationem, hoc idem in nervis è ceruice venientibus ad manus, facit illarum impotentiam, & debilitatem, ac tremorem. Id verò est nervus pituitosis & crassis succis irrigatos esse. Multis igitur, pueris adhuc, accidit, lingua titubare, & manibus tremere, & beneficio temporis curantur paulatim, sine alio malo, ut aliæ omnes pituitosæ passiones. Atqui illud idem fieri possit mutato victu ad ficcius, aut mutata regione, quod cum victu etiam intelligi potest. Tamen quibus citra hæc affatim illa passio tollitur, necesse est, abscessum materię in partem aliam fieri, expectari verò, multo magis debet, ad eam quæ cum primo affecta habeat maximam rectitudinem, & alioqui recipere paratissima sit. Quorum utrunque thoraci inest. Nimirum cum linguæ radice, & ceruice tota, maximam habet rectitudinem, atque ut in-

5 2 de facile

de facile recipiat, facit positus decliuus, & afsiduus thoracis, & pulmonis, motus, quo succum ad sese allicit. Crasso autem succo, ad locum cui exitus expeditus non est, de riuato, necesse sit putrescentiam, & suppurationem fieri, quam qui in thorace habent, dicuntur antonomasticè suppurati. Quidam vbi Hippocrates dicit, *χείρων μὴ ἐνκρατέες* idest manuum impotentes, volunt, etiam inuito autore, pro *χείρων* legi *χειλέων* idest labiorum. Quia fortasse maior vicinia labiorum cum lingua, & maior rectitudo à labijs ad thoracem, quàm à manibus. Sed profecto, si non ipsarum partium ratio habeatur, sed neruorum ad ipsas venientium, vt sane oportet (non enim illæ titubant aut tremunt propter se ipsas, sed ob neruos qui in eas inseruntur) non est minor communio neruorum manuum & linguæ, quàm linguæ & labiorum, neque minor rectitudo in thoracem ab illis, quàm ab his. Ego quo ad possum malo sequi lectionem quam in codicibus, aut omnibus aut optimis reperio, quàm quam quis somniet.

- 7 **D**olorem inferiorum locorū fortis surditas soluit, aut sanguis multus ex naribus, aut mania.

SURDITAS est signum raptus humorū in caput, proinde qua ratione potest eleuare euacuationes per inferna factas, quales sunt diarrhœæ, vt aphor. 28. particulæ. 4. dicit Hippocrates, eadem & dolores partium infernarum, mutata scilicet fursum materia. Atqui materia in superna repens, potest, poros auditorios occupans, surditatem asferre, aut per venas iugulares, recta in nares tendens, effundi, aut occupans cerebrum, facere maniam. Potest etiam facere aliud ex alio, vt post surditatem maniam, cum surditatem in phreniticis signis ponat Hippocrates lib. de iudicatione morborum, & post surditatem fluxum sanguinis de naribus, fluxu soluente surditatem & priorem passionem. Fieri verò hæc obseruantur, vt ex dolore coxæ surditas, ex dolore hæmorrhoidum mania, ex dolore hypochondrij fluxus sanguinis de naribus.

- 8 **S**i puerperis spasmus fiat, ignem fac, & in vesicam ceratum infundens multum tepidum, lauare.

CON-

CONVULSIONEM superueniente febre curari dixit aphorismo. 57. 4. atqui ego in commentario indicaui, non quancunque, sed eam solum, quæ ex repletionem. Si ergo mulieri cui ex partu plurimum sanguinis fluxisset, conuulsio superueniret, nihil esset deterius, quam febrem facere. Nam conuulsio ex nimia sanguinis euacuatione, ab inanitione esse merito censetur. Verum quia hoc raro fit, & semper ferè puerperæ defectu expurgationis ægrotant, coniectamus conuulsionem à partu ex repletionem esse, quare febrem facere non videtur fore alienum. Nimirum febris absumit humorem, & siccat neruos. Ego, vt verum fatear, fatius esse puto in talibus venam secare quam febrem facere. Plus enim euacuare possit missio sanguinis, quam febris absumere, idque tutius, quia citra putredinis occasionem. Quod si ob vires dimittatur (nam ob quid aliud?) certè neque febris excitari tutò possit, maiori enim facultate opus fit ad ferendum febrem quæ tantum absumat, quam missionem sanguinis quæ tantundem euacuet. Sed si excitari etiam febris debeat, non proinde ab auxilijs localibus ad vterum abstinendum est, sed colluendum cerato infuso in vesicam aut catheterem, vtrisque enim vti solemus pro clysteribus. Sed quo pacto infundatur in vesicam ceratum, aut quod ceratum? Cum ceratum solidum sit, minimè fluxile, qualia quæ hodie vocantur in officinis vnguenta? Certè aut ceratum, aut linimentum, aut vnguentum, aut irrigatio, aut quodcumque aliud, facultatibus erit quale affectio exigit, laxans vias, abstergens vterum, mitigans inflammationes, & anodinum, ac mediocriter resoluens. Ceratum tamè si quod est ad eam rem utile, & in vterum infundi vis, facile est liquido aliquo dissoluere.

9 *Si capitis os fractum sit, dare potu lac & vinum æquale equali: si autem vlcus sit, secandæ sunt venæ internæ, nisi febricitet, si autem deliret, capit irrigare, nisi hypochondria eleuata sint.*

NON eadem occasione hæc omnia fieri debent, etsi in eodem morbo fieri possint: neque scripta sunt, quo ordine sunt faciendæ. Nam capite vlcerato, mox à principio mitti

debet sanguis nisi admodum sit corpus inanitum, & ex succum. Non enim solum profecto cum redundans corpus succis est, sed etiam cum est eorum moderata copia, quia oportet membra reliqua penuriam pati, ne mittant ad caput, etiam si inde tractio agatur. Verum sanguinis missio non eadem ex parte fieri debet, ex qua ob inflammationem: sed ex aliquanto remotiori, dum vlcus solum est, & non etiam accessit inflammatio. Nam inflammatio per se petit missionem sanguinis, vlcus non nisi propter inflammationem. Cum ergo nondum erit inflammatio, ob morbum qui nondum est sed timetur, mittitur; talibus verò debetur reuulsio, vt præsentibus iam deriuatio. Si igitur inflammato capite, ex externa brachij eiusdem lateris mittitur, merito ex ulcerato tantum ex interna eiusdem, aut externa contrarij sanguis mitteretur: ex externa verò si iam inflammatio aut affectio alia huic similis, in capite concitata sit. Hæc tamen concitata esse non poterit, sine aliqua febre. Secunda ergo ob capitis vlcus vena interna est, (internam vocat hic Hippocrates eandem quam Gale. eam inquam quæ respicit hypochondria) nisi febricitet: si autem iam febricitet, externa, quia febris tentari iam exulceratam partem alio malo indicat. Si iam deliraret, duorum alterum esse potest, aut initium phrenitidis, aut signum decretorium, indicans instare fluxum sanguinis de naribus. Si illud est, oportet irrigare caput, oxyrrhodino infuso ex alto in futuram coronalem: si verò hoc, abstinere ne indicatio, futura utilis, prohibeatur: Sanguinis ex naribus instantis, in præcipuis signis est, retrahi sursum hypochondria. Dicit verò nunc eleuata quæ retracta, quasi sursum tracta. Merito ergo si delirare incipit, qui vlcus capitis habet, irrigatione utemur, nisi hypochondriorum retractio accedat, atque alia huiusmodi signa, quæ prænuntiare possint iudicationem cum sanguinis fluxu. Tunc enim permittendum est fluere: quia si nihil impediatur, soluetur febris, & mitigabitur omnis affectus, supereritque solum vlcus: quod vbi sedata fuerit omnis inflammatio, atque suppurata omnia contusa, & expurgata sordida, nil aliud desiderabit, quam idonea medicamenta ad partium regenerationem, cibos boni succi facillè nutrientes. Maxime verò si os etiam deficiat, vt cum contractum, non solum fissum

sum fuit. Nam ossa habent difficilem generationem, ac proinde ad eorum productionem, quod facile nutriat, debet mediocriter abundare. Talia vero imprimis sunt lac & vinum. Atqui iam cum conquieverint omnia symptomata, licet dare vinum. Si enim in principio daretur, vix esse potest aliquid periculosius vino, aut lacte. Vtrumque enim replet caput, vinum præterea ea affert conuulsiones, & fluxiones commouet. Hac mixtura vini & lactis paribus portionibus, nullum vidi vti, neque video an alicui esset futura satis suavis, tamen in occasione dicta auderem tribuere ægro, in cibus lac, & vinum in potu, temperatum aqua, magis quam ille per bonam valetudinem consueuisset. Mixturam vero illam quam licet vocari *ινουδα* nondum hæctenus.

10 *Si caput doleat in pectus descendit, deinde in hypochondrium, deinde in coxam, omnia autem non possunt dolere.*

DECVRSVS hic est familiaris rheumati, quem quidem catharrofi ferè omnes experti sunt. Cerebrum utpote humidum & frigidum & ex toto corpore vapores semper excipiens, congerit multa excrementa, quæ deinde deponit in partes inferiores, per thoracem, hypochondria, ad coxam, ac nonnunquam ad extremos pedum articulos. Non possunt autem (dicit) omnia dolere, non quòd non possit aliquando fieri, vt hæc omnia ob maximam omni in parte redundantiam doleant, sed quòd plærunque alij alijs dolores succedant, & nouis accedentibus priores solui soleant, quia permutatione succorù de parte in partem fiut, quare qui in alias partes irruunt, destituunt, quas affecerat prius.

11 *Nemien venæ sectio.*

Ανεμύ duo videtur posse significare, difficultatem vomendi à verbo *εμέω*, idest vomo, aut idem quod *θαγεμος*, id est flatus. Et ipsa quidem vox hoc secundum videtur significare magis, vtrumuis autem significet, non videtur facile dictu, qua ratione soluat venæ sectione. Quid enim

missione sanguinis cum difficultate vomendi, aut cum flatu? hac causa suspicatur Iacobus Esteue, anemien significare semen quod citra concubitum effluit, spontè, quasi subuentaneum semen, vt dicuntur oua subuentanea. Itaque anemien esse gonorrhæam, hancq; solui missione sanguinis, quippe quæ nasci solet ex sanguinis redundantia. Mihi verò non probatur hæc enarratio, quia est longè petita. Sed si difficultatem vomitus significat, quod Hippocrates docet, est, multis, alioqui difficilè vomentibus, euertere ventriculum, fieriq; vomitum per sanguinis missionem, vt scilicet solet fieri alui fluxus & sudor. Sed vt dixi minus videtur ipsa vox ferre hanc significationem. Nam libello de antiquatis Hippocratis vocibus, dicit Galen. *αρεμίστρα* (vn de haud dubiè fluit anemie) idem esse Hippocrati, quod inflatur, quare anemie sit profecto flatus. Habet verò hic locus non incongruam enarrationem ex libello de flatibus, quo Hipp. monstrat, febrium & morbum apoplecticorum, & omnis feruoris sanguinis, causam esse flatus sanguinem perturbantes. Tales ergo morbos vocat tunc anemien à causa accepta appellatione: curanturque tales sectione venæ, quia sanguinis detractio sanguinem attemperat, & venas laxat, & facit corpus perspirabilius. Itaq; hæc sententia, non multum abest ab illa quæ paulò post occurreret, repente voce priuatos, si febre careant, sanguinis missione curare. Quanquam anemie plures affectiones significat, quàm apoplecticas: nam & feruores, ac perturbaciones spirituum, quibus solent repete per corpora fieri, maculæ, tumores, ardores cum pruritu. quæ omnia fuso sanguine conquiescunt.

12 **P** *Harmaco quod fluit sistere inungendo. Fluxus enim ex magna vena est. Si autem sponte fluat multum, ieiunet, aut aquæ duas, quatuor lactis partes.*

RATIONEM sistendi fluxionè sanguinis, docet optimè Galenus lib. 8. methodi reuulsoria euacuatione, & reuulsionibus sine euacuatione, vt quæ agitur frictione & ligaturis, atque victu idoneo, & potionibus medicamentosis, & medicamentis admotis parti ex qua fluit. Monet verò c. 6. eius libri, non esse veniendum ad hæc parti admoventur

uētur, antequā necessaria reuulsio, & totius corporis euacuatio facta sit, quare tunc solum est his utendum, cum reuulsio sola, & euacuatio corporis non est satis. Porrò scire oportet, fluxionem aliquā nimīā fieri posse, aut ob rupturam partis ab externa causa factam, ut fuit sanguis vulnerata vena ferro aut ictu, aut spontè & citra causam manifestam, ob internam scilicet. Rediguntur verò omnes internæ causæ fluxionis ad duas has, multitudinem, acrimoniam, & malam qualitatem, ac tenuitatem, scilicet succorū. Hæc enim duò solū sunt, quæ retentricem irritando faciunt, suo munere malè fungi. Nā si quā maximè velis, præter has causas, ponere propriā retentricis debilitatē, quæ ob partis intemperiem fiat, hæc quoq; quodammodo in illis causis est. Nā ne debilitata quidē retentrix cessat retinere, nisi irritata irritat verò à tāto minoribus causis, quāto, debilior est. Quare id quoq; qđ debilitatem irritat, multum, aut qualitate molestum est, si nō simpliciter & omnino, tñ ad hanc facultatem. Dicit ergo, cum vena aliqua magna vulnerata est ferro aut ictu, necesse est sistere pharmaco inungendo partem vulneratā, idoneis scilicet inunctionibus, quales sunt astringentes. Necesse inquā est ad hæc venire, quia si fluxus ex magna, hoc est ex insigni vena, nō exigua & capillari, est, non erit satis cura totius corporis, ut cesset. Quod si quando erit satis ut cesset, consultum tamen nihilominus erit, inungere, ne rursū effluat. Si verò sponte fluat multum, hoc est, si fluxus spontaneus accidat ob multitudinem, ieiunet, inquit, homo, quia ieiuniū euacuatio quædam est, & plurimū prodest ad fluxiones sistendas, ut nihil est, quod fluxiones adeò moueat, ac cibus & potus. Si vero ob acrimoniam succorū fiat spontaneus fluxus, opus est alimentis dulcedinē afferentibus & atemperantibus, proinde consuluit dare duas aquæ, & quatuor lactis, aut vnam aquæ, duas lactis partes. Sunt verò hæc consilia, non ad fluxus sanguinis solum, sed ad fluxus etiam vētris, & reliquas fluxiones vtilia: pararique solet hoc lac, ex aquè & lactis dictis portionibus, immisissquè lapillis ignitis, aut ignito ferro, vsque, ad consumptionem tertix partis. Estque ita paratum magni vsus in dysenteria, & omni fluxione, quam succorum mordacitas pepererit.

Steri-

¹³ **S** Teriles fouere, ac pharmaco vti.

φάρμακον, ac φαρμάκων, quo nunc vtitur, medicamentum expurgans significat, cum simpliciter dicitur, neque additur aliquid, quod aliam speciem medicamenti significet, vt in proxima sententia dicebatur pharmaco inungendo. De causis sterilitatis, quæ multæ ac variæ sunt, & de multiplici earum curatione, scripta sunt multa. lib. de sterilibus, & in aphorismis, modo autem quodam rediguntur omnes earum curationes in hæc duo capita, fomenta & expurgationem. Fomenti autem nomine intelligi velim quæcumque interius & exterius, cataplasmatis, irrigationibus, clysteribus, pessis, & suffitu, admoventur: vt expurgationis, ac pharmaci nomine, vomitiones & alui subductiones. Nā sterilitatis causa omnis sit, aut vitium compositionis, aut temperamenti, aut vlcus vteri, aut totius corporis cacochymia. In vitio compositionis vteri, est vteri exiguitas, aut crassities, oris vteri strictura & durities, vt non dilatetur satis: aut peruersio oris vteri, aut amplitudo, & quòd dehiscat adeò vt non retineat, aut strictura venarum vteri, vt hanc ob causam menstruæ euacuationes non influant, aut laxitas, vt nimium effluent. In vitio temperamenti sit calor nimius qui semen absumat, aut frigus quod nõ concoquat, aut siccitas quæ etiam semen & foetus alimentum absumat, aut humiditas quæ retentionem impediatur: quam vlcera etiam vteri impediunt: cacochymia etiam cum in vterum refunduntur, corrumpunt semen, cum non refunduntur, non impediunt conceptionem, tamen foetum malo succo vti faciunt, ac proinde abortus, aut morbidos foetus. Compositiones vitiatae, si à prima generatione contractæ sint, incurabiles esse solent, sin autem aliis morbis succedunt, illorum etiam curatione tolluntur. Cacochymia omnes pharmaci vsum postulant, intemperies omnes vteri, quæ cum succo consistunt ac cum aliqua totius corporis cacochymia coniunctæ sunt, & vlcera, in primis postulant pharmacum, deinde fomenta, infusiones, in sessiones, pessos. Sint verò hæc omnia ad calorem frigida, ad frigus calida, ad humorem sicca, humida ad siccitatem, & ad vlcera qualia ratio curandi vlcera petit. Sed hæc omnia longius

gius persequi non est huius loci : hic satis sit indicasse totâ
sterilium curationem, fomentis & pharmaco contineri.

14 **Q**ui repente voce priuantur, si sine febre sint, san-
guinem mittere.

Apoplecticae affectiones, quarum commune accidens
est vocis interceptio repente facta, nonnunquam ex mani-
festa causa fiunt, vt ex ebrietate, aut latiori coena, non-
nunquam sine ea. Hoc accidens venarum interceptionem
significare. 4. de ratione victus in acutis dixit, ac proinde
sanguinis missione vtendum esse, vt scilicet laxentur, &
peruix spiritibus fiant. Dicit etiam quinta aphorismorum,
eos qui ex vino voce priuantur, repente solere mori con-
uulsos, nisi eos febris corripuerit, quasi febris salutaris cau-
sa in his sit. Atqui etsi illud, de obmutescentibus repente
sine manifesta causa dixit, in disputatione de ratione vi-
ctus, & hoc, de obmutescentibus ex vino in aphorismis, ta-
men ratio eadem est, causa enim externa internam quan-
dam parit, similem ei que sponte fit cum causa nulla mani-
festa est, puta venarum repletionem & interceptionem.
Proinde nunc de vtriusque dicit, curari debere missione
sanguinis si sint sine febre, si enim febris superueniat, fieri
poterit vt ea sola sit satis ad morbi solutionem. Neque
verò hinc fit, vt nunquam sit mittendus sanguis, si febris ad-
sit, ad aliquos enim vtroque auxilio opus erit, febre, & mis-
sione sanguinis. Sed quod nunc docet est, si alterum, hoc
est febris desit, altero saltem esse opus, puta missione san-
guinis. Nam si neutrum horum fit, aut fiat, mori solent con-
uulsi aut resoluti, arripiente humore neruos & eorû prin-
cipium, vt partim quidem dictum est in aphorismo, atque. i.
porrhetycorû dicitur his verbis, vocis interceptiones cum
singula pessimæ. Vocis interceptiones cum exolutione
pessimæ.

15 **P**ituitæ fluxus ex mammis oculi trahunt, & eructa-
tur per nares in pulmonem.

Catharri plerumque solent eieri accurrentibus excre-
mentis

LIBRO
DEL DR.

mentis in caput ex toto corpore, atque inde in modum e-
 ripi descenditibus rursus in pulmonem & thoracē per
 asperam arteriam, ubi tussim & raucedinem pariunt: ante-
 que quam in thoracem incumbant, solent nasi poros occu-
 pare, & vocatur ea passio coryza. Fluxus succorum ex cor-
 pore in caput, mammarum tumore maximē innotescit: quia
 succis sursum repentibus, repleri solent. Quā ob causam,
 vt in aphorismo dicitur, sanguis qui in mammis colligitur,
 significat furorem. Porro oculi sunt, qui redūdantiam quæ
 in capite est, maximē produnt. Quod ergo dicit, oculi tra-
 hunt ex mammis, perinde est, ac si diceret, in caput ex cor-
 pore confluunt. Nimirum cum corpus in caput mittit, vide-
 tur caput trahere. Atqui lib. 4. de morbis ita dicitur. Quan-
 tum in cibo & potu pituitæ inest ubi in ventriculum per-
 uenit, partim corpus ad se trahit, partim caput, vt quod ca-
 uum sit, & velut cucurbita corpori incumbat. Mihi vero
 magis videtur, venter & corpus in caput mittere. Caput
 vero repleri indicant oculi, atque ita videntur oculi trahere.
 Hanc vero, seu impulsione seu tractionem, prænu-
 tiant prius intumescences mammæ.

16 **Q**uibus tussis sicca, non soluitur, nisi dolor fortis in
 coxam, aut in crura, aut in testem.

Dictum est prima sectione huius libri, tussis sicca cessa-
 re solere intumescente teste. Neque vero in solum testem
 fieri potest abscessus ex vocalibus instrumentis, quāquam
 in eum sæpius: sed & in alias inferiores partes, vt coxam, &
 crura. Nam in hac ipsa sectione dictum est antea, ex dolore
 capitis ad thoracem descendere, deinde ad hypochon-
 dria, postea ad coxam. Nunc ergo dicit tussim siccam solui
 factō abscessu in coxam, aut crura, aut testem, quem absces-
 sum indicat dolor. Nam vt in aphorismo dicitur, si quæ
 pars per morbum dolet in eam fiunt abscessus, dicit verò
 non solui aliter tussim siccam. Quod quidem de sicca &
 antiqua intelligi debet, recentem enim, facile sperare pos-
 sis, excreatione solutam iri, maturata fluxione: inuete-
 ratū verò & plurimum productū morbi, abscessus deside-
 rant.

17 *Si hydropicum tussis corripiat, malum.*

Enarrata mihi est hæc sententia in commentariis aphorismorum, est enim trigesima quinta sectionis sextæ illius operis.

18 *Si quis statim animo linquatur, calidis omnibus uti debet, si autem non, vinum bibere & cibus repleri.*

Statim animo linqui, idem est ac sine causa manifesta, aut ex leuicula quavis causa, id pati. Hi sunt de quibus in aphorismo dicitur, qui crebro, ac multum, sine causa manifesta, exoluuntur repente moriuntur. Dicitur verò est Galeno, & mihi, in commentariis, eam passionem debilitatem naturalis calidi significare. Tota ergo ratio curationis, talis esse debet, ut robor naturalis caloris augeat. Hoc ergo est quod dicit, calidis omnibus utatur. Non quidem quod omnia utcumque calida, illis sint utilia. Multis enim præ intemperie extremè calida & biliosa, naturale calidum debile est, & facilè exoluitur, quamquam sunt alij quibus ob temperamenti frigiditatem est ea debilitas. Nimirum omnis immodica intemperies lædit omnes facultates. Frigidis ergo calida dabuntur, quæ non ut alimenta calfaciant solum: sed ut medicamenta etiam alterando: calidis verò & debilibus non ita: sed quæ ut cibi calfaciant. nutriendo scilicet & bonorum spirituum, & boni sanguinis copiam augendo. Non itaque omnium calidorum usus est utilis: sed dicit calidis omnibus utatur, quasi diceret totus victus sit calfactorius, ut oportet tamen. Velut in aphorismo dicit, omnis victus humidus febricitantibus conuenit, non tamen proinde omnia humida sunt febricitantibus utilia: sed quia totus victus debet ad humectationem spectare. Hoc itaque est quod dicit calidis omnibus utatur. Verùm quia talium duplex curatio est, alia quæ imbecillitatem illam tollat, alia quæ, cum paroxysmo tenetur, homines, reuocet, utramque docens Hippocrates addit, si autem non, id est, si autem non possit deliquium vitari: sed nihilominus deliquio correptus fuerit, cogatur vinum bibere, & cibus repleri. *capit. Cas* quod nos verrimus
vinum

vinum bibere, omnes ferè putant esse vino mero uti, mihi verò indicatum est in commentario vigesimi primi aphorismi secundæ, simplicius significare uti vino, siue mero siue diluto. Ita hic oportet legi. Nam & si plerisque, ut ex animi deliquio reuocentur, utile est haustum merum, quibusdam verò est utilius dilutum. Vinum inquit bibere, & cibis repleri, ne intellige cibis se ingurgitare, ut quidam Hippocraticam phrasim minimè tenentes, transfulere, sed cibis reffici, & ut ita dicatur, renutriri. Ita enim dicitur in aphorismo, facilius est repleri potu quàm cibo, id est facilius ac citius refficimus potu quàm cibo. Quod nunc Hippocrates dicit, vinum bibere & cibis repleri, optimè fit cetera panis ex vino, & vno haustu vini aut etiam duobus, aut ossa ex iure carnum, & potu vini.

19 *Secare venas internas morbo intensione facto.*

MORBUM factum intensione vocat morbum magnam pendentem ex multo succo. Talem enim solet antecedere sensus tensionis. Venas internas vocare Hippocrates aliquando venas magnas, quæ sub cute producuntur, & externas exiguas & capillares quibus cutis textitur, explicatum est mihi in commentatione illius aphorismi. Difficultatem vrinæ venæ sectio soluit, secare autem internas. Itaque secare internas, est venam secare, velut secare externas, est scarificare. Est verò in sanguinis missionibus maius efficaciusque remedium sectio venæ maioris, quàm scarificatio: proinde & commodius ad morbos magnos, quales lassitudini tensiæ, & phlegmonodi, succedere solet.

20 *Solutio coxarum doloris, oculorum distorciones, cæcitas, testium tumoris, mammarum elatio.*

DICIT oculorum distorcionem & cæcitatem, esse solutionem doloris coxarum, & elationem mammarum, tumoris testium: non quod hi sint boni abscessus, sed quod fieri soleant, & si sint mali. Nam & primo libro prædictio
num

num ita est scriptum. Ex lumborum recurſu oculi diſtor-
tio, malum. Ideſt oculi diſtortio fieri ſolet ex lumborum
dolore, eſt què mala permutatio, quia ex recurſu humorù
ab infernis & ignobilioribus, ad ſuperna & nobiliora, a
quibus ſolent, eſt què ſatius, excrementa in humiliora deri-
uari. Vt ergo ex lumbis, ita ex coxa ſolent ſucci recurrere
in caput, & vt faciunt oculorum diſtortiones, ita & cæci-
tatem: vtrunque verò cum magno ægrotâtiſ malo. Nam
vt antea dictum eſt, ex dolore capitiſ ſolent ſucci in pe-
ctus, hypochondria, & coxam descendere, eſt què hic bo-
nus abſceſſus: ſi contra aſcendunt, malignus recurſus eſt,
verùm fieri ſolet. Indicant que vt nuper dictum eſt, capitiſ
mala, oculi maxime, qui occupati humoribus, conuulſi di-
ſtorquentur, & obturati excæcantur. Porrò mammarum
elatio ex teſtium tumore, & teſtium tumor ex mammarù
elatione, fiet, ob communionem vocalium & genitalium
partium, vt ſeſtione prima huius ſecondi libri dictum eſt.
Eadem enim ratione, qua tuſſes, vbi teſtiſ intumuit, ceſſât
& teſtiſ tumor, à tuſſi.

S *I febre tenente, quæ circa faciem macilenta ſint die
legitimo, ſequenti die ſoluetur.*

CELEBRATISSIMUM eſt apud Galenum, & reli-
quos medicinae doctores, iudicationem duabus partibus
conſtare, anxietate, doloribus, & difficultate, quæ dum fe-
cernuntur mala à bonis contingunt, quæque vocant ſigna
critica: & euacuatione, quæ conſequitur, & euacuata cau-
ſa aſſert morbi ſolutionem, aut remiſſionem (niſi tamen
ſit iudicatio mala) ſolutionem quidem, cum optimæ con-
ditiõis eſt criſiſ, quæ, inter cætera illud habet, vt fiat in die
decretorio: remiſſionem verò, cum eſt tantum bona cui-
que aliquid bonorum deeſt, velut ſi fortè dieſ non ſit in
optimis. Diem ad iudicationem accommodatum vocat
Hippocrates nunc decretorium, nunc contemplabilem,
nunc legitimum, nunc imparẽ. Inter cætera ſymptoma-
ta terribilia, quæ iſtante iudicatione fieri ſolent, eſt fa-
ciei repente facta extenuatio. Extenuatur enim ſepe facieſ
deſtituta ſuccis, quòd alio conuerſi, vi facultatiſ expulteri-
cis

eis euacuationem parantis, sint. Ergo dicit, si febre tenente, hoc est per febres continuas. Nam hæ propriæ tenent homines, aliæ repetunt. Atqui iudicatoria signa in acutis præcipuè morbis habent vim, qui ut in prognostico dixit Hipp. cum febre affligunt. Si itaque febre tenente, quæ circa faciem macilentia sint in die legitimo, sequenti die soluetur febris. Non quidem sequenti die naturali, velut si se primo facies gracilescat, soluetur febris octauo. Alioqui soluetur die non legitimo, atque ita non erit iudicatio perfecta: quod si non est, cur soluetur? Sed ut in aphorismo dicitur, quibus crisis futura est, nox ante accessionem difficilis, quanquam illa nox & accessio in eundem naturalem diem incidunt, ita nunc dicit, sequenti die febris soluetur si iudicatoria anxietas incipit ab hac nocte, & sequenti nocte, si incipit ab hoc die. Neque te debet deterrere, quæ extenuatio faciei signum lethale esse soleat, & in lethali- bus ponatur ab Hipp. in initio prognostici; omnibus enim signis decretorijs euenit, ut aliquando signa mortis sint, ut lachrymæ inuoluntariæ, nunc significant facultatis re- tricticis corruptionem, nunc fluxum sanguinis de naribus: tremor labiorum, nunc conuulsionem, nunc vomitum. Vtrum autem significet quodcumque horum, ex adiunctis agnoscitur. Non ergo quæcumque extenuatio faciei polli- cetur febris solutionem, sed cui accedent aliæ notæ indi- cationis bonæ, in quibus est, ut die legitimo contingat. Re- feret autem quoque, ut signa concoctionis antecesserint, & indicatio in quaternario antecedente facta sit. Et, quod maximi momenti est, ne alia signa mortis attestentur.

22 **H**ydrops, si tumorem habens in cruribus tussiat, ma-
 lum.

DIXERAT antea, si hydropicum tussis corripiat, esse malum: nunc addit tumorem habens in cruribus, non quidem fortasse augens periculum, sed ut passionis signum appo- nens. Non enim graue est hydropico pedes intumescere, proprium enim est huic morbo incipere a pedum tumore neque grauius semper est tumentibus adhuc pedibus tuf- si corripit, quam iam detumescentibus. Multis enim vidi-
 mus

mus proximis iam morti, siccatos esse pedes plurimum, ob atrophiam, & excrementis præ debilitate facultatis manentibus iam in superioribus partibus. Tussis quidem horum non fit minus mala, quam si iis accidat, quibus adhuc pedes tumeant: quamquam grauissimum etiam est tantopere redundare aquam, ut supernas & infernas partes simul occupet, & grauius, quam si, tussire incipiente homine, remitteret, tumor pedum, non arefectorum, sed quòd fluxio ad superiora conuertatur. Facilius enim possit ad inferna reuocari humor nondum plurimus, quam qui omnia iam occupet, morbus curari. Si igitur ad hos referatur hæc sententia Hippocratis, augens periculum, dixerit si habes in cruribus tumorem tussiat, malum: si autem non, dixerit id, apponens hydropis signum, quasi solo morbi nomine non satis contentus.

23 *SI auris doleat lacte vtatur.*

LACTIS instillatio utilis est ad sedandum doloré auris non quemcunque, neque quacunque occasione: sed eum qui ex ardore, aut inflammatione, nondum inueteratis, excitatur, velut etiam eo uti solemus ad ophthalmias. Ignoscendum tamen est Hippocrati quòd neq; distinctione affectus, neque causæ, neque occasionis apposita, simpliciter dixerit, si auris doleat lacte vtatur, ob consuetum breuiloquium, etsi id in aliis, merito vituperetur.

24 *NI si in die legitimo recedat febris, necesse est redeat.*

DICTUM nuper est Hippocratem eosdem dies vocare iudicatorios, contemplabiles, legitimos, & impares. Iudicatorios quòd iudicia in illis contingant plerunque: legitimos, quòd iudicia, quæ in illis fiunt legitima esse putantur, quæ in aliis diebus, non ita: sed ob illegitimam aliquam occasionem: contemplabiles, quasi contemplatione dignos: impares quod impar ferè sit totum horum genus. Dicit ergo nunc quod in aphorismo dixerat, nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet repetere.

T

Cui

•5 *C*ui vena in cubito pulsatur, maniacus & iracundus, cui autem quienerit, ira vacuus.

Vbi Hippocrates scripsit *τυφώδης* vertunt quidam, stupidus, alij lentus, alij etiam mutus, quia Galenus libello de antiquatis Hippocratis vocibus hæc omnia dicit significare id nomen. Ego verò legi, ira vacuus, quia idem Galenus enarrans hunc locum 6. libro de placitis dixit τὸ *τυφώδης* significare quod *ἀόριστος* itaque sententia est, venam in cubito pulsare, esse hominis parati ad maniam, & iracundi, contra quiescere, esse hominis tranquilli, & tardi ad iram. Quæ sententia haud dubiè pertinet ad physiognomiam, non ad prognosticam medicinæ partem. Non enim morbi cuiuspiam euentum: sed sani hominis naturam, & mores, docet agnoscere. Venam antiquissimis dici solere etiam arteriam, celebratissimum est apud Galenum & mihi dictum sæpe. Cubitus est ea pars, quæ inter mediam totius brachij flexuram & manum est. Itaque ad cubitum pertinet ea pars quæ frequenter solemus, pulsus requirentes, arteriam atrectare. Pulsus nomen non de quocunque arteriæ motu: sed de conspicuo, vsque adeò, ut vbi solo tactu sentiri solet, possit videri, dici ab Hippocrate vel ex hoc loco monstrat Galenus loco citato ex 6. de placitis. Nam, utcumque, omnibus hominibus pulsatur arteria in cubito. Cum ergo Hippocrates dicit, quibus pulsatur in cubito, non utcumque intelligit: sed multum ac vehementer. Quoniam ergo vsus pulsus in attemperacione caloris est, constat quibus maximus est natura pulsus, eos maxima attemperacione indigere: atque adeò temperamento esse calidissimo, quod mox parit iracundiam, & magnum prouentum vltæ bilis. Qua qui abundant, maniaci fieri periclitantur. Pulsus verò dicto contrarius, contrariam significationem præstet, necesse est. Magno & celeri contrarius, sit exiguus & tardus. Iracundo quod *ἀόριστος*, seu ira vacuus. Ergo quod Hippocrates dicit, Quibus verò quienerit, non sit omnino non pulsare. Id enim nunquam euenit, nisi in asphygia, cum proximi iam sunt morti homines: sed perinde sit, ac si diceret, quibus verò lentè mouetur. Talium enim natura frigida est, ac proinde ad iram minimè prona. Hæc itaque est huius loci enarratio, iuxta hanc versionem, quæ

quæ Galeno placet. Quoniam verò, illius nominis typhodes, non videtur admodum legitima significatio quæ dicta est: sed potius videtur significare eum qui facile inflammatur, & non in omnibus codicibus occurrit eadem lectio: sed in quibusdam legitur *αρεμεν*, id est quiescat, in alijs *αρεμεν*, id est, exactè ac verè dicat, cogor suspicari, ferre posse locum hunc alium sensum, ac fortasse legendum *αρεμενεν τυφώδος*, id est, vt autem exactè dicatur, inflammabilis. Quæ lectio, & enarratio, est facillima, verissima, & iuxta legitimam vocum significationem. Fuerit enim hæc tota dictio. Cui vena in cubito pulsat, maniacus, & iracundus, vt autem exactè dicatur, facile inflammabilis. Rectè autem dicitur, vt exactè dicatur, quasi diceret, vt per causam dicatur, & in causam referatur. Nam sunt maniaci & iracundi, quia calidissimi, & hoc ipsum est, esse facile inflammabiles, & ad arduas febres opportunos. Galenus in calce citati libri, interpretatur, hanc pulsationem in cubito sinistro magis notari quàm in dextro. Quam enarrationem mihi videtur Galenus inuexisse deceptus, & sui sermonis impetu delatus. Nam neque id dixit Hippocrates (nisi fortè ille habuit alium codicem antiquiorem) neque rationi videtur consentaneum. Nam & si arteria aorta ex sinistro cordis ventriculo nascatur, maior tamen arteria in brachium dextrum, quàm in sinistrum distribuitur. Quo fit vt copiosiores spiritus in brachium dextrum veniant, atque, vt in omnibus bene compositis, & temperatis hominibus, maior & vehementior pulsus in eo sit, quàm in sinistro. Quòd si mediocribus naturis, plus pulsat arteria in dextro cubito, & in calidis crescit ad portionem. Itaque quod Hippocrates dicit, de vtroque cubito intelligi potest, aut de dextro potius.

27 **L** *Aesio si sanguinem fundat, vlcus non irrigare, caput verò irrigare calida.*

Cum pars aliqua vulnerata est, imprimis oportet partem lauare à sanguinis grumis, etsi quid sordis inter labia vlcis collectum est, nisi magnus sanguinis fluxus adsit: tunc enim satius est alligare partem, vt ipse sanguis ingru-

mos versus, fluenti obstruat viam: aut vrere, aut infundere astringens medicamentum. Prohibet verò Hippocrates in initio libelli de vlceribus vlcus lauari nisi vino, præterquam cum fuerit in articulo: tunc enim quia facile tentatur homo conuulsione, satius sit lauare calida aqua. Aqua quidem ne mordeat, calida, quia frigidum est vlceribus mordax. Atqui etsi illo loco articulorum tantum meminit, eadem ratio est vulnerum in capite, & nudatorum, defractorumque ossium. Quia inde etiã imminet conuulsionis periculum: atque proinde in aphorismo dixit, calida plurimum confert ossium fracturis, maximè iis quæ nudata sunt, horum verò maximè habentibus vlcera in capite. Ex his prodit facillima huius loci explicatio, si quædam vculæ interponantur, quia Hippocrates quædam dicit quædam insinuat. Ac si diceret, si ex læsa parte fluat multum sanguinis, ne lauatur omnino: sed alligetur vsque dum sanguis restiterit, sin autem talis fluxus non sit, reliquas partes lauare oportet vino, caput verò vulneratum aqua calida, dictam ob causam. Quamquam nisi opus sit pus multum mouere, ego non consulerem simplici: sed nulla aqua vti.

28 **S**I cor doleat, calidum panem cum vino mero dare.

ORIS ventriculi dolor, ex quo affatim vires exoluuntur, vocatur Græcis cardialgia, id est cordis dolor: cuius curationem nuper attigit Hippocrates, dixitque ipsum animi deliquium solui vino & cibis facile nutrientibus. Quæ duo, ossa panis vino intincta, optimè præstari diximus: quod nunc ipse Hippocrates aperte dicit. Quod verò dicit panem calidum cum vino mero dare, intellige vt explicatum antea est, etsi enim optimum, ad hanc passionem remedium sit hoc, nullum tamen potest esse omnibus optimum citra vllam distinctionem. Vinosis enim & frigidis hyeme maximè, vino mero, atque adeo generoso intincta debet ossa dari, abstemiis verò, aut biliosis, æstate maximè, satius sit succo granatorum, aut etiam vux acerbæ intingi: mediocribus naturis, passionibus, aut temporibus, satius sit intingi diluto. Vinum verò, modò non sit multum, neque merum, nisi sit austerum (hoc enim merum etiam esse potest)

teft) cardiacis etiam biliofis vtile est, quia astringit, & roborat. Proinde ego biliofis hyeme do vinum dilutum, æstate succum malorum granatorum: pituitosis hyeme merum, æstate dilutum. Panem (inquit) calidum cum vino mero. Ne sit autem panis calidus, quod recens, talis enim non facile coquitur: sed tostus, aut intingatur panis frigidus bene coctus in vinum calidum.

29 **V**omitus solutio, aquam calidam potu dare, & vomat.

VNA quædam curatio vomitus est hæc, non parum artificiosa, vomitu scilicet. Nimirum excrementa quæ ventriculo hæserunt, plerunque solent facere, ne quæ ingeruntur contineri possint, & quæ impacta sunt illius tunicis, vt euomantur quæcunque in ventriculi cauo continentur. Vomitus ergo arte factus, qui pelli faciat quæ hærentia aut impacta sunt, curabit vomitum sublacione cause, velut etiã alui profluuium, ac dysenteria, expurgatione & clysteribus curantur: quas curationes ego sæpe foeliciter scio mentasse. Neque tamen temere tentari debent: sed cum auxilia, quæ per se sint morbo contraria, non videntur posse opem ferre. Hæc enim sunt per se similia, ex accidenti contraria, vt & alia multa in arte. Temerarij autem fuerit medici, experiri ea, à quibus ex accidenti aliquo expectetur auxilium, si nihil prohibeat, iis quæ per se sint vtilia, curare. Sed hic, vt in aliis plerisque, obseruari debet, ne minoribus, facillioribus, certioribus, & tutioribus, maiora, incertiora, & periculosiora præferantur. Non ergo ad quemcunque vomitum iubet Hippocrates dare vomitorium medicamentum, aquam scilicet calidam (intellige verò modicè calidam seu tepidam, huiusmodi enim est quæ vomitoria) vt vomat plus, & ita euacuata causa ventriculus conquiescat: sed cum non potest expectari auxilium ex roborantibus ventriculum, & astringentibus, eo quod impacta, aut admodum hærens causa sit. Tunc verò non aquam tepidam solum, quæ, vt facillimum, ita est optimum auxilium, licet dare: sed & mulsam, & decoctum feniculi, & oxymeli cum tepida, & acetosum, ac succum etiam raphani, & narcissi folia, atque huiusmodi multa.

30 **Q** *Uacunque sphacelo corripuntur, intercepta vena exulcerare & sanare.*

SPHACELVM ofsium corruptionem propriè dici, vt gangrænam carnis, Gal, docet lib. de tumoribus præter naturam, tamen latius etiam patente nomine, sphacelum dici omnem cuiusque partis corruptionem, vt gangræna etiã, quæ est carnis corruptio ob magnitudinem, aut malitiam inflammationis facta, sphacelus fit. Huius curationem nunc docet Hipp. dicens intercepta vena exulcerare & sanare, idest sanatur non aliter, quam intercepta vena & parte exulcerata. Intercipi autem venam dicit, eam, aut eas, quæ ad partem gangræna tentatam deferunt sanguinem, in via, scissione, vitione, aut laqueo intercipi. Exulcerare dicit, altius partem scarificare. Opportet ergo cum gangræna notæ in parte incipiunt apparere, citissime toti corpori prospicere, & si quæ vena videatur tumidior & nigricans, eam interciperi cauterio, ac morientes iam particulas altis scarificationibus vlcerare, aut vrere, aut partim exulcerare, & exdentia medicamenta admouere, partim vrere. Minora verò his, inutilia in hac affectione sunt.

31 **I** *N conuulsione digitorum manus sine febre, scarificare, nisi doleant capite, si autem non, aquam calidam infundere.*

SEMPER Hippocrates quid ad affectionem quancunque agendum sit, vno quodam exemplo docet, oportet autem nos ob communem rationem ad alia omnia eiusmodi sententiam transferre. Velut nunc docere volens Hippocrates nihil aliud, quam in conuulsione partis, si affectio propria sit conuulsæ partis, illi adhibendam esse curationem, si autem per consensum cum neruorum origine, neruorum principio, dicit in conuulsione digitorum manus sine febre, scarificare, nisi doleant capite, si autem non, idest, si aliter, atque si caput doleat, & proinde opus non fit curare digitos sed caput, quod primariò laborare dolor indicet, aquam calidam infundere. Non tamen hoc verum est

in

in conuulsione digitorum manus, magis quàm in manuum ipsarum conuulsione aut digitorum pedum, neque scarificatione solum curatio ea agitur, sed & idoneis inunctionibus & irrigationibus, quin & infusione aquæ frigidæ aliquando. Neque sanè cum solo capite potest esse consensus, sed & cum spinali medulla, ex hac enim plerique nerui motus ducunt originem, neque certè capitis aut spinalis medullæ vnica curatio est, infusio aquæ calidæ, sed & olei, & amygdalini, nonnunquam & costini, aut ex castoreo, aliquando etiam folius violacei, & aliorum medicaminum innumerabilium admotio. Neque certè in conuulsione, siue propria passione facta sit, siue per consensum, tota curatio localis esse debet, sed hanc debent antecedere communes euacuationes. Verum hoc vt commune omni affectui omittit, & propriam considerationem, in conuulsione maximè necessariam, exponit. Nimirum in conuulsione digitorum manus, aut partis cuiusq; alterius talis, si per propriam passionem pars laboret, & sine febre sit, oportet partem ipsam curare, medicamentis resoluentibus succum qui conuulsionem parit, in quibus optimum est profecto ac potentissimum, scarificatio cum cucurbitulis. Dicit si sine febre sit, eadem ratione qua prius dix erat qui repente voce priuantur, si sine febre sint, venæ sectione curare. Nimirum quia si febris adest, & conuulsio est ex repletionem, ab ea potest auxiliu expectari. Si verò laboret pars conuulsa per consensionem cum capite, aut spina, eo oportet transferre curationem, & irrigare neruorum principiu idoneis medicamentis. Non est in postremis aqua calida ad conuulsiones, quamquam ad resolutiones esset inutilissima, nisi esset medicamentosa, vt nitrosa, aut aluminosa. Hæc enim siccatur, dulcis & calida aqua resoluit & laxat, atque præter hæc, si quid neruorum mordet principium, dulcedinem infert. Dignoscendi conuulsionem propriam, ab ea quæ per consensum fit, multæ rationes sunt, quas Gale. in opere de locis patientibus persequitur: præcipua verò est ex accidentibus quæ contingunt parti per se laboranti. Velut si conuulsi sunt digiti dextræ manus, & doleant vertebræ postremæ ceruicis, & nulla peculiaris læsio digitorum antecesserit, consentaneum est per consensum digitorum conuelli. Hanc ob causam dicit, nisi doleat capite: si enim dolet,

fit morbus capitis, non digitorum. Tametsi enim nervi motus digitorum, non ex capite, sed ex ceruicis medulla oriuntur, tamen non potest pars tam vicina capitis, ex ipsa substantia celebri producta, ab excrementis occupari, quin caput doleat. Sed nequè illud, ob ceruicem, quin doleat & ipsa ceruix. Quare satius sit omnia considerare, ac nihil omittere.

- 32 **O**culorum spodij duodecimam partem, croci quintã: grumorum thuris vnam: cerussæ vnã myrrhæ vnã. Aquam in caput infundere, & dare alia cum maza.

CONSTAT nullum medicamen esse ad omnes oculorum affectiones idoneũ, sed dicit Hippocrates vnum quoddam esse ocularium medicamentorum quæ vsu probata sunt, quod nunc describitur: quodquè accipit, pinguis partis thuris & cerussæ & myrrhæ vnam quandã mensurã, siue vnciam, siue trientem, siue quadrantem, siue drachmã siue scrupulum, siue aliam quancunq; spodij duodecimã, & croci quintam: relatis duodecima & quinta ad certam illam mensuram quam acceperimus, vt vnciæ, aut drachmæ duodecimam, vt si diceremus. R. pinguis partis thuris, cerussæ, & myrrhæ, ana. 3. drac. iij. spodij scorp. croci. scorp. ij. & grana viij. Hoc medicamentum est maxima ex parte concoctorium. Nam crocus, thus, & myrrha, hac virtute maximè pollent. Est etiam agglutinans & siccans. Nã dicta omnia habent astrictionem bonam, & siccationem quandam. Siccationem verò insignem habent spodium & cerussa. Est ergo vtile medicamentum ad antiquatas iã fluxiones, ophthalmias, & ad vlcuscula, in quibus coquere & absumere succos opus est, & agglutinare labia vlcusculorum, aut roborare partem. Qua etiam vi prohibetur ne fluxio noua fiat. Sunt verò hæ omnes medicamentorũ materies oculares, quia mordacitatis expertes, qualibus ad oculos vtendum semper est, nisi summa cogat necessitas acria tentare. Verum incipiente ophthalmia, alijs collyrijs fuerit opus, quæ scilicet tantum repercutiant. Atquè vtile tunc quoque fuerit, aquam frigidam in capitis coronalem futuram infundere ex alto, vt oculorum & totius capitis calor extingatur, & fluxio arceatur. Sed qua ratione iu-

ue-

uerint allia cum maza quos iuuataquæ frigidæ infusio ? Certè vtrunque iuuare possit eos qui oculis male affecti sint, sed non eadem occasione. Qua ergo occasione vtrunque explicemus. Maza græcis dicebatur quodcunque edulium paratum ex farina aut pane. Quare in hoc genere sūt massa cocta, & pultes, & offæ, ex iure, vino, lacte, aut aceto & oleo, aut quocunque alio succo. Constare hoc facile potest ex Hipp. lib. 2. de dieta. Itaque allia cū maza dicentur offæ quæ cum allijs parari solent, quibusq; vtiuntur rustici sunt dolia musto plena versaturi, aut vvas conculeaturi in torcularibus, vt in patria mea fieri consuevit. Id verò faciunt, quia allia fumos noxios musti arcent & absument. Igitur eadem causa cum iam cessauit fluxio, & quod influxerat impactum & contumax est, iuuare possunt allia in maza, vt & vini potio dolores oculorum soluit. At verò aqua frigida in caput infusa non hac occasione, sed cum adhuc fluit, estque fluxio calida. Tunc enim frigida infusa in sinciput, arcent fluxionem ex capite & oculis, quæ extoto corpore agitur per venas iugulares. Itaq; Hippocrates docet nunc auxilia ad oculos, quæ non simul neq; eadem occasione, sed sua quodque agi debent.

33 **V** *Arices caluorum nisi fuerint magni, maniaci.*

DICITVR sexta particula aphorismorum. Quicunq; caluifunt ijs non fiunt magnæ varices. Quo pacto ergo, nunc dicit, varices caluorum nisi magni fuerint? Quasi magni esse soleant? Explicatum mihi est, quod Gale. prior dixerat, illo loco caluitium non dici, quod ob siccitatem & duritiem & quibusdam hominibus naturaliter fit, sed quamcunque pilorum corruptionem, quæ ob malignam cacochymiam, quæ melancholiæ habet semper quam multum, significatq; proinde redundare eam in partibus superioribus. Quo fiet, vt quibus id accidit, rarò varices fiât magni, non enim vtrisque in partibus, superioribus dico & inferioribus, poterit adeò redundare: sed aut nulli varices fiêt, aut exigui. Si quando tamen fient magni accidet permutato contrariam in partem excremento, quare soluetur caluitiū, quod quidē per varices exiguos nō soluetur, immo verò grauius affecti capitis inditiū erit. quanto tēratu solum

lūm & imperfectus abscessus, grauius signum est, quā nullum abscessum fieri. Merito ergo in caluis, factis exiguis varicibus, timetur magis mania, quam si nulli fierent.

- 34 **V**itiliginis & lepræ, calcem in aqua, vt non exulceres.

VITILIGO & lepra morbi sunt cutis, & satis extimi ex succis pituitosis aut melacholicis, vtrisque malignis. Calcem viuam aquam non expertam respuunt, quia alcius excedunt, recens madefactam, & semiextinctam, amant, quia hæc siccatur, & cutem nouam, detracta veteri, gignit.

- 35 **S**ecundarum purgatio siquid supersit, ad nares appone re vt sternutet & apprehendere nares sternutantis & os.

Hæc est 46. sententia quintæ aphorismorum, quā suo loco explicui.

Sectio sexta.

- 1 **S**I CAPUT magnum, & oculi parui, balbi, iracundi.



Hæc sententia & multe aliæ huius particulæ ad physiognomiã spectant, & obseruatione eorum, qui huic philosophiæ incubuerunt, constant. Opportet verò etiam naturales singulorum causas inuestigari. Caput magni magnitudinem cranei significat, non tamen mox opus est vt internæ capitis partes magnæ sint, & interna orificia lata. Quin potius fieri potest, vt cauum cranei factum sit a principio latius, quàm pro magnitudine eorum, quæ interiorius contineantur, aut vt craneum sit valde crassum, & altitudi-

titudinem magnam inter duas tabulas osseas habens, ut craneum sit magnum & cauum illius exiguum, atque utraque ratione in capite magno erunt internæ partes exiguæ. Hanc figuram significant, in capite magno, exigui oculi: nam oculi exoriuntur proximè ex cerebro, orta verò plerumque sunt qualia sua principia. Angustia internarum partium capitis & thoracis multum facit ad iracundiam. Nam cum præcipua membra malè ventilantur & a fumis expurgantur irritationis crebræ initium habent intra sese: maximè si angustia organorum accedat calida intemperies. Hæc enim gignit plures & mordaciores fumos, & strictura prohibet expurgari. Magnitudo capitis calorem profecto significare nata est, magisquam frigus. Hæc ergo accedens oculorum exiguitati, auget significationem iracundiæ: quamquam, cum reliqua quæ in capite sunt, magnitudinem habent illi respondentem proportionem, significat hominem probum, magnanimum, & alienum ab iracundia. Confirmat verò iracundiæ suspensionem balbuties accedens. Nam dictum est in superiori sectione, diceturque in hac rursus, quosdam balbutire præ iracundia, quod præcipitanter loqui velint, & præbile, quòd eorum muscoli irriterentur multum, & parum firmi sint. Quibus igitur caput est magnum & oculi parui, & sunt balbi, iracundi sunt. Sed continget dubitare, qui fieri possit, ut cum magno capite exiguum cerebrum sit factum, cum sint partes adedò vicinæ, & quæcunque causa magnitudinem capitis fecerit, videatur cerebri quoque magnitudinem fuisse factura. Certè multa talia contingere solent in formatione, ut in magnis manibus sunt quibusdam exigui digiti, aut quòd inæqualis fuerit materiæ generationis temperies, aut quòd inchoata iam generatione partium inæqualiter facultas formatrix in illis materia abundauerit. Vt cunque autem cerebrum exiguum factum fuerit, etsi ob frigiditatem eius partis, facit angustia ad iracundiam, quòd si craneum ob calorem creuerit, multo magis, si autem frigidum etiam sit, sed ob materiæ redundantiam, tunc quoque iracundus erit homo, non quia caput magnum, sed quia cerebrum exiguum, & si sit caput magnum.

2 **L**ongani plures dentes habent.

D r.

DVPLICI ratione constat dentium raritatem & paucitatem, breuitatem vitæ, densitatem & multitudinem, longitudinem significare: & quia pars hæc plusquam alia quepiam indicare potest robur aut debilitatem caloris naturalis in partibus, & facultatis naturalis, & quia est apprimè necessaria ad vitæ custodiam. Nam sola hæc pars post aliquot iam menses editis nascitur, non quasi partis alicuius plus auctæ particula, sed quasi alijs innascens ac infixæ, & post aliquot annos excidens, renascitur, Itaque est particula, quam, nullam antea existentem, bis producit natura denuo, ac proinde ea maximè indicare possit, quàm fortis sit naturalis partium facultas: si scilicet multos densos & firmos producit, fortis sit facultas: si minus, debilis. Quæ quidem ad longitudinem & breuitatem vitæ, maxima omnium causa est, cum nutritione seruetur vita nostra. Præterea ad felicem partium nutritionem, faciunt dentes plurimum. Nihil enim quod non probè communitum in ore sit, potest in ventriculo bene commutari, neque in alijs officinis. Constat verò ut rari, qui etiam in firmi semper sunt dentes; non possint satis cibos comminuere, & si multum in ore verferentur.

3 **B** *Albi, celeri lingua, melancholici, biliosi, inconniunter aspicientes, iracundi.*

DVPLICES balbos esse, sæpe iam, & in hoc opere, & in alijs dictum est, quosdam pituitosos, ob mollitiem & debilitatem musculorum linguæ balbutientes alios ob mentis celeritatem, aut irritantem bilem. Illi, siue loqui tantum, siue cantare velint, siue cunctanter siue rapide, nunquam non balbutiunt, suntque hi pituitosi, & tardi, & minime iracundi. Hi celeri lingua sunt, & vno impetu, antequam hæreant in sermone, loquuntur expeditè: & cum sedato impetu, cætant. Hi sunt biliosi adeò, ut etiam fiant in iuuetute ex biliosis melancholici, proinde etiã sunt ad furorem parati. Quod maximè prodit intuitus inconniuens & iracundia. Nimirum ut tradunt physiognomi, oculi inconniuentes significant homines cogitabundos, inuerecundos, & maniacos. Solent hæc omnia in eisdem incidere. Non autem
semper

semper. Nam multi studiosi & probi, sunt cogitabundi. Quidam alij sunt qui parum tanguntur pudore, non sunt tamen maniaci. Quæ ita distinguuntur. Oculi incõnuentes & torui maniacorum, non torui non maniacorum: horum qui cum quodam humore, studiosorum: cum siccitate, inuerecundorum sunt.

4 **M**agnum caput, oculi nigri & magni, nasum crassum & simum habentes, boni.

DIXERAT in initio superioris sectionis, fimos, magnos oculos habentes, bonos esse: nunc addit, caput magnum, & oculos nigros: alterum quidem, vt quod per se conferat ad probitatem, alterum, non quod conferat, sed quod & si per se malum signum esse soleat, adiunctum tamen alijs, nihil detrahat. Nam magnitudo capitis haud dubiè bonam significationem præstat, & facultatis formatricis robur iudicat, & cerebrum bene perflabile. Oculi nigri significant, vt Galenus in arte medicinali autor est, exiguitatem, aut altum positum crystallini humoris, aut quòd splendidus exquisitè spiritus visorius non sit, aut quòd humor aqueus sit crassus, vel redundans. Quæ omnia mala potius, quàm bona censerì debent. Nam robur formatricis, & calor naturalis, partium solidiorum, prominentiam & magnitudinem pariunt, & aquearum multitudinem, & excrementiam crassitudinem, detrahunt. Fulgor verò ipsa instrumenti facultatis animalis perfectio est. Tamen in capitis totius & oculi magnitudine, & nasi dicta simitate, exiguum est ad improbitatis significationem, oculos esse nigros. Atqui cum causæ nigrifici non omnes sint æque malæ, in bonorum signorum concursu, minimè malæ consentaneum est imputari, ea verò est altior crystallini positus: velut pessima, spiritus obscuritas.

5 **C**haropi, magni oculi, caput magnum, cervix tenuis, pectora stricta, congruè aptati hominis sunt.

IN plarisque codicibus legitur caput paruum, Ianus
Cor-

Cornarius transfudit magnum, quæ lectio hoc loco magis arridet. *εὐδύμωσος* seu congruè aptatum hominem esse, ad corpus aut animum referri potest. Nam ita appellamus eum cui congrua totius corporis, & elegans compositio est, & cui benè compositi mores. Charopus oculus, qualis leonibus est, & magnus, omnibus hominibus videtur facere ad pulchritudinem. Magnum verò caput, & tenuis ceruix, & pectus angustum, nulli probantur, nisi gracilis ceruix ad magnum caput dicatur, non quæ admodum talis sit, sed quæ producta, ut caput non humeris hæreat (quod ad proceritatem corporis facit plurimum) & stricta pectora dicantur, non quæ ad mammas talia sint & prope alas, sed quæ sub thorace, quâ thorax a ventre separatur. cuius loci angustiam, pulchritudinis gratia, sunt qui adeo procurent, ut fascijs & laqueis sua corpora vehementer comprimant. Ad corporis igitur congruam compositionem, ita faciunt hæc: sed & ad morum probitatem videtur posse multum conferre. Si enim, ut plato dixit, ceruice separavit Deus caput à thorace, ut minus perturbaretur mens ab irascibili parte, profecto ceruicem esse non valde crassam, & productam, & thoracem non nihil angustum, quod cor non feruidum neque æstuans significat, faciet multum ad mentis tranquillitatem, idque ad temperantiam. Cum hac verò tranquillitate, caput magnum esse, & spiritus fulgentes (quod charopus color indicat) facit multum ad mentis perspicaciam, ac proinde ad prudentiam. Hæc verò ad omnem probitatem. Hæc igitur, nisi in extremo sint, ad prudentiam & temperantiam, sin autem extremè angusta sint ceruix & thorax cum magnitudine capitis, facient ad veritatem & astum. Quia cum nimia vitalis facultatis debilitate, aut angustia cordis, quæ improbitatis sunt, prudentia mutatur in calliditatem.

6 **Q**ui capite est paruo, non fuerit balbus, neque caluus, nisi sit glaucus.

OBSERVATIO physiognomonica hæc esse videtur, eius philosophiæ peritis experimento cognita. Si quam tamen rationem oportet dicere, hæc fuerit. Capitis exiguitas

guitas aut ex debilitate facultatis, aut ex materiæ penuria videtur orta. Penuria materiæ cum bona temperie fecerit exiguum, non tamen caluum, neque balbum: debilitas facultatis quæ exiguum capitis incrementum pepererit, multorum etiam crudorum causa fuerit. Crudum autem alimentum oculorum glaucedinem solet facere. Nisi ergo glaucus fuerit homo, non habuerit exiguum caput ob facultatis defectum. Si autem ob facultatis defectum, qui cum vitio temperamentum coniunctus est semper, poterit esse balbus, aut caluus, atque alia etiam habere vitia, præter exiguitatem capitis.

7 **I**N conuulsionibus si vox in die legitimo soluitur, liberat à magno morbo.

CONVULSIONES nunc vocat, eas venarum interceptiones, quæ succis aut vaporibus copiosis occupantibus nervos fieri solent, ut in ebrijs: aut sine occasione plethora occupatis, & in mortem cum manifesta conuulsione finire. Aqua quidem liberantur, si loquuntur legitima hora solutionis ebrietatis, qui ebrij sunt: aut qui repleti, qui solent solui apoplexia, & aliæ apoplecticæ passiones. De his aphorismo quinto sectionis quintæ ita dicitur. Si ebrius quispiam repente obmutuerit, conuulsus moritur, nisi eum febris corripiat, aut ad eam horam veniens qua solent solui crapulæ, loquatur. Hic addit nunc, in conuulsionibus (in his scilicet passionibus) si vox soluitur in die legitimo (est verò legitimus solutionis dies cuique morbo, quo solet solui) liberat à magno morbo. Vox quidem non liberat ut causa, sed ut signum, quia indicat liberari hominem à conuulsione lethali. Nimirum in omni vocis interceptione, maximus metus est ex conuulsione, siue ex manifesta causa, siue sine ea vocis interceptio acciderit. Nam de ijs qui ob manifestam causam priuantur, dixit in iam citato aphorismo. De ijs qui citra talem causam, dixit in libro de ratione victus in morbis acutis his verbis. Cum aliquis repente voce priuetur, venarum interceptio significatur, si sanè hoc contingat absque manifesta aut alia forti causa. Interiectis paucis addit, incidunt autem plurimis

rimis ipsorum hæc, rubores faciei, oculorum stabilitates, digitorum in manibus distentiones, dentium stridores, maxillarum contractiones. Constat verò hæc conuulsiva signa esse. Sed & libro. i. prædictionum, de vocis interceptione in communi, siue ex causa manifesta, siue aliter, ita scriptum est. Vocis interceptiones cum singultu pessime. Et rursus in vocis interceptione spiritus velut ijs qui strangulantur, malus est. Nimirum hæc conuulsionis sunt signa, cum quibus aponia pessime affectos significat homines, qui si legitimo solutionis tempore loquuntur, euadunt, & à morbo quidè grauissimo. Atqui profecto multo magis euadunt, qui ex forti apoplexia non loquuntur vsque ad legitimum solutionis tempus, vt vsque ad tertij diei initium, aut vsque dum saltem totus dies naturalis exactus est, quam qui statim aut non multo postquam correpti sunt. His enim paulo post redit grauius & moriuntur. Ac multo magis si sine vlla partis cuiuspiam resolutione loqui incipiunt, quia multo magis præter rationem ea solutio est, cui merito non fidas. Sed tunc solum putetur euasisse homo, cum legitimo solutionis tempore loquetur.

8 **P** Arturienti, febricitanti, & dolenti, aquam affundere, & dare, ter in die ptisanam crassam calidam.

VBI ego legi vtero gerenti, habetur græce *λεχη* quod nomen recens enixam potius significat, atque proinde omnes vertunt puerperæ febricitanti. Mihi tamen videtur nomen *λεχη* non de ea tantum quæ peperit, sed de parturiente dici posse, & iuxta hanc lectionem sensus est valde cõsentaneus. Nam ob puerperas febricitantes aut dolentes, non hæc tantum leuia, quæ Hippocrates consulit, sed magna quædam, vt in primis missionses sanguinis, solemus facere. Tamen vtero gerentes, nullas curationes, nisi omnino exiguas ferre possunt, quia misso sanguine abortiunt, & expurgandæ non sunt, nisi cum magna cautione, si materia turgeat, neque ita quidem semper, sed à quarto mense vsque ad septimum. Sed neque tenuem admodum victum sustinere possunt, quia priuatur foetus alimento, neque auxilium aliud, quod magnopere possit corpus permouere. Atque diureticorum vltimum multo minus, quia mouente etiam me-

struas

struas euacuaciones, & abortus. Proinde, siue febricitent, siue doleant, blandius tractandæ sunt, atque si fieri possit febris solo victu, & dolor solo fomêto anodino, curari debet: victu verò humectante, nam talem amat febris, nõ autem admodum tenui. Huiusmodi est ptisana crassa (quam totam ptisanam solet vocare) data ter die, ne si detur semel aut bis, detur plusquam ventriculus benè ferat, si neque tantum, neque pluries, minus quàm res desideret. Detur verò hæc actu calida, quandoquidum cibi loco sumitur, ita enim melius coquitur. Neq; proinde est minus humectans. Atqui eadem ratione tu possis vti pulli exigui cù lactuca elixati, cremore, atque etiam carnibus, & alio quocunque tali cibo. Non enim vnicus est ad affectionem aliquam idoneus, sed nominauit Hipp. sibi maxime familiarem. Fomentum quoque anodinum si fieri potest, ne sit stupefaciens, sed aliquod eorum quæ ob mediocritatem, & blandum sensum, quem faciunt anodina proprie nuncupantur, cuiusmodi maximè aqua calida. Ergo dixit Hipp. parturienti febricitanti ptisanam crassam dare. Quasi diceret has blandius tractari. Non tamen proinde nunquã est alijs vtendum, sed nisi res vrgeat. Hoc enim alia omnia præcepta tollit.

9 **P** Verulus nutritur septimo mense, aut nono, aut decimo, & firmatur voce, & robur sequitur, & manibus validus est. Voce soluta omnia soluntur, solutio enim voci est similis. Soluitur autem in legitimo.

QVAEDAM tempora esse legitima partui, hæcque esse septimum, nonum, & decimum mensem præcipuè, & quas ob causas, dictum antea est. Nunc docet easdem ob causas hæc eadem tempora esse legitima, quibusdam mutationibus, quas editi iam in lucem pueri subeunt. Hæ sunt dētitiō, & tempus dādi cibos solidiores, & soluēdi manū, & ambulādi, & edendi voces, & loquellæ. Est enim vocis duplex solutio, prima qua voces articulatas incipiunt edere nihil significantes, secunda quia iam loquuntur. Et reliquæ etiam mutationes geminæ sunt, & ad proportionem accidunt, vt ipsa vocis solutio. Nam septimo mēse, aut nono, aut decimo (ra-

V ro au-

rò autem tardius) incipiunt garrire, & hoc ipso tempore incipiunt dentire, quod ob miram naturæ providentiâ iam significat opus esse aliquid cibi infanti dari debere, & tunc iam manibus apprehendunt, incipiuntq; manuum usum nosse. Duplo tempore. 14. inquam. 18. aut. 20. mense iam loquuntur, & ambulant, & possunt omnino carere lacte, cibos solidiores iam capientes. Hoc est quod dicit voce soluta omnia solvuntur, solutio enim voci similis est, id est si similem solutionem habent omnia solutioni vocis; soluitur autem quodcumque horum in tempore legitimo. Sunt hæc tempora dictis solutionibus legitima, quia duplum & triplum tempore partus.

20 **S**I venæ in manibus pulsent, & facies rectè valet, & hypochondria non sint mollia, diuturnus morbus sit, sine convulsione non soluitur, aut sanguine multo ex naribus, dolor coxæ.

VIDENTUR esse hæc duæ sententiæ, alia ad morbi diuturni signa, alia ad doloris coxæ solutionem, spectantes. Mihi verò non ita videtur (nam cur in coxæ dolore speretur salus ex fluxu sanguinis de naribus?) sed unicam esse hanc, venarum in manibus pulsam, & faciem rectè valentem, & hypochondria non mollia, significare morbum diuturnum, & cuius solutio non contingat sine convulsione aut sanguine multo ex naribus, aut dolore coxæ. Proinde ubi dicit *ἢ ὀδίνῃσα ἰχία*, id est dolor in coxam, legédum fuisse censeo *ἢ ὀδίνῃσα ἰχία*, id est aut dolore coxæ. Facit enī hæc exigua literæ mutatio magis congruentem sermonem. Sed perpendamus singula. Si venæ (inquit) in manibus pulsent. Hoc certè nihil aliud est quàm si diceretur si pulsus incidet febre teneri hominem. Nam venæ nomen de arterijs dici constat, cum addat pulsent. Manus Hippocra. non dicuntur solum extremæ manus, sed brachia tota atqui pulsare vocat ille, non utcumque pulsare, sed plusquàm bene valentibus soleant. Itaque perinde est ac si diceret, si plus deprehendatur in brachijs, ijs scilicet locis quibus commodius attrectatur, ad carpum, maior celerior & crebrior quam soleat. Est verò hoc quod nobis
indicare.

indicare. Vt ex hoc loco constet Hippoc. ad deprehenden-
 das febres, vsum fuisse pulsu, vt & Gale. & alios postero-
 res. Si itaque, dicit, febricitet, & facies rectè valet, idest nõ
 sit pro febris magnitudine extenuata, diurnus morbus
 fit. Quòd etiã in aphorismo dixerat his vèrbis Febricitanti
 , non omnino leuiter, nihil minui corpus, aut plusquam pro
 , ratione extenuari, prauum: alterum enim longitudinè mor-
 , bi significat: alterum autem imbecillitatem. Sed addit, &
 , hypochondria non sint mollia. Merito profecto: quia ni-
 , hil est, quod tam faciat ad citam morborum iudicationè,
 , quàm hypochondria libera ab obstructione esse. per ea
 enim agitur omnis humoris distributio, & omnis cõmea-
 , tus, siue ad ventrem per mesenterium, siue ad vesicam per
 , vtereras, siue ad totũ corporis habitũ ex alto sint penetra-
 , turi. Durities verò hypochõdriarũ significat obstructio-
 , nes. Sed & alia ratione significat hypochõdriarũ durities
 , morbum longũ fieri, quia significat luecos, ex quibus mor-
 , bus pendet, crassos esse, aut crassos esse factos. Si igitur di-
 , cta signa adsint, morbum fieri diurnũ significant: eũ ve-
 , rò qui talis est, non speres soluendum sine abscessu. Nam,
 , vt in prognostico dicitur, si qua febris prorogatur saluo
 , affecto homine, abscessum spectare oportet. Abscessus
 , verò plærumquè fiunt ad articulos, vt innumeris in locis
 , Hippocrates dixit, atq; in illo loco prognostici, & in hoc
 , libro, iam sæpe ad articulorum ligamenta, & tendines, qui
 , ex eis in musculos producuntur: nam sectione prima huius
 , secundi libri dixit, abscessus, aut per venas, aut ossa, aut
 , neruos. Abscessus ergo in neruos aut tendines fecerint
 , conuulsiones, aut resolutiones: in articulos, articulares do-
 , lores: in quibus præcipue est dolor coxæ Merito ergo ex
 , longo factõ morbo, timetur conuulsio, aut dolor coxæ.
 , Nam vt in aphorismo dicitur, quibus febres diurnæ, ijs
 , vel tubercula, vel dolores in articulos fiunt. Fiunt verò ni-
 , si talem abscessum anteuertat fluxus sanguinis de naribus.
 , Nam vt dixit nuper, sectione quinta huius libri, dolorem
 , in locis infernis fortem surditas soluit, & sanguis mul-
 , tus ex naribus erumpens. Sed & aliq; copiosæ euacuatio-
 , nes possunt etiam abscessum tollere. Nam vt in aphorismo
 , dicitur, quibus spes est ad articulos abscessum fore, libe-
 , rat ab abscessu, vrina multa & crassa & alba facta. Si autè

& ex naribus sanguinis profluat, & admodum citò soluitur.

AD guttur aquam calidam capiti affundere, nisi frigus fuerit, si autem non, farinam quam calidissimam dare, & vinum meracum.

GUTTUR est caput asperæ arteriæ. Constat verò nõ posse ad omnes gutturis affectiones vllum auxilium, nedũ tam simplex, vtile esse. Ergo ad aliquam certam gutturis passionem, intelligi oportet hanc curationem esse vtillem. Ea verò non potest esse alia, quàm tussis arida, ob destillationem tenuem & acrem e capite in guttur. Ea enim si non ex multo, sed ex exiguo, tenui, falso, aut acri, succo pendet, neque corpus vna plenum sit, infusione aquæ calidæ in caput curatur, præcipuè quibus caput lauare consuetum est. Nam ita reuocatur ad cutem, per eamque expirat, quod in guttur destillabat, atque si quid reliquum est, dulcescit, & citra irritationem gutturis, excreatur. Id verò fieri nihil magis prohibet, quàm frigus aeris ambientis. Nam laxatum balneo caput facile frigore læditur, & nouam ac deteriorem fluxionem patitur. Confert quoque ad destillationem, vti cibus crassitudinem afferentibus, & hebetantibus, cuiusmodi pulticulæ ex farina paratæ, aut ex amylo, aut etiam oryza, & huiusmodi: contra ac cum ex crassis & crudis fluxio pendet in qua vtendum cibo calorifico & extenuante, sed & in his exiguo vt excrementa cruda absumantur: in illis, non exiguo, ne reddantur acriora. Sed oportet omnia quibus ad pectus vtimur, indicatione partis, actu esse calida, etiam si alioqui medicamenta frigida, ob humoris speciem, sint. Merito ergo dicit, aquam calidam capiti affundere, nisi frigus fuerit, si autem non, id est si frigus fuerit, ac proinde non liceat balneo vti, farinam quam calidissimam dare. Addit & & vinum meracum. Hoc sanè mihi est in talibus maximè suspectum, ac proinde haud scio an id præbere aliquando tentauerim: conferre vero potest, vt & ad oculorum dolores & ad dolores capitis, & ad soluendam ebrietatem: Coquendo scilicet, & dissipando. Cauendum tamen quàm maxime est, ne tentetur

tur pleho corpore, neque cum fluxio possit denuo concitari. Id enim faciet potius, quàm priorem absumer. Ego proinde prioribus auxilijs contentus, & alijs eiuscemodi malo paulatim huic malo succurri quam nunquam non in fluxionibus periculosum, vinum propinari. Propinat vero ille vinum, cum frigus est, pro balneo, vt discutiat. Neque enim quia dicit si autem non, farinam quam calidissimam dare, intellige non esse hæc danda, nisi quibus infundere aquam non liceat. Nihil enim prohibet simul, & fieri balneum, & cibos tales dari, sed perinde est ac diceret. Si autem non liceat vti balneo, & farinam quam calidissimam dare, da farinam, & potionem copiosam vini meri, & dormiam, vsque dum cum vino, partim absumatur, partim coquatur fluxio.

In turbatione ventris fabas coctas dare, nisi superiora ardeant, aut cuminum edendum dare cum fabis.

Qvos in calce primæ sectionis vocauit crudos, & liquidos secessus, nunc vocat turbationem ventris, & qua ratione illic milium coctum dari iussit, nunc iubet fabas coctas, vt cibos tardi descensus, vt si orizam etiam diceret. Cæterum fabæ integræ sint, ac cum corticibus. Nam farina deterget plusquam vt possit sistere. Habet id incommodi, quod multus flatus ex ea prouenit, qui in supernarum partium imbecillitate maximè debet timeri. Nam effert ad superna, excrementa, atque ita capitis dolores, facit, aut auget. Proinde cum caput repleti excrementis ex toto corpore paratum est, vel etiam thorax, vt cum calida intemperie laborant, vitari debet vltus fabæ, aut aliquid, quod flatum possit tollere, & ventrem nihilominus siccet, cuiusmodi cuminum, cum fabis est admiscendum.

Interceptio morbi non possit fieri nisi in die legitima, neque quidem principium fieri possit, nisi in die illegitima, & mense, & anno legitimo.

DICTVM non semel iam est, dies legitimos vocari iudicatorios, quibus scilicet moriuntur ægroti, & quibus salui fiunt

funt. Itaque, dies fatales, & extremi morborum acutorum
 Qui menses & anni, dicantur legitimi, exigit hic locus, ut
 dicamus. Huiusmodi quidem sunt qui iudicatorij, qui fata
 les, qui insignes mutationes nati sunt afferre. Non tamen hi
 perinde atque dies, sunt velut articuli quidam morborum,
 sed ætatum, & vitæ hominum. Itaque menses & anni qui in
 signes vitæ hominum mutationes afferre solent, sunt legiti-
 mi. Menses quidem, ut nuper dixerat, partus, dentitiones
 & loquellam, fieri solere quibusdam mensibus: anni autē,
 velut septeni finiunt infantiam, pueritiam, adolescentiam
 & reliquis etiam ætatibus mutationes afferunt. Atqui in
 his ipsis naturalibus mutationibus morbi noui solent fie-
 ri. Ac proinde Hippocrates certia particula aphorismo-
 rum, omnes morborum differentias, quæ cum ætatum mu-
 tatione fieri solent persequutus est. Accepimus præterea
 ab antiquissimis rerum naturalium obseruatoribus, annos
 certos esse hominum vitæ fatales, quos climactericos (at
 tigit id Plinius libr. 7. capitu. 49.) quasi scalares appella-
 bant, quod per eos velut per scalæ quosdam gradus, ex
 quibus omnibus soleant præcipitari, homines procedant.
 Illos annos esse periculosos, quod aut mortem aut mor-
 bos insignes (fortunarum etiam iacturas dicunt quidam,
 sed hæc non curo) afferre soleant. Hos esse dicebant septe-
 narios & nouenarios, & qui multiplicatione. 7. & nouem
 fiunt. Veluti in primis 63. quod sit septies nouem: deinde
 81. quod nouies nouem: & 49. quod septies septem, sed &
 54 quia est sexies nouem, estque a 63. gradus proximus qui
 fit ab illo detractis nouem: sed & 70. quia est septenarius
 fiens ex 63. additis septem. Sed & ante hos sunt climacteri-
 cis omnes septenarij a primo, quin & menses septimi, &
 noni, climacterici infantibus sunt, morbis enim maximis, il-
 lis mensibus tentantur, & multi deficiunt in detentione,
 & in lactis cum solido cibo commutatione, ex febribus
 ex ventris profluuio, ex epilepsia, ex vermibus, & alijs pue-
 rilibus morbis. Sunt itaque dies legitimi solutionis mor-
 borum: & menses, & anni, legitimi ægrotandi. Non ta-
 men perinde sunt dies legitimi incidendi in morbos.
 Non enim ut dicimus septenis mensibus, & annis, morbos
 accidere solere ita possis dicere hoc aut illo die. Nulli
 enim sūt legitimi dies morborū, sed accidunt incertis diebus

Pro-

Proinde dicit Hippocrates interceptio morbi non potest fieri nisi in die legitima, neque principium fieri possit, nisi in die illegitima, & mense, & anno legitimo. Cum vero audis non potest fieri, perinde intellige ac si diceretur, non fit, aut non solet. Si enim rigidius intelligas, profecto, neque anno climacterico ægrotare, neque morbum die decretorio finiri necesse est. Alia quoque ratione dici potest dies ægrotandi illegitima, quàm quod incerta. Nimirum Gal. libr. de diebus decretoriis autor est, omnes dies esse plus minusve decretorios, præter primum & secundum. Primum enim non esse decretorium. Significare ergo possit hic locus Hippocratis, finiri morbos die decretorio, diem quo incipit decretorium non esse: sed illegitimum, malum, improperum, contrarium diei solutionis. Huc spectant, quidam, qui, dies decretorios cum musicis numeris conferentes, dicunt, decretorios dies esse eos qui dissoni sunt primo.

¹⁹ **N**itrum Aegyptium, & coriandrum, & cyminum terere, & cum vngvine inungere.

M A L E coniecta videtur huc hæc sententia. Nam & ipsa videtur aliunde decissa, & coeptum sermonem interrumpit. Sed hoc non adeò multum facit ad rem, si singula legitime enarrentur Nitrum Aegyptium secundo loco commendatur à Dioscoride, solum enim præfert Philadelphicum, estque, ut & coriandrum & cyminum, caloricum, siccans, & discussorium. Non explicat autem Hippocrates ad quas passiones, neque cui loco debeat hoc linimentum, ex nitro coriandro, & cymino, & oleo paratum, inungi. Quare oportet nos ex aliis coniectemus. Profecto non ad unicam affectionem, neque vnica in parte utebantur eo anti-qui: sed ad quancumque frigidam passionem, quæque calorem cum quadam discussione desideraret. Nam paulò post in hac ipsa sectione Hippocrates dicit, ut mulier in utero concipiat, nitrum Aegyptium tritum, coriandrumque, ac cyminum, in pastillos efformato, in pudendumque subdito. Quoties scilicet ob frigidam & humidam vteri intemperiem non concipit: Dioscorides cap. 80. lib. 5. tritum, cum cumino, aut ruta, aut anetho potum ex hydro-

melite aut sapa, sedare tormina: illiniri verò ad febres circuit redeutes, ante suspectam accessionem. Ad hæc ergo omnia illiniri vtiliter possit, & ad alia huiusmodi, nitrum cum coriandro & cumino & oleo. Ori vteri ad steriles, ad febres circuitu redeutes, lumbis & toti spinæ, quia vt in aphorismo dicitur, & hoc ipso libro, inde incipiunt rigores: sed & ad ventris perturbationes, ad quas cuminum edendum dare iusserat, si ex intestinorum frigida intèperie initium traxerint, illitio hæc ventri facta vtilis fuerit.

¹⁵ **Q** *Vicunque obeunt, necessum est in die legitimo, & legitimo mense, & legitimo anno. Prædicere autem rectè habet, mortem aut dolores fortes.*

Qvæ ex acutis morbis moriuntur die legitimo mori solent. Nam solent mori ex iudiciis. Moriuntur verò homines eisdem diebus quibus salvi fiunt. Sed & mense & anno legitimis mori solent, quia his solent ægrotare, eisdem autè mensibus & annis necesse est moriantur ex morbis, quibus ægrotant. Cæterum non est ea solum vis dici decretorio, ac mensi & anno climactericis, vt interitum afferant: sed menses quidem & anni morbos insignes & acutos, à quibus vix euadunt, aut chronicos dolores, quibus reliquum vitæ vexantur, vt podagram, aut calculum reni: dies decretorij, etiam cum malè iudicant, aut mortem, aut mutationes in deterius. Proinde dicit, prædicere autè rectè habet mortem, aut dolores fortes. Nimirum vt in initio prognostici dicitur, medicum vti prouidentia optimum est. Atqui profecto ad medici honorem, & admirationem artis, magis refert prædicere mortem in morituris, quam salutem in euasuris. Nam in his, maxima laus est in restituta sanitate, & seruata vitæ incolumitate: in illis nulla superest, nisi vt culpa putetur medicus vacare, quod prædixerit.

¹⁶ **Q** *Vorum oculi non sunt robusti, mors in proximo, si autem in anno legitimo fiat, ab utroque legitimos fieri necesse est, si autem illegitimo anno, & illegitimo die, necesse est mori die legitimo.*

Vnum

VNUM quodam lethaliū signorum est, oculos nō esse robustos in morbis acutis. Nam in prognostico dicitur, si lucem effugiant, aut nolentes illacryment, aut distorqueantur, aut alter altero maior fiat, aut albas partes rubentes habeant, aut venulas liuidas aut nigras in ipsis habeant, aut lippæ circa oculos appareant, aut etiam sint instabiles, aut eminentes, aut caui vehementer facti, aut squallētes, & obfcuri, hæc omnia mala & pernicioſa esse putandum est. Et rursum alibi, si neque videat neq; audiat, mors in proximo est. Sed scire oportet, vt bona signa diebus decretoriis fientia meliora fiunt, ita mala illis diebus fieri deteriora. Nimirum dies decretorius addit signis omnibus firmitudinem: sed & annus legitimus & mensis. Si quis enim in anno climacterico laboret morbo acuto cum signis lethali- bus, maiorem metum facit, quā si alio anno. Nimirū ipse annus horribilis est, proinde si hoc signum, aut aliud quod- piam valde lethaliū appareat anno legitimo & die legiti- mo, ab vtrisque id est, vtriusque temporis vi, legitimas fieri significationes necesse est, & proinde eodem die morietur. Si autem fiat anno illegitimo, & illegitimo die, morietur quidem (tanta est signi vis) tamen non eodem die: sed aliquo sequentium decretoriorum, aliquanto quidem tardius, si vtrumque est illegitimum: aliquanto citius, si al- terum sit legitimum, dies inquam aut annus.

17. **N**umeri quidem, tertius validissimus est.

TERTIUS numerus, si generatim, & quantum in ipsa numeratione agitur, consideretur, est omnium perfectis- simus: quia primus impar, atque primus numerus. Vnitas enim & binarius principia potius numeri sunt, vt forma & materia. Horum congressu conflatur ternarius, pri- mum, totum, & perfectum, & primi tres dicuntur omnes, & ob id omnia constant trinitate, physica, principiorum: mathematica, dimensionum: intellectualia, potentiarum & virtutum. Sed & si in diebus contemplabilibus mor- borum spectetur, tertius est validissimus. Nam est pri- mus decretorius in acutis tertius, quiq; affert paroxys- mum, & tertij est tanta vis, vt vix vnquam permittat
quarto

quarto (alioqui in primis iudicatorio) iudicare, præripiens illi iudicationem.

18 **C** *rynanchem & ophthalmiam, venæ sectio.*

UTRAQUE harum affectionum missione sanguinis curatur, siquidem utraque est inflammatio, & ex eadē venâ ambæ, puta ex cephalica, cum ambæ ad partes supra claviculas pertineant. Non tamen eadem ratione ad utramque mitti debet. Nam ad ophthalmiam licet copiosè mittere, & affatim, nullo ex deliquio animi timore imminente, tamen ad anginam non licet uti nisi repetita, ne præ deliquio animi introrsus collectus sanguis, in pulmonem incumbat, & perineumoniam faciat. Nam hæc post pleuritidem aut anginam, desperata affectio est.

19 **V** *vulnerato intestino, respiratio descendit obscura per vulnus, vacuanturque pectora, dare igitur lac & vinum æquale æquali.*

HANC sententiã merito reiicit Petrus Iacobus Estene, tanquam supposititiã, quia neque per ventris vulnus respiratur, neq; idoneũ ita vulneratis sit lac cum vino mixtum.

20 **Q** *uorum pectora ardentia sunt, balbi furentes, & calui, horum quicumque ab ortu etiam strabones, amentes, lapidei, maniacy, quibus autẽ nõ, alterius mali solutio.*

DIXERAT sectioe quinta, morbos habent, balbus, caluus, & hirsutus fortiter atrabiliarios. Hoc idem est quod nunc dicit, quorum pectora ardentia sunt, balbi, furentes, & calui. Nam hirsuties pectoris calidi indicium est. Porro hæc eadem sectioe nuper dixerat. Balbi, celeris linguæ, atrebilis humori, obnoziij, bili siquæ sunt, oculis non nictantes iracundi. Hæc quoque verba continent eandem sententiã, putã iracundos, hirsutos, balbos, & caluos, paratos ad maniam, quia calidi sunt & ficci, atque atrabiliarij. Nunc addit his aliud admaniam parati hominis signum, dicens, horum

horum qui strabones etiam à primo ortu sunt, amentes, maniaci, lapidei, id est parati ad insaniam, & ad stupidam quandam immobilitatem, quæ crescens, solet in cathocum finiri. Hoc idem significant oculi non nictantes, quorum mentionem antea fecerat. Sed quod strabismus à primo ortu insaniam significet, argumentum physiognomicum est, relatione ad passionem. Nimirum qui iam insaniunt, ita solent oculos iactare: quibus autem non est strabismus à primo ortu, sed successit, alterius morbi est solutio. Solere enim abscessu ex alio morbo oculos distorqueri, didicisti nuper ab Hippocrate dicente, solutio doloris coxarum, oculorum distortio.

Circa naturam plurimam vim habet mamma dextra, & oculus dexter, & quæ infra sunt, nam & mares dextris partibus hærent.

MVLTVM præstant naturali calore dextræ partes sinisteris, quia in dextra parte hepar situm est, principium omnis nutritionis. Iam verò & generatiua membra sunt dextra sinisteris valde calidiora, testiculus enim dexter ex vena caua venam accipit, sinister ex emulgente serosum sanguinem. Porro reâ dexter sublimior & hepatis propior. Sed & arteria aorta, à sinistro ventriculo cordis orta, mox versus dextram partem flectitur, & dextro corporis lateri maiores arterias impertitur. Hinc fit ut omnes partes dextræ sinisteris sint firmiores, quod vel inde cognosces, quod mares dextris uteri partibus hærent magis, ut in aphorismo dicitur. Ergo plurimam vim habent circa naturam dextræ partes. Hoc est magnam momentum habet, dextra pars an sinistra sit, quæ affecta sit, aut utriusque patiens, aliquam significationem præstet. Nam si pars dextra quam sinistra præstantior est, & morbus dextræ quam sinisteris maior, ac deterior. Porro si oculum peruertere in morbo acuto, aut lachrymari graue est, peruertere dextrum, aut lachrymari, grauius. Si mammam gracilescere gerenti utero significat abortum, gracilescere dextram abortum maris. Si hypochondrium alterum habere tumorem & dolorem est periculosum, dextrum ita habere, multo grauius est. Atque ita dextra pleuritis, & arthritis, & hemicranea, quam sinistra, deterior est.

Mulieri

²² **M**ulieri menstrua vt cobibeas, cucurbitulam maximam secundum mammam affigere.

HIC est aphorismus quinquagesimus sectionis quintæ, in cuius commentario diximus nullius partis cum alia vlla esse rectitudinem maiore, quam mammæ cum vtero. Causa autem est communio partium thoracis cum genitalibus, quam esse præcipuè in communibus venis, quæ per rectos musculos abdominis producantur, iam diximus, non semel, in hoc ipso libro.

²³ **T**rimestris puerulus omnia habet manifesta, & lac tunc habet. Si multum fluat lac, necesse est, vt lingueat quod in ventre est: si solidiores sint mammæ, magis sanus est embrio.

SECUNDA pars huius sententiæ, est aphorismus quinquagesimus secundus sectionis quintæ. Illa verò verba, trimestris puerulus omnia habet manifesta, & lac tunc habet, significant tertio mense esse iam partes omnes foetus distinctas, itaque finitam partium figuram, seu formationem, & tunc primum apparere lac in mammis vtero gerentium. Quod de figura dicitur aliis omnibus placitis videtur consonum. Siquidem cum Hippocrates & in libello de alimento, & in libello de carnibus, & in hoc ipso libro, multos ac diuersos figuræ fines ponat, nullum tamen non intra tertium mensem. Nam foeminae etiam, quæ tardius quam matres figuram accipiunt, circa sexagesimum diem, accipiunt cum tardissime. Huc enim videtur spectare, quod Deus sexaginta sex dies prohibuit templum adire, eam quæ filiam peperisset. Communis enim analogismus est, tempus expurgationis enixæ, respondere tēpori formationis infantis. Sed quod dicit de lacte repugnare videtur ipsi Hippocrati qui nuper in hoc ipso libro sectione 3. dixerat, lac nutrimento mutationem accipiente, octimestri verò perficiente. Quibus verbis diximus significari octauo mense lac fieri, quin & Galen. in comment. sententiæ trigestimæ nonæ particulæ quintæ, octauo mense lac fieri docet, quo pacto
ergo

ergo tertio? Certè, Aristot. 4. de generatione animal. capit. 8. decidit hanc controuersiam, dicens, septimo mense primum fieri mulieribus lac utile, ac concoctius, & copiosius, ante id tempus exiguum esse & inutile, quod appareat. Sed quid quod utile ne octauo, ne nono quidem mensibus fit, siquidem etiam vsque ad peractum tempus expurgationis sunt, enixis etiam, quæ vocantur colostræ? Sunt enim colostræ (dicit Plinius lib. 28. capit. 9.) prima à partu, spongiosa densitas lactis, & infantes eo lacte vtentes inuadit morbus qui dicitur colostratio, dicunturque colostrati? Certè ita est, lac vsque ad exactum tempus purgationis non est satis utile, tamen ante septimum, aut octauum mensem omnino inutile & exiguum, ab hoc tempore plus iam est, & nutrire, tametsi cum aliqua incommoditate, potest, fit tamen quaecunque lac mense tertio.

Vena habetur crassa in vtraque mamma, hæc maximam habent partem prouidentia.

IN vtramque mammam erumpit ab internis vena quædam valde manifesta, tunc saltem cum mulier gerit vtero, aut lactat, aut cum instant menstruæ euacuationes. Huius venæ pars maxima in mammam distributa infunditur, reliquum venæ repit deorsum per musculos rectos abdominis, vsque ad vterum. Hæc (inquit) maximam habent partem prouidentia. Hoc est, hæc multum præstare potest ad præsentionem. Nam vt superiori sectione dixerat, pituitæ fluxus ex mammis oculi trahunt, & rursum in aphorismo si lac in mammis appareat insanum & furibundum. Quæ significant, tumorem mammarum significare transmissiones succorum à capite ad corpus, & contra, ob has scilicet venas. Sed & alium sensum, quem nunc probò magis, hæc verba ferunt. Nimirum magnam significationem præstare prouidentia formatoris, has venas, erumpentes in mammas ob infantis necessitatem, & in vterum productas, ob necessitatem foetus, & vt eadem materia nutriatur, qua genitus fit.

Vrina

25 *Vrina stillicidium soluit venæ sectio.*

TRIGESIMVS sextus aphorismus sectionis sextæ est hic. Quare eius enarrationem suo loco require ex meis commentarijs. Galen. enim putauit esse adiectitium.

26 *Si supernæ partes turgeant quæ circa caput, vlcera purgatio, vomitus, aqua.*

VBI ego scripsi aqua, in omnibus Græcis codicibus *ἄδω* id est aqua intercus. Tamen quia nihil potest illa lectio continere, quod dignum sit Hippocrate, immo neque quod verum, suspicor scriptum fuisse ab Hippocra. *ἄδω* id est aqua. Nam facilis lapsus liberariorum fuerit pro *ἄδω* & hæc sententia est vera, & alijs Hippocrat. præceptis valde consentanea Illud *σπαρσάσθαι* id est turgere, significat tumere, & irritatam esse partem vlcere. Si igitur, inquit, supernæ partes, quæ circa caput turgeant, id est si caput habeat vlcus, & adhuc tentetur inflammatione, & tumeat, vlcera purgatio, vomitus, aqua. Idest curatio est, dare in potu aquam, & expurgare corpus pharmaco, deinde vti ad vlcera extergentibus, & alijs idoneis medicamentis. Nam Hippocrates vomitum vocare solet expurgationem quæ pharmaco fit. Quia expurgationes ex bile, crebro faciebat ille vomitione. Huusmodi est illud, ad helleboros qui non facile supra purgantur, eorum corpora pluri cibo & quiete humectare: & rursus illud, si velis magis ducere helleboros, moue corpus. Hæc enim, & huiusmodi omnia, nomine hellebori & vomitionis, de omni expurgatione dicuntur. Igitur purgationem & aquam commendat in talibus vlcibus capitis. Atqui vtrunque in præcipuis posuit. Nam lib. de vlcibus, non longè à principio, ita scriptum est, Modicus sibus & aqua quam maxime omnibus vlcibus conducunt, & magis recentioribus quam vetustioribus, & si quod aliud vlcus, inflammatum est, aut inflammationem minatur, atque si periculum est corruptionis, & vlcibus, ac inflammationibus in artibus, & vbi conuulsionem fieri periculum est, & vulneribus

bus in ventre : maximè verò omnium fracturis in capite & femore . Porro de purgatione paulò inferius dicit, Purgatio ventris deorsum plurimis vlceribus confert & in vlcenibus quæ sunt in capite . Quod purgationem vomitu fieri iubeat consentaneū videtur aphorismo decimo octauo sectionis quartæ, in quo dicitur, Dolores supra septum transuersum qui purgatione opus habent, sursum versus purgatione indigere significant : qui verò infra, deorsum. Quamquam vt in commentatione illius aphorismi dixi purgatio sursum ob caput facta, magna consideratione indiget, & raro potest magna noxa carere . Cuius gratia in capitis vlceribus, ego non tantum non moueo expurgatorium vomitum, sed ne purgatione quidem pharmaco per os ingesto facere soleo, præcipuè si tempus anni calidum sit, sed si possum clysteribus acrioribus, & tenui victu contentus sum, timens, quod libr. de locis in homine dicitur, Febricitanti caput ne purgato, ne furiosus fiat . Calfaciunt enim caput pharmaca purgatiua, & ad caliditatem febrilem accedente ea quæ in medicamento est, insaniam facit . Hæc illo loco, quæ mihi videntur ad modum rationi consentanea, ac proinde, siue homo vehementer febricitet, & præcipuè secundum partes superiores, siue caput inflammatione tentatum sit, siue tentari periclitetur, siue phreniticus sit, siue magnum habeat vlcus, quòd possit non sine periculo irritari, deuito pharmaca quoad possum, certò sciens his magnopere tentari capita . Indicat enim id somnus, qui ijs qui expurgantur mox ingruit .

27 **A** Ventris turbatione aut à tussi, siente cancro, os amarescit. Dare autem bibere elaterium bis aut ter, nisi balbus sit. Alligare oportet aris florem cum vsseris vsque dum rufus sit, & spongiam, nisi balbus sit.

DICTVM mihi est in enarratione apho. 24. particulæ quartæ, dyfenteriam ex atrabile quam lethalem Hippocrates vocat, esse cancrum intestinorum, atram enim bilem eo loco, vt in alijs solet, cancrum cum vlcere excitare, vt flaua bilis, aut salsa pituita, facit, per minus periculosas dyfenterias, vlcera alia simpliciora . Simile quiddam accidit

dit in aspera arteria per tusses . Nimirum vt dysenteria fit
 destillationem patientibus intestinis , & ea quidem in pri-
 mis radente, deinde exulcerante manifestè, mitius aut ma-
 lignius, vt est ipsa influentis succi species, ita per tussim
 asperæ arteriæ tunica interna, in primis detersionem pati-
 tur, procedente malo etiam exulcerationem, aliquando
 etiam tantam, vt magnæ membranæ frustra tussi reiiciatur,
 atque adeo etiam cartilaginum : & hæc vlcera pro specie
 succi aliquando sunt simplicia, aliquando maligna, non ali-
 ter ac in ipso ore videmus fieri, nunc apthas, nunc malignas
 nomas. Itaque maligna, & dysenteria, & tussis, esse solet,
 adeo vt cancrum patiantur intestina, aut aspera arteria.
 Cuius affectionis essentiam, & notas, & curationem, com-
 plectitur breuis hæc dictio . Essentiam quidem his verbis,
 a ventris turbatione aut tussi fiente cancro : notas, his, os
 amarescit: reliquis, curationem. Nimirum alui turbatio di-
 citur omnis ventris fluxio immodica, siue diarrhoea siue
 dysenteria, siue lienteria fit: quæ verò cum intestinorum
 exulceratione fit, dysenteria est: & tussis etiam fit patiente
 aspera arteria destillationem acrem, quæ cum procedit
 multum, exulcerat . Exulceratio vtraque, timeri debet, ne
 cancrum fiat: vbi enim facta erit talis, erit incurabilis. Ti-
 mebis autem multo magis, si videris os ægroti amaresce-
 re, non vtunque, sed multum . Quia vlcera tunc fiunt,
 cacoethè, cum corpora ægrotantium sunt cacochymia:
 nam quæ bono vtuntur succo, aut nulla aut simpliciori
 habent vlcera: cacochymix autem biliosæ nota est, omni
 amaritudo, qua quidem multum vtitur Hippocrates, vt in-
 numeris in locis videre licet . Non quidem est hæc sola
 cacochymix eius nota, sed est hæc magna: mala quidem
 in omni febre, tumore, aut vlcere, communi ratione, pe-
 culiari autem magis in tussiatque dysenteria, quia oris tu-
 nica interna habet cum ventre continuitatem & rectitu-
 dinem, atque cum aspera arteria viciniam & continua-
 tem, per gulæ partem anteriorem, & asperæ arteriæ poste-
 riorem . Significat ergo oris amaritudo non solum esse in
 corpore multam bilem, sed etiam regurgitare in illas par-
 tes . Satius autem fuerit, non hanc solam considerare, sed
 alias etiam notas adiungere cacochymix totius corporis
 & harum partium, quæ ab excrementis præcipuè, & totius
 corpo-

corporis colore capiuntur . Sed veniamus ad curationē ,
 quam duplici auxiliorum genere exequi iubet,pharmaco,
 & admotis ventri medicamentis . Elaterium inquit dare
 bis aut ter . Elaterij historiam & vires , apud omnes qui
 de materia medicinali scripserunt, licet legerē , utque is fit
 succus valde purgans . Quem quidē ego, alijs omnibus me-
 dicamentis expurgantibus, ad dysentericos, potiozem esse
 non existimo , sed forte alijs minus commodum . Verum
 antiquus mos est Hipp. expurgationem præcipere , nomi-
 nato semper aliquo medicamento , eorum quæ sibi erant
 familiaria, ut elleboro , elaterio, aut vnico . Perinde ergo
 tu intellige, ac si diceret, expurga . Illud, bis aut ter, festina-
 tionem continet, quasi diceret, expurga cito, ac si opus fit,
 repete medicamentum sine mora . Sed quorsum expurget
 quis in dysenteria ? Annon trahet ad partem affectam ex-
 crementa ? Certè . Læserit ergo interim ? Haud dudicè,
 tamen præseruat expurgatio à maligna dysenteria, tem-
 pestiuè extrahens multam copiam succorum . Quia mul-
 to magis exulcerantur intestina paulatim in ea excre-
 mentis influentibus , quàm assatim per ea effluentibus
 multis . Itaque expurgatio , non tollit periculum quod a
 succis ipsis impendet, siquidem hos trahit ad intestina, sed
 quod a mora & lenta fluxione . Proinde si expurgan-
 dum in dysenteria est , præ propere faciendum, quia ubi
 multum processerit malum, frustra suscipietur . Neque
 tamen hoc curationis genere in omni dysenteria vten-
 dum, temeritatis enim aliquid habet excrementa omnia
 eò vocare, quò cum magno hominis malo sponte fluunt :
 sed tunc solum cum maligna dysenteria imminet, adeò
 ut non videatur mediocris alia curatio , quæ detergenti-
 bus & astringentibus agitur, posse esse satis . Tunc enim
 fatius est , aliquid cum temeritate facere , quàm sinere
 hominem certo perire . Hæc igitur iubet facere , cum
 turbata est aluus , & os amarefcit , nisi ægrotus sit bal-
 bus . Balbo enim familiaris est turbatio alui , ut in apho-
 rismo dicitur . æquum ergo est cum eisdem notis mino-
 rem morbum esse suspicari, quàm in alio, quopiam homi-
 ne . Cum ergo non sit expurgandū nisi in periculosissima dy-
 senteria, non mirū si in balbo, his ipsis apparētibus, expur-
 gatio deuitetur . Accedit, quod ut facilius fit alui fluxio in

balbo, ita facilius augebitur, & fiet nimia, & minus poterit fitti. Ergo à morbo est balbo periculum minus, ab expurgatione maius. Quare satius fit in talibus non expurgare, etiam si in alijs dysentericis, eisdem & æqualibus symptomatis apparentibus, expurgandum fit. Docet deinde eam rationem curationis quæ exterius admotis perficitur, dicens, alligare oportet florem æris, vltum adeò vtrufus fit, & spongiam. Flos æris medicamentum est ficans & astringens, quale vlcera desiderant, sed est etiam excedens, & nimis acre, verum hanc acrimoniam (vt alia omnia acria) vstione deponit, adeò vt fiat, pro exedente valde extergens, quod etiam amant vlcera, præcipuè maligna. Spongia vti possumus, vt instrumento ad fomenta & irrigationes accommodato, & vt medicamento, ipsa enim per se, præcipuè recens, & quæ mare adhuc olet, ficans admodum est, & multa vlcera sanat. Quare inspergere florem æris vltum, & spongiam alligare, citra aliud quidpiam, fuerit ad vlcera sananda potentissimum: aut etiam puluis spongiæ recentis, & vstæ, cum flore æris mixtus, & inspersus. Neque verò mirum tam vehementi medicamento Hippocratem vti. Non enim quancunque dysenteriam, sed malignam docet curare. Poscente verò nobilia medicamenta vlcerum specie, pars affecta tale admodum poscit, quia est natura sicca, & in alto posita, & excrementitiam humiditatem habens multam: quæ omnia siccantium vim augeri postulant. Sed quoniam hæc curatio est vehemens, non nisi cum vehementis morbi suspitio est, ea vtemur: quare raro ad balbos: quia vt dictum est talium natura minuit eam suspitionem, proinde nunc quoque adiecit, nisi balbus sit.

28 **I**n inquietudine, horrore, oscitatione, vinum æquale aequali.

Hic est aphorismus quinquagesimus sextus septimæ, particulæ, figura sermonis tantum differens. Illic enim legitur, inquietudo, horror, oscitatio, vinum æquale aequali potum soluit. In alijs codicibus inquietudinem, horrorem, oscitationem, vinum æquale aequali potum soluit. Sed hæc

hæc differentia sermonis, nihil addit aut detrahit sententia. Hoc loco occurrit in omnibus græcis codicibus, quos mihi contigit videre, adiectum præscriptis verbis, aut lac. Verum suspicor, ut alij etiam multi, corruptionem esse cœdicis, atque illas duas voculas, male in hunc locum cecidisse: quia non sunt in aphorismo. Sententiam autem in aphorismis & in epidemijs scriptam eandem, consentaneum est, in aphorismis perfectius scriptam cœferi, atque ita lectionem aliam emendari. Nam aphorismos scripsit Hippocrates, elaboratissimas sententias colligens, hos autem libros non ita, sed ut adhuc obseruans, & elaboranda deinceps compilans: accedit quod ad has passiones minime est utile. *ἀλυμὴ* quam ego inquietudinem appello, aut anxietatem, quidam etiam vocant pandiculationem. Tamen luce clarius est, eos errare, ex ijs quæ Galen. dicit in commentario citati aphorismi (æquum autem est illi credere in nominis græci expositione.) Dicit enim esse eam passionem, qua qui tenentur, nunquam quiescunt, sed semper præsentibus molestantur, & ab vna re in aliam se trãferunt. Itaque inquietudinem seu anxietatem licet dicere. Anxij enim inquieti sunt. Hoc verò nihil est minus quam pandiculatio. Nam hæc est in totius corporis musculis, quod oscitatio in buccis, sicque ut hæc, quod crassus flatus moueatur inter musculos, eique exitum præstent musculi, varie sese mouentes, ut ille erumpat. Itaque hæc multum crassumque flatum indicant, qui aut ob multum crudumque adhuc cibum in ventriculo fiunt, ut iam iam dormituris, aut quod excrementa in ventrem confluant, ut esurientibus, aut quod alioqui crasso & crudo excremento abundant, ut iam iam ægrotaturis. Horror sponte fiens (de tali enim Hippocrates nunc loquitur) excrementa abundare, quæ per cutem delata compassionem inferant, significat. Anxietas seu inquietudo, nulla causa magis fieri potest, quam quod os ventriculi maligna aliqua excrementi qualitate molestetur, vnde & cardialgia, ac lipothimia, fieri nata est. Dicitum vero est Hippocrati proxima sectione, ad cardialgiam utile esse, panem cum vino dare. Nunc ad omnes has passiones iubet uti vino medioeriter temperato, scilicet æquale æquali. Nimirum hæc passiones sunt neutræ potius quam morbi, proinde ad eas

omnes nihil vtilius, quam victum ita moderari, vt cruda coquantur, & quæ digeri possunt, digerantur, euacuatione manifesta, aut insensibili. Quæ omnia vinum præstare potest, valde dilutum debiliter, meracius, cum febris periculo: proinde iubet æquale æquali temperare. Intellige autem hanc mensuram in vino mediocri retinendam, non in omni. Nam perinde fuerit veteri & generoso vino duplum aquæ infundere, & oligophoro sub duplum, & mediocri æquale. Sed & totum victum oportet, ad procurandam concoctionem, & corporis puritatem, adhiberi idoneum. Nihil enim refert vinum temperare, si vtaris multis horarijs fructibus aut poris, cepis, & alijs.

29 **A**D auris dolorem cucurbitulam affigere.

MVITRO familiarior erat Hippocrati vsus cucurbitulæ ad dolores omnes, quam medicis huius tempestatís, qui eam adeo timent, vt ne nominare quidem audeant, nisi semimortuo iam ægroto, quum scilicet fatius esset, agere nihil. Verum Hippocrates (vt videre licet libro de medico) multis ad dolores vtebatur, & pro dolorum differentia, figura differentibus, ad dolores scilicet in alto positos, ad magnam aut fortem tractionem, opus est angustis ore, ad dolores per cutem velut effusos, amplioribus. Ego certè in doloribus circa quasdam partes consistentibus, rarò non vtor cucurbitulis, cum scarificatione aut sine ea, cum dolor non cedit vniuersali vocatæ euacuationi. Quamuis enim id nunc Hippocrates tacet, tamè intelligi debet quod dicitur, salua methodo. Nimirum affigere oportet cucurbitulam, prægressa totius corporis euacuatione, quam affectus exigat, & ægrotus possit tolerare. Nam neque ad aliud aliquod auxilium valenter resoluens, veniendum est prius. Neque tamen proinde expectandum est, vsque dum totum corpus sit euacuatum, & exsuccum, vt plærique medici hodie faciunt, quibus nulla euacuatio ad cucurbitularum admotionem videtur esse satis, sed quantum vrgeat partis passio considerandum, atque, vt resoluentia medicamenta admouemus vacuari cœpto corpore, nõ semper euacuatione finita, ita non rarò vrgente passione, cucurbitulæ

tulæ euacuationibus sunt interponendæ, vt morbus qui nõ potest expectare totam euacuationem, cum eam partiri opus est, alternatim secta vena & cucurbitulis admotis, perficiatur. Neque enim vbi nondum est iam admodum plenum corpus, neque fluxionis primus insultus est, suspicari oportet tantam futuram tractionem, vt toto ex corpore in affectam partem fluxio commoueatur, aut augeatur: satis enim serit, si de interna doloris sede ad cutem trahatur. Neque enim hypochondrio admouere, hepatis aut lienis, & admouere hypogastrio, vesicæ, aut vtero: & admouere lumbis, renibus admouere, est. Inter sunt enim musculi & talia multa. Quod si post admotas cucurbitulas dolor recurret denuo, & fluxio, quid prohibebit iterum misso sanguine deriuare? Nam & in alijs curationibus, cum vrgentiæ aliqua ratione factum est satis, redimus ad legitimas indicationes, quæ procedant à causis. Libuit hæc fusius dicere, propter eos medicos, qui non tantum non volût Hippocratem hac in re imitari, sed meam etiam praxim hac causa vituperant. Quod hic Hippocrates ad auris dolorẽ, in calce libri de iudicationibus commendauit ad omnes partes circumcirca caput dolentes, his verbis, Caput circumcirca dolenti, quicumque ex supernis locis doluerit, cucurbitam affige. Itaque & ad dolorem oculi, & occipitis, & temporum. Ob aurem quidem humero in primis, deinde ceruici è regione, deinde, post aurem glandulis eius loci. Nam ipsi auri admoueri non potest, sed neque oculo, sed si alter laboret eisdem partibus quibus ad aurem, sin ambo, mediæ ceruici ad occiput, vt & ob tempora. Dixerat proxima sectione Hippocrates, si auris doleat lacte utatur. Quæ sane videntur longè diuersa auxilia. Sed non mirum, multis sæpe opus est ad eandem passionẽ, aut ob differentiam causæ, aut temporis. Velut si ad phlegmonem auris in primis instilletur lac, temperandi, partem & mitigandi dolorem, gratia, procedente malo affigatur cucurbitula, reuellens & euacuans: aut ad phlegmonem, instilletur lac, ad dolorem ex flatu, admoueatur cucurbitula.

Quodcumque supernorum doluerit, dolor in coxas, aut in genua, & asthma, soluit omnia, cum hæc fiunt.

HÆC quoque sententia scripta est loco citato libri de indicationibus, & non est à proxima dictione decissa, sed eadem sententia. Nimirum dicit quæcunque pars supernarum in capite doluerit, curari cucurbitula. Quod vero curatio non cadat, neque hominem interimat, sed producat, solui solere cum abscessu, ut alios omnes morbos productus & salutare. Abscessus quos solent habere, sunt, in coxas, aut genua, aut firmari in thoracem, & facere asthma. Quod quidem consonum est illis verbis quæ proxima sectione enarrata sunt, si caput doluerit ad pectus descendit, deinde ad hypochondria, postea ad coxam. Omnia verò ut doleant fieri non potest.

31 **I**N voluulo tenui frigidum vinum multum merum secundum rationem dare usque dum somnus sit, aut crurum dolor fiat? soluit autem & febris, & dysenteria sine dolore.

PVLCHERRIMAM, & mihi iam experimento probatam, docet curationem voluuli: non omnis (neque enim eius qui ob inflammationem fit, & quem acuta febris comitatur) sed eius qui à flatu crasso distendente, aut feces duras ad intestina gracilia afferente, aut à succo frigido impacto. Talem enim nihil potest soluere melius, quam vinum merum. Coquit enim cruda, extenuat crassa, dissipat flatum, digerit deducitque per corpus. Quare aut coquendo, dissipandoque causam, aut in aliam partem tradendo, liberat ab hoc malo. Accersere enim solet vinum somnum, aut artuum dolores, aut articulorum, suscitare: & utraque harum est in hac affectione causa salutaris. Somnus quidem quia per quietem & indolentiam facultas reficitur, & reuocato intro calido, causa coquitur. Dolor articulorum, aut artuum, quia factò tali abscessu cessare solet morbus prior, velut in podagricis habemus obseruatissimum. Vix est morbus a quo non liberentur podagra superueniente. Nimirum ut Hippocrates nuper dixit, non potest fieri ut omnia simul doleant. Igitur velijs rationibus est utile vinum, quod somnum conciliet, & dolores crurum afferat, & cum horum aliquid fecerit, satis vini putetur datum. Si enim

enim in his doloribus stupefacientia sæpe sunt vtilia, quod summum faciant, ipsa alioqui per se noxia morbo, quanto vtilius sit vinum, quod somniferum etiam est, & per se vtile ad morbi causam tollendam? Non tamen utcumque datum hæc fecerit, sed ut quam optime hoc poterit facere. Puta satis multum & merum. Dilutum enim aut exiguum, neque somnum, neque dolores crurum affert. Multum si affatum detur, non poterit retineri, sed statim euometur, ut potest ventriculo talium, ad vomitionem conuerso, etiam fæcum: neque multum & merum si retineretur, coqui posset à facultate debili, acesceret ergo, & factum acetum augeret morbum. Quid ergo superest? ut detur multum merum, sed paulatim, crebro scilicet & exiguo haustu. Ita. n. paulatim retinebitur & coquetur, & coquet, & reliqua præstabit bona. Hoc in calce libri de iudicationibus ubi hæc eadem sententia verbis, non nihil differentibus, scripta est, docuit Hippocrates dicēs, vinum multū merū *καταμυκον* idest paulatim dare. Et hoc idem est quod nunc intelligit dicens, *καταλογον*, idest secundum rationem. Nimirum illud datur ad hanc passionem secundum rationem, quod datur frigidum, multum, merum, & paulatim. Reliqua quidem ob causas dictas, frigidum verò, ut ita quoque minus euomatur. Addit, soluit autem & febris, & dysenteria sine dolore. Quæ verba partim nouum sensum, partim prioris confirmationem continent. Nimirum febris & dysenteria sine dolore, cum sponte superueniunt, tollūt voluulum: febris quidem, eum qui à flatu, aut crasis & pituitosis: dysenteria, & hunc, & eum qui à ficis fæcibus. Sed vinum multū paulatim datum potest facere febrem, & dysenteriam: omnes ergo bonos voluuli exitus, qui numerantur quatuor, somnus, dolor artuum, febris, & dysenteria sine dolore, facere solet vinum. Quare voluulo admodum salutare sit. Sed quam vocet dysenteriam sine dolore? Si enim intestinorum exulceratio, quo pacto sine dolore sit? Certe Hippocra. loco citato ex lib. de iudicationibus, non addidit illud sine dolore, sed simpliciter dixit, febris aut dysenteria. Quapropter quidam censent hinc deleri, ut codicis corruptione interiectum. Ego verò non ita censeo, sed dysenteriam hic & illic dici quancunque alui perturbationem, addi verò hoc loco sine dolore, ut significetur diarrhœa,

quæ hoc differt à peculiariter vocata dysenteria, quod sine dolore, aut cū minori dolore intestinorum est crebra deiectio, & hæc sane succedens illi, solet soluere voluolum.

32 **S**i hypochondrium distentum fuerit, comprimere manu & lauare; aquæ recedentis à lacte, octo cotylas bibendas dare: si autem vomat, & non bibat, alijs intritum acutum.

DI S T E N T I O N E S hypochondriorum fiunt flatu, aut aqua, aut succis crudis eo loco redundantibus, aut tumores scirrhusis cum obstructionibus viscerum consistentibus, vt per hydropis duo genera, ascytem & tympanitem, & per morbum vocatum flatuosum (est vero melancholia hypochondriaca) & ventriculi a peptias frigidas. Fiunt etiam hypochondrij elationes ob inflammationes magnas. Quacunque ex causa intumescat, hypochondrium, curatur horum aliquo, aut his omnibus, compressione manus, lotionem, expurgationem & mouentibus vrinas, ac aperientibus cibis. Inflammationes, missionem sanguinis ante hæc omnia amant, & reliquæ etiam affectiones aliquando, sed non semper, nequæ tam copiosè. Verum comprimere, cum flatu, aut aqua, aut etiam tumoribus scirrhusis eleuantur, vtile est, quia aqua & flatus expulsi inde, coguntur exitum querere, & tumores prohibentur adeò crescere, & cū sine indolentes, nihil læduntur. Comprimere autem manu quàm fascia, maiorem quandam habet vtilitatem, quia manus calore naturali, & nobis familiari, coquit, & soluit flatus. Lotione sanè seu irrigatio hypochondrij, ad omnes dictas passiones vtilis est, sed non ex quacunque materia, neque ex eadem ad omnes, sed ex diuersa pro affectionis & partis indicatione: velut ad obstructiones vetriculi, ex mentha & absynthio: hepatis, ex hoc ipso & mentha, cum exiguo aceto: lienis, tamarycis, cappari, & splenij, & aceto pluri. Ex his verò parantur olea, aut decocta, & hæc, ex aqua marina, aut vrina. Serum lactis, quod aquam succedentem ex lacte vocat, frigidum & humidum medicamentum est

est verū participatione quarūdā acriū particularū, est expurgans, & extergens deobstruens, & mouens vrinam. Quare in dictis obstructionibus maximi est vsus. Vtimur verò eo, nunc simplici, vt cum obstructiones cū calore aliquo præter naturam, siue febricula consistunt, nunc verò composito, vt cum sunt cum frigida materia, & intemperie. Tunc enim, ad pituitam, admiscemus illi mel & salem: ad melancholiam infundimus quæ eum humorem possint extrahere. Iubet verò Hippocrates dare octo cotylas. Capit verò cotyla vncias nouem. quare octo cotyla ferè capiunt, quod hispani vocant azumbre. Hippocrates certè potiones omnes medicamentosas dabat maiori quantitate quam nunc est in vsu, verum hæc maxima quantitas est, vt bibatur vno die. Ille verò dabat vt affatim satisque multum expurgaret. Ego hanc expurgandi rationem nondum sum expertus. Seri autem duas cotylas sæpe dedi ad expurgandum paulatim, vt per aliquot dies cotylæ duæ summo mane acciperentur, nunc simplicis, nunc cum aliqua infusione. Atq; ad expurgationes copiosas, in sero lactis medicamina bene purgantia dissoluo. Merito verò timet Hippocrates ne tantum seri non possit bibi sed euomatur, præcipuè distento antea ventre: proinde iubet intrito, quod paratur ex allio, vti. Nam hoc vt Dioscorides. ca. de allio monet, vrinā ciet, & hydropicis est vtile. Certè & flatu dissoluit, & obstructiones omnes tollit. Febricitantibus verò, aut dolentibus capite, ne detur, præcipuè inluetis. Alioqui verò ad distentiones ex flatu aut aqua, est eius vsus vtilissimus.

33 **A** *Dredunias galla nigra cum melle.*

A **B** **S** **C** **E** **S** **S** **V** **S** qui iuxta vngues oritur, exiguus esse solet, quare siue suppurauerit iam, siue nondum, siccante medicamento ac resolvente, quale hoc est, aut fieri prohibebitur, aut factus breui delebitur, & citra vnguis corruptionem. Nam galla repellit & siccatur, ac siccando absumit humorem. Mel resoluedi vim habet.

34 **V** *T mulier in vtero habeat, polypos super flamma asatos quam calidissimos & plurimos, semiustos, edendos*

edendos dare. Et nitrum ægyptium, & coriandrum & cuminum terere, & pastillos facere, & apponere pudendo.

NON ad quascunque steriles utilis curatio est hæc, sed ad eas solum quæ frigida, & semine fecundo parum abundantes, sunt. Polypus enim est salacissimum animal, & quod coitu nimio resolutum tabescit. Quæ verò talia sunt, necesse est ut augendi semen vim habeant, tali enim succo sunt, & in talem nata mutari. Iam verò quod apponi iubet calorificum est, ac proinde tentiginem faciens. Quanquam ego cuminum detraherem, ut pote quod absumit flatum, ut ruata. Dixi ego ante, hanc illitionem in dorso factam, ad vehementes rigores esse utilem.

35 **S**i caput ex crapula doleat, vini cotylam bibere: si vero aliter doleat, panem calidissimum cum vino mero edere.

NON temere dari debet vinum dolentibus capite ex vino, sed tunc solum, cum & dolores oculorum soluit, ut in aphorismo dicitur, cum scilicet corpus plenum non est, & dolor firmatus ob causæ difficilem discussionem. Quod dicit si verò aliter doleat (intellige, si verò ob cardialgiam ut plerunque fieri solet) edere panem quam calidissimum cum vino mero. Nimirum superiori sectione dixerat, hoc soluere cardialgiam. Constat verò sympathiæ curationem debere incipere à curatione protopathiæ.

LIBER TERTIVS
EPIDEMIORVM.

Sectio prima.

Ægrotus primus.



PYTHION qui habitabat iuxta telluris templum. Cæpit tremor à manibus, prima die febris acuta, delirium. Secunda omnia exacerbata sunt. Tertia eadē. Quarta à ventre pauca, mera, biliosa, fluxerūt. Quinta omnia exacerbata sunt, somni tennes, & aluus restitit. Sexta sputa varia, subrubra. Septima os distortum est. Octaua omnia exacerbata sunt, tremores perseuerabant, vrinæ autem in initiis, & vsque ad octauam tennes decolores, suspensiones habentes nebulosas. Decima sudauit, sputa subcocta, iudicatus est, & vrinæ subtennes circa iudicium, post iudicium autem quadraginta diebus postea suppuratio circa sedem, & stranguriosus factus est abscessus. .xx. .xx. .v. M. v.



NE liber hic incipiat à solœcismo, fatius est putare, verba illa, Pythion qui habitabat iuxta telluris templum, seorsum scripta esse, vt titulum huius narrationis, & narrationem incipere ab his, cæpit tremor à manibus. Ex tota narratione constat, hanc fuisse acutam febrem à principio, vnam earum quæ intra quatuordecimam finiuntur (iudicata enim est vndecima) sed imperfectè iudicatam decidisse ex acutis, in genus earum quæ durare solent quadraginta dies. Est consideratione digna, motus figura, quam ab initio retinuit. Incidit enim exacerbatio in secundum diem, vt fieri solet, in iis, quæ mouentur per pares: sed

iama

iam inde non habuit exacerbationes per omnes pares, sed quartanas. Nam exacerbatio repetit quinto, & octavo, & iudicatio undecimo. Atqui iudicatio eiusdem diei est, cuius esse solet exacerbatio. In diem secundum incidere exacerbationes, morbi est ex multa materia pendens: quartana verò figura, atrabiliarij. Atqui profecto morbus erat ex multis & variis, & concoctu difficilibus. Patiebatur verò præcipuè cerebrum, & neruorum principium, quia cœpit primo die delirium, & tremor à manibus. Nam & si Galenus putat, tremorem hic vocari, eum qui per animalis facultatis debilitatem euenit, atque hic significare debilitatem ex aggrauatione, ego verò suspicor motum conuulsiuum, per quem non possunt manus consistere, vocari tremorem, quia perrarum est incipientibus febribus tremere: tentari verò conuulsione, aut concuti rigore quodam, admodum frequens, atque hunc etiam vocare tremorem est consuetissimum. Accedit, quòd cum hic teneretur febre acuta, & deliraret, & somni essent tenues, irritabatur cerebrum biliosis & acibus. Quid ergo magis consentaneum, quàm neruos quoque in principio irritatos, cõuulsiuè moueri? Maximè cum Galenus mox dicat, quia habuit die sexta sputa varia & subrubra, & deinde subcocta citra difficilem respirationem, fuisse collecta excrementa multa prima & suprema intercostalia, qua nascuntur nerui manuù, quæ enim fingi potest maior conuulsionis occasio, quàm excrementa, qua nerui oriuntur? itaque die prima cœpit febris acuta, tremor manuum, & delirium. Secunda omnia exacerbata sunt. Maximæ profecto acutici. Acutus enim est morbus in quo pericula citò veniunt. Tertia eadem. Quarta à ventre pauca mera biliosa fluxerunt. Iam hinc licuit agnoscere morbum lethalem aut difficilis iudicij, quia deiectiones intempestiuæ erant, hoc est non prægressa cõcoctione, quas euacuationes vocauerat Hippo. decretoria non decernentia: sed & quia exhibant pauca, nam & stillas sanguinis de naribus vituperat hac ratione Hippoc. Nimirum cum tentat natura pellere, tanto maioris impotentia est, quantum inus pellitur: sed quia mera & biliosa. Nã excretiones omnes meraciores vituperat Hippoc. in prognostico, ponitq; in lethalibus biliosas deiectiones. Mortuus ergo haud dubie hic homo esset, nisi admodum firma facultate fuisset,

fet, qua quia fuit, euadere potuit: sed cum difficili iudicio,
 decidencia, ac tandem duplici abscessu. Quinta, omnia exa-
 cerbata sunt, & somni tenues, quin etiam somni significa-
 bant cerebri passionē. Quin & aluum ea die restitisse, ma-
 lum. Restitit enim egro non leuato, sed malignius egrotan-
 te: quare sine vlla conferentia. Præterea recursum in supe-
 riora minabatur: maximè cum cõtigerit septima die os di-
 storqueri: quod sine conuulsione aut paralyfi musculorum
 mouentiũ buccas, non potuit fieri. Vnde magis adducor vt
 suspicer, manuum tremorem fuisse conuulsionē, aut para-
 lyfim. Quia nerui motus buccarum & manuum, proximũ
 ortũ habent. Si igitur sputa sexti diei varia subrubicunda,
 significabãt redundantia sanguinis & pituitę intra thoracẽ,
 non autẽ in pulmone, neq; septo trãsuerso, neq; humilibus
 intercostalibus (quia Hipp. difficilis respiratiõnis meminif-
 set) sed in supremis intercostalibus qua oriũtur nerui ma-
 nuũ, & proximi his nerui buccarũ, apertè sunt conuulsi aut
 resoluti, quis iã non suspicetur tremulũ manuũ motũ, con-
 uulsionis aut resolutionis fuisse initiũ? Accedit quod octa-
 ua, qua omnia rursus exacerbata sunt, perseverabãt tremo-
 res, qua die probabile est euacuatã fuisse iam multitudinẽ,
 partim spontaneis deiectionibus quæ antecesserãt, partim
 ab ipso Hipp. Narrat postea quales vrinę fuerint iu Pythio-
 ne. Hoc enim nunquã contemnendũ est. Narrat verò id di-
 stinctissimè persequens omnes vrinę partes. Nã fusurę sub-
 stantia & colorẽ, & id quod cõtinetur, & quibus diebus si-
 miles fuerint, & quibus receperint mutationem, dicẽs, vrinę
 ab initiis, & vsq; ad octauã, tenues, decolores, suspensio-
 nes habentes nebulosas. Decolores dicuntur aquosæ. Tales
 enim sunt, quæ colorem minimè omnium habent. Tenues
 verò & aquosæ maximè cruditatis sunt, quare suspensio-
 nes non fuerint bonæ, candidæ & leues coquẽda materia fieri
 consueuerunt, sed obscuræ, turbidæ, nebulosæ, quales cru-
 dis adhuc morbis apparere solent. Perseuerauerunt ta-
 les vrinę vnam septimanam. Ab octaua die quæ secundæ
 septimanæ est prima, cœperunt fieri, pro tenuibus aquo-
 sis, subtenuis, quales perseuerauerunt vsque ad diem vn-
 decimam, quã iudicatus est. Decima enim sudauit, spu-
 ta subcocta, quæ scilicet antea varia, & subrubra, iam
 candida, & mediocriter crassæ, copiosius excreari cœ-
 perunt,

perunt, & ita iudicatus est, die scilicet proxima, quæ quarta erat ab octava, qua fuerant exacerbata omnia, & vilus est à febre liberari: sed quia sine concoctionis signis iudicatus est, imperfectius est iudicatus, ac proinde, exactis aliis quadraginta diebus, duplex abscessus contigit, suppuratio circa sedem in clune, scilicet, in quam verisimile est crassa & cruenta abscessisse, & stranguriosus abscessus, hoc est fluor urinæ cum dolore, receptis in urinæ vias acribus tenuibus, & falsis. Hoc genus iudicationis est quod apparuisse in multis eorum, qui in Thaso ægrotauerunt, secunda sectione libri primi narrauit, dicens, Multis autem & urinæ fluxiones cum dolore biliosæ, aquosæ, ramentosæ, purulentæ cum stitilicidio, non renales. Sed his alia pro aliis. Sed hæc verba in eo loco enarrauimus. Nunc superest literas has exponamus. *α. α. υ. M. υ.* has literas, & multas alias, quæ in sequentibus historiis subscribuntur, constat scriptas esse à Hippocrate breuitatis causa, ita ut sit, ut notas exitus morbi, & speciei iudicationis. Nam in omnibus qui mortui sunt, vltima litera est. *θ.* in his qui euaserunt. *υ.* vnde euidenter fit illud significare *θάνατον.* id est, mortem, hoc *υγειαν,* id est sanitatem. Prima litera semper est. *α.* quæ cum in omnibus scripta sit, quid aliud esse possit, quam. *Πιθανόν.* id est probabile: mediæ verò literæ, variè pro differentia iudicationis ægrorum, scriptæ sunt. Quare oportet in singulis, quæ eis euenerunt considerare, indeque coniectari quid literæ significant, idque habere pro vero, quod maximè quadret. Velut nunc, quia urina fluente quadragesimo sanatus est, fuerit. *α. Πιθανόν.* i. probabile. *α. Πλῆθες.* i. multitudine. *υ. ὄρσι.* i. urinarū. *M.* hoc est quadragesimo (nam eius numeri nota est.) *υ. υγειαν.* i. salutem contigisse homini. Dubitare verò possis, an quadragesimo à primo abscessum habuerit, an ab vndecimo quo est iudicatus. Mihi quidem ab hoc videtur, qui fuerit à primo quinquagesimus. Nam etsi quadragesimus est magis iudicatorius, fuerit verò duplicis generis morbus, acutus, & decidens, & duplex motus, & duplex iudicatio, & duplex dies decretorius. Non alia ratione adducor, quam quòd Hippocrates ipse ita factum narrat, dicens, *μετὰ κρίσιν ὕστερον.* id est, post iudicationem. posterius *τεσσαρακόντα ἡμέρας* quadraginta diebus. Sed hæc historia non petit plura.

Aegro.

Hermocratem qui decumbebat iuxta nouum murum, ignis corripuit, cepit autem dolere caput. Lumbos. Hypochondrij intentio molliter, lingua autem ab initio adusta est. Surditas statim, somni non inerant: siticulosus non valde, vrinæ crassæ, rubræ, repositæ non subsidebant. A ventre autem vsta non pauca exibant. Quinta minxit tenuia, habebant suspensionem. Non subsidebant. Ad noctem mente commotus est. Sexta ictericus, omnia exacerbata sunt, non resipiscebat. Septima cum difficili tolerantia, vrinæ tenues similes, sequentibus similiter. In vndecima verò constituto omnia visa sunt leuata esse. Coma incepit, vrinæ crassæ subrubræ, infra tenues, non subsidebant, resipiscebat tranquille. Quatuordecima sine febre, non sudauit, dormiuit, intelligebat omnia, vrinæ similes. Circa decimam septimam existenti rediit, calefactus est sequentibus, febris acuta, vrinæ: rursus autem vigesima iudicatus est, febre liber, non sudauit. Cibum non capiebat per totum tempus, resipiscebat, loqui non poterat: lingua arida, non sitiebat, dormiebat soporosus. Circa vigesimam quartam calefactus est, aluus humida, multis tenuibus fluens, & sequentibus febris acuta, lingua combusta est. Vigesima septima mortuus est. Huic surditas semper perseuerabat, vrinæ aut crassæ & rubræ, non subsidentes, aut tenues & decolores, suspensiones habentes. Gustare non poterat.

GALENVVS narrat, priores enarratores cōmentos esse multa, excogitantes causas quibus dixerat Hippocra. Hermocratem decumbere ad nouum murum, putantes magnū aliquid eis verbis insinuari, continerique occasionem, qua febricitare ceperit. Verū omnia illa merito censet Galen.

meras nugas esse, hæc enim & huiusmodi alia quæ occur-
 rent, quale etiam fuit Pythionem iuxta telluris templum
 habitasse, solum memoriæ gratia scripta ab Hippoc. sunt.
 Sed febris speciem & constitutionem consideremus. Fuit
 haud dubie febris ardens, quæ ab hepatis inflammatione
 præcipuè incepit, & phrenitidem attulit, ac tandem per na-
 turalis caloris extinctionem interemit: duravit verò vsque
 ad vigesimum septimum. Ut iam hinc constet, non omnes
 acutos morbos finiri intra vigesimum vt Gal. videtur pu-
 tasse, sed ad vigesimum septimum etiam posse produci, in
 deposita acutie. Neque id profecto immerito. Nam qua-
 tuor septimanæ, quæ eò die finiuntur, vnico lunæ motu
 complentur a quo vires diebus decretorijs accedere pro-
 babile esse, indicatum iam alibi non semel est. Habuit mor-
 bus hic semper signa perniciosa, multa, ac varia, partim
 phrenitica, partim extinctionem facultatis præseferentia.
 Illud verò habuit insigne, intra dictos dies visum esse ho-
 minem febre liberatum non semel, cum tamen esset tan-
 cito moriturus. Sed singulorum significationes & causas
 percurramus. Hermocratem inquit corripuit ignis, hoc
 est ingens febris, coepit dolere caput, & lumbos, hæc, cau-
 sæ morbum facientis, multitudinem & commotionem
 dicant, solentque magis in morbum initijs vrgere, quæ
 cum iam sunt plurimum aucti: cõtra ac symptomata, alia
 ob materiæ alterationem contingunt. Agitata autem ma-
 ta materia caput dolet, quia fumum è toto corpore ex-
 cipit: & lumbi, ob magnam venam, quæ per illos cum ar-
 ria etiam magna, perreptat. Verùm hæc & si multarum fe-
 brium initijs fiant, non sunt illis pathognomonica, pro-
 de non fiunt in omnibus, sed quibus maximè contingit re-
 pleri caput, & sanguinem conturbari. Hypochondrij dis-
 tinctio molliter, hoc est sentiebatur hypochondrium intesti-
 num, sed non sentiebatur durities, sed velut vacua disten-
 sio. Hoc oportet considerare hoc loco, diligentissimum
 Hippocratem, nunquam in febribus acutis omisisse hypo-
 chondriorum attractionem, quam in prognostico cõm-
 dauit, & merito quidem. Vix quippe vnquam occurrit ve-
 la earum febrium quæ vehementer ardent, vt per quas
 lingua exusta est, & quæ exeunt de ventre correfacta, quæ
 aliquod internorum viscerum præcipuè patitur, hæc
 beat-

beatque inflammationem, aut eam quam phlegmonem
 græci vocant, aut pro hac erysipelas, aut quam vocat phlo-
 gosim, hoc est ardorem. Sentiunturque hæc, duritie, tumo-
 re, dolore, aut calore insigni in ea regione, qua, viscus af-
 fectum, locatum est, velut nunc Hermocrati hypochon-
 drium erat intentum, quod, quia non dicit utrum fuerit,
 dextrum an sinistrum, cum soleat vbi ambo intelligit, dice-
 re hypochondria, alterum, idque dextrum magis conso-
 num est intelligere, quia linguam erat exusta, & quæ exi-
 bant valde biliosa, quæ in hepar referre, sanguinis of-
 ficinam, est consentaneum: & quia huius hypochondrij,
 quam contrarij, tumor periculi plus affert. Sed quia
 non sentiebatur durum, licet intelligere, si quæ fuit phleg-
 mone, fuisse in parte caua, aut fuisse exiguam, aut fuisse
 solum erysipelas, aut ardorem. Ita enim tumere po-
 tuerit pars fluxione, sine duritie. Atqui ego mox ac-
 vltionem maximam in febricitante intueor, si phlegmo-
 nis internæ signa, quæ diligenter requiro, non apparent, de
 aliqua tamen tali affectione cogito, & eo curationis ratio-
 nem dirigo. Surditas inquit, statim. Somni non inerant.
 Hæc duo signa phrenitica sunt, hoc est phrenitium futuram
 significantia. De surditate video conceptam vulgo hanc
 opinionem, quæ in medicos etiam transfusa iam est, in
 morbis acutis bonum signum esse. Eos enim qui moritu-
 ri sunt, plus satis audire. Verum hi ex quibusdam quæ re ve-
 ra solent euenire, falsam assertionem colligunt, & Hippo-
 cratic Galeno valde repugnantem. Qui extenuati pluri-
 mum, illæsa mente moriuntur, aut fortasse etiam læsa,
 auditorio tamen poro non occupato, multum solent
 audire, vt mirentur qui adsunt. Quod extenuatio-
 nem partium pori auditorij, & nuditatem nerui, reijci
 recte puto. Quanquam non raro qui adsunt miran-
 tur, non quod ægri plus alijs audiant, sed quod eos auditu-
 ros iam non putarent. Sed sit ita, quidam morien-
 tium audiant solito plus (nam iam id aliquando fieri non
 nego) cur tamen proinde surditas bonum signum pute-
 tur? Verum est etiam quosdam acute febricitantium,
 quibus surditas superuenit, liberari fluente sanguine de na-
 ribus, alios fluxione alui, alios coxæ, & genu dolore, nihil
 ominis surditas nihil boni preferet, nisi bonum signum

Y haberi

haberidebet, quod significat periculum, quod modo aliquo possit æger euadere. Certè surditas, constante facultate significat phrenitidem imminere, debilitata, mortem. Si verò post phrenitidem, aut grauem alium capitis morbum surditas succedat, priori morbo cessante, aut alleuato, & facultate non debilitata, haberi possit bonum signum, quia poterit esse facta, abscedente materia ab interno cerebro ad externas eius partes, expectabunturque tunc temporis a surditate parotides. Huic igitur cui surditas non in extremo superuenit, sed statim, signum fuerit raptus bilis in caput, maximè sublato somno. Bilis enim in cerebro per uigilium, ut pituita veterum facit. Addit non valde frigidulosum fuisse, quod in tanta febre duorum alterum significare poterat, corruptionem sensus, aut delirium. Nam non dolere cum sit causa dolendi in parte, nulla alia ex causa fieri potest, quam aut quod propria partis natura admodum sit corrupta, ac proinde in ea sensus, aut quod mens, quam partibus omnibus, (ut in controuersiarum lib. quinto capite de sympathia protopathia, antipathia & consensu, indicauimus,) ut sentiant adesse oportet, sit per delirium auocata, ac proinde & si patiat non sentiat. Iuxta id quod in aphorismo dicitur, Quicumque parte aliqua dolentes omnino dolorem non sentiunt ijs mens agrotat, Sensum statim non est consentaneum fuisse corruptum, sed cæpisse eum à principio mente capi, fuisseque hoc etiam signum phreniticum, ut priora. Exeuntia maximam biliosorum redundantiam significabant. Urinæ enim erant crassæ rubræ, & deiectiones multæ, vstæ. Urinæ porrò repositæ non subsidebant, quod agitationem magnam sanguinis biliosi significabat, ac proinde, hoc quoque capiti minabatur. Itaque urina simul significabat passionem calidam quæ hepati aderat, colore, & quæ cerebro imminebat perturbatione. Hæc a principio vsque ad quintum diem adfuerunt. Quinto urinæ cœperunt apparere tenues, habentes suspensiones sublimes, quæ magis etiam quam priores significauerunt phrenitidem. Nam cum semper mistæ essent crassæ & rubræ, repente factas esse tenues, quid aliud quam in contrarias & superiores partes rapta excrementa, significabant? Id enim significare solere tenues urinas, dictum ab eodem Hippocrate est in aphorismo, his verbis,

Quibus

Quibus vrinæ perspicuæ & albæ sunt, malæ: maximè in phreniticis si apparuerint. Iam verò suspensiones sublimes idem significabant. Cum enim non ob manifestam coctionem fierent, vt nubes bonæ solent, constat flatum multum in causa fuisse, qui crudum succum efferret. Merito ergo eadem die ad noctem mente commotus est, durauitquè hæc commotio vsque ad vndecimum diem, quo, vt dicemus coepit tranquillè resipiscere. Sed priora percurramus. Sexta, inquit, ictericus est factus. Hoc in acuta febre ante septimum grauissimum esse in aphorismo dicitur, significabatque phlegmonosi affectus hepatis magnitudinem: sed & quia sexto, erat multò grauius. Omnibus enim euacuationibus & abscessibus infaustus est is dies. Quanquam aliquos etiam contingit, ictericos eo die factos, liberari, quod primo huius operis sectione secunda multis accidisse narrauit. Sed hic nullum aliud signum reuebat, omnia enim erant lethalia, & ea die omnia exacerbata sunt, & non resipiscebant. Hoc dicit, quod non fuerit delirium intercisum, vt per paraphrenitidem solet, sed perpetuum, vt per phrenitidem. Septimam transegit cum difficili tolerantia, omnia scilicet maleferens, & languescens. Vrinæ adhuc perseuerabant similes prioribus, tenues scilicet, vt & in sequentibus vsquè ad vndecimam. In vndecima verò constituto omnia visa sunt leuata esse, non tamen leuata sunt reuera, sed per uigilium, anxietas, ac magnitudo, commutata cum comate, quod nihilo melius erat. Non enim minus somnus quam uigilia, si modum excedit, malus est: sic enim aut debilitata facultate, adeò vt non possit uigilare, aut refrigerato, aut obstructo primo sensitiuo frigidis & pituitosis. Hic non erat uerisimile, cum tam multis signis morbi mere biliosi, repente pituitam cepisse abundare, sed potius langore naturalis caloris, & debilitate facultatis, hominem iam hinc non potuisse uigilare. Vrinæ, specie mutata, redierunt ad crassas subrubras. Erant uerò nunc infra tenues, hoc est in summo crassæ & perturbatæ, in imo minus crassæ, quasi pendente face, vt fieri solet in uini dolijs, cum bullit mustum. Has urinas putat Galen. mediocres fuisse, ac proinde, ob contrarij inquam signi concursionem, tardatam fuisse hominis mortem vsque ad uigilium.

gesimum septimum: Ego verò nihilboni putò præseculiffe
 has vrinas: ed longè diuersas fuisse, ab illis quas in pro-
 gnostico, longitudinem morbi & securitatem signifi-
 care, dixit. Hæc enim erant perturbatæ sine subrubro se-
 dimento, infima parte tenuiores, quas arbitror signifi-
 ficasse exusti sanguinis perturbationem, cum crassior
 flatus redundantia. Neque mirum durasse hominem vi-
 que ad vigesimum septimum. Nam cum duplex sit
 moriendi modus, & alij moriantur vi morborum pe-
 rempti, alij sensim extincta facultate, illi breuius, &
 tardius mori solent, contingitquè mirari sæpe medicos,
 quod post signa desperationis, tandiu vita producatur.
 Nimirum extinctio facultatis, non asserente morbo re-
 pentinum casum, magis producitur, quàm atroces mor-
 bi solent. Hic autem Hermocrates à quinto vsque ad
 vndecimum phrenitidem tenebatur, iam inde soluta
 phrenitide naturalis calor sensim elanguit. Addit, re-
 sipiscebat tranquillè, hoc est, inquietudine deposita
 redibat ad mentem aliquando, quia iam hinc fuit de-
 lirium intercisum vsque ad diem quatuordecimum,
 quo omnia intelligebat, liber iam omnino à delirio.
 Consideratione dignum est, post diem septimum non
 amplius facere mentionem Hippocratem singulorum
 dierum, sed vndecimi, quatuordecimi, decimi septimi,
 vigesimi, vigesimi quarti, & vigesimi septimi. Niri-
 rum hi sunt quaternarij, qui in primis sunt contempla-
 biles in morbis acutis, & asserunt insignes mutationes,
 & singulorum mutationes indicant mutationes alias,
 in sequentibus proximè. Vt cum vndecima videretur
 alleuata omnia, decima quarta attulit mutationem
 maiorem, quia à febre fuit liberatus. Addit, non
 sudauit, quod non de sudore solo intelligi debet, sed de
 omni alia euacuatione, quasi diceret, liberatus est a fe-
 bre, tamen non habuit euacuationem aliquam, qua
 febris solueretur. Nominat autem fortassè sudorem,
 quod hic ardentibus febribus sit familiaris euacuatio.
 Sed quorsum hæc dicit Hippocrates? non enim vide-
 batur referre, narrare, quæ non acciderunt, sed quæ ac-
 ciderunt Hermocrati. Certè, vt insinuaret causam,
 qua non est soluta febris tutò, sed habitura proximo
 qua-

quaternario recidiuam. Nam quo tuta habeatur iudicatio, debet fieri cum signis concoctionis, & euacuatione idonea pro morbi ratione, quæ aliter fit, præter rationem fit, quare non est ei fidendum, utpote bono quod præter rationem euenit. Cum ergo Hermocrates neque concoctionis signa, neque sudorem, aut aliam euacuationem habuerit (nam inquit, non sudauit, & vrinx similes dictis,) quiuus medicus solertix particeps, iudicationem habuisset suspectam, timuissetque recidiuam. Sed qui valde solers esset, mortem etiam timeret; ab eo morbo, qui videretur esse solutus. Perinde enim iudicaret, ac si non esset febris soluta. Cum verò nondum essent concoctionis signa, & antecessissent signa tantæ debilitatis, ut per impotentiam comate esset tentatus, timeri debuit, ne non posset durare virtus donec morbus coqueretur, maximè cum signa contraria concoctioni apparere cœpissent, in vrina, non solum cruditatis. Subleuatus autem adeò est, ut febre liber dormiret: dormiret scilicet sine sopore, & omnia intelligeret. Sed contingit hic dubitare, qui fieri possit (videtur enim id admirationem parere) ut qui re vera sunt propiores morti, videantur habere melius, & à febribus, & doloribus, & anxietate liberari. Triplex autem mihi nunc succurrit ratio. Quibusdam emoriente sensu per partes internas, & cessantibus concoctionibus remittuntur dolores & febres, ut incipiente gangræna in parte inflammata solet contingere: quibusdam naturalis facultas præ debilitate cessat excrementa mouere, ea verò quieta, quàm mota, quantumuis putrescant, minores dolores faciunt, quia minus occurrunt nouis partibus: & minores febres, quia minus fumi mittunt ad principes partes. Quibusdam etiam abscedunt excrementa à partibus principibus ad tempus, extremos conatus apponente facultate. Hoc mihi persuadeo factum in Hermocrate à die quatuordecimo vsque ad 17. quia dormiuit, & intelligebat omnia, quod liberati aliquantisper cerebri magis, quam corruptæ naturæ esse videbatur. Decimo septimo redijt & calefactus est homo, hoc est febre correptus. Et sequentibus diebus vsq; ad vigesimum fuit febris acuta, vrinx nihil habuerunt boni, sed mutatæ in crudiores fuerunt.

Iam hinc tenues. Nihilominus vigesima rursus est indicatus, & liberatus a febre, quæ febris sublatio, multo magis quam prior in extinctionem caloris referenda fuit. Nam vrina fuit tenuis, & neque nunc sudauit. Itaque neque concoctionem neque euacuationem habuit, & præterea neque cibum neque potum appetebat, cum utroque indigeret, & non deliraret. Quantum ergo periculi præse ferret non scire illa indicat, quod mente constabat, & loqui non poterat lingua arida, id est non poterat loqui præ linguæ ariditate: supererat enim ut casus facultatis esset. Quam coniecturam confirmabat, quod etiam dormiebat soporosus, cum ergo tam lethali causa esset, non soluta, sed extincta febris, circa vigesimam quartam rursus calefactus est, & aluus humectata, fluentibus multo tenuibus per debilitatem, cessante iam retentione, ut in moribundis (qualis postremo hoc quaternario Hermodrates fuit) fieri solet. Et sequentibus usque ad sextum diem, febris acuta, & lingua combusta. Quare vigesima septima mortuus est: vitimo die mensis lunaris. Quaproinde ego finem morborum acutorum esse existimo, tamen Galen. vigesimum, & Hippocrates. quatuordecimum aliquando statuunt. Reliqua dicit Hippocrates velut epilogum faciens & in summa redigens, quæ maxime notari oportuit in tota hac historia. Hæc scilicet, surditatem huic semper a principio perseverasse, de qua primo prædictionum ita scriptum est. Surditas in acutis & turbulentis succedens, mala. Urinæ fuerunt semper, aut crassæ & rubræ non subsidentes, aut tenues & decolores, & sublimes, suspensiones habentes: & gustare non poterat, neque cibum enim neque potum appetebat. Adidit. *ω. ε. Δ κ. Ζ. θ.* quas notas continere hæc *αἰθρῶν ἐξ ὀφθαλμῶν. κ. Ζ. θ. αἰθρῶν* id est probabile, exuentibus deiectionibus, vigesimo septimo mortem accidisse. Constat ex morbi fine respondente literæ ultimæ, & numero respondente proximis, & ex communi explicatione literæ primæ, & ex modo moriendi, fluente iam aluo, & omnino dissipata vi, qui reliquis literis congruit. Quamquam Galeno magis placet pro. *ε.* dicere *ε. α. γ. δ. ε. ζ. η. θ.* id est suppressis, putaturque die 27. suppressis deiectionibus quæ 24. ceperant, obiisse, id verò Hippocrates non narrauerat.

&

& his literis nihil noui solet narrationi addere, sed quæ di-
 cta sunt literis notare. Accedit locus ex primo prædictio-
 nis, qui cum hoc aded consonat, vt eadem omnino res nar-
 rari videatur, & literas in meam expositionem trahit. Nam
 ita habet. Surditas, & vrinæ non subsidentes valde rubi-
 cundæ, innatantes, mentis emotionem, portendunt. His
 morbo regio corripit malum est. Mala etiam est, & ex
 morbo stoliditas. Hos voce priuari sed sentientes esse con-
 tingit, venterque arbitror his copiosè fluit, ut Hermippo
 accidit, vnde obiit. Ferè eadem videtur narrare accidisse
 illic Hermippo, quæ hic Hermocrati, vt mihi contigerit
 dubitare, an forte hic vocatus fuerit Hermocrates. Her-
 mippus, fueritque eiusdem vtrobique facta mentio. Ta-
 men illic dicit ex fluxu obiisse, quare & hic censeo magis
 consentaneum intelligere *εἰς ὑπὸν* quam *επιχειρῶν δια-
 χηματῶν*. Nam & si Galen. censet librum prædictionum
 non esse Hippocratis vtpote minus, quàm aphorismos, &
 librum prognostici, elaboratum, ego tamen minus elabo-
 ratum, ac proinde minus dignum fide esse video, nõ pro-
 inde despero scriptum ab eo viro esse, quem video non
 tantum scripsisse, quæ firma iam & rara esse putaret, sed
 quædam solum, vt obseruationes, quædam vt assertiones.
 Huiusmodi sunt quæ hi libri Epidemion continent, non-
 dum satis experimentis confirmata, sed cum quadam su-
 spitione probabili. Huiusmodi etiam quæ in libro prædi-
 ctionum scripsit, non quasi ita statuenda, sed quasi exami-
 nanda magis (scribebat verò fortasse sibi soli hæc & illa)
 quædam verò vt experimentis iam exploratissima, & ra-
 tionibus confirmata satis, vt quæ in aphorismis & progno-
 stico. Itaque mediocrem quendam modum doctrinæ mi-
 hi videtur tenuisse in libro prædictionum, eius quem in
 his de morbis popularibus, & in illis, aphorismorum, ac
 prognostici. Hic enim maxima ex parte agit tantum hi-
 storicum, in aphorismis & prognosticis, certus iam rerû,
 agit doctorem, in libro prædictionum de multis, velut in-
 uestigans, dubitat. Quare is liber non habuerit alijs pa-
 rem fidem, fuerit tamen fortasse in eiusdem Hippocratis
 scrinijs, & ab eodem scriptus.

Tertius ægrotus .

3 **Q**ui decumbebat in horto Dealcis, capitis gravitatem, & in dextro tempore dolorem habebat multo tempore. Ex occasione autem ignis corripuit, decubuit. Secunda, ex sinistra exiguum fluxit mori sanguinis, a ventre autem stercore bene exierunt: vrinae tenues, variae, suspensionem habentes minutatim, velut farinae crassioris, geniturae similes. Tertia febris acuta, excretionibus nigrae, tenues, spumosa, subsidentia liuida deiectionibus, caro, promebatur, difficulter surgebat, vrinis subsidentia liuida subuiscosa. Quarta, euomuit biliosa, flaua, exigua, paulo post aruginosa. Ex sinistra exiguum merum effluxit. Deiectiones similes, vrinae similes, exudavit circa caput & claviculam. Splen eleuatus est, femoris dolor, secundum rectitudinem, hypochondrij dextri contentio submolli. Nocte non dormiuit, delirauit aliquantulum. Quinta deiectiones plures, nigrae spumosa, subsidentia nigra deiectionibus, noctem non dormiuit, delirauit. Sexta, deiectiones nigrae, pingues, viscidae, foetidae, dormiuit, intelligebat omnia. Septima lingua sicca, siticulosa, non dormiuit, delirauit, vrinae tenues non boni coloris. Octaua, deiectiones nigrae, exiguae, consistentes dormiuit, intelligebat, siticulosus non valde. Nona riguit, febris acuta, sudauit, frigus, mente motus est, dextro oculo distortus est, lingua arida, siticulosus, insomnis. Decima, eadem. Undecima, intelligebat semper omnia, sine febre, dormiuit vrinae tenues circa indicationem.

duos dies fuit sine febre, redijt quatuor decima, statim autem noctem non dormiuit, mente motus est, omnino delirauit. Decimaquinta, vrina turbata, vt ex ijs quae subsederunt fit, cum fuerint agitata. Febris acuta, omnino delirauit, non dormiuit. Genua & tibiae cum dolore habebat, a ventre autem, glande apposita, nigra stercora exierunt. Decimasexta vrinae tenues, habebant autem quod in eis febrebatur nebulosum. Delirauit. Decimasseptima summo mane extrema frigida, contegebatur. Febris acuta. Sudauit per totum, leuatus est, intelligebat magis, non est a febre liberatus, siticulosus, vomuit biliosa flaua pauca. A ventre autem stercora exierunt. Paulo autem post, nigra, pauca, tenuia, vrinae tenues, non boni coloris. Decima octaua, non intelligebat. Soporosus. Decima nona eadem, vrinae tenues. Vigesima dormiuit, intelligebat omnia, sudauit sine febre. Non sitiuit. Vrinae autem tenues. Vigesima prima parum delirauit, parum sitiiebat, hypochondrij dolor, & circa vmbilicum palpitatio vsque in finem. Vigesima quarta vrinis hypostasis, intelligebat omnia. Vigesima septima coxae dextrae dolor. Vrinae tenues, & habebant subsidentiam. Alia autem habebant conuenientissima. Vigesima nona dextri oculi dolor, vrinae tenues. Quadragesima egressit pituitosa alba aliquanto plura, sudauit multum. Ex toto perfecte iudicatus est.

MORBUS hic acutus fuit, quique hominem intra finem acutorum interemisset, nisi forte eum contigisset esse robustissimum, quod cum esset factum est, vt morbus, qui neque finire poterit, ob multam, variam, & concoctu difficilem

ficilem materiam inter suos fines, neque hominem interi-
 mere ob eius firmitudinem, decidens ex acuto, quadrage-
 simum diem attigerit, qui iudicatorius est acutorum ex
 decidentia. Miretur itaque aliquis percurrans signa le-
 thalia, quæ omnibus ferè diebus apparuerunt, significan-
 tia partim multam, partim variam & crassam, partim ma-
 lignam materiam, partim etiam membrorum principum
 affectionem, non interiisse hominem. Cuius causa puto,
 hanc narrationem incepisse, ab ea dispositione, quæ febrè
 antecessit, quam vocare solemus neutram dispositionem,
 & monuisse hominem ex occasione cœpisse febricitare.
 Nimirum occasio vocatur causa procatartica, seu manife-
 sta. Dicit ergo habuisse hunc capitis grauitatem, & in dex-
 tro tempore dolorem diu, & cum ita haberet, ex occasio-
 ne, vt ex ira, aut longa mora in sole, aut vini potu, aut cau-
 sa aliqua tali, cœpisse febricitare. Sed quid intererat hæc
 manere maximè cum non dicat quæ occasio fuerit? Certè
 capitis grauitas & temporis significabant plenum esse ho-
 minem, præcipuè secundum caput multis succis (dolere
 enim solet caput cum grauitatis sensu ex ea abundantia,
 præcipuè secundum tempora, ob notatu digna vasa quæ
 eo loco sunt, & multam carnem, & neruos, & ossium com-
 missuras) ac proinde paratum esse in morbum, timeri quæ
 debere capiti, ac præcipuè dextræ illius parti, qui vt in
 aphorismo dicitur, si quæ pars ante morbum doluit in eâ
 morbus firmatur. Quia ergo paratus erat, quæcunque oc-
 casio accederet, potuit in febrem acutam incidere: eam ve-
 rò, quòd ex occasione fieret, minus periculosam esse, quâ
 foret alioqui, erat consentaneum: quia vt in commentario
 in prognosticum satis iam diximus, ac môstrauimus, pro-
 catarticæ causæ præfagijs omnibus detrahunt, atque letha-
 lia ex occasione facta, minus lethalia sunt, quàm aliter.
 Potuit ergo non mori ex morbo, qui toto ferè tpe morbi
 acuti, videbatur lethalis, quæ homo esset robustus, & ex oc-
 casione cæperit ægrotare. Potuerit verò ea occasio facere
 morbum in homine, & si robusto, parato tamen. Robustû
 verò natura, paratum esse, & dispositione neutra teneri, nò
 mirum. Aut si quis miretur, legens quæ Hipp. dicit innume-
 ris in locis, maximè in initio primi libri de diæta, desinet
 mirari. Ibi, n. monstrat fieri nò posse, quin homo paulatim
 conge-

congerat morborum causas, & ex quibusdam interuallis agrotet. Sed videamus sigillatim quæ huic homini acciderunt. Die prima ex occasione cœpit febricitare & igne correptus decubuit: secunda fluxit ex nare sinistra exiguum meri sanguinis. Quod quidem iam hinc significabat, sine robusta facultate, mortem, cum ea, difficile iudicium. Nam omni rōne vituperanda fuit euacuatio, & quia secunda die (dictum. n. erat antea Hippo. iudicationes ne statim appareant) & quia fluxit exiguum. Cum. n. id in omni euacuatione tentata vituperetur, in sanguinis stillis vituperatur maxime, primo prædictionum, neque immerito. Quod enim aliæ euacuationes tentatæ significant alijs in partibus, puta, morbum malignum & debilitatem, hoc, hæc in capite. Sed & quod id exiguum fuit meri sanguinis. Merus. n. sanguis dicitur, qui sine sero & pituita (his. n. diluitur, vt aqua vinum) crassus & niger, is verò significabat malignam qualitatem. Ex omnibus. n. temperari amat sanguis. Sed & quod ex nare sinistra, doluerat enim tempus dextrum, quare tentata iam sine rectitudine euacuatio debilitatem facultatis, & multis in partibus abundantem, maligni morbi causam, significabat. Illud vnum habuit bonum ea dies quod stercora a ventre benè exierunt. Vri næ enim satis malæ fuerunt, tenues enim & variæ, idest, non æque tenues, sed variæ per partes, aut etiam fortasse coloribus variegatæ, & minutatim habentes suspensionem, quæ quidem referebat farinas crassiores, & genituræ partes, & crudorum succorum, vi febris exustorum, redundantiæ significabat. Tertia die fuit febris acuta, excretiones ex aluo nigræ, tenues & spumosæ, referentes redundantiam bilis vstæ, & flatum perturbantem succos. Spumosæ enim deiectiones aliquando fiunt præ feruore, vt in ollis spuma, & tales comitatur colliquatio & pinguedo, suntq; simul spumosæ & pingues: aliquando fiunt redundantia flatu, quæ & ipsæ pessimæ sunt in acutis febribus, quia significant perturbari sanguinem flatu per totas venas & artérias, id quod capiti significat adesse, aut affuturum esse malum. Huic vtraque causa spumosæ deiectionis affuit, nam erat ea die febris acuta, & non multo post delirauit. Vring quia tenues erant, habebant subsidentiam, partem scilicet crassiorem quæ subsidebat. Eam dicit fuisse huidam. Qui
color

color omnium deterrimus esse censetur, quia semper putatur esse extinctionis naturalis caloris soboles, adeò vt nunquam putetur bene ac salubriter exire posse. Quare mirum est, si liuida tam citò exierit homini superuicturo, & morbo tam longo. Ac fortasse remissè nigra erant hæc, magis, quàm liuida, aut liuoris illa species, ex mixtione excrementorum aliorum colorum, nascebatur. Caro inquit præmebatur. Hoc quoque ex pituita erat, aut pituitoso sanguine, qui ante febrem nondum putrescens, grauabat tantum, iam putrescens fecit carum. Difficulus surgebat, vt caro præssus, & vt pondus alienum toto corpore, ex multitudine excrementorum, sentiens. Vrinis erat subsidètia liuida, & subuiscosa, facta arbitror mixtione pituitæ & nigrae bilis, hac præstante remissam quandam nigritiem, illa lentorem. Quarta die euomit biliosa flaua exigua, paulò post æruginosa, quas vomitiones in prognostico vituperat, vepote meraciores, & magnum recessum à mediocri temperamento, quod natura partium amat, significantes. Ex sinistra nare exiguum merum sanguinis effluxit. Quod quidem & secundo sic factum fuerat cum mala significatione: sed nunc illud etiam mali accessit, quòd quarto die euenit. Id enim etiam per se vituperatur primo prædictionum in initio, vbi ita scriptum est. Stillatio è naribus his pernicio-
sa, tum aliàs, tum si quarto coeperit die. Neque sane citra causam, quodcunque enim signum graue, die iudicatio grauius est. Dies autem quartus est primus impetus, eorum qui mouentur per pares, & quod ad cœlestem causam accinet, primus eorum qui magnam vim habent. Primi enim quaternarij finis. Vrinæ & deiectiones fuerunt similes iis quæ in die tertio, sudauit, circa caput & clauiculam, quod sudoris genus potest duo significare, aut exolutionem innati calidi (in iis enim qui animo linquntur fieri solet) aut redundantiam excrementorum in sublimibus partibus, quia vbi sudor ibi morbus, vt in aphorismo dicitur. Atqui nunc, hanc secundâ sudoris eius causam, verisimile est fuisse, cum tam multa signa sint, vel ante morbum, multitudinis in capite. Splen eleuatus, & femoris dolor secundum rectitudinem, hoc est sinistri. Hunc solum abscessum commendat Gale. inter ea quæ quarto die apparuerunt. Mihi verò & hic videtur malâ significationem præstitisse, quia abscessus

fcessus in febribus in prima eruptione non soluentes mor-
 bum, longitudinem morbi significant, vt in aphorismo di-
 citur. Constat verò vt hic abscessus non soluerit, neq; sub-
 leuauerit morbum. Quare quia abscessus, significauit lon-
 gum fore morbum, vt euenit: quia verò ad lienem & fini-
 strum femur in sinistro etiam latere, ex quo etiam sanguis
 destillauit, magnam redundantiam excrementorum signi-
 ficabat. Sed & hypochondriũ dextrũ contentionem, mol-
 lem, hoc est, sine duritie quæ præmendo digitis sentiri pos-
 set, habuit. Quod quidẽ significabat hepatis affectionem,
 quin & nocte fuit sine somno, & delirauit aliquantulum,
 quod pertinebat ad caput, vsq; ad eò in omnes partes prin-
 cipes redundabãt excremẽta, & turgere nõ nihil videban-
 tur: atqui iam hinc fuit phrenitis. Neq; mirũ, quia ante fe-
 brẽ etiam doluerat caput. Sed videamus quæ attulit dies
 quinta. Deiectiones plures, nigræ, spumosæ, & habẽtes sub-
 sidentiam nigrã: ferẽ quales proximis diebus, & ob similes
 causas, quia & sine somno fuit nocte, & delirauit. Sexta fue-
 runt deiectiones etiam nigræ & pingues, & viscidæ, & fœ-
 tidæ. Nimirum significantes succum nigrum maligne putre-
 scentem, cum colliuatione & mixtione aliqua crudioris
 pituitæ. Dormiuit & intelligebat omnia. Fortasse liberatũ
 ad tempus cerebrum est, inclinantibus ad inferna excremẽ-
 tis. Nam septima, qua vrinæ apparuerunt tenues non boni
 coloris, hoc est minus tinctæ colore, quàm naturales solent
 & lingua sicca, & sitis maior, quæ recursum in superiora si-
 gnificare poterant, rursus non dormiuit, & delirauit. Octa-
 ua rursus videtur bilis superiora reliquisse, quia deiectio-
 nes fuerunt nigræ, & dormiuit, ac intelligebat, non valde
 siticulosus. Quod autem deiectiones nigræ fuerint exiguæ
 & consistentes, vsitio faciebat, & quod bilis vsta quæ descẽ-
 dit cum fæcibus, non erat tanta, vt soluere ac diluere fæces,
 sed vt tingere solum posset. A nona die vsquẽ ad vnde-
 cimam peractum est iudicium quoddam, specie sane, mor-
 bo satis accommodatum. rigore enim & sudore (quæ qui-
 dem iudicatio febribus ardentibus satis commoda esse so-
 let, vt in aphorismo dicitur) difficile tamen fuit, & imper-
 fectum. Difficile quidem malignitate symptomatum, im-
 perfectum defectu euacuationum, quæ & si liberare inte-
 rim potuerunt, non tamen, vt non rediret citò febris: Ni-
 mirum

mirum ante concoctionem fuit iudicium, quod declarabat
 vrinæ, quæ tenues erant circa iudicationem. Cum itaq; iu-
 dicatio duas partes habeat, difficultatem & laborem qui
 fit ob secretionem, & euacuationem quæ secretioni succe-
 dit: illam habuit difficilem, puta rigorem, febrem acutam,
 frigus extremorum, maius delirium, oculi distortionem, ati-
 ditatem linguæ, sitim, peruigilium: hanc insufficietem, pura
 sudorem, & insensibilem euacuationem, & occultos in ali-
 quas internas partes abscessus. Nam sine his, ob sudorem
 noni & decimi diei, non adeò conualuisset vñ decimo, vt
 sine febre & delirio dormierit. Est hic notatu dignū, quod
 oculi etiam distortio, quæ conuulsium tantum signū esse
 solet, fuit huic iudicatorium: humore qui secernebatur, vt
 exsudaretur, interim musculus oculi penetrâte. Duos dies
 fuit sine febre, redijt quatuordecimo, vno scilicet quater-
 nario à die quo intermisit, atque die, per se primæ notæ in-
 ter decretorios: talibus vero diebus omnes insignes mor-
 borum mutationes, & bonæ & malæ, fieri consueuerunt.
 Redijt verò cum febre acuta phrenitis, delirauit enim rur-
 sum, & sine somno fuit. Neque sane solum ante hunc diem
 fuerant delirij interruptiones: sed neque reliquis diebus
 æquè temper delirauit. Quod fortasse dubitet aliquis quo
 pacto fieri possit, cum hanc phrenitidem fuisse cōcedamus
 & phrenitidem perpetuum delirium esse, inter omnes me-
 dicos conueniat. Sed scias, vix vllam esse phrenitidem, per
 quam nulla interruptio delirij fiat, & ne tantillum ægrotus
 ad mentem redeat: nihilominus verè ac propriè delirium
 perpetuum appellari: quod non habet intermissiones cer-
 tas, & ex statis periodis. Velut profecto hunc ægrotum fe-
 bre continua laborasse nemo negauit (non enim intermit-
 tente, cum neque quotidiana, neque tertiana, neque quar-
 tana) tamen si duos dies sine febre fuit. Nimirum illa inter-
 ruptio, non fuit ex propria morbi figura, vt in intermittenti-
 bus: sed ex casu contingentibus iudicationibus imper-
 fectis; ita de perpetuo delirio phrenitidis sentiendum est.
 Vrina turbata decimiquinti diei, cruditatis succorum, &
 morbi capitis nota erat. Nam ita dicitur in aphorismo,
 Quibus vrinæ perturbatæ quales sunt iumentorum, ijs do-
 lor capitis adest aut aderit. Eadem die tentauit natura ab-
 scessum ad inferiora, qui tamen non processit, & dolore
 genuum

genuum & tibiærum iudicatus est. A ventre autè (inquit) glande apposita nigra stercora prodierunt. Sed quorsum nunc dicit glande apposita, cum non cœperit narrare auxilia, quibus ad morbos utebatur: sed quæ ægrotis euenerunt, & sponte facta sunt? Nunquid sola glande usus est Hippocrates in toto hoc morbo? non sanè. Sed dicit apposita glande, vt insinuet fuisse aluum suppressam ea die, & indignisse glande, aut etiam fortasse quòd commender assiduam curam exonerandi ventrem, glandibus, aut clysteribus. Id enim nisi sponte aluus effluat, nunquam omittendum est, vt pote sine noxa utile. Quamquam neque hoc ita accipiendum est, vt crebrò diuque, non expectantes naturales euacuationes, vtamur illis instrumētis. Assuescit enim natura illis, & impotentior in reliquum fit, & eiusdem opis indigua: sed tunc solū cum natura cessat, aut cum occasionibus quibusdā ipsā iuuare opus est. Decima sexta, mutata est vrinarum species, factæque sunt tenues, & continentæ, quiddam nubilosum & turbidum, cruditatis quidem signa non minoris: sed maioris etiam, quàm turbidæ. Decima septima, vt pote finis huius extremi quaternarij, & recidiuæ quæ à quatuordecima cœpit, attulit iudicationem aliam difficilem, & imperfectam, aliqua ex parte similem ei quæ die nona incepit. Nam illa die habuit rigorem, febrem & sudorem, hac habuit febrem & sudorem, & pro rigore solum frigus, quale fieri solet per febres pituitosiores, vt merito putemus, talem fuisse partem succi, qui ea die motus est. Sed mirum in modum nos potest admonere hic ægrotus, ne leuiter & ex quacunque occasione de morbi exitu, aut constitutione, aut etiam figura propria, sententiam feramus, aut bene iam conceptam, mutemus. Sed tardiores inferendis sententijs, expectemus singulorum exitus. Quotus enim quisque non affirmasset nona die, atque hac etiã decima septima, illa quidem tertianam exquisitam, hac verò, quotidianam aut tertianam non exquisitam esse factã, abiisseque iam continuam febrem in intermittentem, aut factam duplicis febris complicationem? Quorū neutrum euenit: sed fuit vtraque iudicatio quædam, imperfecta, sanè etiam hæc. Nam etsi leuatus est, & intelligebat magis, tamen non est à febre liberatus, & fuit siticulosus plus etiam quàm ante, quod verisimile est fecisse bilem in ventriculo

lum irruentem. Nam vomuit biliosa flaua pauca, à ventre exierunt stercora in primis, hoc est ciborum fæces, & paulo post nigra pauca, tenuia, ex bile atra. Urinæ fuerunt tenues non boni coloris, hoc est albæ & tenues, quæ maxime cruditatis sunt. Proinde iudicatio proxima imperfecta fuit & morbus quasi denuò inchoatus, & denuò auctus, vsque ad vigesimum, quo rursus iudicationem aliam imperfectam recepit, vsque adeo per singulos quaternarios videretur malum redisse ad principium, habuisseque multa principia, atque reliqua etiam tempora. Nam decima octauam iam non intelligebat soporosus, & decima nona eadem, & vigesima dormiuit, intelligebat omnia, sudauit, & fuit sine febre. Sed considera quam attentè omnia narret Hippocrates qui cum dixerit eum fuisse decima octaua, ac nona soporosum, dicit vigesima dormisse: quasi sopor, non sit somnus: sed impotentia vigilandi, aut somnus cum addita putà præternaturam. Exercitatus verò medicus facile distinguet à sopore somnum, ille enim grauis, & ex quo difficile excitantur, aut si non excitantur difficile, tamen excitati malè redeunt ad sese, & vigilant. Quin potius non tam magna vi contineri possunt vigiles, & somno terrentur, aut conuulsis motibus tentantur, aut pulsus concidunt, & refrigerantur extrema, & colorem viuidum faciei amittunt, aliquando febres augentur plurimum, vt de his vere scriptum ab Hippocra. sit, somnum laborem facere: dormitionibus verò sine sopore, nihil tale accidit: sed contraria omnia. Itaque hoc modo dormiuit die vigesima, qua & sine febre mansit, & non sitiuit. Sed cur non fuit hæc iudicatio satis fida, & sine recidiua? Nam quia sine febre fuit homo, ea videbatur esse perfecta, quia non sitiit, videbatur manere sine signis recidiuæ, sitim enim intus relictam dicit Hippocra. 6. huius operis, præcipuum signum esse reliquiarum prauis humoris à quo timere debeamus recidiuam. His accedebat, vt fides tribueretur iudicationi, dies, qui operis iudicatorius est. Ita est sanè, hæc omnia aderant: sed desiderantur signa concoctionis, sine quibus nulla iudicatio fida esse potest. Quod vt innueret Hippocra. addit, urinæ tenues, & proxima die, puta decima nona, dixerat, urinæ tenues. Proinde redijt mox malum, & nihilo melius quam antea, & si vergere iam ad inferna magna ex parte succi

succi coeperunt, quamquam portiones quædam exiguæ sursum sunt elatæ. Nimirum non tam est tota materia, aut vno genere euacuationis pulsa, aut in vnam partem, quam per multas euacuationes, & in multas partes, pulsa, & dissipata. Vigesima prima rediit delirium, & sitis, & si vtrumque parum. Hypochondrij dolor, aut totius aut certè dextri, & palpitatio circa vmbilicum. Vigesima quarta, vt per omnes quaternarios consueuerat, mutationem in melius fecit, habens in vrina hypostasim (non quidem quantum suspicor, optimam & quæ concoctionis perfectæ esse dicitur: sed multam crassam & ex succis crudis) & intelligebat omnia. Vigesima septima, quæ alio quaternario distat à vigesima quarta, attulit aliam iudicationem, partim per abscessum ad coxam dextram, partim euacuatione vrinæ tenuis, multæ, & habentis multam subsidentiam. Sed considera, vt euenierint abscessus postremi huic secundum rectitudinem, & secundum rationem, responderintque morbi principio. Nam vt quinta sectione libri secundi dixit Hippocrates, si caput doluerit descendit ad pectus, deinde ad hypochondria, postea ad coxam. Huic caput primum, hypochondrium deinde doluit, & circa vmbilicum palpitauit, deinde coxa. Tempus quidem dextrum, & hypochondrium dextrum, ac dextra coxa. Palpitationem docet Galenus in commentario prognostici, non aliter ac pulsum in hypochondrijs, significare delirium, aut perturbationem. Vtrumque quidem erat in hoc ægroto, delirabat enim, & ægrotabat cum periculo, quod perturbationem facit. Si autem palpitatio erat hæc, & non pulsus, haud dubiè fiebat flatu aliquo fumoso quærente exitum, atqui fortasse illemet, illatus in caput, fecit dolorem dextri oculi, qui vigesima nona hominem vexauit, & eadem die finitus est, & reliqua omnia fuerunt à die vigesima septima conuenientissima. Scilicet fuit sine febre, sine delirio, sine sopore, aut peruigilio, sine siti magna, aut magno fastidio, & alijs huiusmodi. Sed neque hæc omnia satisfuerunt, vt homo integrè liberaretur, neque hæc iudicatio perfecta

fecta fuit, quia adhuc urinae tenues. Sed reliquum tempus mitius aegrotans transegit usque ad quadragesimum, qui est finis morborum acutorum ex decidentia. Et tunc habuit deiectiones copiosas & albas, atque sudorem: illis crassa, hoc tenuia, euacuata sunt. Et homo perpurgatus. Sed hic quoque aegrotus confirmat, quod ego antea dixi, finem morborum acutorum esse integrum lunae mensis. Nam usque ad vigesimum nonum, fuit huic morbo acutis.

Sectio secunda.

Quartus aegrotus.

IN Thaso Philistes caput dolebat multo tempore, atque nonnunquam etiam subsoporosus decubuit. Ex potationibus vero febris continua factis, dolor exacerbatus est. Neque in caluit primum. Prima die vomuit biliosa exigua, flava primum, post haec aërginosa plus. A ventre stercore fluxerunt. Noctem difficulter tulit: secunda surditas. Febris acuta. Hypochondrium dextrum intentum est. Repebat in interna. Urinae tenues pellucidae. Habebat appendix semini simile, parum insaniuit, circa medium diei. Tertiam difficulter tulit. Quarta convulsiones, exacerbata sunt omnia. Quinta mane, obiit.

PHILISTES paratus erat ad graues morbos capitis. Nam dolorem capitis multo tempore habebat, & aliquando subsoporosus decubebat. Quae duo redundantiam sanguinis conditoris significant, & usus vini largiori potu incidit in febrem continuam, & dolor exacerbatus est. Atqui fortasse dolor & sopor, quae multo ante febrem acciderunt, et affiduo

affiduo vini potu nascebantur, quòd homo vinosus esset, aliquando verò potu aliquo solito largiori, etiam febricitauit. Fortasse illa ob alias causas acciderunt, & potus insolitus febrem fecit, & dolorem auxit. Vt cunque hoc habuerit, grauis febricitandi causa, paratò homini, superuenit. Quo factum est, vt grauiter, acutè scilicet, & lethalliter, ægrotauerit. Et euenerunt sanè omnia, vt talis causa nata erat facere. Euomuit enim prima die biliosa, primum flaua, deinde æruginosa, bile scilicet ad modum vsta. Noctem tulit difficulter crescente vstione. Secunda die surditas, bile cum vino irruente in caput. Febris eadem ratione acuta. Hypochondrium dextrum intentum est, & repebat in interna, quasi retractum in internas, & superiores partes, quæ sunt in thorace sub costis: quod etiam succorum in superna irruentium indicium erat. Nam cum hepar sit venarum radix, & succorum fons, cum succi, vt plenis canalibus, per venas in superiora feruntur, turgent venæ, & distinctæ retrahi faciunt sursum hepar. Vrinæ erant tenues & pellucidæ, habentes appendiculum semini simile: colore & substantia propria significantes cruditatem, & raptum in caput: contento verò, vstionem crudi succi. Insaniuit parum circa medium diei, & tertiam diem tulit difficulter, crescente cum reliquis delirio. Meritò sanè. Nam vt in primo prædictionum scriptum est, qui in capitibus doloribus æruginosos vomitus habent, vigilantq; cum surditate, citò & vehementer insaniunt: quarta die acciderunt conuulsiones, quas, si vomitus æruginosi solum apparuissent, suspicaretur aliquis consentum cerebri cum ore ventriculi fuisse: verum cum surditas etiam apparuerit & delirium, consentaneum magis est fuisse propriam passionem cerebri, & neruorum, maximè, cum vinum tantopere soleat neruos tentare, & vt in aphorismo. 5. quintæ particulæ dicitur, ebrij soleant conuulsi mori. Velut etiam hic, qui cum conuulsione mortuus est, quinta die mane. Meritò hoc quoque. Quia morbus hic est acutissimus exactè, quales qui quarto die finiuntur. Nam & in aphorismo citato proximo dicitur, eos qui conuulsione corripiuntur, quatuor diebus perire.

Quintus ægrotus.

- 2 **C** Herionem qui decumbebat iuxta Demanetum, ex potu ignis corripuit: statim autem capitis grauitas dolorosa. Non dormiuit. Aluus turbata tenuibus, subbiliosis, tertia febris acuta, capitis tremor, maximò autem labij inferni, paulò ante, post rigor, conuulsiones, omnino delirauit. Noctem difficulter tulit. Quarta per quietem parum dormiuit, delirauit. Quinta laboriosè omnia exacerbata sunt. Delirium, difficulter tulit noctem, non dormiuit. Sexta per eadem. Septima superriguit, febris acuta, sudauit per totum, iudicatus est. Huic perpetuò ab aluo deiectiones biliosæ, exiguæ, synceræ. Urinæ tenues, boni coloris, appendiculum nebulosum habentes: circa octauam minxit melioris coloris urinas, habentis hypostasim albam, exiguam. Resipiscebat, febre vacans, intermisit, nona redijt. Quatuor decima autem febris acuta, sudauit. Decima sexta vomuit biliosa flaua, sine multa. Decima septima superriguit, febris acuta, sudauit, sine febre, iudicatus est. Urinæ post recidiuam & indicationem melioris coloris, subsidentiam habentes. Neque delirauit in recidiua. Decima octaua incallescerebat, parum insuper sitiebat. Urinæ tenues. Appendiculum nebulosum. Parum delirauit. Circa decimam nonam à febre liber; circa ceruicem habebat dolorem. Urinis subsidentia. Perfectè iudicatus est vigesima.
- Ϟ. ϣ. ⚖. x. v.

Hic quoque ex vino cœpit ægrotare, vt proximus ægrotus, ac proinde primis diebus habuit symptomata foæua, quæ vinum solet parere: verùm quia antea quàm in febrem incideret, non erat paratus ad grauem morbum capitis,

capitis, ut ille, non est mortuus breui, sed euadens hæc vini symptomata, per mitiorem & salutarem morbum, ad vigesimum vsque diem processit, quo ut legitimo sine multorum morborum acutorum, liberatus est. Sed quæ habuit ex vino? Ignem, & capitis grauitatem dolorosam. Non dormiuit. Vinum quibusdam affert soporem, quibusdam peruigilium. Quibus non tam bilem vrit quæ pungere & siccare possit cerebrum, quam vaporum multitudine replet, somnum humiditate facit, quibus vero contra, facit peruigilium calore. Quod euenit puero illi, quem Galenus narrat, ex vini potu nunquam amplius dormiuisse. Sed & hic Cherion, ex vino non dormiuit, vsserat enim illi bilem, quod deiectiones etiam indicarunt. Nam alius turbata est tenuibus subbiliosis. Tertia die febris etiam acuta fuit, & capitis tremor, maximè labij inferni, & paulo post, rigor, conuulsiones, & delirium. Hæc omnia vino erant imputanda, illud enim tremores & incontinentiam partium afferre solet, ob multam copiam vaporum replentium, & infirmantium neruos, rigores vero pungens partes sentientes, cum illud, tum bilis, quam redit acriorem, & agiliorem: conuulsiones, pungens & occupans radices neruorum: delirium, perturbans mentis sedem. Hæc ergo omnia potuit his rationibus afferre Cherioni. Quamquam vbi dicit Hippocrates capitis tremor, suspicor id nomen dici de motibus conuulsuis, quia addit, maximè autem labij inferni. Labium autem infernum conuulsuè moueri crebro solet, tremere non nisi, rarò, inter loquendum. Sed si tremores illi conuulsiones fuerant capitis & labij, quas alias conuulsiones dicit, addens, conuulsiones? certe manuum, crurum, oculorum, palpebrarum, nasi, & aliarum partium. Hæc cum habuisset die tertia, & noctem tulisset difficulter, auctis fortasse illis omnibus: quarta iam per quietem dormiuit parùm, hoc est quieuit, & dormiuit nonnihil, tametsi delirauit hæc quoque die. Nimirum factus est, ob dictam causam, phreneticus. Quinta laboriosè sunt omnia exacerbata; maximè delirium. Noctem tulit difficulter, non dormiuit: atqui fortasse, quia non dormiuit. Duo enim

hæc video huic ægroto accidisse, quod diebus imparibus habuit deterius, & quod his ipsis tulit noctes difficilius. Illud arbitror factum, quia morbus erat ex bile syncera tenui, talis autem per impares mouetur: hoc quia parum dormiebat. Grauius autem est laborare vigilem cum dormire soleas, quam interdium, quia id etiam difficultatis accedit, quod non dormias. Sexta eadem fuere, quanquam fortasse mitiora. Septima iudicatus est, rigore, & nouo quodam feruore, & sudore superueniente, quasi superueniente febristertianæ vnica accessione, sed aliud erat: nimirum rigor, de quo in aphorismo scriptum est, superuenire febri ardenti, & eam soluere. Optimum verò est rigori iudicatorio calorem & sudorem superuenire, quia sudor perficit motum, qui per rigorem inchoatur. Nimirum rigor fit excrementis à venis internis ad habitum corporis exeuntibus. Sudor ex habitu extra cutem. Dicit huic perpetuò exisse deiectiones biliosas exiguas, synceras, quales scilicet à principio inceperant, significantes biliosam esse febrem. Vrinæ in hunc vsque diem fuerunt tenues boni coloris, tales videntur esse rufæ tenues, de quibus in prognostico dicit Hippocrates crudam ægrotationem significare. Nimirum fit tenuis cruditate: bonum colorem contrahit bilis flauæ portione exigua, quæ colorem sine crassitie tribuere possit. Sed fortasse hæc rufa quidem erat, sed coloris minus boni. Nam quo pacto quæ coloris essent optimi, factæ fuissent die octaua, melioris? Quare videntur die septima fuisse tenues, coloris non mali, quæ cruditatem significant maiorem etiam quam rufa tenuis. Et habebant appendiculum nebulosum, hoc est, obscurum & turbidum. Iam hinc cœperunt urinæ mutationem in concoctiores facere, vsque ad decimum septimum. Nam octaua die fuerunt urinæ melioris coloris, habentes hypostasim albam exiguam, itaque colore sunt factæ meliores & hypostasi, quia pro nebuloso & turbido habere cœperunt sedimentum candidum, illud tamen tenue & exiguum. De substantia, quando quidem nihil dicit, intelligere oportet fuisse quales prius, tenues scilicet, & totum hunc diem respuit vacans febre, quæ cum soluta esset die septima, octaua intermisit: tamen mox redijt nona die, quia sine signis concoctionis, quæ iudicationem

dicationem possent satis firmare, intermiserat. Atqui re-
 cidium usque ad decimumseptimum duravit, quanquam
 quatuordecimo cœpit imperfectè iudicari (est enim no-
 tatu dignissimum, ut omnes dies contemplabiles afferant
 insignes mutationes) nam ea die facta est febris acutior &
 sudavit, processit tamen febris, & decima sexta (fortasse
 incipiente iam motu decimæ septimæ) vomuit biliosa,
 flava, facis multa. Decima septima supererriguit, & febris
 acutior est facta, & sudavit, & iudicatus est, factusque sine
 febre. Quapropter notare oportet, per totum morbi de-
 cursum à principio, in quas partes inclinent euacuatio-
 nes, nam tales debent spectari. Velut huic ægroto tertia
 die rigor accidit, septima, rigore febrem iudicavit: &
 rursum decima septima rigore iudicavit recidivam. Atqui
 profectò non solum ad præfensionem iudicationis future,
 refert notare, in quas partes excrementa inclinent, sed &
 ad curationem aliquando, quia illæmet euacuaciones pro-
 mouendæ sunt, si natura pigrius mouet. Quia ab octaua
 usque ad decimamseptimam, vrinæ nullam, & aliorum ac-
 cidentium exiguam mentionem fecerat. Addit, vrinæ
 post recidivam & iudicationem, hoc est, postquam facta
 iudicatione die septima cœpit recidivam die nona; semper
 fuerunt melioris coloris, & subsidentiam habentes: hoc
 est, tales semper perseverauerunt, quales apparuerunt die
 octava, neque deliravit homo in tota recidivam. Verum
 quia vrinæ, nondum processerunt ad concoctas, neque
 hæc iudicatio carere potuit recidivam, sed die decima octa-
 va visum est malum cœpisse denuo, nouo calore, & noua
 siti accedente, & vrinæ rursum crudiores: eadem enim
 quæ fuerant primis diebus, tenues cum appendiculo nu-
 biloso. Non arbitror eadem materia facta crudiori, quæ
 coqui cœperat, sed portione alia denuo putrescente, &
 mota. In hac secunda recidivam parum deliravit. Circa
 decimam nonam factus est à febre liber. Supererat tamen
 quidam dolor circa cervicem. Successit vrinis subsiden-
 tia, multa scilicet & crassa, qualis solet ijs qui per vrinam
 purgantur, & iudicatus est perfectè vigesima. Dolorem
 illum cervicis suspicor fuisse signum decretorium. Nimi-
 rum iudicatoriam euacuacionem antecedit semper secre-
 tio, & in secretionem dolores partium multarum. Nam si

instat euacuatio aliqua, earum quæ per cutem aguntur, vt rigor, sudor, & insensilis euacuatio, exudantia excrementa de venis & arterijs in musculos, dolores, excitant, tensiuos, aut punctorios, vt sunt excrementa: si verò aliqua earum, quæ per internas vias vt ventres, vesicam, & vterum: confluunt excrementa ex corporis habitu in venas, maiores inde in vias euacuationum, transmittendâ, & cum commeantibus excrementis, tum, tumentibus venis, fiunt dolores partium. Quod in ijs quibus instat menstruæ euacuationes, sæpe licet obseruare. Itaque dolor hic ceruicis ita fieret, duraretque donec copia in vrinarias vias colligeretur. Sed quo pacto cessare potuit febris ante iudicationem? Certè vt bis iam desierat febris, homine nondum à morbo liberato, qui, si ante recidiuam euacuatio sufficiens materiæ, anteuertisset, potuit à recidua præseruari, & liberari à morbo, cuius iam antè soluta esset febris, vt certè fit sæpe. Sed superest exponamus has literas π . χ . π . σ . K. v. primum. π . significare. Πιθανόν. id est probabile, & vltimum σ vrinam id est salutem, indicatum est antea. Indicatum etiam penultimam literam significare numerum, quod hic maximè respondet. χ . enim significat vigesimum. Indicatum etiam hac priorem, prioresve significare speciem euacuationis. Quod hic quoque satis quadrat. nam. π significare solet π λῆθι οὐραν hoc est multitudine vrinæ. Hunc verò ita iudicatum esse, iam diximus. Vnde rursum constat subsidentiam illam vrinæ vigesimi diei fuisse copiosam, & euacuatoriam, non indicatoriam solum, vt exiguam illam quæ octaua die cœpit apparere. Voco indicatoriam, illam quæ ad agnoscendum materiæ concoctionem, & morbi tempus, consideratur: ad euacuationem autem nihil, aut omnino exiguum præstat: euacuatoriam verò, eam quæ copiosa est, adeò vt magna materiæ pars vrina expurgetur. X. in multis codicibus non est, vbi tamen est, nomini ægroti respondere videtur, quæ si illis literis diceretur, probabile Cherionem multitudine vrinæ vigesimo sanatum.

Sextus ægrotus.

3 **E**ryanactis filiam virginem ignis corripuit, erat autem omnino sine siti, non gustabat quidquam, à ventre pauca exierunt. Urinæ tenues, exiguæ, non boni coloris. Incipiente autem febre circa sedem dolebat. Sexta autem die febre libera, non sudavit, iudicata est. Quod autem circa sedem, parùm suppuratum est, & exiuit cum indicatione: post indicationem verò die septima riguit, parùm quiddam incaluit, sudavit. Post indicationem vero octava die riguit non multum, postea vero extrema frigida semper. Circa decimam post sudorem eum qui fiebat deliravit, & rursum citò resipuit. Dicebant autem, eam hæc pati, quo gustasset racemum. Intermittens autem, duodecima rursum deliravit, venter turbatus est, biliosis, paucis, & meris, tenuibus, mordacibus. Crebro surgebat, à die autem qua deliravit posterius, mortua est die septima. Hæc autem incipiente morbo doluit fauces, & omnino ruborem habebat, & columella reuulsa, fluxiones multe, exiguæ, acres: tussijt concocta. Nihil excreabat. Nullum cibum toto tempore accipere poterat, neque appetebat quidquam, sine siti. Neque bibit quidquam notatu dignum. Tacita, nihil loquebatur. Tristis, desperata statim erat. Erat autem natiuum quiddam tabidum.

NARRATIO hæc duas partes habet, prima continet, quæ quibusdã diebus acciderunt, usq; ad eam qua mulier mortua est, secunda quæ per totum morbum perseverauerunt. Hæc duos morbos habuit, inflammatiunculam quandã in ano, quæ sexta die, cum suppuratione soluta est, vt nihil notatu dignum eius inflammationis, post eum diem relictũ sit: & destillationes quasdã acres, quæ a morbi principio fluxerunt

fluxerunt a capite, in columellam, fauces, ventrem, & pulmonem, & tandem intra vigesimum nonum diem, ut ego existimo (non enim est dierum supputatio facilis in hac narratione) in tabem finita est. Quod ad hanc secundam affectionem attinet, in ægrotantibus, quos tabe periisse, prima sectione primi libri narrauit, virgo hæc esse videtur. febre enim habuit, quæ ea tempestate in ægrotis apparuisse, narrauit. Sed persequamur totam narrationem figillatim. Eurynactis (inquit) filiam virginem ignis corripuit, erat autem omnino sine siti, neque gustabat quidquam. Hæc fuit grauissima pars mali illius, a siti & fame tam longè abfuisse, ut neq; potû neq; vllû oîno cibû, vel gustare, sustineret. Est enim hoc maximæ corruptionis, facultatis eius quæ appetimus, indicium. Ea vero non potest tantopere deficere, nisi extincto calore naturali in ea parte, ad quam ea facultas pertinet. Hoc proinde ut grauissimum, & maximam mortis quæ successit causam, in principio narrationis ponit. Hippocrates & in calce repetit. A ventre exierunt pauca, & vrinæ etiam tenues, exiguæ, non boni coloris. Quæ omnia debilitatis concoctricis, & expultricis erant. Incipiente autem febre, circa sedem dolebat. Hunc dolorem ex inflammatione sedis fuisse, exitus declarauit, quæ die sexta a febre est liberata, & iudicata sine sudore, & exijt cum ea iudicatione pus. Nimirum factò pure cessauit febris, quæ fiente pure, ardebat, ut solet. Sed quia non id solum malum erat mulieri, sed destillationes etiam acres e capite, citò post hanc iudicationem redijt febris. Nam septima die riguit, parum quiddam incaluit, & sudauit, & sudore rursùm iudicata est. Et rursùm octaua post iudicationem (post iudicationem scilicet proximam septimæ diei) riguit non multum. Nimirum est familiare admodum, destillationibus ex capite decurrētibus, sæpe & citra certam periodum rigere, & ardere, & sudare excrementis nunc tangentibus sentientes partes, nunc putrescentibus per partes nunc earum calore dissipatis. Sed ex hoc secundo rigore nõ recaluit satis, nam extrema frigida semper fuerunt, quod debilitatis naturalis calor erat. Circa decimã, post sudorem eum qui fiebat (nimirum sudabat decima) & post ceptum sudorem, delirauit, & rursùm citò resipuit. His dictis interponit Hippocrates causam externã, quæ dicebãt hanc mulie-

mulierem cœpisse ægrotare, incondito profecto ordine, in principio enim totius narrationis oportuit dici, aut certe in fine. Sed Hippocrates fortasse die morbi decima factus est certior eius occasionis, & scripsit rē totam, vt accepit. Fortasse vetustate codicum est conturbatus ordo. Vt cumque hoc habet, occasio erat satis noxia mulieri, & morbus recte occasione respondit. Comedit enim vix racemum (magnū arbitror) mulier natura parata ad tabem, & fluxionibus de capite, tenuibus & acibus correpta est. Vix verò, fluxionibus maximè replere, cōsueuerūt. Dicta ægro-
tandi occasione, redit ad narrationem, dicens, intermittens autem (diem scilicet vndecimā, delirandi intermissionem faciens) duodecima die rursum delirauit, Venter turbatus est biliosis, paucis, & meris tenuibus, mordacibus, & crebro surgebat, ex biliosis, scilicet destillationibus, quæ in intestina repebant. His ita procedentibus, die septima, a qua posterior delirauit, hoc est septima a duodecima (nam decima delirauit prius) mortua est. Die itaque decima, haud dubiè, tabida facta ex dictis destillationibus. Fuisse verò has, quas dixi legitimas singulorum causas ostendūt, quæ subdit in secunda orationis parte. Hæc (inquit) incipiente morbo doluit fauces, & omnino ruborem habebat, & columella reuulsa. Constat hæc fluxionis a capite esse, quod ipse etiam dicit apertè, addens, fluxiones multæ. Columella reuellit, aliquando multitudine fluxionis tumens, nõnunquam siccante fluxione velut salita, & corrugata: cum illa est causa, est tumida: cum hæc, flaua, aut rubra, siccata, & exasperata, atque facta exigua. Talem fuisse in hac constat, quia fluxiones fuerunt tenues & acres. Itaque fuerunt multæ, non quod copiosæ, sed quod affligentes continenter & in multas partes incumbentes. Nam in fauces, & collumellam (quod indicauit dictus rubor) & in asperam arteriam, quod fecit, vt extussiret concocta, & nihil excrearet, hoc est, vt crebro tussiens, raro extussiret, vt per tenuissimas destillationes fit: aliquando verò concreta & crassa quasi vltam pituitam (hæc enim nunc ob similitudinem cocta vocat) quia tamen præ intemperie sicca & calida pectoris fiebant, referri debebant magis ad efficientem causam, quam ad materiam, cum non esset morbus pituitosus. Esse vero hanc legitimam expositionem, intelliges ex
his

his verbis primæ sectionis libri primi. Spuebant autem
 3 exigua densa cocta, modicum quiddam vix excreâtes. Sed
 3 & in ventrem superiorem decubuit maligna fluxio, tantâ
 3 noxam illi inferens, vt ferè mori fecerit, ac substulerit cibi
 & potus appetentiam (nimirû vt solet externa pars sthio
 menum pati, præ maligna fluxione, quam excipit) & in in-
 feriolem, faciens crebriam cupiditatem desidendi, cum bi-
 liosis, paucis, meris tenuibus, & mordacibus deiectionibus
 Tenerieam grauiſſimo aliquo morbo interius, nō tam ma-
 gno quàm mali moris, & quasi subdolo, indicabat tanta ta-
 citurnitas, vt nihil loqueretur, & tristitia tam desperata, vt
 neque conquereretur, neque auxilium peteret, aut omni-
 no velle videretur. Tale quiddam est hoc, quale quod in
 externis morbis videmus. Si quæ pars magna inflammatio-
 ne corripitur, quæ, vt magnæ solent, in suppurationem mu-
 tatur, febres accidunt & dolores ingentes, & æger vigilans
 vociferatur, sin autem in gangrenam abit, febres exigue
 sunt, & dolores nulli, sed pars velut silens (liceat meta-
 phora vti) moritur Non mirum ergo, si caloris naturalis
 tabe, mulier tam breui contabuit, & mortua est. Quo mi-
 nus autem mireris, monet Hippocrates fuisse huic naturâ
 quiddam tabidum. Itaque in illis erat hæc, de quibus Hip-
 pocrates, dixerat citata sectione: Est autem quibus incepit
 primum: his vrgebat natura in tabem: moriebantur autem
 celerius, quam solent hæc transigi. Mihi verò citæ consum-
 ptionis, causa alia maxima videtur accedere, illa integra se-
 rè cibi & potus abstinentia. Nam cum vita hominis iuxta
 Hippocrat. septem dierum sit, qui potuerit non marcesce-
 re hæc virgo, decem & nouem.

Septimus ægrotus.

Anginosa quæ iuxta Aristionem. Hæc primum à lin-
 gua incepit. Obscura vox, lingua rubra resiccata.
 Prima die horrida, incaluit. Tertia rigor: febris acuta, &
 mor subruber, durus, ce, uicis, & super pectus ab vtraque
 parte. Extrema frigida. Liuida. Spiritus sublimis. Potum
 per

per nares reijciebat, bibere non poterat. Deiectiones & urina restiterunt. Quarta omnia exacerbata sunt. Quinta mortua est. Anginosa.

HÆC angina tenuit partes internas oris, & externas cervicis, quia incepit à lingua, quæ rubra & resiccata erat, quasi erysipelatosa. Vnde vox facta est obscura, & fuit tumor durus, & subruber, inflammatio scilicet erysipelatodes, cervicis & super pectus ab utraque parte. Horrorem primi diei, & rigorem tertij, biliosa fluxio, quæ in eam partem ferebatur, occurrens partibus sentientibus, fecit. Illa verò frigida & liuida extrema, & spiritus sublimis (hoc est, qui superioribus thoracis partibus trahitur) longè deterrima erant, significabantque, naturalis caloris, & facultatis extinctionem. Quòd potum per nares reijciebat, & bibere non poterat, angustia viæ, inflammatione compressa, ascribi potest, aut resolutioni guæ, vel fastidio extremo, quòd scilicet ob facultatis corruptionem deglutire mulier non posset, & cum ore quàm maxime conareretur per nares reijceret. Atqui Galen. extremæ debilitati id vult ascribi, quia deterrima illa signa aderant, quæ dicta sunt. Ego verò utramque causam adfuisse suspicor, & viæ incommoditatem, & facultatis debilitatem. Deiectiones & urina restiterunt præ debilitate expultricis, in internis manentibus excrementis. Quarta, sunt exacerbata omnia. Quinta mortua est anginosa. *π δ ε ε θ hoc est. π θ ά ν ο ν διακοριμάτων επιχελώνων. θάνατον* hoc est, probabile deiectionibus suppressis quinta mortuam: hæc enim significari his literis antea explicatū est Galeno Ob has censet, non fuisse tales literas scriptas ab Hippoc. sed ab alijs adiectas, quia nō probat mortuam esse hanc ob suppressas deiectiones, sed ob anginā, deiectiones verò esse suppressas ob debilitatē facultatis. Ego an ab Hippocra. scriptæ, an ab alio adiectæ hæc literulæ sint, non possum dicere, tamen has literas nō esse malè hoc loco adiectas, affirmo. Nā angina per quā fauces & ceruix rubent, maxime descendente rubore ad pectus, diuturnior est, & multi ex ea euadūt, vt in prognostico dicitur, neq; alia ratio moriēdi in tali est, quam recurrētibus intrò excrementis. Nō ergo hæc mulier mortua esset

ex hac angina, nisi facultas fuisset debilissima, quod frigus & liuor partium, & sublimis spiritus, indicabant, neque omnino fuisset mortua, nisi recurrisent intro excrementa: recurrerunt verò, quia suppressæ sunt deiectiones, & urinæ itaque & ob hanc causam est quinta mortua, alioqui non moritura, aut non tam citò. Si enim valuisset per ventrem, & vesicam, atque vndique facile pellere, neque tantam naturalis caloris extinctionem passa fuisset, neque mortua. Cur enim ab angina externa? Quia verò non valuit, excrementa retenta sunt, quæ extinxerunt calorem, & debilitatem facultatum rectorum, & mortem attulerunt. Tam longe abest a vero loci huius sensu Galenus, ut miretur, qui potuerit hæc angina produci vsque ad quintum, quin prius mulier mortua fuerit.

Octauus ægrotus.

- 5 **A**dolescentem illum qui decumbebat super foro mendaciorum, ignis corripuit, ex lassitudinibus, & laboribus, & cursibus insolitis. prima, aluus turbata, biliosis, tenuibus, multis. Urinæ tenues subnigræ, non dormiuit siticulosus. Secunda omnia exacerbatata sunt, deiectiones plures, intempestiuiores, non dormiuit, mens turbata, parum sudauit Tertiam difficulter tulit: siticulosus, anxius: multa iactatio: perplexitas, delirauit. Extrema liuida & frigida. Hypochondri intentio submollis vtrunque. Quarta non dormiuit, in peius. Septima mortuus est. ætatem agebat circa vigesimum annum acutum π ες θ.

ADOLESCENTEM fuisse duorum quidem causa fuit primum ut ex occasione tam acuto & calido morbo corripere, deinde, ut cum tam graui morbo, vsque ad diem septimum, durare posset. Proinde bis id monuit Hippocrates in principio, narrationem inde incipiens, adolescentem illum: in fine, dicens, ætatem agebat circa vigesimum annum.

annum. Quia ergo erat adolescens, ac fortasse natura calidus, & nutritus calidis, etsi alioqui otiosus, potuit ex labore corripri tam calido morbo. Atqui quanquam reliqua omnia quæ naturæ est victus calidorum sunt, facerent ad facilem passionem, tamen, otiosum fuisse, non subleuauit periculum, immo auxit plurimum, nulla enim causa magis labores læserunt, quàm quod insoliti: quia insolita omnia fert male natura. Proinde hic male tulit, etsi adolescens, & alioqui fortis. Nimirum vt in aphorismo dicitur; soliti labores ferre, minus lædi solent, etsi sint debiles & senes, quam insoliti, robusti & iuuenes. Quoniam autem dicit, lassitudinibus, & laboribus, & cursibus significat vehementes & multiplices motus eum sustinuisse, atque inde defatigatum esse. Labores enim sunt motus nimij, longe productiores quam exercitationes: lassitudines vero affectiones quas labores pariunt. Ergo cursibus & alijs motibus laborauit, vsque ad magnas lassitudines. Nã exiguas, & velut incipientes lassitudines, exercitationes etiam faciunt, non solum labores, & ea est meta exercitationis, vbi lassari cœperit corpus, statim quiescere: ultra quam, si motus procedit, iam est labor. Bile, hic homo, vehementer agitata, & maligne putrescente, videtur, in hepate & liene contraxisse inflammationem tantam, vt septum etiam transuersum attigerit. Nam ambo hypochondria inflammata fuisse, declarauit, cum reliquis, intentio submolli hypochondrij vtraque ex parte: attigisse fortasse etiam septum transuersum, ex delirio suspicio est. Quãquam per malignas etiam hypochondriorum inflammationes, contingit delirare. Acutissimum & malignum affectum significauerunt euacuationes symptomaticæ, quæ, & tempore quia statim apparuerunt, & qualitate etiam, malæ erant. Puta biliosa tenuia multa ex aluo, & secunda die deiectiones plures. Quod dicit intempestiuiores, non quidem intelligendum prioribus. Nam tales deiectiones, quanto citius apparent, tanto intempestiuiores sunt, sed accipiendum cõparatiuum propositiuo, quasi intempestiuæ. Sed & vrinæ a primo die tulerunt præse contraria concoctioni, & lethalia, tenues enim fuerunt & subnigræ. Præter exeuntia vero, reliqua etiam quæ sunt in genere signorum salutis aut mortis, statim cœperunt maligna apparere, & vrgerè continenter

tur, quod acutiem & periculum significabat. Graue enim, die prima non dormisse, & fuisse siticulosum (intellege enim valde) grauius verò, secunda omnia exacerbata fuisse, sitim scilicet, & peruigilium, & mentem turbatam fuisse, & sudasse parum. Graue enim secunda die sudare, grauius autem quod parum. Exigui enim sudores in talibus, animi deliquia comitari solent: grauius adhuc quod diem etiam tertiam difficulter tulit. (hoc grauia omnia symptomata significant) siticulosus, anxius. Anxietatem vero indicabat, multa iactatio, & perplexitas, & quod delirauit. Quod quidem verbum maius aliquid significat, quam mentem turbatam esse. Quare intellige, die hac tertia creuisse delirium. Longe autem dictis omnibus grauius extrema luida & frigida fuisse. Hic profecto nullus non putasset hominem die quarta, qui primi morborum impetus finis est, moriturum, præcipue cum iam videret die quarto non magis quam prioribus dormire, & ire in peius. Quid enim iam peius, excepta morte, poterat expectari? Atqui profecto ita esset factum, nisi hic beneficio ætatis, quæ tere viginti annorum erat, & robustæ facultatis, vsque ad septimam durasset, qua necessario mortuus est. Hoc vt significaret, cum dixisset septima mortuus est, addidit (vt antea etiam dixi) ætatem agebat circa vigesimum annum. Itaque ætas effecit, vt tardius interiret, quam morbi acutie. Ergo morbus acutior fuit, quam pro exitu quam habuit. Hoc vt significaret, addidit, acutum. In quatuor autem literis his. $\xi\zeta\theta$ solum dubitari potest, quid ξ significet. Nam primam significare probabile, vltimam mortem, penultimam diem quæ hic septima fuit, ex dictis antea est apertum ξ verò significare solere $\xi\alpha\rho\theta\iota\nu$ idest flauam bilem, aut $\chi\rho\lambda\iota\omega\nu$ idest nouum, seu raram, aut $\xi\nu\sigma\mu\omega\nu$ idest strigmentum, aut $\xi\pi\sigma\iota\tau\alpha$ idest siccitatem, ex sua, & antiquiorum sententia dicit Galen. Hunc verò magis consentaneum est, dici mortuum ex nouitate, hoc est quod repente, mutata multum consuetudine, ad labores magnos se transtulit, quam ex bile, aut siccitate, aut strigmentis. Nam quod nouitas causam externam & non affectionem significet, nihil refert. Non enim solum ex affectu, aut interna eius causa, aut magno aliquo symptomate dicuntur homines interire, sed & ex causa aliqua externa, cum ei cõtingit esse valde noxiã, velut Philistes ex potationibus

Nonus ægrotus .

6 **M**ulier quæ decumbebat iuxta Tifamenum . Huic
 voluulosa difficulter concitabantur , vomitus
 multi, potum continere non poterat , dolores circa hypo-
 chondria, & in ijs quæ circa infernam ventriculi partem
 dolores, tormina continenter, non erat siticulosa , incale-
 scebat. Extrema frigida, vsque ad finem, fastidiosa, sine
 somno. Vrinæ tenues paucæ: excretiones crudæ, tenues, nõ
 erat remedio locus, mortua est.

VOLVULVS affectio est acutissima & grauissima,
 quæ ad intestina gracilia pertinet, vt colicus dolor ad cras-
 sa, & in eisdem habet essentiam, & causam. Est enim ob-
 structio aliquando ex induratis fæcibus, aliquando ex
 crassis succis, & crudo crassoque flatu, nonnunquam
 etiam ex inflammatione. Hic morbus tantò periculosior
 est colico, quantò intestina graciliora, & tenuiora &
 acrioris sensus, & propiora præcipuis partibus, hepatis,
 leni, fundo ventriculi, & septo transuerso. Vnde con-
 tingit ea trahi ad compæssionem. Hoc morbo occupa-
 tam fuisse mulierem hanc dicit, narrans primum signa pa-
 thognomonica, deinde etiã superuenientia. Pathognomo-
 nica sunt hæc, vomitus multi, & potum continere non
 posse, dolores, ac tormina continenter affligentia circa
 hypochondria, & infernam ventriculi partem, hoc est in-
 ter thoracem: & vmbilicum. Hæc enim per hunc mor-
 bum accidunt, & nihil videri descendere deorsum, sed to-
 tum ventris motum videri ad os sursum præter naturam
 concitatum, vsque adeò vt nonnunquam fæces etiam
 soleant vomere, quod fortasse huic non contigit (ac for-
 tasse etiam contigit, & si Hippocrates non exposuerit vo-
 mitus speciem) ob vim & acutiem morbi, anticipante mu-
 liere mori. Illa verò sunt superuenientia (quæ quia lethali
 adeò morbo superuenerunt, fuerunt et lethalia) non fuisse
 siticulosam cû incaleceret, hoc est, febricitasse, & nõ secū

A a dum

dum rationem febris siccissse. Quod quidem pessimum erat: nam delirij, aut corruptionis magnæ facultatum in ventriculo. Atqui fastidisse simul cibos, ad ipsummet genus pertinebat, & corruptionem magis facultatis, aut malignos succos indicabat. Extrema frigida vsque ad finem, hoc est, ex quo non recaluerit, magnitudinem internæ inflammationis significabat, vnde & ex febre, & ex tanta totius mali acutie, manifestum, eam eius voluuli causam inflammationem fuisse, eamque magnam & malignam, quæ non minus peruigilium, quam alia dicta, erat nata facere. In calce narrationis, speciei exeuntium mentionem facit. Quæ quidem species, in genere signorum quæ Galen. vocat assidentia, est, quia quocunque tempore morbi poterant accidere, & non accidere. Meminit verò Hippocr. vrinæ in morbo, qui non erat venarum, ob communem rationem quam Galen. attigit, quo scilicet constet, an venas attigerit affectio, sed & ob peculiarem etiam, quam ego addo: quia scilicet, cum soleat hepar ad compassionem cum intestinis trahi, & inde maxima huius morbi periculi pars sit, refert quamplurimum scire, quantam læsionem hepar acceperit, quod ex nulla re melius, quam ex vrina intelligi potest: præcipuè, si secundum gibbam partem patiatur hepar, vt si secundum cauam, ex deiectionibus. Vrinæ ergo tenues & pauca, cruditatis, & mali hepatis, esse poterant. Sed quia tenues, præcipuè verò si etiam pauca sint, fieri solent raptu humorum in aliam partem, vt cum in phreniticis apparent: mihi significassent potius inflammationis magnitudinem rapiens ad se omnia more cucurbitæ. Mirum verò quòd voluulo tanto laborans, deiectiones habuerit. Nam vt diximus, nihil omnino solent per sedem emittere. Sed neque hic fuit pars quæpiam excrementorum, expultricis facultatis vi præcipuè pulsa, sed tenue quiddam & crudum, vt quidam ichor, calore hepatis & mesenterij liquecens. Tantus erat morbus, ex quo tam citò mortua est, vt nullus fuerit remedio locus. Quare verisimile est, & si id tacuerit Hippocrates, mortuam fuisse secunda die, aut paulò post. Nam de ijs, quibus ob morbi breuitatem subuenire non possumus, dicit ipsemet Hippocrates in initio prognostici: Quidam enim diem viuentes vnã, aut paulò plus, moriuntur, antequam medicus arte

arte repugnet. Eiusmodi fuit hæc, & Hippocrates tacuit diem mortis, vt hinc multo magis intelligeres citissimè mortuam esse, vt vix dies iaterfuerit, quasi diceret, statim mortua est.

Decimus ægrotus.

Mulierem quandam, earum, quæ aput Pantimedem, ex abortu recentis fœtus ignis corripuit, lingua sicca, siticulosa, fastidiosa, insomnis. Aluus turbata, tenuibus, multis, crudis. Secunda superriguit, febris acuta, ab aluo multa. Non dormiuit. Tertia maiores dolores. Quarta delirauit. Septima mortua est: aluus per totum humida, deiectionibus, multis, tenuibus, crudis. Vrinae paucae tenues. Febris ardens.

FEBRES acutæ in recens enixis, & ijs, quæ fœtus corrupe-
rant, valde periculosæ sunt. Non enim fiunt ijs, quæ rite
purgantur, sed quibus supprimuntur euacuationes. Id verò
fit locis vteri, a quibus euulsæ sunt secundinæ, ob ruptu-
ras inflammatis, & proinde obstructis, atque materia, alio-
qui maligna, multum redundante, & inculcata, neque po-
tente exire. Atqui, & si possit aliter, citra inflammationes
inquàm, fieri, tamen acuta febris in enixa rarò aliter fiat,
& ita semper fieri, putare oportet, quia huc curationis ra-
tionem dirigens, nunquam errabis. Nequè profectò mi-
nus periculi est, in abortum facientibus, quàm in enixis,
sed, vt Hippocrates lib. de morbis dicit, multò plus, quia
quod naturaliter in his fit, in illis fit præter naturam. Quod
verò violentum, periculosius, quàm quod naturale. Sed, vt
in materia dicatur apertius, constat magis dilacerari ace-
tabula vteri, a quibus vi fœtus euellitur, quàm a quibus
naturaliter excidit: vt, si pomum nondum maturum, arbo-
re decerpas, quàm si sponte cadat. Minus enim lacerum,
& sano propius manet, id vnde naturaliter, velut separa-
tur. Si ergo in abortiente magis vlcerantur vteri, facilius
etiam inflammabuntur, ac reliqua mala fient, vsque adeò,

vt de ijs quæ corruerunt dicat loco citato Hippocrates. In huiusmodi enim periculum est, ne vteri exulcerentur, & inflammentur. Hoc autem est periculosum. Non parum autem refert, quo mense conceptionis abortus fiat. Nam quæ corrumpunt foetum nondum menstruum, aut non antiquiorem, quæ scilicet primò prægnationis mense abortiunt, exiguum, aut vix vllum periculum habent, quia acetabula adhuc sunt mucosa, vt dissipari, nullis manentibus vlceribus, possint: sanguinis verò expurgatio non maior desideratur, quacunque earum, quæ singulis mensibus contingunt, vtpote cum nulla antea talium euacuationum intermissio facta sit. Quæ aliquantò tardius, vt secundo aut tertio mense abortiunt, cum periculo id faciunt, solidioribus iam aliquantò acetabulis, & suppressiõibus mensurorum prægressis, non tamen cū tanto, quanto quæ medijs, aut postremis mensibus: quarum quæ medijs mensibus, ob firmitudinem acetabulorum, periclitantur plus, quam alia omnes; ob multitudinem autem excrementorū, plus quam quæ primis, minus quam quæ vltimis, quæ vltimis, multitudine excrementorum plus omnibus, firmitudine acetabulorum non quantum quæ medijs, vt omnibus collatis, in medijs & vltimis mensibus non admodum impar sit periculum, in primis autem manifestè, minus quam in alijs. Itaque huic mulieri non admodum erat futurus periculosus abortus, vt qui recentis foetus, nisi magnus apparatus in corpore fuisset. Contigit aut̄ fuisse tantum, vt ex febre ardente, biliosa, acutissima, facta phrenitide quarta die, mortua fuerit septima. Acutiem autem maximam satis indicauit, quæ prima statim die fuit lingua sicca, & mulier siticulosa, & insomnis, Bilis redundantiam & malignam qualitatem, indicabant hæc ipsa, & fastidium, & aluus turbata, tenuibus, multis, crudis. Biliosorum. n. est, valde sitire, & cibos non posse capere. Deiectiones verò tenues, & crudas vocat ex tenui bile, quæ prima die, non, nisi ob redundantiam aut malignam qualitatem, excerneretur. Secunda die eadem fuerunt. Nam non dormiuit, & ex aluo fluxerunt multa, & insuper riguit: id quod in ijs quæ abortu, aut partu laborant, sepe euenit, ob sensus vteri actionem. Tertia die fuerunt eadem, & insuper maiores dolores, vterini arbitror. Quarta eadē, & insuper delirauit, facta iam

iam inde phrenitica, quia, arbitror, proximæ diei dolores facti fuerant malignis succis occurrentibus ad vterum, & non potentibus erumpere, cum ergo exire prohiberentur, inde impetum fecerunt in sublimem partem, & tenuerunt caput: cætera transacta sint, ut par est in postrema parte lethalis morbi, usque ad septimam, qua mortua est, quam indicauerat maligna permutatio quartæ. Dicit deinde per recapitulationem. Aluus per totum humida, deiectionibus multis tenuibus crudis, urine paucæ tenues. Fortasse repetit hoc, quod de deiectionibus dicitur, significans id fuisse a principio signum omnium grauissimum. Urinæ verò fuerint tenues, quod crudæ; paucæ verò, ob deiectionum tenuium multitudinem, & ob febrem vrentem. Talem enim fuisse testatur Hippocrates ipse dicens, febris ardens. Si modo verba hæc vltima Hippocratis sunt ac non potius, ut Gal. putat, adscriptitia.

Vndecimus ægrotus.

Alteram ex abortu circa quintum mensem, Oeceta uxorem, ignis corripuit. Initio comatosa, & rursum insomnis, renū dolor, capitis grauitas. Secunda aluus turbata, paucis, tenuibus, meris primum. Tertia plura & deteriora, nocte nihil dormiuit. Quarta delirauit. Timores, tristitia, dexter oculus distortus est, sudauit circa caput exiguum & frigidum, extrema frigida. Quinta omnia exacerbata sunt. Multum delirauit, & rursum celementer ad mentem redijt. Siticulosa, insomnis. Aluus multis meris usque ad finem. Urinæ paucæ, tenues, subnigræ. Extrema frigida, subliuida. Sexta eadem. Septima mortua est. Phrenitis.

Periculosior abortus est, quinto mense quam primis tribus, quanquam huic, & proximæ mulieri, par malum & periculum videtur superuenisse, cum ambæ septima die mortuæ, & ambæ quarta die phreniticæ factæ sint.

Id quod factum fuerit, quòd prior illa tantò maiorem ad acutum morbum apparatus habuerit, quantò minus periculofam ægrotandi causam. Atqui profectò ita fuisse, vtriusque morbi symptomata indicant. Semper enim fiunt tales morbi, quales antecefferunt apparatus. Illa vero habuit biliosissimum morbum, vt omnia symptomata indicarunt, hæc verò ex varijs succis. Nam quædam symptomata pituitam, quædam bilem, quædam etiam nigram bilem, indicarunt, atque adeò quædam sanguinis redundantiam. Illa ergo biliosior erat, hæc succorum habebat quædam commixtionem. Coma enim pituitam indicabat, peruigilium, & alius turbata tenuibus & meris, bilem: dolor renum & capitis grauitas, redundantiam sanguinis, & toto corpore, & circa vterum præcipuè, cum non ritè expurgaretur: timores verò & tristitiæ, melancholiam. Itaque prima die fuit comatosa, & rursus in somnis eadem die. Scilicet prima diei parte dormiebat inexcitabiliter, altera vigilabat, vt nunquam amplius dormitura. Quod quidem in semitertianis, aut quæ illarum naturam referunt, vsu venit. Hæc verò febris causam habuit causæ hemitritæ non valde dissimilem, ex pituita enim & bile maximè. Eadem die renum dolor, & capitis grauitas. Secunda alius turbata paucis tenuibus meris, exeunte bile, vt pote tenuiori, ante alios succos: tertia exierunt plura & deteriora, putidiora, scilicet, & variegata, ex varijs iam excrementis. Nocte eius diei nihil dormiuit, antecedente scilicet vt solet peruigilio, delirium. Nam quarta delirauit, occupantibus putridis succis cerebrum. Fuit vero species delirij in timore & tristitia, vt ijs qui ex atro succo delirant. Fuit vero eadem die dexter oculus distortus, quod signum non fuit huic iudicarium, vt ei qui decumbat in horto Dealcis, qui huius libri fuit tertius ægrotus, sed lethale, iuxta illud quod in aphorismo dicitur. In febre non intermittente, si labium, aut palpebra, aut supercilium, aut oculus, aut nasus, distorqueatur. Nimirum hoc erat signum conuulsium, quod quidem cum delirio coniunctum, & feбри ardenti superueniens, grauiter affici cerebrum indicauit. Reliqua etiam omnia quæ ea die accidisse narrat, lethalia esse, ex prognostico didicimus, vt sudasse circa caput exiguum & frigidum, & extrema frigida.

da. Quæ omnia quinta exacerbata sunt, & multum deliravit. Quod dicit celeriter ad mentem rediisse, non significat phrenitidis solutionem, sed quod in plerisque phreniticis obseruamus, vt cum valde commoti mentē sunt, repente quædam prudenter loquantur. Siticulosa etiam fuit, & infomnis. Quamquam hæc duo non erant tam grauiā, quā reliqua. Non enim erant præter rationem febris, quin potius fortasse, siticulosa fiebat, cum ad mētem redibat. Aluus inquit turbata multis meris vsque ad finē, id vero non potuit, cum vrinis tenuibus & subnigris, morbum soluere: euacuationes enim sine signis concoctionis, ne dum cum concoctioni contrarijs, symptomaticæ sunt. Extrema etiam, hac die, non frigida solum, sed liuida etiā, fuisse dicit, quod vt in prognostico dicitur, magis pestiferum est quā si nigrescant, quamquam hoc quoque, morientibus iam partibus, fieri soleat. Sexta eadem fuisse, & septima mortuam, dicit. Merito quidem, quia acutissime processerat morbus, & die quarta facta fuerat insignis mutatio in deterius. In calce dictionis scripsit, phrenitis, Quāquam in quibusdam codicibus reperi *phrenitis* idest, phrenitica, ego sequor eam lectionem quam, ex eius commentarijs intelligo, sequutum fuisse Galenum: illa enim fuerit antiqua & certa. Galenus dicit scriptum fuisse *phrenitis* quam vocem, vt nuper dixi, non putat scriptam ab Hippocrate sed ab alio adiectam. Ego nihil possum de ea re affirmare. Sed si Hippocrates voces has solutas, in fine narrationum adiecit, cur hanc potius phrenitidem, & proximam, febrem ardentem vocauerit, cum vtraque fuerit febris ardens, & vtraque in phrenitidem abierit, non habeo quod dicam aliud quam vtramque fuisse vtrumque proinde licuisse illi, vtramuis ægrotationem, alterutrum appellare.

Duodecimus ægrotus.

9 **M**ulierem quæ decumbebat in foro mendaciorum, enixam primum dolorosè masculum, ignis corripuit. Mox in principio siticulosa, fastidiosa, dolebat cor,

A a 4 lingua

lingua arida: aluus turbata: tenuibus paucis, non dormiuit. Secunda parum riguit, febris acuta: parum circa caput sudauit frigidum. Tertia laboriose ab aluo cruda multa tenuia fluxerunt. Quarta superriguit. Omnia exacerbata sunt. Insomnis. Quinta laboriose: Sexta eadem. Ab aluo fluxerunt humida multa. Septima superriguit, febris acuta, sitis multa, iactatio, circa vesperam sudauit per totum frigidum. Refrigeratio extremorum, & recalescebat rursus, & rursus ad noctem superriguit. Extrema non recalescebant, non dormiuit, parum quiddam delirauit, & rursus cito resipuit. Octaua circa medium diei recaluit, fiticulosa, comatosa, fastidiosa, vomuit biliosa, pauca flaua. Noctē difficulter uoluit, non dormiuit, minxit multū, confertim inscia. Nona remiserunt oīa, comatosa. Ad uesperā parū superriguit. Vomuit amara, biliosa. Decima rigor, febris exacerbationē habuit, non dormiuit quidquam. Mane minxit multum, subsidentiam non habens. Extrema recalfecta sunt. Undecima vomuit virulenta biliosa, riguit non multō post, & rursus extrema frigida. Ad uesperam rigor, sudor, vomuit multa, noctem laboriose. Duodecima vomuit multa, nigra, fœtida, singultus multus, sitis laboriosa. Decima tertia nigra, fœtida, multa vomuit: rigor. Circa medium autem diei, uoce priuata est. Quatuordecima sanguis de naribus. Mortua est. Huic per totum aluus humida, horrida, ætas circa decimum septimum annum, causus.

HABD dubiè febris hæc incepit cum maiori acutie, quam priores duæ, aut non cum minori. Nam prima statim die habuit omnia, quæ mulier quæ habitabat apud Pantimedem, & insuper dolorem cordis, hoc est oris ventriculi, & reliqua omnia acutissimè processerunt, ut miraculo simile fuerit, septimum diem mulierem

rem hanc effugisse : duravit tamen vsque ad secundum septimum, fortasse quia erat ætatis tam florentis : quæ causa verisimile est Hippocrat. in calce narrationis, vè huic admirationi occurreret, dixisse, ætas circa decimum septimum annum. Nam in historia adolescentis illius, qui decumbebat in eo ipso foro mendaciorum, quo hæc mulier, perinde fecit Hippocrates. Est consideratione dignum, in ijs quæ ex partu laborare cœperunt, nunquam non dicere Hippocratem, marem an foeminam pepererint. Nam hanc dicit marem, & vxores Sæni & Dromeadæ, quæ etiam ex partu mortuæ sunt, dixerat filias peperisse. Quæ in re aperte insinuat, non parum facere id ad partus difficultatem, & periculum. Longè enim difficilior est affectio generationis vtero foeminas, & periculosior partus. Nam & ob deteriorem apparatus, & maiorem excrementorum redundantiam, foeminae concipiuntur, & maiori expurgatione indigent filias enixæ. Nam sexaginta sex diebus expurgari solent, enixæ filios solis triginta. Suppressio ergo in illis est maior. Atqui profecto si memoria velimus repetere omnes Hipp. historias, plures enixarum filias mortuas fuisse, reperiemus. Ergo peperisse filias periculum auget, sed peperisse filios, & nihilominus mortuas fuisse, auget admirationem. Quamquam filios peperisse, & æque grauibus teneri morbis, periculosius est, quia minus naturale. Multos rigores citra vllum ordinem habuit per totum morbum hæc: quod familiare esse omnibus enixis, aut quæ foetus corruerunt, ex illis ipsis historijs, quarum nunc memini, & alijs eiusmodi, licet intelligere. Quin etiam omnibus suppressione menstruorum laborantibus, tam familiares esse rigores putauit Hippocra. vt in aphorismo. 61. quinta particule dixerit. Si mulieri purgationes non prodeunt, neque horrore, neque febre accedente, verum cibi fastidia ipsi accidant, hanc in ventre habere existimato. Quasi scilicet suppressionem patientibus sine conceptu, rigores accidere soleant, multi autem sine febribus, aut per febres. Neque sanè id citra rationem. Maligna enim qualitas excrementorum, & acer sensus vteri, possunt id facere. Quibus accedit consensio oris vetriculi. Quod in hæc muliere pecu-

peculiare etiam fuit. Nam plus quam in proximis, & plura quam in alijs multis soleat, laboravit os ventriculi, quæ pars cum mordetur, omnium maximè, rigores solet facere, vt ipse Hippoc. lib. 6. huius operis dicit. Laborasse verò in hac tantoperè os ventriculi, indicauit prima die, per ter sitim & fastidium & linguæ ariditatem, cardialgia, seu dolor oris ventriculi, præcipuè. Iam enim inde in eam partem ferri excrementa constabat, sed & ex processu morbi nausæ, & vomitionum. Primum enim tantum biliosa, deinde virulenta biliosa, postremò etiam vomuit nigra foetida. Hic enim decursus indicabat materiam morbi semper ire ad deteriore[m] putrescentiam, ventriculum verò continenter pati, quæ eadem causa fuit, vt postremò etiam singultus magnus superuenerit, signum adedò letale, cum extenuatis iam, aut ardente febre malignaque afflictis, superuenit, vt nunquam me ex hoc signo deceptum meminerim, tametsi ex eo multos morituros esse prædixim. Huius etiam particulæ passio, & materiæ mala qualitas in causa fuerint, vt sudor paucus frigidus circa caput, & aliæ extremorum refrigerationes, quæ iam iam morituris solent accidere, vsque adedò anticipauerint, vt vel a secunda die incepterint. Nimirum huiusmodi non fiebant primis diebus, ob extremam naturalis caloris extinctionem, vt solent, sed per deliquia animi, similia ijs quæ afferre solet cardialgia, etiam in non morituris, ac nonnunquam in nondum decumbentibus. Licet autem, inter cætera, in hac narratione vires dierum decretoriorum obseruare. Per singulos enim quaternarios videtur semper morbus denuò inualuisse, facta semper accessione deteriorum signorum. Nam quarta, dicit, omnia exacerbara sunt. Die septima fuit extrema illa frigiditas sudoris & totius corporis, quæ plus quam viginti horas durauit. Nona cepit vomitus perniciosus, virulentus, & biliosus, & inde foetidus, & niger. Decima quarta mortua est. Non sanè penuria euacuationum. Sed, quòd nullæ fuerint morbo congruentes, neque concoctionis materiæ signa fuerint vlla. Nam huic fuit per totum morbum aluus humida, & vomitus non paucus, sudores quidam, & postremo sanguis denaribus. Sed hic morbus expurgationem ex vtero desiderabat, hæc aliæ euacuationes nihil aliud indicabant, quam multam

multam & malam materiam a natura coerceri non posse, sed inuictam erratico modo, hęc & illęc effluere.

Sectio tertia.

Status pestilens.



Annus austrinus, pluuiofus, sine ventis per totum. Cũ in prioribus ad annum temporibus fierent siccitates, circa arcturum cũ austro pluuie multę. Autumnus vmbrosus, nubilosus, aquarum multitudines, hyems austrina, humida mollis, post solis conuersiones. Multo post, prope æquinoctium serę hyemes, & iam circa æquinoctium borealia, & niues non multo tempore. Ver rursus austrinum, sine ventis aquę multę semper vsque ad Canē, estas serena calida, estas magna, et esę parua, sparsim spirant. Rursus verò circa arcturum in borealibus aquę multę.



DESCRIBIT statum quendam pestilentem: habet vero narratio duas partes, prima narratur aeris intemperies, quę pestilentem statum fecit, secunda narrantur morbi populares, qui ex ea intemperie nascuntur. Fuit vero annus integer qui insignem habuit intemperiem, ab ortu arcturi incipiens, vsque ad alium eiusdem syderis ortũ. Totus hic annus fuit austrinus, pluuiofus, sine ventis. Nā etsi partes quędam exiguę eius anni fuerunt flatuosę, & quędam etiam sine pluujs, tamen exiguę partes non prohibent totum annum talem appellare. Toti enim tribuitur quod secundum omnes ferę partes conuenit. Proinde primis verbis summatim totius anni temperiem completens, dicit status pestilens, annus austrinus, pluuiofus, sine ventis

LIBROS
DEL DR.

ventis per totum . Deinde percurrit singulas anni partes . Sed quo pacto fuit annus austrinus , si sine ventis ? Certè auster est ventus quidam placidus , & qui sæpe flat leniter , ut non videatur rapidè moueri aer : dicimus autem non esse ventos , cum non flant vehementius . Itaque quod dicit est , toto anno flasse placidè austrum , & pluuias multas fuisse , & raros , aut nullos ventos fortiores . Singulas anni partes percurrere incipit , dicens , cum in prioribus ad annum temporibus fierent siccitates , idest , cum in temporibus superioribus , & proximis , anno ei de quo dicimus , æstate scilicet superioris anni , fuissent siccitates magnæ , circa arcturum , idest in vltima parte mensis Augusti (arcturus enim oritur vigesima sexta & septima eius mensis , & inchoat autumnum) cum austro fuerunt pluuiæ multæ . Autumnus etiam totus fuit vmbrosus , nubilosus , & pluuiosus . Hyems quæ inchoat ab occasu vergiliarum , septima scilicet & octaua Nouembris , fuit austrina itidem , humida , hoc est pluuiosa : mollis , hoc est sine frigore multo , idque habuit fere tota hyems . Nam solum post solstitium hyemale , quod vocat conuerfiones , non statim , sed multo post , iam scilicet propè æquinoctium , quod inchoat ver , fuerunt seræ hyemes , hoc est sera frigora . Explicans quid vocet seras hyemes , & quo pacto hoc actum sit , dicit , & iam circa æquinoctium , borealia & niues , non multo tempore . Ver quod ab æquinoctio incipit , rursus redijt ad statum priorem , factum austrinum , sine ventis , & pluuiosum semper , vsque ad Canem . Scilicet , durauit illud , totum ver , quod ortu vergiliarum in fine Aprilis finitur , & primam æstatis partem , quæ durat vsque ad ortum Canis . Aestas serena , inquit , calida , vltima scilicet æstas (nam dixerat primam fuisse quale ver) erat calida , serena , sine pluuijs , cum fortis æstu , & etesæ , quæ illis diebus interdum spirantes , magnum remedium æstus esse solent , parux fuerunt , & sparsim spirarunt . Non tamen diu durauit serenitas : nam ne per totam quidem hanc postremam æstatem , quæ ferè quadraginta dierum est , sed iam prope arcturum , idest circa medium Augusti , cum iam instaret ortus arcturi , rursus fuerunt aquæ multæ , hoc solum a superioribus pluuijs diuersæ , quod flante borea

borea descenderunt. Constat itaque totum hunc annum, vix exiguis quibusdam particulis exceptis, fuisse austrinū, humidum, & tranquillum.

Cum autem factus esset annus austrinus, & humidus, & mollis, per hyemen quidem salubriter transigebant, præter tabidos de quibus scribetur: ante ver autem simul cum fientibus frigoribus erysipelata multa, alijs quidem cum occasionibus, alijs autem non cacoethe multos peremerunt. Multi fauces doluerunt, voces vitiatæ, causi phrenitici, ora ulcere feruido affecta, pudendis tubercula, ophthalmia, anthraces. Alui turbatæ, fastidiosi, siticulosi alijs quidem, alijs autem non. Urinæ turbatæ, multæ, malæ. Comatosi multum, & rursus vigiles, iudicationes sublata multæ. Quædam autem difficilis iudicij. Hydropes, tabidi multi. Morbi quidem populariter vagantes, hi.

MORBOS qui ob dictam intemperiem populariter grassati sunt nunc colligit, postea de singulis seorsum acturus. Sed cur incipit narratio hæc a hyeme? Cur non dicit, qui morbi fuerint in eo autumnus, quo status ille pluuiosus incepit? Certè quia illo autumnus nihil noui actum fuerit, nondum enim mutata fuerint adeo corpora, ut tempus fuerit morbidum. Semper enim necesse est causas externas morbos antecedere. Autumnus ergo illo nihil noui in hominum communi valetudine fuerit, sed neque in hyeme multum. Sed per hyemen salubriter degebant, præter tabidos de quibus scribetur postea. Et merito sanè tabidifacii sunt multi in hyeme humida & austrina, quam autumnus etiam talis, & æstas valde sicca antecesserat. Nam ut in aphorismo. 13. tertiæ dicitur, si æstas sicca fiat & aequilonaris, autumnus verò pluuiosus, & austrinus, capitis dolores ad hyemen fiunt, & tussis, & raucedines, & grauedines, quibusdam etiam tabes. Sed si hæc omnia in tali statu per hyemen fiunt, qui factum

Etum est, vt soli tabidi fuerint in hoc qui describitur? Cer-
 tē illa omnia ad eandem affectionem pertinent. Nam ca-
 pitibus repletis dolores fiunt: inde destillantes succi fa-
 ciunt, partim grauedines, partim tusses & rauedines, pro-
 cedentes vero, faciunt etiam pulmonum corrosiones, &
 hæc tabes. Sed hi, & reliqui omnes morbi, quos ante ver
 simul cum fientibus frigoribus, idest in postrema illa hye-
 mis parte, qua flante aquilone ninxit, dicit incepisse, meri-
 to in hoc anno acciderunt, fueruntque pestilentes, vt po-
 te anno pluuioso & austrino. Nam vt in initio huius ope-
 ris dictum est, pestilentem statum facit putrescentia aeris,
 nulla autem intemperie magis putrescit aer, vt neque res
 alia quæpiam, quam calida & humida, cuiusmodi est austra-
 na & pluuiosa. Atqui quoniam plærique, & pelsimi mor-
 bi, sunt q̄ ex putredine, merito dicit Hippocrates in apho-
 rismo, Ex anni constitutionibus, in summa, siccitates plu-
 uiosis salubriores sunt, & minus lethales. Sed qui morbi
 fiant in pluuiosis temporibus, quæ sunt insalubriora &
 magis lethalia, in aphorismo alio, qui est decimus sextus
 tertianæ particulæ, ita dicitur, Morbi per assiduos imbres
 magna ex parte fiunt, febres longæ, alui deiectiones, putre-
 dines, epilepsiæ, apoplexiæ, & angina. In his generibus
 sunt omnes morbi, quos hoc anno accidisse dicit. Nam
 erysipelata cacoethe, & ora vlcere feruido affecta, & pu-
 dendorum tubercula, & ophthalmiæ, & anthraces, in pu-
 trediaibus sunt, quin & febres ardentes phreniticæ. Quan-
 doquidem in commentatione illius aphorismi diximus,
 intelligi putrescentiam succorum in venis & arterijs, &
 vlceribus, & tumoribus præter naturam, & vitijs cutis. Do-
 lores faucium, & vitiatæ voces ad anginas referuntur, al-
 ui turbatæ idem dictu est, & alui deiectiones. Hydropes
 & tabes videntur mihi referri ad febres longas, verumque
 enim mali genus, solent longissimæ febriculæ comitari. Re-
 liqua huius orationis symptomatū nomina sunt, nō mor-
 borum. Fastidiosos enim fuisse eius tempestatis ægros,
 & alios siticulosos, alios sine siti, & vrinas fuisse turbatas,
 multas, & malas, & comatosos fuisse multum, & rursum
 vigiles, & iudicationes sublatas, & iudicationes difficiles,
 ad symptomata pertinuit: non pathognomonica, sed par-
 tim assidentia, partim supernuentia. Sed singulorum
 causas

causas nos summam dicamus, ut ab Hippocrate narratur. Bilis collecta ætate, ob blandam hyemis temperiem non est extincta, & per hyemis humiditatem sine frigore, collecta est pituita salsa: a duplici hoc humore, aut eorum altero putrescente malignè, orta sunt omnia. Biliosis. n. quibus bilis ab ætate in id usque tempus retinebatur, con stipata cute vehementi paucorum dierum frigore, putruit, & ad externas partes pulsa, erysipelata fecit. Fuerunt vere ea maligna ab malam putredinem. Potest enim quicumque morbus, ut febris quæcunque, & quicumque tumor præter naturam, esse magnus etsi simplicior, aut malignus, etsi minor. Illud quidem est in causæ facientis magnitudine, ut multo succo, magna vitione: hoc in malignitate, ut malo modo putrescendi. Proinde hæc erysipelata fuerunt cacoethe, & multos peremerunt. Quod quidem est fuisse pestilentes morbos. Fauces, & partes circa illas, partissimæ sunt recipere excrementa cerebri, pulmonis, & ventriculi, in quibus omnibus, per annum humidum, multos succos continere, necesse fuit. Proinde fauces excipientes fluxiones doluerunt. Deinde cum hæc partes, ut & genitales, facile putrescant, vocalibus instrumentis, aut aliquibus partium proximarum, quæ usum aliquem præstant, exesit, voces viciatæ sunt. Eandem ob causam fuerunt in multorum ore ulcera feruida, idest nomæ malæ cum magno caloris sensu. Nimirum ex bile aut salsa pituita, malignè putrescentibus in pudendis etiam fuerunt tubercula, in adensis videlicet partibus circa genitales: ut fauces excipiebant excrementa superiorum partium: ut cerebri & pulmonis: ita genitalibus excipientibus excrementa inferiorum, ut renum, & mesenterij: & hepatis. Nam hoc mitit in utrasque partes. Causi fiunt putrescentibus in uenis bile, aut salsa pituita (nam ex duplici hoc succo ponit Hippocrates duplex causi genus esse) malè autem patientibus capitibus, ut flante austro solent (dicitur enim in aphorismo austri caput grauantes) merito ex illis phrenitici facti sunt, succo putri delato in caput. Oculis vero excipientibus excrementa capitis, fierent ophthalmæ, non aridæ, quales solent fieri in aquilonaribus, sed humidæ, & ex multo succo. Anthraces fiunt in pestilentibus constitutionibus, ex sanguine feruente præ maligna putredine, ut in

Crano-

Cranone accidisse proximo libro dictum est. Profluua alui fiebant præ multitudine excrementorum, & maligna qualitate, & debilitate retentricis, quam humida intemperies maximè facit. Quæ eadem, in humidis natura corporibus faciebat hydropas. Tabidi verò fierent quidam ex hydropicis per atrophiam, quidam ex putrescentia pulmonum, initium capiente a destillationibus. Fastidia mali succi abundantiam, aut corruptionem facultatum in gula: & ore ventriculi sequi consueuerunt. sitis ingens bilem aut falsum succum ibidem imbibitum, sitis vacuitas per febres, deteriores causas sequi solet, de quibus dictum sæpe est. Urinæ multæ, multorum succorum: turbatæ, multorum flatuum: malæ, idest contraria concoctioni signa habentes, malè putrescentium succorum erant soboles. Quod comatosi & vigiles alternatè erant, duplicem succi speciè, quam diximus, referebat. Quod iudicationes sublata & difficiles fierent, rationi erat consentaneum, quandoquidem, ut in aphorismo dicitur. Cum non tempestiuè tempestiua redduntur, inconstantes & difficilis iudicij morbi fiunt.

3 **H**I erant populariter vagantes morbi. Quacunque subscriptarum specierum erant agroti, & moriebantur multi.

Nisi quacunque morbi specie laborassent multi, etià si plurimi morbis nõ eisdem ægotarent, nulli fuissent epidemiales, sed sparsi omnes: atque etià si fuissent epidemiales, nisi ex eis morerentur multi, nulli fuissent pestilentes. Quandoquidem autem fuerunt multa morborum genera, & singulis ægotarunt multi, & multi mortui sunt, constat nõ vnicam solum, sed multas fuisse pestes quodammodo autem etià vnicam eamque maximam, qua communitate quiddam omnibus erat, maligna putrescentia.

4 **A**ccidebat autè singulis horum hoc modo. Multis quidem erysipelas cum occasione. In quibus suis & in valde paruis causis in toto corpore, præcipue autem, in illi qui circa sexagesimum annum, circa caput, atque si per-

rum neglecta erant, multis autem etiam in ipsa curatione, magna phlegmones fiebant, & ipsum erysipelas multum celeriter undique depascebatur. Plurimis igitur ipsorum, abscessus in suppurationes accidebant. Carnium, & nervorum, & ossium, elapsus magni. Erat autem & fluxio collecta non puri similis, sed putredo quaedam alia, & fluxio multa, & varia. Quibus igitur circa horum aliquid euenit fieri, glabricses his totius capitis fiebant, & menti, & ossium denudationes, ac elapsus, & multae fluxiones, haecque in febribus & sine febribus. Erant autem haec horrenda magis quam mala. Quibus enim ad suppurationem horum maturatio peruenit, plurimi horum seruabantur. Quibus autem inflammatio & erysipelas euauit, huiusmodi autem abscessum nullum fecerunt, horum multi mortui sunt. Similiter autem quacunque alia corporis parte aberraret, acciderunt haec. Multis enim brachium, & totus cubitus, effluerunt, quibusdam autem in latera haec mala inciderunt, aut aliquam anteriorum aut posteriorum partium. Quibusdam autem femur totum, aut tibiae nudatae sunt & pes totus. Erat autem omnium horum difficillimum, cum circa pubem, pudenda, accidisset. Quae cum ulceribus occasione fiebant, huiusmodi erant. Multis autem in febribus, & ante febres, & per febres, acciderunt: erat autem, & horum quacunque abscessum faciebant per suppurationem: aut secundum ventrem turbatio aliqua tempestiua, aut vitium urinarum excretio contigisset, per haec solui. Quibus autem nihil horum accidit, sine signo autem euanescentibus, exitiosiora fieri. Maxima ergo ex parte plurimis accidit erysipelas vere, durauit autem & per aestatem & autumnum.

PARTICVLATIM nunc percurrit singula mala, quæ antea summatim narrauerat, recensens singula eodem ordine, quo prius. Proinde de erysipelatis dicit nunc: horum enim primam mentionem fecerat, dicens, Ante ver autem simul cum fientibus frigoribus erysipelata multa, alijs quidem cum occasione, alijs autem non cacoethe multos peremerunt: Hæc eadē nūc dilatat & explicat. Explicat inquam, cum quibus occasione acciderunt quibusdam, & quibus partibus, quibus hominibus præcipue, & quæ accesserunt illis erysipelatis, & quos exitus habuerunt. Multis quidem inquit, erysipelas cum occasione, in quibusuis hominibus, & in valde paruis causis. Vocat valde paruas causas, quas & occasiones. Erant vero hæc causæ manifestæ, seu occasiones, vlcuscula exigua cutis, vt quæ per vulgare scabiem fiunt, aut pruritus, aut tale quidpiam, quæ scalptibus, initium præstabant erysipelatis. Constat vero hæc esse, quas vocat occasiones. Nam paulò infra dicit, quæcumque cum vlcibus occasione fiebant, huiusmodi erant. Ergo dicit, erysipelas fiebat, in quibusuis hominibus, ex valde paruis causis, vt vlcusculis, aut pruritu toto corpore præcipue autem, circa caput, in sexagenarijs. Non quidem arbitror, sexagenarios reliquo corpore liberor esse a morbo, sed (quod erat omnium grauisimum) secundum capita plus alijs laborasse, quia, arbitror, sunt excrementosi, & ob naturalis caloris debilitatem faciliè eis pituita putrescit, fitque falsa. Quo fit, vt familiares sint illis, pruritus totius corporis, vt in aphorismo vltimo tertiæ particulæ dicitur. Ergo ex pruritu, & scalptu, fiebant illis secundum capita vlcuscula, & inde erysipelata. Hæc vero quibus parum negligebantur quibusdam vero etiam si non negligenter, sed in ipsa curatione, fiebant in medio erysipelatum magnæ, inflammationes, & ipsum erysipelas multum vndique celeriter depascebatur. Duplicem exitum dicit habuisse hæc erysipelata, quædam abscessus quosdam horrendos, per quos multi liberabantur, fecisse, quædam, ex quibus mortui sunt, nullo relicto signo euanuisse: neque miram, nihil enim periculosius esse potest, quam recurrere intro excrementa, periclitantur enim omnia membra præcipua, & verisimile erat, ijs quibus euanescebant, interius euenire, quod ijs, in quibus fiebant abscessus, eueniebat exterius

Absces-

Abscessus verò erant huiusmodi . Fiebant abscessus in sup-
 purationes , & putrescentibus , & in pus resolutis parti-
 bus: fiebant carnum neruorum, & ossium elapsus magni.
 Et fluxio collecta in vomica non erat puri similis, idest bo-
 no puri similis, quale fieri consuevit ex bono sanguine , in
 inflammata particula mediocriter putrescente , sed putre-
 do quædam alia multa & varia , nimirum sanies ex bile
 collecta & partibus computrescentibus . Et quibus circa
 caput horum aliquid euenit fieri , glabrics etiam totius
 capitis & menti facta est, putrescentibus radicibus capillo-
 rum, & ossium nudationes, exesa cute & subiecta carne, &
 ossium elapsus. Quod est dictu, computrescebant etiã sub-
 iecta ossa capitis, vt particulæ eorum extraherentur excisæ
 Et multæ fluxiones, hoc est, multæ sordes , & copiosum vi-
 rus redundans in affecta parte: & hæc , quibusdam cum fe-
 bribus, quibusdã sine febribus euenerunt. Erat aut inqt hæc hor-
 rida magis, quã mala , quia quibus ad suppurationem horum ma-
 turatio peruenit (certe vt non erat bonum pus, ita neque
 bona maturatio, sed qualiscunque maturatio, vt quaecun-
 que pus) plurimi horum seruabantur , liberatis scilicet in-
 ternis partibus. Quibus autem inflammatio & erysipelas
 (dixerat in erysipellatis oriri phlegmonas) euauit, repẽ-
 te scilicet, & insperato, ac præter rationem , & huiusmodi
 abscessum nullum fecerunt, multi mortui sunt. Nimirum vt
 in prognostico dicitur , & in hoc ipso opere non semel iã
 notatum est, erysipelas intro recurrere periculosum est. In-
 dicat vero intro recurrisse, euanescentia. Non tantum autẽ
 quibus circa caput oriebatur erysipelas , eueniebat quod
 dictum est, sed similiter , quibus in alia quacunque corpo-
 ris parte oberrabat erysipelas (oberrare dicit, quia, vt di-
 ctum est antea, depascebatur vndique, & serpebat) multis
 enim brachium & cubitus effluerunt, quibusdam incide-
 runt hæc mala in latera, quibusdam in aliquam partiũ an-
 teriorum aut posteriorum. Quibusdam femur totum & ti-
 biam nudatæ sunt, & pes totus, quibusdam circa pubem & pu-
 denda. Itaq; recte dixerat, quacunque corporis parte. Nul-
 lam enim externarum non enumerauit. Erat autẽ, inquit
 omnium difficillimum cum circa pubem & pudenda acci-
 disset Nimirum hæc partes sunt putredini valde opportunæ ,
 in quibusque ob eã naturam, adeo solet putredo serpere,

vt cogantur in eis chyrurgi, mox vrere & secare. Nō mirū ergo si in tam maligna putrescentia, quibus abscessus, alijs in partibus futuri salutare, ad has fierent, periclitarentur. Huiusmodi itaq; inquit, erant quæ cum vlceribus ex occasione fiebant, alijs vero fiebant sine omni occasione, idest nullo vel exiguo prægresso in cute vitio. Fiebant vero his (vt prioribus etiam) quibusdam cum febribus, quibusdā sine febribus: & quibus sine febribus, quibusdam ante febres, quæ postea succedebant, quibusdam post febres, quæ antecesserant. Malum autem esse, & cum febre, & ante, & post febrē, quodcunq; eorū quæ ad cutē erūpunt, constat ex ijs quæ mihi dicta sunt ī cōmētatione aphor. quinquagesimi quinti quartæ particulæ. Contigit hæc quoq; erysipelata, vt priora, si euanescebant sine signo, idest nullo vestigio relicto in parte. (quod in puella Polimarchi vituperauerat, sectione tertia, libri secundi) neq; facta aliqua euacuatione, per ventrem, aut vrinā, aut aliter (quod est præter rationē euanescere) lethalia esse. Soluta autē sunt per abscessum cū suppuratione, vt priora: & quæ dā etiā, perturbatiōnem alui tempestiuā, idest post signa concoctionis accidētē, aut per excretionē vrinarum vtilium, idest exeuntium cum conferentia & toleratiā, soluebantur. Dicit tandē hæc erysipelata, quæ vere inceperunt, durasse per totam æstatē & autūnum. Neque mirum: nam & intemperies aëris per totum annum durauit.

5 **M**ulta autem turbatio his, & circa fauces tubercula, & linguæ inflammationes, & circa dentes abscessus. Vocesque multis significationem præstabant, vitiatæ & impeditæ: primum quidem tabidis incipientibus, sed & causo & phrenitide laborantibus.

Cum satis iam de erysipelatis dixerat, ad reliqua properat. Dixerat verò mox post præscripta de erysipelatis verba, multis fauces doluerunt, voces vitiatæ. Hæc nunc explicat, dicens, circa fauces tubercula, & linguæ inflammationes, circa dentes abscessus, & voces vitiatæ, & impeditæ. Qua causa fauces, & partes circū circa laborauerint, dictū antea est. De abscessu in dētes dixeramus sectione prima secundi libri in hæc Hippocratis verba, abscessus quibus
hæc

hæc non fiunt, sunt velut dētes. Vbi & loci alterius ex calce libri quarti, meminimus Sed cur dicit, voces vitiatæ, & impeditæ significationē præstabāt? An quia vitium vocis nō semp fuit pathognomonicū, vt fortassē i tuberculis fauciu, & linguæ inflammationibus, sed in quibusdā, vt signū prauū superueniens, vt in tabidis, & in causo, & phrenitide affectis. Quod dicit, multa turbatio his, & ad priores & ad eos qui sequuntur, referri potest: turbatio enim Hippoc. significat periculum, quod perturbationem & timorem afferre solet ægrotis, & ijs qui absunt.

COeperunt igitur causi ante ver, & phrenitica postquā fiebāt frigora, & plurimi tunc ægrotarūt, acuta autē his, & mortalia acciderunt. Erat autē constitutio febrium ardentium quæ fiebāt, huiusmodi. Incipientes comatosa, fastidiosa, horrida, febris acuta nō valde, siticulosi, non deliri. A naribus exhibāt pauca. Paroxysmi plurimis in paribus, circa paroxysmos autē, obliuio, exolutio, & priuatio vocis, extremaq; his semper frigidiora pedum & manuum, maxime autē circa paroxysmos, rursumq; tarde & non bene recalescebant, & rursum intelligebant & loquebantur. Detinebat autē aut coma perpetuum, nō somnolentum, aut cum doloribus vigiles. Alui turbata plurimis horū, deiectionibus crudis, tenuibus, multis. Urinæ multa tenues, neque iudicarium, neque vtile quidquam habentes. Neque aliud quippiam iudicarium, ita habentibus fiebat. Neque enim sanguis bene fluebat, neque alius quispiā abscessus, eorum qui consueti sunt, utilis fiebat. Moriebatur quicumque, vt cōtigit, erraticæ. Plarūq; autē circa iudicationes. Ex multo autem tempore quidā priuati voce, sudantes multi. Iis igitur qui lethaliter habebāt, acciderūt hæc. Similia autē & phreniticis. Sine siti autē hierāt. Neq; insanit phreniticorū quisquā, vt in alijs, sed alia quadam graui ac lenta delatione in somnum, grauius peribant.

POST faucium dolores, & vitiatas voces febrium ar-
 dentium & phrenitidum meminera Hippoc. hæc nunc di-
 cit qualia fuerint, primum quidem agens de laborantibus
 sola ardente febre sine delirio, deinde de phreniticis. Am-
 bo genera malorum (erat verò id quodammo do etiã vñ,
 succedente phrenitide in multis ardenti febre) dicit coëpif-
 se ante ver, cum iam fierent frigora flante Aquilone, & plu-
 rimos tunc ægrotasse. Sed miretur quisquam, qui factum
 fuerit, vt eum constitutio quæ morbosum fecit annum, fue-
 rit austrina & humida, tunc ægrotare coëperint, cū ad con-
 trarium mutata est, antea salubriter degentes: cum tunc tē-
 poris emendari potius anni intemperiem, quam augeri, ef-
 fet consentaneum. Tamen id factum est ex accidenti, non
 quòd ea mutatio aëris ad frigidiorē excrementa auxerit:
 sed quòd obstructione cutis, genita antea, cohibuerit, pu-
 trefcereque fecerit. Acuta, inquit his, & mortalia accide-
 runt, symptomata, scilicet quæ autem ea fuerint, deinde
 percurrit, dicens, erat autem constitutio febrium arden-
 tium quæ fiebant, huiusmodi, incipiētes, id est à principio,
 comatosæ, ob grauitatem capitis, quam auster fecerat: fa-
 stidiosæ, ob malignam putrescentiam: horridæ, quia fami-
 liare est morbis omnibus cum destillationibus è capite, aut
 vndeunque fluxionibus vagantibus, atque adeò solis ca-
 tharris citra alios morbos, horrores inordinatos habere.
 Neque id immerito, si enim certæ fluxiones, & ordine quo-
 dam repetentes, excertis partibus in partes certas, certos
 & ordine repetentes faciunt horrores, & alternatè febres,
 incertæ & vagæ facient incertos. Febris, inquit, acuta, id est
 acuta ad manum. Nam quòd ad constitutionē attinet, om-
 nes ardentes sunt acutæ. Tamen non valde siticulosi, addit,
 non deliri, quasi diceret, non erant valde siticulosi, & si nò
 erant deliri. Si enim deliri, non mirum si fuissent sine siti,
 tamen citra delirium & cum febre acuta, satis præter ra-
 tionem, ac proinde etiam malum. Significare enim pote-
 rat naturæ corruptionem, tamen si in his hoc, non puto ad
 malignam causam referri: sed ad multæ humiditatis redun-
 dantiam, quam assiduæ pluuiæ illius anni peperierint. A-
 naribus exhibant pauca, quòd vituperatum sæpe ab Hippo.
 est: nimirum, vt alia quæuis euacuatio tentata, & vt propria
 capitis abundantia repræsentans, aut raptum humorum in
 illud.

illud. Omnia verò quæ grauitatis capitis signa sunt, erant
 astrinx constitutioni congruentia. Quòd paroxyfmi fie rēt
 diebus paribus, malū esse, & quam ob causam, dictum est
 mihi tertia sektionē primi libri huius operis. Graues admo-
 dum fuisse paroxyfmos, symptomata satis indicabant. Per
 paroxyfmos enim, inquit, obliuio, exolutio, & priuatio vo-
 cis. Obliuio sanè ob mentis alienationē, non enim ob abo-
 litā memoriā, cum id frigoris sit. Exolutio & priuatio vo-
 cis, deliquij animi erant: idque debilitatis calidi innati, vt &
 illud etiam atque adeò multò magis, extremas manus, &
 extremos pedes frigere semper, maximè vero circa paro-
 xyfmos, & tardè ac non bene, id est non satis, recalescere.
 Sed quo pacto, si semper hæc erant frigida, aut saltem sub-
 frigida, erat febris acuta ad manum? Certè secundum ven-
 trem, & costas. Rursum, inquit, intelligebant, & loqueban-
 tur: insinuans, illam obliuionē esse non intelligere. Nō sanè
 delirare (dixerat enim non deliri) sed velut mentis stupore
 teneri, ac proinde attonitorum modo, neque meminisse,
 neque loqui: dispositio catocho similis. Tantopere labo-
 rabant ea tempestate capita: quod id etiam quod addit, in-
 dicabat. Detinebat, inquit, eos, aut coma perpetuum non
 somnolentum, aut erant vigiles cum doloribus. Id est, nisi
 dolore aliquo excitabantur tenebat eos coma vigilās vo-
 catum, hoc est, passio media inter coma altum & vigiliam.
 Fit verò id à causa etiam media ex bile & pituita, quos
 duos succos meritò per illam tempestatem redundasse, nu-
 per indicatum est. Erant his multæ euacuationes intempe-
 stiuæ, nihil conferentes: quod redundantia maximæ est, &
 vt in inconstantibus temporibus solent, inconstantes mor-
 bi fiebant per quos neque moriendi dies certus erat, vt so-
 let, aut, ob certam morborum constitutionem, multis idē:
 sed incerta omnia. Proinde dicit, alui turbatæ plurimis ho-
 rum, deiectionibus crudis, tenuibus, multis. Vrinæ enim
 tenues multæ, neque iudicarium neque vtile quidquam
 habentes, id est neque tollentes, neque subleuantes mor-
 bos. Neque aliud quippiam iudicarium ita habentibus
 fiebat. Iudicarium scilicet iudicans, nam qualia iudica-
 toria non iudicantia ille vocauit, libri secūdi prima sektionē
 ne, multa apparuerunt, iudicantia autem, non: quia neque
 sanguis bene fluebat, neque alius quispiam abscessus, co-

rum qui consueti sunt, utilis fiebat. Moriebatur quicūque, ut contigit, erraticè, id est incertis diebus, plerumque autem circa indicationes, id est cum aliquibus euacuationibus. Hæ enim etsi non iuuent, immo verò & si lædant, indicationes aliquando appellantur: tamen id nomen de bonis dicatur antonomasticè, quo sensu ante dixerat, nihil habentes iudicatorium. Sed certè non minus mors quàm salus, solet ægrotis cum euacuationibus subrepere, ut his, qui circa euacuationes moriebantur, quidam in aliis euacuationibus, multò ante quam morerentur, priuati voce, quidam sudantes. His igitur, inquit, qui lethalter habebant, ex solis scilicet febribus acutis, acciderunt hæc. Similia autem, inquit, & phreniticis, sine siti autem hi erant, priores dixerat non valde siticulosos, hos qui delirarunt fuisse sine siti omnino. Neque mirum: nam si sine delirio non erant futuri valde siticulosi, quo pacto alienati mente sentiant passionem, alioqui leuem, cum ut in aphorismo dicitur, quibus mens ægrotat, etsi dolendi causam habeant, passionem non sentiant. Sed quod est illud enigma quod addit, dicēs, neque phreneticorum insaniuit quisquam? Quo pacto erant phrenitici, si non insanibant? Certè non dicit id simpliciter: sed, neque phreneticorum insaniuit quisquam, ut in aliis: in aliis scilicet phreniticis, qui vigiles, & loquaces, & inquieti, & apertè delirantes sunt: sed cum graui ac lenta in somnum delatione, grauius peribant. Vocat vero: ut, cum alias tum vel maximè toto hoc opere constat, phreniticos, non eos solum, quibus calidis excrementis abundat cerebrum: sed utcumque alienatos mente, in quibus sunt etiam lethargici, & typhomania laborantes. Sed de ardente febre & phrenitide hæc.

7 **E**rant insuper alia febres de quibus scribetur.

CUM morbos summatim collegit, febrium ardentium solum meminit, quāquam non illis solis laboratum est, neque consentaneum, nam ut in aphorismo tertiæ partiæ quæ citauimus dicitur, longæ febres familiares sunt pluuiosis tempestatibus, quare non solæ ardentes: proinde quasi aliarum febrium antea oblitus, obiter, & velut aliud agēs, nunc eas etiam fuisse dicit, acturus de eis postea, suo loco.

Ora

ORa multis cum aphthis ulcerata, fluxiones multæ circa pudenda, ulcera, tubercula foris, intus, quæ circa inguina. Ophthalmia humida, longa, diuturna cum doloribus: eruptiones palpebrarum foris intus, multorum corrumpentes oculos, quas ficus vocant. Erumpebant autem & in alijs ulceribus multi. Et in pudendis carbunculi multi per æstatem, & alia quæ seps vocatur, exanthemata magna, herpes multis magni. Circa aluum autem multis multa & noxia acciderunt, primum quidem tenesmi multis cum dolore, plurimis verò puerulis, et pueris qui ante pubertatem, & plurimi horum peribant. Lienterici multi. Dysenterici. Neque hi cum magno dolore. Biliofa autem, & pinguis, & tenuis, & aquosa, multis quidem ipse morbus in hoc decubuit, & sine febribus, & in febribus cum doloribus. Tormina et voluuli maligni, multorum quæ inerant, et suppressa erant, exitus. Et exeuntia dolores non soluentia, iis autem quæ offerebantur difficulter obedientia. Nam purgationes plurimos lædebant, ita autem habentium multi quidem acutè peribant, multi autem diutius vivebant. Ut autem in summa dicatur, omnes & qui longis, & qui acutis morbis tenebantur, ex ijs quæ secundum aluum, moriebantur præcipuè. Omnes enim aluus sustulit. Fastidiosi autem omnes fiebant, & in omnibus antea scriptis, in quos ego ubi ubi incidi. Multi autem præcipuè hi, & qui ex talibus, & ex alijs autem qui & perniciosè habebant, alij quidem striculosi, alij autem non, eorum qui in febribus, & alijs, nullus importunè, sed poteras quod ad potum attinebat, instituire victum ut velles. Urinæ autem multæ, quæ exhibant, non iuxta potum qui offerebatur: sed multum superantes. Multa autem malitia erat vinarum exeuntium, neque enim crassitiem, neque concoctiones, neque expurgationes vtilis habebant. In mul-

his enim purgationes per urinas vtilis fieri, bonum. Significabant autem plurimis, colliquationem, & turbationem, & dolores, & indicationum sublaciones, comatosi autem erant præcipue phrenitici, & qui febribus ardentibus laborabant, verum & in aliis omnibus morbis maximis, qui cum febre fiebant. In summa autem plurimis aut sopor grauis aderat, aut tenues & exiguos somnos dormiebant.

HÆC quæ nunc percurrit, vt ipsemet monet, quibusdam cum febribus, quibusdam etiam sine eis accidebant, atque adeò quibusdam cum ardentibus, quibusdam cum aliis, de quibus mox scribetur. Atque adeò omnia ea mala, quorum in hac constitutione fit mentio, alia cum aliis complicabantur, & si quædam cum quibusdã magis, & hæc est causa qua Hippoc. videtur repetitionibus quibusdam vti, quas nisi quis quod dicimus intelligat, putet esse inutiles. Nam vel nunc dicit, quod & antea dixerat, comatosos fuisse phreniticos, & febre ardente laborantes. Sed antea de ipsis febribus & phrenitidibus agebat seorsum, nunc alia, quæ sine eis in quibusdam fiebant, in quibusdã autem cum eis, eas in memoriam reuocauerunt. Cur internæ partes oris, & pudentia, & laxæ partes inguinum, per succorum putrescentiã, facilius quàm aliæ partes, vlcera, fluxiones, & tubercula, interius & exterius contrahant, dictum antea est. Dictum est etiam oportuisse ophthalmias humidas esse, per hanc tempestatem pluuiosam & austrinam, non aridas, quales per aquilonares fieri solent. Constat verò, eas quæ ob humiditatis abundantiam fuere humidæ, fuisse statim futuras longas & diuturnas, ac cum doloribus. In diuturnis autem & concoctu difficilibus ophthalmiis, multorum malorum periculum oculis impendet. Nam vngues, leucomata, suffusiones concretæ, rixæ, hypopia, encanthydes, & alij multi abscessus fieri solent, à quorum quibusdam visio, ab aliis oculus etiam corrumpitur: velut nunc fiebant ficus, hoc est tubera quædam carnea, ficus ob figuram vocata, quæ in vlceribus, vt ipsamet vlcerata caro rotunda, subdura, subrufa, nascuntur. Oriuntur verò magna ex parte in capite,
vt auctor

vt autor est Paulus cap. 3. libri. 3. sed & in reliquo corpore, quod & hic dicit Hippocrat. addens, erumpebant autem & in alijs vlceribus. Multi in pudendis carbunculi per æstas nascuntur, & vlcera altiùs exedentia, & serpentina, quæ ob id vocantur seps, idest serpens. Nimirum carbunculi vrendo sanguine & feruente fiunt. Vlcerata illa ab atrabile acerrima: nimirum sunt cancri vlcerati: æstas verò tales succos maximè parata est gignere, & ea corporis pars omnem malignam putrescentiam maximè parata recipere. eadem prorsus ratione qua erysipelata, de quibus multa iam dicta sunt, fiebant exanthemata magna, & herpes magni multis. His dictis de malis quæ in cute efflorescebant, transit deinde ad ea mala quæ ex aluo patiebantur ægroti, quæ omnia cum summam mala omnia colligeret, dicens, alui turbata, nunc hæc explicans, dicit, circa aluum autem multis multa & noxia acciderunt. Primum quidè tenesmi multis cum dolore (magno intellige, nam sine omni dolore nulli accidunt) plurimis verò puerulis, & pueris maiusculis, denique vsque ad pubertatem quæ pueritiam finit, & adolescentiam inchoat: fortasse humida natura, in humida constitutione præcipuè, patiendi occasio fuit. Acciderunt etiam lienteria, dysenteria, & diarrhoea, quæ sunt tria genera deiectionum morbidarum. Neque dysenterici fuerunt cum magno dolore intestinorum vt solent, quia arbitror multitudo humiditatis mordentem qualitatem hebetabat. Diarrhoea verò fuerunt nunc biliosorum, & pinguium, & tenuium, & aquosorum, aliquando cum his, simul exeuntibus deiectionibus variegatis, aliquando seorsum. Biliosis quidem ex eius succi redundantia, pinguibus ex colliuatione, tenuibus & aquosis, ex crudis & pituitosis. Multis quidè, inquit, morbus ad hoc decubuit, & sine febribus & cū febribus doloribus, idest cū doloribus intestinorū. Nā dixerat antea erysipelata illa horrenda, quæ nunc cū febribus nunc sine febribus accidebant, aliquando soluta per alui turbationem, iam verò per febres turbatas fuisse aluos plurimis, dictum etiam iam antea est. Sed cum de dysentericis dixerit, neque hi cum magno dolore, quo pacto dicit decubuisse morbos ad aluum cum dolore? Certè dolores dysentericorum, qui ex intestinorum exesione fieri solēt, fuerunt exigui: alij verò dolores intestinorum, vt tormina &

voluuli, magni, & maligni. Maligni erant quod periculosi: quod inde maximè deprehendebatur, quod non soluebatur euacuationibus. Multorum enim, inquit quæ inerant, & suppressa erant, fiebant exitus & exeuntia dolores non soluebant, & ijs quæ offerebantur, medicamentis scilicet expurgantibus, difficulter obediebant. Difficulter obedire dici poterant, aut quòd nò exirèt dato pharmaco, aut quòd exeuntia non prodesse: dici autem hic ob hoc vltimum, constat, quia addit, nam purgationes plurimos lædebant. Certè grauissimum signum est in quouis morbo, nihil prodesse, neque quæ sponte fiant, neque quæ arte tententur. Pharmaca verò rarò non lædunt in morbis pestilentibus, quia conuocant malignos succos versus cor, & in os ventriculi, nisi mox in inijs turgentibus succis. Neq; sanè nisi raro in talibus spontanæ alui fluxiones vtiles sunt, accomodatior enim sunt euacuationes, quæ ex alto corpore in cutem euocant, & tales etiam sunt arte procurandæ: vt euocatio ad cutem per frictions, cucurbitulæ cum scarificatione adhibitæ, & prouocatus sudor, non tamen ob hæc nego antecedere debere missionem sanguinis, ac si res exigat, ex purgatione turgentium. Maximum verò impedimentum expurgationis, hypochondriorum inflammatio. Hoc autem quod dicimus ex hac tēpestate licet agnoscere. Nam inquit, ita habentium, multi quidem acutè peribant, multi autem etiam diutius viuebant, vt autem in summa dicatur, omnes & qui longis & qui acutis morbis tenebantur, ex ijs quæ secundum aluum moriebantur præcipuè, omnes enim aluus sustulit. Repetitione significat Hippocrates se velle, vt hoc velut notatu dignissimum consideremus. quid enim aliud erat dicere, omnes ex aluo moriebantur, quàm omnes aluus sustulit? His dictis de aluiurbationibus, transit ad alia quorum erat facta mentio, ea verò diximus esse symptomata potius quàm morborum species, fastidium scilicet, sitim, & vrinas copiosas. Proinde magna diligentia explicat, quibus morbis illa acciderent. Fastidiosi, inquit in omnibus antea scriptis morbis fiebant, omnes in quos ego incidi vbi vbi. Nimirum Hippocrates multas vrbes, quin & insulas multas perlustrabat. Nò enim vt ridiculè quidam Lusitanus interpretatur, id dicit, quòd ipsemet Hippo. illis omnibus ægrotauerit. Quis enim

id

id diceret, nisi leuissimus? Multi autem præcipuè hi, idest præcipuè autè multi fastidiosi erant qui laborabāt ex aluo, & qui (inquit) ex talibus, vt qui etsi non præcipuè ex aluo sed febre laborarent, fluxiones alui habebant (nimirū quibus vt cumque sentiebātur mali succi repere ad ventrē) & ex alijs autem morbis fiebant fastidiosi, qui perniciosè affecti erant. Nimirū fastidium maximum magnum casum facultatū significat. Sitis non perinde ac fastidiū omnes ægros tenebat, sed alij quidem erant siticulosi, alij autem non. Qui laborabant cū febribus, illi omnium maxime sitirent, quanquam neque illi omnes æque. Eorum autem qui in febribus, & alijs eiusmodi, in phrenitide scilicet, nullus importune siticulosus erat, sed poterat quod ad potū attinebat, instituere victum vt velles. Dicitur etiam antea erat, hos non fuisse siticulosos, & qua causa. Vrinæ dicit fuisse multas, & potum multo excessu superantes, initium fortasse diabetice passionis, quæ, vt in alijs solet, ex renum calore, & nimio potu incipere, ita in ijs inciperet, ex renum ardore febrili, & multa humiditate, ob anni statum, in corporibus redundante. Multam autem malitiam dicit fuisse vrinæ, quia neque vt signa, neque vt causæ boni aliquid habuerunt. Quia neque crassitiem & concoctionem præ se ferebant, vt inde boni aliquid significaretur, neque habebant purgationes, vt ita saltem aliquid corporibus conferret. Itaque neq; bonam significationem præstabant, neque cum cōferētia euacuabātur, vt sæpe solent. In multis enim purgationes vtiles per vrinæ fieri, bonū, Hoc est, nam multis sunt expurgationes vtiles per vrinæ, præstatque talis expurgatio bonam significationē morbi integre soluēdi, & hominis ab abscessibus, & alijs morbis liberandi. Meritò profectò Hippocrates occasione vsus hic est laudandi euacuationem per vrinā, quia morbis quamplurimis est accommodata. Rari enim morbi nobis curandi contingunt, qui non sint in genere febriū putridarum, quæ omnes causam præcipuam habent in venis & arterijs, vnde vrina destillat, quæ decretorie excernitur. Nā quotidiana mictio, ex potu est nondum distributo. Congruit verò vrina reliquorum etiam morborū maximæ parti, nam ijs qui vesicæ, renum, & hepatis partis gibbæ. Hepar verò, vt bonorum succorum bene habens, ita malorū, male, præcipua causa plerumque

que est Sed & alij omnes morbi, quibus causa proxima intra venas non est, habent tamen ibi causam quam vocant antecedentem, quæ velut radix proximæ, & per eam morbi, plurima mictione solui possunt. Merito ergo in multis purgationes per vrinas vtilis sunt. Qua causa ego soleo, hac in re Galenum imitatus, omnes ferè morborum ex materia pendentium curationes, diureticis finire. Non autem, quia in omnibus possunt, & solent esse vtilis, & bonam significationem præbere, necesse est semper sint, & præsentent, sed tunc solùm, cum fiunt facultate expultricè eo excremeta pellente. Cum verò præ mala ventris affectione, quod dolores significant, aut præ corporis colliquatione, aut ob malignam qualitatem succorum facultate non potente retinere, lædunt & malam significationem præbent, ut horum plurimis significabant colliquationem, turbationem, & dolores, & iudicationum sublaciones. Nam vbi copiosa aliqua & noxia euacuatio adest, ea quidem non iudicat, & alias iudicationes fieri prohibet. Comatosi autem erant præcipuè phrenitici, & qui febribus ardentibus laborabant. Ita quoque antea dixerat, neque insaniuit phreniticorum quisquam, ut in alijs, sed alia quadam graui ac lenta in somnum delatione grauius peribant. Addit verò, & in alijs omnibus morbis maximis, qui cum febre fiebant. Nimirum omnia mala eius tempestatis dixit, fieri aliquando cum febribus, etsi quædam eorum sine febre etiam aliquando: vtcunq; ergo essent grauiora mala & cum febre, erant etiam comatosa. In summa, inquit, plurimis, omnium eo anno ægrotantium, aderat aut grauis sopor, aut dormiebant tenues & exiguos somnos, idest habebant coma vigilans.

- 9 **M**ulta autem alia febrium genera populariter vagabantur, tertianarum, quartanarum, nocturnarum, continentium, longarum, erraticarum, fastidiosarum, inconstantium.

OMNIA febrium putridarum genera populariter vagata sunt, nam continuæ, & intermittentes, quæ tertianæ, quartanæ, & quotidianæ, & erraticæ, & acutæ, & longæ, & malignæ,

malignæ, & inconstantes. Sunt verò hæ omnes febrium differentiarum, neque secundum unam solum, sed secundum multas partitiones. Nam secundum figuram sunt hæ, febres continuæ & intermittentes atque intermittentes tertianæ, quartanæ, quotidianæ, & erraticæ: secundum constitutionem acutæ & longæ: & rursum constantes: & inconstantes: secundum morem, simpliciores aut malignæ. Inconstantes enim sunt, quæ illegitimas habent constitutiones, & non recipiunt diebus legitimis legitimas mutationes, ac proinde sunt iudicatu difficiles. Intelligit verò nomine nocturnarum quotidianas: quotidianæ enim sunt, ut primò Epidem. sect. tertia dicebatur, nocturnæ aut diurnæ. Non refert autem parum, hæ sint aut illæ, quia ut illo loco Hippocrates dixit, neque æque longæ, neque æque periculosæ sunt, sed diurnæ nocturnis deteriores. Proinde voluit Hippocrates hic uno nomine dicere fuisse quotidianas, & quales fuerint. Fastidiosarum nomine intellexit malignas, quia magnum fastidium, unum quoddam accidens est, eorum quæ maximè possunt significare morbi malignitatem. Omnia ergo genera putridarum febrium, & omnia maligna, & inconstantia. Nam circuitus quartanis longiores, ut quintanarum & septimanarum, rariores sunt in febribus. Ut non opus fuerit, si dicti tres circuitus febrium eo anno erant, illos tantum fuisse. Sed miror Galenum censere, quod de illis febribus loco citato ex. 1. huius operis dicit, non esse Hippocratis, quia hic nullam quintanarum aut septimanarum mentionem fecit. Quasi verò hic omnes febrium differentias persequi statuerit, ac non potius narrare quæ fuerint illo anno: aut quasi necesse sit febrium omnia genera, quæ omnino sint, eo anno fuisse. Non est sanè necesse, etiam si omnia quæ non sunt rarissima, populariter vagata sunt, neque sanè citra causam. Nam calor bilem vitamque, humiditas pituitam peperit, in tribus autem his generibus sunt febres omnes putridæ. Malum autem morè maligna putrescentia fecit: inconstantiam, quod non fuit speltiva & constans temporum anni temperies.

Omnēs autem hæ cum multa turbatione fiebant, alui enim plurimis turbatæ. Horrores, sudores non iudi-

icatorii

catorij, & vrinae, vt scriptum est. Longa autem plurimis horum, neque enim qui fiebant his abscessus, iudicabant, vt in alijs. Difficilis iudicationis omnibus omnia fiebant, & iudicationes ablatae, & diuturna, longè autem magis his. Iudicium verò fiebat horum paucis circa octogesimo, plurimis autem vt contigit, defecerunt. Moriebantur horum pauci sub hydrope erecti ambulantes, & in multis etiam alijs morbis tumores infestabant, valde autem magis tabescentes.

TURBATIONEM cum sine addito dicitur, significare periculum, dictum iam est, dictum etiam alii profluua esse in malignis febribus periculosa. Dicit ergo omnes dictas febres cum multo periculo fieri, quia alii plurimis turbatae sunt. Sed quia dictum est antea fuisse inconstantes, necesse est fuisse difficilis iudicationis, hoc verò est euacuationes omnes esse non iudicatorias, aut saltem non bene iudicatorias: quare merito fiebant sudores non iudicatorij, idest non soluentes febres. Sudores certè ob pluuiosam anni tempestatem, non iudicatorij, ob malignitatem morborum. Vrinae, inquit, vt scriptum est. Significat verò illud *ὑποεὐπαρωα* idest scriptum est, hoc loco & multis alijs, quod antea scriptum est. Erant ergo vrinae multae potu superantes, & neque concoctionem, neque excretionem vtilis habentes. Haec verò eandem causam habebant, quam sudores. Longa ergo mala fuerunt plurimis horum, hoc est ita febricitantium, quia abscessus qui fiebant his non iudicabant, idest quia euacuationes (has enim vocat plerunque Hippocrates abscessus) non soluebant febres, neque deiectiones scilicet, neque sudores, neque vrinae. At verò vt dicitur aphorismo 56. particulæ. 4. Febricitanti sudor oboriens febre non remittente, malum. Moram enim trahit morbus, & multam humiditatem significat. Aliarum euacuationum est eadem ratio. Merito ergo dicit fuisse longa mala, quia euacuationes non conferebant, vt in alijs solent. Horrores etiam, vt & rigores, iudicationes tentatae erant, & praeterea paliditatem oris ventriculi sequi poterant. Omnia inquit ma-

la

in omnibus eo anno fiebant iudicationis difficilis, & diu-
urna, & iudicationes ablatae, longe autem magis his, fe-
bricitantibus scilicet his febribus. Iudicabantur verò ho-
rum pauci circa octogesimum, quia in affectionibus diu-
ernis habent magnam vim quadragenarij dies, octogesi-
mus verò absoluit duos quadragenarios. Plurimis autem
defecerunt vt contingit, idest in certis diebus, quod etiam
ad inconstantiam febrium pertinebat. Horum pauci eua-
debant hydropici, & recti obambulantes moriebantur.
Neque solum, inquit, in his, sed in alijs morbis fiebant tu-
mores, idest, hydropes: multò autem magis infestabantur
hydropes qui tabescebant, per debilitatem scilicet faculta-
tis concoctricis.

Maxima autem & grauisima erat tabes, & occi-
dit multos. Multi enim incipientes hyeme partim
decumbentibus, partim erecti ambulabant, ante ver autem
moriebantur plurimi decumbentium: aliorum autem defi-
ciebant tusses nulli, remittebant autem per aestatem, sub
autumno autem decumbentibus omnes, & multi morieban-
tur. Longum autem horum multi agrotarunt. Cæpit igitur
horum plurimis, ex his malum repente. Rigores crebri,
sepe febres cõtinue, acutæ, sudores intèpestivi, frigidi, mul-
ti, vsq; ad finem, multa autem refrigeratio, & rursum vix re-
calescebant, alii variè substituerunt & rursum celeriter hu-
mectabantur, & omnium eorum quæ circa pulmonem distribu-
tio deorsum. Multitudo vrinarum non vtilium, colliquatio-
nes male. Tusses autem inerant vsq; ad finem multæ, & edu-
cites multa cocta & humida, cum doloribus verò non admo-
dum, sed et si aliquantulum doleret, statim leuiter à pulmone
purgatio fiebat. Fauces non admodum mordaces, neq; salsu-
gines quidquam infestabant. Lenta quidem, & alba, & humi-
da, & spumosa, multa à capite ibant. Longè autem maximè
malum comitabatur hos, & alios, fastidium, vt subscriptum est.
Neque potum neque cibum libenter sumebant, sed ualde sine si-

ti degebant, grauitas corporis, comatosi. Plurimis ipsorum tumores, & ad hydropem deueniebant, horridi, deliri iuxta mortem. Species autem tabidorum erat, leuis, subalba, pituitosa, subrubra, charopa, leuco phlegmatica, alati. & mulieres ita. Melancholica item forma, & sub sanguinea. Causi, & phrenitides, & dysenteria, his accidebant, tenesmi iunioribus pituitosis, longa diarrhœa, & acres deiectiones, & pingues biliosis.

IN prima morborum narratione, qua breui omnes, qui illa tempestate fuerunt, complexus est, omnium vltimo meminuit tabis, dicens, tabidi multi, non sanè quòd leuissimū malum, aut minime commune fuerit, fuit enim, vt dicit, tabes maxima & grauissima, & occidit multos, sed quòd morbus is diutius quàm alij, productus sit, vltra totum illud annum, partim incipiens a principio, ex sola tussi & destillatione, vt fieri solet, partim capiens initium ex acuto aliquo morbo. Atque aded omnes, qui non sunt acutorum vi sublati, sed diutius vixerunt, videntur mihi facti tabidi ex acutis, vt alijs etiam, à tussi sola & destillatione tabidis factis, acuti morbi accedebant, vsque aded omnia contigit eo anno complicari. Dixerat in principio totius narrationis, per hyemem quidem salubriter transigebant, præter tabidos de quibus postea scribetur. Huc nunc redit, & præstans quod promiserat, de solis tabidis seorsum scribit, ad illam hyemem reuocato sermone. Multi, inquit cœperunt hyeme tabescere, non tamen omnes æquè grauiter, sed quidam eorum decumbere cogebantur, quidam non, sed erecti ambulabant. Decumbentes, qui què grauiter affecti erant, plurimi moriebatur ante ver, postremis scilicet hyemis diebus, quibus ninxit, & flauit boreas, quia, vt in apho. 17. sectionis. 3. dicitur. Boreales constitutiones, si circa thoracem aliquis dolor prius est, magis affligunt, non autem dolorem solum, sed eadem ratione morbum quencunque thoracis auget boreas, quare qui graui tabe tenebantur, non immerito hac mutatione temporis mortui sunt, aliorum verò, qui non decumbebant nulli omnino defecit tussis, sed remittebat plurimis per æstatè, quia scilicet,

scilicet, cum æstas esset serena & sicca, minuebatur destillatio, sub autumno autè, hoc est postrema parte æstatis, ac prope autumnû, cum redijt boreas, omnes decumbebât, & eorum multi etiã moriebantur. Neque mirum eos, qui primam aeris ad borealem conuersionem sustinere potuerant, secundã non sustinuisse, sed aut mortuos esse, aut saltè decubuisse, & longû tempus deinde ægrotasse. His verò qui longum tempus ægrotarût, quid euenerit facilius quiuus intelligat. Nam quod crebrò solet, cum longa scilicet tussi, & putida excreatione, lêta extenuatio. Cæterùm quod euentis qui tam grauius ægrotarunt, vt eadem hyeme qua ægrotare cæperint, mortui sint, opere precium est audire. Proinde ad hos rediēs dicit, Cœpit igitur horû plurimis, & his malû repête (repête enim dicitur malû incipere, quod breuius quàm solet fit summû) ergo dicit plurimis horû repente incepit malû, ex his, seu cum his, quæ sequuntur. Rigores crebri, quales scilicet fieri solere ex catharris dictû mihi antea est. Sæpe febres continuæ acutæ. Idest erroneo modo accidentes febres cõtinuæ, & fatis ardentes, quales fieri solent excrementis per partes putrescentibus, aut fiētibus in pulmone suppurationibus: sudores intèpestiui, significantes scilicet nimiã excrementorû abundantiam, qui deteriores etiã erant, quòd multi frigidi vsq; ad finem malorum siebant. Frigidi enim sudores, aut quòd valde cruda sint, quæ abundant excrementa, fiunt, aut ob calidi inuati debilitatem. Ad quam etiã causam refertur, quòd erat multa extremorum refrigeratio, & rursum vix recalescebant. Alui variè substiterunt, humida esculentorum parte eunte in caput & pectus, aut declinante in vrinas, quæ multæ erant, & rursum celeriter humectabantur, regurgitante succorum multitudine in aluum, & omnium eorum quæ circa pulmonem, distributione deorsum facta. Neque est quod hic labores, dubitans, quibus vijs de pulmone in ventrem abire possint succi: natura enim ipsa inuenit sibi vias, vt in hoc ipso opere dicit Hippocrates, & vt alibi dicit, omnia cõfluxibilia, & per pauci admodum abscessus sunt, qui per manifestas vias fiunt, præ ijs qui per occultas. Atqui Hippocrat. non ea solum, quæ in ipso pulmone sunt, dicit in aluum distribui, sed quæ circa pulmonem in capite & thorace. Vt ergo quæ surditatè faciūt, ad aluû inclinare

solent, ita & quæ circa pulmonem, sed & ijs quæ intra ipsum pulmonem conclusa sunt, manifestas vias esse ad alvum & vesicam cap. 4. lib. 6. de locis affectis, Galenus indicavit, per arteriam scilicet venalem, & cordis finistrum ventriculum, sed & per venam arterialem & dextrum ventriculum, & venam cavam, & hepar, & mesenterium. Itaque nullo modo hoc admirationem habet. Illud solum oportet meminisse, tales fluxiones phisicis non solere esse vitales, quia ut aphorism. 14. sectionis quintæ dicitur. A tabe habito diarrhœa superueniens, lethale. Multitudo inquit, vrinarum non vitium. Multitudo enim humiditatis anni illius augebat vrinæ copiam, & symptomaticè excernebatur, vi caloris colliquantis. Quare colliquationes malas significabat, magis quàm iudicationes. Tusses inerant, multæ vsque ad finem, neque enim poterat aliter fieri male putrescente pulmone. Educebant multa, concocta, id est stupurata, & humida, id est fluxilia, quod quidem fiebat ob nimiam humiditatem & putrescentiam circa pulmonem, atque quia è pulmone affecto eductio fiebat, non admodum cum dolore, quia pulmo exiguo sensu ac ferè nullo præstitus est. Quod si aliquândo doleret tangente corrosione membranulam qua vestitur, statim leniter, facile scilicet, & expeditè, ac sine dolore, purgatio fiebat: quæ tamen ob nimiam redundantiam quam annus attulit, non fuit satis ad purgandum. Atqui quoniam in tanta multitudo non poterat, quod acre, & mordax, non esse temperatum, & diluatum, fauces non admodum mordebantur ab acribus, neque à falsis. Dictam autem multitudinem aperte indicabant, quæ de capite ibant, lenta quidem, & alba, & humida, & spumosa, multa. Pituitosa scilicet & flatu permixta, qualia peperisse erat consentaneum pluias & austrum. Hic enim flatu capite replet, ibique moram trahens, & cum pituitosis se admiscens, spumosa facit e capite descendere. Longe autem maximum malum inquit, comitabatur hos, & alios omnes eius anni ægrotos, ut subscriptum, id est antea scriptum est, fastidium, idque non qualecunque, sed maximum, per quod neque cibos, neque potus libenter sumebant: sed valde sine siti erant. Cur non dicit sine fame? Quia certe id dictum erat, cum dixisset fastidium, poterat autem esse fastidium cum siti, non erat tamen, sed fastidium omnium, quod facultatum

cultatum omnium, & sensus in ventriculo corruptionem indicabat. Erat præterea grauitas corporis, & ægroti comatosi ob dictas iam causas, ac fortasse etiam iam prope mortem constitutis, vt fieri solet, tabidis, ob debilitatem facultatis & impotentiam vigilandi. coma fiebat. Plurimis ipsorum fiebant, tumores, ventris scilicet, & (hæc est particula declaratiua) ad hydropem deueniebant, collecta eò multa, quæ per totum corpus redundabat, humiditate. Iuxta mortem iam, erant horridi & deliri. Horrores debilibus facere facile poterant boreales flatus, qui & sustulerunt. Deliria horum, vacillationes mentis sunt, natæ ex debilitate. His dictis de ijs qui intra hyemem mortui sunt, narrat qualis fuerit species, seu facies tabidorum omnium eius anni. Fuerit verò qualem esse tabidorum, in hydropem ob pituitæ redundantiam abeuntium, consentaneum erat. Leuis scilicet & subalbida: non enim alba, vt nix aut papyrus, sed ob caloris debilitatem inter mortuum quendam candorè, & cineritium referens: & pituitosa tota scilicet, qualis pituita redundante fieri solet. Erant denique leucophlegmaticæ tumidæ. Addit, & subrubra, fortasse eadem facies erat reliquis partibus subalbida, & maxillis subrubra ob calidam passionem pulmonis. In multis enim tabescentibus, id vidimus, aut fortasse alij erant albidi, alij subrubri. Fuerint enim subrubri, quibus forma melancholica & subsanguinea, de quibus mox dicitur. Dicit fuisse tabescentium, pariterque hydropicorum, faciem charopam. Quod haud dubie ad oculos pertinet. Explicatum verò iam est sectione quinta libri secundi, cum illa verba enarrarem quæ ad hunc locum multum faciunt, hydropici charopos oculos habent, hic & illic charopi nomē abusiue vsurpari, diciturque deglauco, quod exemplo aniculæ cuiusdam, cuius historia in calce libri quarti occurret, confirmauimus. Itaque his fiebat oculi glauci, pituita in oculos abscedente. Alatos etiam fuisse dicit tabidos, non arbitrator quod tabe alati fieret, quam extenuatio carniū aliquid nonnunquam ei figuræ adijcit, sed quod alati tabescerent, vtpote ad tabem paratissimi, vt primo libro huius operis dictum iam est. Addit Hippocrates & mulieres ita, id est & mulieres ita afficiantur, non quidem solæ, sed quasi diceret non tantum viri, sed & feminae, ac fortasse hæc plus etiam quam viri, quod per

sefe sint humidiores, & excrementis magis affluentes, cui naturæ accedens anni humida intemperies, maior morborum occasio fieret. Quorundam etiam tabescentium forma erat melancholica & subsanguinea, hoc est subnigra & subcruenta, referens redundantiam sanguinis crassioris, in ijs scilicet in quibus sanguis redundaret. Dictum enim antea est, succorum omnium eo anno fuisse redundantiam, iuxta cuiusque naturam. Horum ergo facies fuerit sobrubra ut pituitosorum subalbida. His etiam quibus tabesceribus forma melancholica & subsanguinea, acciderunt causæ, & phrenitides, & dysenteria, dum corpus cum pulmonis putrescentia tabesceret, putrescente & bilefcente sanguine per totas venas, aut irruente in caput aut ventrem. Cuius verò dictis ægrotis multa circa aluum mala acciderint: nam tenesmi, diarrhoe longæ, & deiectiones acres, & pingues, narrat Hippocrates, quibus quæ acciderint, secundum ætates, & naturales temperaturas, differentiam accipiens. Galenus legit, tenesmi iunioribus pituitosis: longæ diarrhoeæ & deiectiones, acres, ac pingues, biliosas. Ego verò non video cur minus longæ diarrhoeæ acciderent pituitosis quàm biliosis, aut cur potius acris & pinguis iunioribus (quorum nomine adolescentes, aut pueri adolescentiæ proximi, videntur intelligendi) quam iuuenibus, & consistentibus ætate. Proinde ego ita lego. Tenesmi iunioribus, hoc verò est quod antea dixerat, tenesmi pueris (& quos vocauerat *πέδασπροι* nunc vocat, *νεοίς*) & pituitosis longæ diarrhoeæ, ob abundantiam scilicet multæ fluxionis: & biliosis deiectiones acres & pingues ob calorem. Vbi legi, formidatorum erat leuis, subalbida, pituitosa, in quibusdã codicibus legitur, *φλεγματόςες φακόςες* idest lentes referens tamen apertum est mendum, quia Galenus lectionem hæc sequutus est, & multo magis videtur congruere, ut ex ipsa interpretatione iam patere potest.

12. **E**Rat autem omnibus subscriptis difficillimum quidem ver, & plurimos abstulit, æstas autem facillima & minime moriebantur. Autumno verò, & sub pleiadis vrsis moriebantur multi, quartanarij.

Dictum

DICTVM antea erat tabidos multos abstulisse primū
 ætate melius habuisse, & autumnō rursū multos esse
 mortuos. eorum qui ver euaserant, dictūque quam ob
 causam. Quod nunc dicit autumnō & sub pleiadis, est idē
 se si diceret toto autumnō, ineunte scilicet, & sub autum-
 nō & ad occasum, qui occasus finit autumnū & inchoat
 hyemem. Dixerat nuper multos eorū qui antea decumbe-
 bant, extrema ætate mortuos esse, & eorum qui nō antea
 decumbebant multos tunc decubuisse: Consentaneum er-
 go est, hos, qui ineunte autumnō decubuerāt sub pleiadis,
 hoc est occidentibus pleiadis, tempore mutato ad frigidif-
 simum (ea enim hyems fuerit qualis solet, finito iam anno
 incpestiuo) accubuisse. Vox illa quartanarij, censetur à
 Galeno esse adiectitia, quia nihil pulchrum videtur signifi-
 care posse. In quibusdam codicibus occurrit scriptū *τῆρτι*
 id est quartanā, in quibusdam *τῆρτεα* id est quarti, seu quar-
 tanarij. Quid autem significet, multiplex coniectura est, q-
 dam antiquorum dicebant quarta die mortuos, sed quo
 pacto tabidi quarta die moriebantur? An superueniebat il-
 lis in extremo constitutis, malū quatrīduanū? At id oport-
 rebar, dictū prius. Quidā dicebant, hos esse quartos ægro-
 tos, quasi quartam cōstitutionem epidemialem, post duas
 in Thaso, in primo libro scriptas, & tertiam in Cranone
 scriptā in secundo. Sed vix constat, an hos libros omnes in
 ordinē digesserit Hippocrates quasi in lucē emittēdos qui
 putemus tantam præscriptionem? toto opere habuisse rati-
 onem? Alij putant multos eorū, qui ex febribus erraticis
 nunc annum euaserant, sequenti anno fuisse quartanarios,
 vt fieri solet. Aut hoc est quod Hippocrates dicit, aut nihil
 sed adiectitia, est illa dictio. Super sunt vsque ad extremum
 huius libri tertij, decem & sex ægroti, quos quidā interpre-
 tum putarunt, quosdā fuisse eorum, qui dicto anno ægro-
 tarūt, seorsum, exempli gratia scriptos, adducti illa vocola
 sub scriptis, quæ videtur significare nō scriptos antea, sed
 sub scribendos deinceps. Dicūt ergo cū hic dicit, erat autē
 omnibus subscriptis difficilimū ver, intelligi, omnibus qui
 sequūtur, indeq; constare eosdē esse qui sequuntur, & qui
 antea dicti sint. Ego quidē suspicor quosdā fuisse eorū qui
 eo anno ægrotarunt, non tamen hoc argumēto (pluries. n.
 iam vidimus, tota hac tempestate dici *ὑποπροσπαμνον* id est

subscriptū, quod antea scriptum) sed quia statim adiecti sunt huic constitutioni, & quidam illorū videntur habere multa symptomatū, quæ narrata sunt, & qui alijs modis videtur ægotasse, fortasse hac ipsa ratione a communi narratione excepti sunt, quod peculiari morbi forma ægotauerint. Sed veniamus ad singulares historias.

Sedecim ægroti.

Primus ægrotus.

13 **I**N Thaso Parium, qui decumbebat super domum Artemisii, febris corripuit acuta, circa initia continua, ardens, siticulosa, incipiens comatosus, & statim insomnis. Aluus turbata in principijs. Urinæ albæ. Sexta minxit oleosum, delirauit. Septima exacerbata sunt omnia. Nihil dormiuit, sed urinæ similes, & mens turbata. Ab aluo autem biliosa piguia fluxerunt. Deinde octauæ parum à naribus destillauit. Vomuit virosa pauca, parum dormiuit. Nona eadem. Decima omnia remisierunt. Undecima sudauit non per totum, circumfriguit quidem cito autem recaluit. Duodecima febris acuta, deiectiones biliosæ, tenues, multæ, urinis enæorema, delirauit. Decima septima laboriose transmissa est. Neque enim somni, neque febris intendebatur. Vigesima sudauit per totum, insomnis, deiectiones biliosæ, cibum non capiens, comatosus. Vigesima quarta redijt. Trigesima quarta sine febre, aluus non substitit, & rursus recaluit. Quadragesima sine febre, aluus restitit tempus non multum. Cibum non capiens, parum rursus caluit, & per totum erraticè sine febre aliquando, aliquando autem non, si enim aliquid intermississet, & allenata esset rursus reuertebatur cibarijs multis & malis utebatur. Somni mali in recidiuis. Delirabat.

rabat. *Vrinas crassitiem quidem habentes: mingebat tūc, turbatas autem & prauas, & aluus adstricta, & rursum soluta. Febriculæ continua, deiectiones multæ tenues. Centesima autem vigesima die mortuus est. Huic aluus continenter à prima humida, biliosis humidis multis, erat, aut suppressa in feruidis & crudis. Vrinæ vsque ad finem malæ. Comatosa. Plerumque cum doloribus insomnis. Fastidiosus Continenter febris ardens.*

HÆC fuit febris ardens & acuta vsque ad diem vigesimam, inde coepit ex acutie cadere, acutiem adhuc aliquam retinens vsque ad quadragesimam, qua finiuntur morbi medij inter acutos & diuturnos, inde iam chronicus factus est morbus, & sensim tabescēs homo, alios duos quadragenarios durauit. Tribus verò exactis, die vigesima supra centesimam, mortuus est. Habent enim suos dies decretorios morbi omnes, sed in acutis habent merito vim maiorem, & notantur breuioribus interuallis, in longis minorem, & ex longioribus. Proinde Hippocrates vsque ad vigesimum, omnes fere dies percurrit, à vigesimo iam attingit rariores, vsque adeò vt post quadragesimum nullum vsque ad centesimum vigesimum, nominauerit. Habent vero vim magnam vt in acutis septimanæ, ita in longissimis affectionibus, quadragenarij: quorum tres dicta dies finit. Sed percurramus singula, quæ ex dictis antea non semel, intelligi possunt facile, legentes: solum quæ nõdum explicata sunt, interpretantes. Nam ita fiet, vt opus neque fastidiosum sit, neque in immensum crescat. Pariū, inquit, febris corripuit acuta, circa initia, continua, ardēs, siticulosa, idest quæ primum fuit acuta, continua, & ardēs, etsi deinde in longam decidit. Incipiens, idest, primis morbi diebus, fuit comatosus, & statim insomnis. Quibus quidem notis satis videbatur esse, vnus quidam eorum qui illo anno ægrotarunt, dixerat enim eos nunc sopore, nunc peruigilio teneri, redundantes scilicet duplici succo. Aluus turbata in principijs, & vrinæ albæ: fuerint verò vrinæ tales ob cruditatem, & declinante in aluum bile. Talia habuit vsque ad diem sextam, quæ minxit oleosum
idest

ideft vrinam oleo fimilem. De hac vrina dubitatum eft à prioribus interpretibus, quibusdam putantibus effe omnino fimilem oleo, crassitie & pinguitudine, fierique liquorem corporis pinguedine. Galeno, cuius sententia mihi magis placet, videtur hoc fieri non posse, quia pinguedo liquata mox cohærescit & supernatat, atque adeo, & si aliquandiu vi caloris fieret vt non concrederet, tamen innataret: nam & oleum ipsum inuehitur in aqua. Proinde supersunt duæ probabiles opiniones, oleosam esse in qua innatat pinguedinem, & oleosam, quasi pinguem, eo quod oleum pingue sit: aut esse vrinam similem oleo crassitie, & colore, et si ipsa fuffura lentam pinguedinem non habeat. Pinguis, colliquationem significat, aut secundum renes cum confertim mingitur, aut secundum corpus totum, cum aliter. Fieri verò hanc in Pario sexta die, non erat dissonum: ita enim fieri solet in alijs febribus acutis. Neque vero pinguedinem liquari tam graue est, vt propterea dubites potuisse huic tam citò fieri crassam, & olei colore. quidam putabant significare colliquationem, multò maiorem quam pingue, fieri enim ex partibus carneis velut affatis, vt si succum eum qui ex affatis carnibus destillat, quis colligat. Tales fortasse erant de quibus nuper dicebat Hippocrates multitudo vrinarum non vtilium, colliquationes malæ. At vero consumptio tanta non posset sexta die fieri, victuro vsque ad centesimam vigesimam. Proinde censeo, vt & Galenus oleosam vrinam, vnam quandam earum esse, quæ còturbatione crassescunt. Itaque esse conturbatam, referentè colore oleum. Talibus vero malum capitis imminere solet. Velut huic accidit qui talem mingens, mox delirauit. Sed, & de Pithione, qui tertius est huius partis agrotus, ita scriptum occurrit. Vrinam minxit oleosam, noctu turbatio multa, delirabat. Licet còsiderare mutationes insignes septima vndecima die, & decima septima. Miror quòd quatuordecima nihil noui attulerit, aut quod ille omiserit. Fortasse Hippoc. non affuit agrotò ea die. Die octaua stilla sanguinis de naribus malam significationem præstare poterat vt non semel iam dictum est. Sed & illud quod duodecima die dicitur accidisse, vrinis eneorema, delirauit, est consonum ei quod primo prædictionum dicitur, vrinæ innatantes phreniticæ. Quod dicit decima septima laboriose

se transmissa est, quia neque somni, neque febris intende-
 batur, videtur fortasse dissentaneum. Dices enim, laborio-
 sus fuisset somnos & febrem intendi, vt febris esset ingens
 cum comate. Verum non ita intelligendum est: sed, neque
 somni erant, id est dormire non poterat, neque febris in-
 tendebatur, id est, neque extrema calescebant, effuso æqua-
 liter per totum corpus calido: sed erat insomnis cum extre-
 morum frigore. Nihilominus vigesima iudicatus est, non
 tamen perfecte, neque enim poterat nullis concoctionis
 signis prægressis: neque sanè id, ea ipsa die quis posset ex-
 pectare, quia exigua conferentia notæ aderant. Tametsi
 enim factus est sudor non qualis vndecima: sed per totum,
 tamen erat insomnis nunc, nunc comatosus, aut fortasse in
 somnis comatosus, id est cum comate vigili, & cibum fa-
 stidiens. Satis ergo fuit, neque sanè parum fortis naturæ
 argumentum, imperfectè iudicari, sudore & deiectionibus
 solum tunc biliosis, euacuationibus quidem symptomati-
 cis: sed ex parte factis ea die vtilibus. Itaque febris non fa-
 nè, quatum intelligo, sublata: sed remissior multò facta est.
 Sed quia imperfecta fuerat iudicatio, fuit etiam infida, &
 redijt febris aperte vigesima quarta. Trigesima quarta, in-
 quit, sine febre est factus. Addit, aluus non subsistit, & rur-
 sum recaluit. Sed cur dicit, aluus non subsistit? aut si dici
 oportebat, quæ non fiebant, cur non dicit etiam, non suda-
 uit, aut non vomuit, aut aliud quiduis? Certè significat me-
 lius actum fore cum ægroto si aluus restitisset: atque adeò
 consentaneum fuisse fisti. Nam velut consentaneum est in
 mutationibus in melius, fieri euacuationes vtilis, ita, fisti
 noxias. Huic verò noxiæ erant, biliosæ & pingues euacua-
 tiones, consumendo magis, quam expurgando corpore
 fientes. Consentaneum ergo, cessante febre, cessare aut mi-
 nui liquationem, & bilis fluxionem, & fisti aluum. Dicit
 itaque aluus non subsistit, & rursus recaluit: quasi insinuâs
 inter cætera, ob hoc etiam citò recaluisse, quod non substi-
 tit. Quod multo magis declarat, quod addit, quadragesi-
 ma sine febre, aluus restitit. Sed quia ne tunc quidem resti-
 tit multum tempus, & mansit cibum non capiens: rursus,
 non vt prius: sed parum caluit. Nimirum fastidium, & oris
 amaritudo, & similia, vt dicetur sexto libro huius operis,
 significant intus manere, & recidiuam. Verum vt facta est
 mutatio

mutatio in signis, & declinatio ab acutie, die vigesima, abeunte morbo acuto in morbum medij generis, ita oportuit die quadragesima agi, quia qui hanc excedunt, aperte iam sunt diurni, & ut vigesima multorum acutorum est finis, ita quadragesima morborum medij generis. Quare iam inde febris erat minor, & per totum erraticè, aliquando sine febre, aliquando cum febre erat. Intellige verò id non exactè: sed quòd videretur. Nam reuera, nunquam sine febre fuit, ac multò minus post quadagesimum, quia tabescebat iam: tabescentes autem ex febribus semper habent febriculas. Et ipsemet Hippocrates mox addit, febriculæ continuæ: sed & hic ita debere intelligi, ut explicui, ipsemet indicat, addens: si enim aliquid intermisset, & alleuata esset, rursus reuertebatur. Nam illud, & est declaratiuum, quod illud, aliquid intermittere sit, non simpliciter intermittere, sed aliquid intermittere & alleuari: quare & illud reuerti, esset rursus intendi. Addit cibariis multis & malis utebatur. Sed quo pacto, si, ut in fine historiarum dicitur, erat fastidiosus? Certè suspicor hunc, vsque dum iam tabesceret, fuisse fastidiosum, ut nullum cibum libenter caperet (dixerat enim Hippocrates bis, cibum non capiens) deinde tamen, penuriam alimenti sentientibus partibus, & excrementis cibi boni appetitum corrumpentibus, ingessisse multos & malos. Itaque semper fuit quodammodo fastidiosus, quia semper fastidiuit bonos, etsi multis diebus vsus est multis malis. Dicit, urinas mingebat crassas quidem habentes turbatas autem & prauas. Meritò sanè addit, turbatas autem & prauas, quia cū simpliciter dicit crassas, coctas solet Hippocrates significare, aliter profecto ac Gal. qui crassarum nomine turbatas intelligit. Perducta narratione vsque ad diem vigesimam supra centesimam, qua mortuus est, epilogo colligens quæ fuerunt in Pario deterrima, dicit, huic alius continenter à prima humida (id est fluës biliosis, humidis, fluxilibus, & liquidis, multis) aut suppressa in feruidis & crudis. Sed quo pacto in feruidis & crudis, si suppressa? Certè nunc erat laxa fluëtibus multis biliosis liquidis, nunc astricta fluëtibus paucis feruidis & crudis: feruidis sanè exustis, crudis, ex malè coctis in vètre cibis, vtrisque tamè, paucis, & non fluxilibus, cessante fluxione ad ventrè. Dictis aliis signis pessimis,

mis, finit sermonem, dicens, continenter febris ardēs: quod intelligi debet, dum acutè laboraret, & vsq; ad vigesimum.

Secundus ægrotus.

IN Thaso decumbentem iuxta frigidam, ex partu, & feminam enixam, & non siente purgatione, febris acuta, horrida tertia die, corripuit. Ex multo autem tempore ante partū febriculosa erat, in lecto, fastidiosa. Postquam autem riguisset, continua, acuta, horrida febres. Octava multum delirabat, & sequentibus diebus, & brevius resipiscebat. Aluus turbata multis tenuibus, & ut aqua biliosa. Sine siti. Undecima resipiscebat, comatosa autem erat. Urinæ multæ, tennes, & nigræ: insomnis. Vigesima parum circum frigit, & rursus brevi recaluit. Parum deliravit insomnis, venter imus in eisdem. Urinæ aquosæ, multæ. Vigesima septima sine febre aluus substitit. Non multo autem tempore post, dextra coxæ dolor fortis tempus multum. Febres rursus comitabantur, & urinæ aquosæ. Quadragesima quæ ad coxam spectabant alleuata sunt: tusses autem continuæ, humidæ, multa. Aluus substitit. Cibum non capiens. Urinæ in eisdem. Febres autem in totum quidem non deficientes, erraticæ autem habentes exacerbationes, partim quidem ita, partim autem non. Sexagesima tusses quidem sine signo defecerunt. Neque enim aliqua sputorum concoctio fiebat, neque aliæ consuetus abscessus. Maxilla autem dextra dimissa est, comatosa, deliravit rursus, & brevi resipiscebat. Cæterum à cibis habebat animum auersum. Maxilla quidem ad locum suum redijt, aluus autem biliosa pauca reddidit. Febre ita acutius horrida, & sequentibus diebus sine voce, & rursus resipiscebat, & loquebatur. Et octogesima mortua est. Huic urinæ vsque ad finem erant, nigræ, & tennes, & aquosæ, & coma comitabantur.

ur. Cibum non capiens, animo deiecta, insomnis, iræ, difficiles tolerantia. Mens autem melancholica.

VT Parius tertio, ita hæc secundo quadragenario, qui de octogesimo finitur, mortua est, ex partu foeminae. Dictum verò & obseruatum in hoc opere iam sæpe est, difficiliores esse partus foemellarum quam masculorum. Dictum est etiam sæpe, enixis occasionem ægotandi, ferè semper esse in purgatione non satis procedente, peculiariter verò noxia sit hæc causa enixis foeminas, quia hæ pluribus abundat fordibus, & maiori expurgatione indigent. Erat autè hoc conspicuum maximè in hac, quæ multo tempore ante partum erat febriculosa, & fastidiosa, & decumbens in lecto, aut continenter, aut assiduè, vt fieri solet. Animaduerte hoc loco Hippocra. diei computationem ducere, non à die febris: sed partus, iuxta id quod in prognostico docuerat. Dicit enim tertia die febrem horridam mulierem corripuisse. Tertia ergo mali, fuit prima febris, & ab ea die, à qua prima febris fuit tertia, fuit octaua qua delirauit, & octogesima qua mortua est. Nimirum in his primarium ac præcipuum malum, est partus malus. Dictum etiam antea est, semper solere esse febres enixarum, & earum quæ ex suppressione magna menstruarum euacuationum laborat, acutas & horridas. Acutæ quidem sunt quia magnæ & periculosæ: horridæ verò, ob naturam vteri, ad quem præcipuè pertinent illæ affectiones, & ob hanc ipsam causam, coepit hæc febris ex rigore: nimirum rigor est horror magnus, & quæ causæ ante quam febris magna fieret, rigorem fecerant: hæc eadem, aucta iam febre, afferebant horrores. Quia horror est exiguus rigor, & febris rigorem minuit, vt & in hemitritæis fieri conlucuit. Merito ergo postquam riguisset, factæ sunt febres continuæ, acutæ, horridæ. Octaua & sequentibus diebus vsque ad vndecimam, nunc delirabat multum, nunc breui redibat ad mentem, habente scilicet compassionem cerebro cum vtero, & totis venis, non autem firmam passionem, vt veram phrenitidem. Aluus turbata tenuibus multis, vt aqua biliosa, ex redundantia humiditatis aquosæ, & bilis, quod, vt vidimus, ægotis omnibus illius anni commune fuit, vt & sine siti esse: quod in hac, præter humiditatis redundantiam, delirium etiam facere

ore poterat. Vndecima resipiscebat, id est iam tota ea die
 sine delirio, comatosa tamen, pituita abundante in su-
 perioribus, deriuata bile ad inferiora, per deiectiones di-
 ctas, & vrinas, multas, tenues, & nigras, quæ bile nigra tin-
 gebantur. Nosse verò oportet, has vrinas familiares fuisse
 passioni, quæ valde fuit melancholica, vt vltima totius nar-
 rationis verba declarant: hæc scilicet: Vsq̄ ad finem erant
 vrinæ nigræ, tenues, & aquosæ, animo deiecta, insomnis,
 hæc, difficiles tolerantia, mens autem melancholica, id est,
 cum metu & mœstitia. Hæc enim omnia melancholicæ
 passionis sunt signa. Neque sanè, quod vrinæ erant tenues
 & multæ, prohibet ex melancholia esse. Nam hæ non erant
 decretoriæ expurgationes melancholiæ, vt multa exiret
 quæ crassas vrinas faceret: sed symptomaticæ vt exiret, quod
 vrinam non crassam: sed nigram facere posset, & melācho-
 liam non euacuare: sed significare. Neque verò alienum est
 in melancholia abundare multo sero: per incoctionem enim
 fit melancholia serosa, & hanc ob causam videas melan-
 cholicos, tenuem & multam saliuam habere, & copiose ac
 frequenter sudare. Qua eadem causa fuit familiare huic
 morbo habere has vrinas, familiare etiam est iis quibus
 menstruæ euacuationes retinentur, melancholicis passio-
 nibus tentari: nimirum hæc deterioris sanguinis euacuatio-
 nes sunt, vt & hæmorrhoides. Sed veniamus ad reliqua.
 Quo pacto erat insomnis eadem die vndecima, si soporo-
 sa? Certè vt ægroti alij huius tempestatis, comate vigilantia.
 Vigesima (quatuordecima, & decima septima, aut nihil
 fuit noui, aut fortè non affuit Hippoc.) parum circumfri-
 git, id est secundum extrema refrigeratus parum quiddam
 est, & rursus breui recaluit Parum delirauit, insomnis, vè-
 terimus in eisdem, vrinæ etiam aquosæ multæ. Vigesima
 septima facta est sine febre, & hic fuit finis acuti morbi.
 Nimirum dictum mihi est sæpe, mensẽ lunæ esse legitimũ
 finem acutorum morborum, & si Galenus vigesimum sta-
 tuerit. Iam hinc decidit morbus ex acutie. Est verò in hæc,
 vt & in Pario, in iudicatione febris sublata euacuatio, quæ
 symptomaticè, & inutiliter antea fluebat: non tantum verò
 suppressa hæc euacuatio fuit: sed & pro ea factus absces-
 sus, quia non multo tempore post, dextræ coxæ dolor for-
 tis multum tempus: nam vsque ad quadragesimam. Neque
 febris

febris intermissio durauit diu : sed febres rursus comitabantur, & urinae aquosae. Quadragesima, quae finit morbos medij generis, facta est alia insignis, & perinde mala permutatio. Nam dolor coxae alleuatus est, factae autem tussis continuæ, humidæ, multæ, id est, per quas multum creabatur. Nam tussis arida vocari consuevit, per quam nihil excreatur. Non autem solum alleuata est tussis: sed & alius substitit, recurrentibus sursum viciosis succis, patientibus autem instrumentis respirationis, quia hic morbus erat, vt dixi, præcipue vteri. Est verò vt lib. 2. sectione prima dictum est, magna communitio vocalium cum genitalibus: qua ipsa causa omnes mulieres, quæ ob has occasiones ægrotant, solent incidere in morbos thoracis, tussis, asthmata, hæmoptoycas passiones, phitides, aut pleuritides. Reliqua fuerunt qualia prius, & febres nunquam omnino deficientes; iam enim haberet mulier habitua-lem febriculam: erant tamen præterea exacerbationes erraticæ, ob excrementa multa, & varia putrescentia per partes. Sexagesima rursus attulit aliam insignem mutationem, nimirum tussis defecerunt sine signo, id est euauerunt repente, nullo relicto vestigio: quod genus deficiendi in omni abscessu, quin & in omni passione vituperatum est, quia quod repente euanescit, ac non potius paulatim, aut simul cum euacuatione aliqua, præter rationem soluitur, quæ verò ita euanescunt malignius redeunt, aut in grauiores alias passiones permutantur: velut nunc, quia nulla concoctio sputorum manifesta fiebat, vt cocta, & expurgata materia, solueretur tussis, neque alius confusus abscessus, vt expurgatio ex vtero, quæ maximè omnium erat huic expetenda, aut coxae dolor denuo factus, aut tumor aliquis circa genitalia, quæ etsi minus bona, solent tamen etiam ex tussi fieri, dicitur tussis defecisse sine signo. Et re in deterius eunte, maxilla dextra diuisa est, secundum dextri lateris rectitudinem mutatis abscessibus, contra tamen ac oportebat, ab infernis omnimodis sursum. Nam à dextræ coxae dolore tussis, ab hac dextræ maxillæ diuisio facta est. Quod quidem superna petente excremento fieri, confirmarunt comæ & delirium accedentia. Sed ne tunc quidem fuit firmata phrenitis: sed breui resipiscebat. Non tamen proinde morbus erat

erat iā affectus grauisissimus, habebat enim iam a cibis animam auersum, non solum, ut antea, cibum non capiebat. Nimirum magnæ exaggerationis gratia dicit, *προσδῆτα* *πρὸς τὴν ψυχὴν* quod haud scio an melius verum possit, quam habebat auersum animum a cibis, aut saporem. Est verò ut Galen. rectè censet, vsus dictione affectata, ut significaret fastidium summum. Quod sanè maximam iam periculi est, quia fit corruptis facultatibus reatricibus. Quod ubi factum est, nulla salutis spes superest, quia etiā si quæ euacuatio succedat, nihil confert, immo verò quæ conferre solent, ea ipsa videntur mortem properare, deficiente facultate quæ toleret. Velut huic accidit, quæ cum, redeunte maxilla ad locum suum, alui fluxionem biliosam haberet, nihil est iuuata, sed febricitauit acutius, & fuit magis horrida, & sequentibus diebus est voce priuata, & octogesima mortua est. Sed quo pacto priuata iam voce & morti proxima, rursus resipiscebat, & loquebatur? Sed quid mirum? Certè & ex magna apoplexia vidi quam plurimos morti iam proximis, ad mentem & vocem rediisse, ut assistentibus viderentur liberati. Hæc sanè facit extremus conatus, qui, si non expellit, facit tamen abscedere a quibusdam partibus, ad quas, ob vitium impotentiam, nouo impetu irruentia excrementa, mortem afferunt, cum spes aliqua salutis sese coeperat insinuare. Reliqua quæ per epilogum dicit, explicata iam sunt.

Tertius ægrotus.

IN Thaso Pythionem, qui decumbebat supra templum Herculis, ex laboribus, lassitudinibus, & prauo victu, rigor magnus, & febris acuta, corripuit. Lingua arida, siticulosa, biliosa. Non dormiuit. Urine subnigra, appendiculum sublime. Non sudauit. Secunda circa medium diem refrigeratio extremorum, præcipuè circa manus & caput, sine loquela, sine voce. Breuis spiritus in multum tempus. Recaluit. Sitis.

D d

Noctem

Noctem cum quiete. Sudavit circa caput purum. Tertia cum quiete. Vespero circa solis occasum subfriguit parum. Turbatio nocte laboriose. Nihil dormiuit. Ab aluo autem pauca compacta stercora exierunt. Quarta mane cum quiete, circa medium autem diem omnia exacerbata sunt. Frigus. Sine loquela. Sine voce, in deterius. Recalesfactus est. Post tempus minxit nigra habentia appendiculum. Noctem quiete dormiuit. Quinta allenatus esse visus est. Circa aluum autem pondus cum dolore. Siticulosa. Noctem laboriose tulit. Sexta mane quiete, vesperi autem dolores maiores, exacerbatione habuit. Ab aluo autem vesperi clystere bene eiecit. Noctem dormiuit. Septima die fastidiosus, submoleste ferebat, minxit oleosum. Nocte turbatio multa, delirauit, nihil dormiebat. Octaua mane dormiuit parum, cito autem frigus, vocis interceptio, tenuis spiritus, & immutatus. Vespero autem rursus recaluit, delirauit. Iam autem ad diem, modicum leuatus est. Deiectiones mera, exigua, biliosa. Nona soporosus, fastidiosus, cum exartaretur non valde siticulosus. Circa solis occasum moleste ferebat, delirabat, noctem malam. Decima mane sine voce. Multa refrigeratio. Febris acuta, multus sudor. Mortuus est. Dolores huic in diebus paribus.

Duplici causa mihi videtur Hippoc. meminisse casu procatartice huius morbi, primum quia hic non admodum videtur laborasse, vt alij eius tempestatis ægroti, sed modo quodam proprio, & insinuat non esse illud referendum ad communem causam intemperie aeris, sed ad peculiare vitium in victu. Deinde quia morbus videtur durasse diutius quam pro malignitate, quam præ se ferebat symptomata, quod fortasse factum fuerit, quod morbus manifesta causa inceperit, non ex solo interno apparatus. Nam quodcunque signum, siue bonum siue malum, fit casu

to debilius, quanto causam habet apertiore. Si igitur hic
 nullo victus vitio prægresso ægrotasset, merito censere-
 tur, essetque reuera grauius affectus, & mortuus citius. Ne
 ergo grauiissima symptomata legens, mireris non mox
 fuisse extinctum, dicit ex laboribus & lassitudinibus, id est
 lassatum ex laboribus, & prauo victu. Non explicat qua
 inre. Pertinet verò victus ad res omnes non naturales, &
 præcipuè ad cibum & potum. Significat ergo hominem
 negligenter vsu illis omnibus rebus, sed & prauis, &
 nullo ordine ingestis cibis. Considerandum in hoc mor-
 bo est, quod Hippo. monet, fuisse dolores, hoc est exacer-
 bationes diebus paribus. Nam secunda quarta, sexta, octa
 ua, diebus interiectis difficiliores fuerunt, & decima, mor-
 tuus est, quia eisdem diebus moriuntur homines quibus
 salui fiunt: & morbi qui per pares mouentur paribus iudi-
 cantur, qui per impares, imparibus. Eandem ob causam
 nox secundæ diei fuit cum quiete, & noctem quartæ diei
 quiete dormiuit, & sextæ nocte dormiuit, nocte autem
 tertæ fuit turbatio laboriosa, & noctem quintæ laboriose
 tulit, & septimæ nocte turbatio multa, & nona die, habuit
 noctem malam, quia nox quæ accessionem præcedit diffi-
 cilis est, quæ verò subsequitur magna ex parte leuior exi-
 sit. Octauæ etiam noctem quietam esse oportuit, proxi-
 mus verò iam status morbi lethalis id prohibuit. Nihilo-
 minus postrema noctis parte, iam ad diem, modicum leua-
 tus est. Sed redeamus ad initium, & breui omnia perstrin-
 gamus. Incepit hæc febris a rigore. Vnde constat, a rigo-
 re incipere non esse proprium intermittentium, sed qui-
 busdam etiam continuarum accidere, ijs verò maximè
 quæ a causis procatartice incipiunt: velut hæc inceperit a
 rigore vel ob excrementa per corporis habitum (vt in las-
 satis fit) effusis, vt & vlcerosæ lassitudines rigores afferre
 consueuerunt, vel corruptis aliquibus succis in ventriculi
 ore ob prauum victum. Sed & malignarum febrium hoc
 est. Maligna enim qualitas rigorem intempestiuum vt aliū
 quemcunque abcessum, facere potest. Merito ergo hæc,
 alioqui continua, a rigore incepit, quia vtrumque habuit,
 & esse malignam, & a procatartica causa incipere. Cum
 dicit fuisse febrem aliquam acutam, ad constitutionem
 referri debet, vt cum in calce narrationis occurrit subscri-
 ptum,

ptum, acutum, aut febris acuta. Cum verò dicit die aliqua fuisse acutam, vt die prima, quinta, aut septima, aut alia, non ad constitutionem (constitutio enim non vnus diei, sed totius morbi est) sed ad tactum, & eius diei symptomata: hoc est ea die calorem acutè mordere, aut symptomata, magnam acutiem referentia, affuisse. Velut prima die huius morbi fuit rigor magnus, calor acutè mordens, lingua arida, siticulosa, biliosa, idest amara & pallens, non dormiuit, quæ omnia bilis vrentis abundantia significabant. Sed & vrinæ subnigræ, quæ vltam iam bilem præ se ferebant, & appendiculum sublime. Galen. quod sublime vult vocari nubeculam: quod subsidens, sedimentum: quod pendet in medio, appendiculum. At verò Hippocra. hæc omnia nomina generatim dicuntur de eo, quod in vrina continetur, proinde plærumque addit aliquid, quo explicet, quod contenti genus dicat, velut nunc dicit, appendiculum sublime, innuens nubeculam tenuè. Non explicat, an illa nubecula fuerit etiam subnigra, vt ipsæ vrinæ: vt cunque autem hoc habuerit, significabat tenuembilem vltam, & flatum capiti periculum portendentem. Quale illud est de quo dicitur primò prædictionum.

3. Vrinx sublimes phreniticæ Nimirum, vt in pituitosis solet apparere ante concoctionem crassum quiddam, albū, hærens fundo matulæ, ita in biliosis, tenue, sublime, diuulsum. Addit, non sudauit. Id dicit quia tota ea die febris cuius tertianæ speciem præ se tulerat, incipiens a rigore, ac deinde breui ardens, & cum ad extremum expectaretur sudor, qui tertianæ paroxysmum finiret, non ita factū est, sed continua euasit, & nullus ea die sudor fuit. Secūda die
 3. ad meridiem fuit refrigeratio extremorum, præcipuè circa manus & caput, & homo fuit sine loquela, & sine voce, & breuispirus. Quod idem accidens alijs ferè omnibus diebus paribus tactum est: nam & quarta, & octaua, & postrema, qua mortuus est: quin etiam fortasse & sexta, quanquam id minus explicet. Dicit tamen exacerbationem habuit, quam verisimile est fuisse tunc quoque, similem ijs, quas alij difficiles eius morbi articuli afferbant. Si sine voce erat, non poterat non esse sine loquela, nam vox materia sermonis est. Dicit verò velut exaggeras periculum, fuit sine loquela, & sine voce, quasi diceret, non

nō solū sine loquela sed etiam sine voce. Illud breuispiritus, necesse est, significet spiritum exiguum. Magnus enim non diceretur curtus aut breuis. Non tamen perinde constat, crebrum & paruum, an rarum & paruum, significet. Nam utcumque sit spiritus paruus, videtur posse ita appellari. Si tamen hic spiritus fuisset creber & paruus, inflammationem aliquam in partibus spiritalibus significaret, & refrigerationem etiam extremorum tali spiritui accedentem, in eam causam reijcere, esset consentaneum. Sed si inflammatio magna & maligna (nam non posset quæcumque) ea symptomata faceret, non ex quibusdam circuitibus, nunc faceret, nunc non, sed continenter, ut febris lypiria solet. Præterea inflammatio non tolleret loquelam, saltem non vocem, & querulos gemitus. Consentaneum ergo magis est, eam, refrigerationem debilitatis naturalis caloris fuisse, quare & spiritum illum fuisse rarum & paruum, velut si ad asphygiam tenderet. Vnde alia etiam symptomata serie quadam procederent. Si enim frigus tollebat spiritum sublato usu, necesse erat cum spiritu tolli vocem, & cum voce loquelam. Nam ut sermonis materia vox, ita vocis exspiratio, non quantulacunque sed maiuscula. Accedit quod eandem spiritus speciem significans dixit, octava tenuis spiritus, & imminutus. Videtur autem imminutus dici, per quem spiretur paruum aeris, is verò est rarus & paruus. Nam per crebrum & paruum non spiretur minus, sed per minores partes. Merito itaque videtur Galenus putasse hunc spiritum fuisse paruum & rarum. Sed est admiratione dignum, qui posset, qui, præ caloris naturalis extinctione, tantopere frigeret, denuò tantopere recalescere, & qui recaluisset, frigere rursum, arsurus iterum non semel. Certè cum naturalis calor est exiguus, & is qui præter naturam magis, accidunt hæ vicissitudines, excitat nunc flamma ingente a putrescentibus succis, & eorum fuliginibus, ut vel in cadaveribus aliquando, nunc ipsiusmet ignei caloris vi consumptis quibusdam & dissipatis, apparente interno frigore. Ita enim fit in alijs omnibus rebus natura constantibus, quæ frigida sunt naturali frigore. Accedente enim igne calefcunt, cum recedit, refrigerantur. Corpus ergo ægroti in quo frigus internum iam viacit, ac-

cedente causa calorifica inflammatur, & recedente frige-
 fcit; accedit verò & recedit per vicissitudines, vt in alijs
 cum facit exacerbationes. Nam exigua illa febricula, quæ
 per remissiones superest in alijs continuis febribus, nõ po-
 test, cum calor naturalis est exiguus, totum corpus calefa-
 cere, sed eam solum particulam, in qua putrescens succus
 hæret. Quia nisi calor naturalis calorem, a quacunque cau-
 sa exciteretur, in corpus deferat, non potest is in totum cor-
 pus se effundere, nisi oïno sit maximus. Si. n. cadaveri vna
 in parte vel ignem admoueris, eam solam partem vrens, re-
 liquum corpus frigidum esse senties, neque certè totum
 calefacies, nisi totum occupet flamma: s. non sunt spiritus
 & arterialis sanguis, qui calorem præter naturã concipien-
 tes, in totum deferant. Hinc fit, vt qui debili calore sunt,
 vt senes, exiguis febribus tententur, & vt quædam corpo-
 ra præ debilitate naturalis caloris febricitent interius, et-
 terius refrigerata, atque adeo non solum secundum caput
 manus ac pedes, sed & secundum asperam arteriam, pul-
 monem, & thoracem, & internum os: vt hanc ob eam spi-
 rent frigidum, exiguum, & rarò, & habeant frigidas lin-
 guas. Constat vero hæc in valde lethalibus esse signis. Re-
 liqua ferè oïa, ex dictis intelliges, quid portenderent, &
 quas haberent vires. Pauca illa compacta stercora, quæ ab
 aluo prodierunt die tertia, fæces in intestinis ex multis die-
 bus impactas significabant: per longam. n. moram fuerant
 compacta, quod magis declarauit, pondus cum dolore cir-
 ca aluum, die quinta. Semper. n. dolor grauans multitudi-
 nem significat in dolentè parte, quod sentiens Hippocra-
 tes, sexta die vesperi clysterem infundi iussit, quo ab aluo
 eiecit bene, idest, copiosè stercora, vt sani solent. Sed ro-
 gabis, cur Hippocrates cum curationes morborum tace-
 ret toto hoc opere, nunc clysteris meminit, & cur clyste-
 ris solius, quin èt cur toto opere vix vnquam auxilij cu-
 iuspiam meminerit, præterquam glandis, aut clysteris. An
 his solis curabat hos morbos? Non sanè, nam & missionis
 sanguinis alicubi meminit, & in narratione status pestilen-
 tis huius anni, dixit, ijs, quæ offerebantur difficulter ceden-
 tia. Nam purgationes plurimos lædebant. Quod sanè vi-
 detur dixisse, vt purgationes expertus, nisi fortè, vt qui
 alios purgationibus lædere animaduertisset. Vtrumque au-
 tem

rem hoc habeat, ex innumeris locis constat, eum plurimis alijs auxilijs vsum esse, quin et oia quæ in hunc vsq; diem in vsu sint, ab eo viro fluxisse, & quædam alia, posteritatis negligentia, concidisse. Meminit verò crebrius in singularibus historijs huius libri, glandis & clysteris, vt qui curationes vellet tacere, hæc verò non tam vt auxilia curantia, quam vt quibus aliquid tentaretur, & a quibus aliqua caperetur indicatio, nominat. Velut nunc, quia clystere bene euacuata aluo, dormiuit, constat quid grauitas cum dolore significaret. Nolo tamen proinde non intelligas, familiaria fuisse Hippo. clysteres & glandes, & multò vsui esse hæc in re medica. Oleosa vrina qualis sit, proxima historia dictum est, atque ex eo loco dictis constat, meritò ab hac mentione hunc delirasse. Exitus etiam huius morbi consideratione dignus est. Nimirum decima die mortuus est cù sudore multò, vt constet hoc exemplo, & multis huic similibus, quæ partim occurrerunt, partim et occurrent, non tantum eisdem diebus mori homines, quibus salui fiunt, sed eisdem prorsus euacuationibus, vt merito dicat Gale. euacuaciones, & alia omnia decretoria, neque bona neque mala esse simpliciter, sed vt euenit, amanda scilicet & expectanda, si signa futuræ salutis se exhibeant, detestanda verò & fugienda, si lethalia. Nam tunc temporis simul cù humoribus vitalis spiritus exhalat.

Quartus ægrotus.

Pareniticus prima die qua decubuit, vomuit æruginosa, multa, tenuia, febris horrida. Multus sudor continuus per totum, capitis & colli. Grauitas cum dolore. Vrinæ tenues, suspensiones exigua, dispersæ. Non sudauit. Ab aluo verò eiecit stercus confertim, multa delirauit, nihil dormiuit. Secunda mane, sine voce. Febris acuta. Sudauit. Non intermisit, Palpitationes per totum corpus. Nocte conuulsiones. Tertia exacerbata sunt omnia. Mortuus est.

IN multis codicibus latinis & græcis occurrit scriptū, quarta mortuus est. Ego verò nolui eam lectionem sequi, quia Galenus, ut constat ex eius commentario, non habebat voculam illam, quarta, in suo codice, quem verisimile est, ut antiquiorem, ita fuisse certiorē. Miratur tantopere Galenus phreniticum mortuum esse ante diem quartā, ut putet id non factum esse ut phrenitidis, sed succi prauī & venenati, quem homo collegerit ob prauum victum, phrenitidem verò fuisse ut vnum quoddam veneni symptoma. Velut si quis accepto veneno, aut morsus a fera, delirans moreretur, non diceremus sustulisse eum phrenitidem, sed venenum. Videtur verò hoc quod Gal. affirmat multo probabiliter effici vomitu illo æruginoso, qui nisi materia venenosa esset, & celerrima corruptio, non posset die prima fieri. Ego verò, etsi Galeno concedam, rarū admodum esse phrenitidem finiri ante quartum, & produci ultra vigesimū, impossibile tamen neutrum esse suspicor. Neque miror admodum, si id Galen. nunquam viderit, & Hipp. occurrerit: quin potius ob hanc raritatem puto propositum nobis ab eo esse, & scriptū in initio narrationis, phreniticus. Rarò. n. Hipp. narrationem inchoat a morbi specie, nec nisi cum momentum aliquod habet inde incipere, velut fortasse nunc dixit phreniticus, quia illud erat maximè notandū, phrenitico ita euenisse. Sed si inflammatio aliqua maligna partis cuiuspiam externæ, potest intra diē septimum interimere, cur non possit inflammatio cerebri, si malignam eam esse contingat, interimere tertia, vel etiā citius? Quod si tunc dicas, non esse imputandum inflammationi, sed maligno succo, perinde sit ac si dicas, nunquam phrenitidem interimere, sed succum a qua illa fit. Imputatur tamen hoc inflammationi malignæ. Neque sanè morbi lethales, & exactè acutissimi quarta die interimunt, sed quarta aut citius ut in prognostico ipsemet dicit Hippoc. Itaque ego Galeno concesserim, posse intra nostra corpora gigni venena, quia horrendi quidam casus id indicant, atque adeo posse paulatim genitum, aliquando noxam repentinam inferre, aut repentinum imperiū capiens in partes principes, aut quod verius puto, venenatam qualitatē repentina alteratione contrahens, ad quam ante longo tempore, tantum disponderetur. Velut ligna multo tempore sicantur,

tantur, & repente inflamantur: atque adeo in hoc talem succum fuisse ob vomitum illum æruginosum, & febrem acutum, & horidam, & ob incredibilem illum lapsum virium, quo factus est die secunda manè sine voce, & ob palpitationes per totum, ac denique secunda die factas convulsiones: tamen non proinde non sustulit hunc phrenitis maligna ex maligno succo. Nam præter dicta, ad extremum non est hic mortuus syncope, sed convulsionibus, quæ ad cerebri noxam pertinebant. Sed quo pacto dicit, prima die multus sudor continuus per totum, moxque eadè die dicit, non sudavit? Certè non est legendum ut occurrit in multis codicibus sudor multus continuus per totum capitis & colli grauitas cum dolore, sed sudor multus continuus capitis & colli per totum, scilicet diem. Ac deinde, grauitas cum dolore. Nimirum per totum diem sudavit multum capite & ceruice, ut solent qui linquntur animo, & præterea habuit grauitatem cum dolore, significantem multitudinem prauæ materiæ: non sudavit tamen æqualiter, ut qui iudicantur. Reliqua, ex dictis iam sæpe intelliges, quam præstarent significationem.

Quintus ægrotus.

IN Larissa caluus, femur dextrum doluit repente, nihil eorum quæ offerebantur proderat. Prima, febris acuta, ardens, paulatim tenebat, dolores autem consequebantur. Secunda femoris quidem remisit dolores, febris autem intendebatur. Subdifficulter ferebat. Non dormiebat. Extremitates frigida: vrinarum multitudo exhibat non vitium. Tertia, femoris dolor sedatus est, mentis autem emotio, & perturbatio, & multa iactatio. Quarta circa medium diem mortuus est acutissime.

PERICULOSVM admodum est simul cum abscessu febrem inuadere, & periculosius multo, cum ita inuaserit, abscessu euanescente febrè augeri, ac multo magis si cum ille euauerit, quæ partis principis læsionem indicet, superueniat

ueniant symptomata, quæ omnia in hoc caluo videre licet. Repente enim correptus est femoris dextri dolore, & febre acuta ardente quæ paulatim crescebat, & dolores consequebantur, idest crescebant pariter cum ipsa febre: & secunda die dolores femoris remiserunt, & febris intendebatur, & symptomata alia difficilia, quod significatur illis verbis, subdifficiliter ferebat: & tertia, omnino sedatus est femoris dolor: & , vt dolor femoris tollebat, ita apparebant indicia passionis membrorum principum. Nam secunda non dormiuit, tertia mentis emotio, quæ ad caput pertinebant, & extremitates frigidæ secunda & perturbatio, & multa iactatio, tertia, quæ ad facultatem vitalem cordis. Non mirum ergo, cum tam celeriter facultates labescerent, & præcipuæ partes læderentur, tam breui hominem mori. Vrinarum multitudo, quæ exibat, redudantiam succi maligni significabat. Dicit verò fuisse eas vrinas inutiles huic, vt plurimis eius tempestatis ægrotis, de quibus antea differens, dixerat, multa autem malitia, erat vrinarum exeuntium, neque enim crassitiam, neque concoctiones, neque expurgationes vtilis habebant. In multis. n. purgationes per vrinas utiles fieri, bonum. Itaque hunc non iuuabat euacuatio, quæ multis utilis esse solet, sed neque quidquam eorum, quæ a medico offerebantur, quidquam proderat: quod sanè grauissimum signum est, non pridem dictum est. Nihil refert nunc dicere, quæ consentaneū fecisse Hipp. sed illud vnum sibi facile perleat deat quiuis, Hipp. secundum artem fecisse rectè, oia quæ expedirent, siue aliquid quod ore acciperet offerendo, siue aliquid circa ægrotum faciendo, vt secando venâ, aut tale aliud, siue admouendo exterius repellentia, aut amodina. Illud est admodum consentaneum, etsi, alijs locis, oblata, aut quæ offeruntur, ea solum dicantur Hipp. quæ accipienda dantur, hic tamen id nomen dici de exteris admotis. Non dubium. n. in tanto dolore, illa èt tentata esse, præcipuè cum dicat, nihil eorum quæ offerebantur, proderat, quasi tentato oî genere auxiliorû. Grauisissimi ergo mali erat, cum rectè oia quæ secundum artem possent, agerentur, nihil iuuari, neque èt ijs euacuationibus quæ sponte fierent. Non ergo, sicui videmus dolorem magnum partem cuiuspiam externæ repente accidere, hoc exèplo

debemus mox tantum periculum valde formidare, sed simul cum dolore febris ardens fiat, & nullis auxilijs maneat, & reliqua, vt huic caluo succedant lethaliter, & symptomata grauissima. In quibusdam codi. cibus habet hæc narratio in fine *ὁξύ* idest acutum: in quibusdā *ὁξύτατος* idest acutissimè: in alijs *ὁξύτατος* idest acutissimum. Gal. suspicatur nihil horum esse Hipp. sed adiectitium, nihil refert. Malum fuit acutissimum exactè.

Sextus grotus.

In Abderis Periclem morbus arripuit acutus, continuus, cum dolore. Sitis multa, fastidium, potum contingere non poterat, erat autem sublienosus, & capite grauitatus. Prima, fluxit sanguis multus ex sinistra nare, febris intendebatur, minxit multum, turbatum, album, propositum non subsidebat: secunda omnia exacerbata sunt. Vrinae autem crassae quidem erant, residentes autem magis, & fastidium leuatum est, dormiuit. Tertia febris emollita est. Vrinarum multitudo, cocta multum bypocaustim habentes. Noctem quiete transegit, quae ad medium diem, sudauit sudore multo calido quatuor die per totum, a febre liber. Indicatus est. Non reuertitur. Acutum.

Ecce exemplum iudicationis quarti diei, quã tam rarã Gal. dicit Gal. vt Archigeni toto vitæ tpe contigerit videbitur. & ipsi in eum vsq; diem, quo id scribebat, semel, quã hæc dies celestes cas habeat adiutrices, quia est dimidium primæ septimanæ, tñ motum materiæ, quem cãm in primam dicimus, non ita, hic. n. in tertium aut quintum semper ferè incidit, (qui. n. acuti per pares mouentur ex multa materia pendent, & contumaci, vt dictũ antea est, ac proinde vix possint esse constitutionis adeo breuis) cū autem materia non obedit, cãm efficiens non multum pôr: Rarũ ergo meritò

meritò est. Verum huic euenit, quia euenit illud quod raram esse dicimus, tam breuem. f. fuisse morbum & exacerbari per pares. Secunda. n. inquit, oia exacerbata sunt, & tertia febris emollita. Fuit in hoc morbo aliud notatu dignissimum, qd iam dicam. Velut medici cū nihil nimis videret, legitime prosequuntur curationes, studentes concoctioni primū, deinde incisioni & apertioni, vltimò euacuationi, verū aliquando vrgentiæ cuiuspiam gratia oia peruertunt, auxilium quod ex curatione legitima non expectant, se posse consequi, illegitima procurantes, ita natura, cum nihil plurimum iriitat, ordinem sibi familiare retinet, retinendi primum, & coquendi, secernendi deinde, & expellendi, cū verò irritationem, quæ multitudine aut qualitate sit, nō pōt sustinere, euacuat antequā coquat, q̄ euacuationes bonæ causæ aliquā cū sint, euenit aliquando in robustis, morbos, et magnos, ab ipsa natura curari p̄postero ordine, anteq̄ coqueret. Id qd rarissimè fit perfectè, imperfectè aut nō valde raro. Atqui cū hoc fit, euenit quiddam aliud, qd rarū et est, minui febrem & propria eius symptomata, materia concoctionem non consequuta, sed coquenda, quia euenit, vt & si materiæ alteratio crescat aliquantū, minuat tamen quantitas magis, & proinde affectus decrescat. Exemplo est hic ægrotus, qui cū laboraret acuta febre, & lienis tumore, & capitis grauitate cum dolore, & siti & fastidio, quæ ambo calidæ intemperiei sunt familiaria, & non posset sustinere potum quis euomeret, foras ob eandem intemperiem debilitata retentrice, aut (quod ego magis cōsentaneum puto) ob tenuē & multam humiditatem, quæ in melancholicis ex liene redundat, qua solent fieri saliuosi: cū inquam hæc haberet, fluxum multum sanguinis de nare sinistra, & mictu multæ vrinæ turbæ & sabbæ, quæ prima die acciderūt, adeo diminuta materia morbi est, vt tametsi secunda, tendente morbo in incrementum, oia exacerbata sint, tamen durante expurgatione peruenas, tertia emollita, & quarta sublata febris sit. Sed quæ pacto euacuationes tam intempestiue, vt prima die apparerent, fuerunt tam vtilis causæ? Certè quia etsi contingerent illis id mali vt intempestiue fierent, contigerunt tñ alia bona, sanguis. n. ex sinistra nare secundum rectitudinem fluxit lienis & capitis, neque fluxit stillatim, sed multus. Et

duplici

duplici malo duplex euacuatio, vtraque accommodatissima accessit, tumori lienis & grauitati capitis fluxus sanguinis, febris acutæ expurgatio per vrinam. Sed quo pacto tam perfecta & secunda indicatio esse potuit, quæ ab intemperstius euacuacionibus incepit? Certè & etfi ab intemperstius inceperunt euacuaciones, euaserunt in tēpestiuas. Nam vrinæ ceperunt coqui obscure die secūda, tertia die iam manifestè tales apparuerunt. Quanquam ergo fluxus sanguinis & mictus copiosus, qui morbum minuerunt, fuerunt ante concoctionem, tamen sudor qui finiuit, post concoctionem fuit, multus, & calidus, per totum diem. Quare meritò fuit a febre liber, & non redijt.

Septimus ægrotus.

Abderis virginem, quæ decumbebat in via sacra, febris ardens corripuit, erat autem siticulosa, & intempēstius. Fluxerunt autem muliebria primum ipsi. Sexta die febridium multum, ruborem contraxit, horrida, mæsta. Septima eadem. Vrinæ tenues quidem, boni autem coloris, quæ verò circa aluum non erant incommoda. Octaua die, surditas, febris acuta, insomnis, fastidiosa, horrida, intelligebat. Vrinæ similes. Nona eadem, & sequenti die, manebat item surditas. Quatuordecima mens turbata. Febris remisit. Decima septima de naribus fluxit multum, surditas parum remisit: & sequentibus fastidium, surditas inerat, & delira erat. Vigesima pedum dolor, surditas, delirium intermisit, fluxit parum sanguinis de naribus, sudauit libera a febre. Vigesima quarta febris reuertitur, surditas rursus, pedum dolor permansit, alienatio mentis. Vigesima septima sudauit multum. Libera a febre. Surditas defecit. Dolor pedum permanebat. Alia die tam perfectè indicata sunt.

Vt nunquam tacere solet, sit femina an vir ægrotans, neque nunc tacuit fuisse virginem. Nimirum vt sunt morbi

LIBROS
DEL DR.

morbi proprii mulierum, ita & in ipsis mulieribus, virgi-
 num: ac proinde Hippocrates scripsit post morbos mulie-
 rum, seorsum de morbis virginum. Morbi mulierum, ex re-
 dundantia eius sanguinis, qui singulis mensibus solet fluere:
 nascuntur, virginū verò, ex ea ipsa redundātia, & seminis.
 Quo fit, vt horrenda magis sint virginum mala (sunt vero
 eadem & iuuenum viduarum) quam aliarum mulierum.
 Hæc virgo non multum habuit earum passionum, quæ vir-
 ginibus præcipuè familiares sunt, earum autem quæ mulie-
 ribus, multum. Nam cum laborauerit febre acuta, quæ iu-
 dicata est vigesima septima, qui ferè est postremus finis
 acutorum, processisse morbum ex redundantia sanguinis
 illius prauis, expurgatio muliebris, quæ in principio itatim
 apparuit, ostendit Non valente tamen ea euacuatione nu-
 nuere multum materiam, factus est recursus ad superiora
 sexta, septima, & sequentibus diebus: qui recursus facile
 cognosci poterat, ex ijs quæ aderant, & ijs quæ non ade-
 rant. Nimirum cessauit muliebris euacuatio & iam non
 aderat, neque pro hac fluxit aluus (hoc enim est quod di-
 cit, neque aluus erat incommoda) aderat verò rubor fa-
 ciei, & mæstitia, quæ significabant malum sanguinem fer-
 re in caput, & superuenit octaua surditas & perungilium, &
 omnia pertinebant ad caput. Sed & fastidium & horro-
 gnificabant, ventriculi, & partium eius oris, passionē, quæ
 etiam fiebat perentibus excrementis sursum. Sed cum de-
 xisset hæc superuenisse, addit, intelligebat, quasi aliquid mi-
 rabile, quia rubor ille & surditas fuerant signa phrenitice.
 Contingit tamen non tam citò lædi mentem, neque vltimo
 ad quatuordecimam, qua iudicatio quædam imperfecta
 est facta, febre non soluta, sed remittente, cum mentis tur-
 batione. Nimirum mentis turbatio aliquando est signum
 decretorium. Non dicit quæ euacuatio die quatuordecimam
 affuerit, verisimile autem est affuisse aliquam: aut certe
 cum euacuatione insensibili, & copiosa, ipsa suam causam
 absumens, & dissipans, febris inclinauit. Non potuit tamen
 fieri iudicatio perfecta, ne si multæ ac copiosæ euacuatio-
 nes affuissent, quia nullæ manifestæ notæ concoctionis ap-
 tecelserant. Urinæ enim tenues & boni coloris, sunt rari-
 tenues, quas crudum morbum significare, in prognostico
 dicit. Itaque videtur, in principium morbi insump-
 tos fuisse dies

dies quatuordecim:quare meritò in totum morbum vi
 septem insumpti sunt. Legitimum enim est, insumi du
 principij in totum morbum. Reliqui omnes quater
 tarius, post quatuordecimam sequentes ordine, attulerunt
 quid in signe. Decima septima fluxum multi sanguinis de
 naribus, quo surditas parum remisit (notat remisisse parum,
 quia consentaneum erat multum remittere) sed illa euacua
 tio alioqui multi sanguinis , tanto fuit minor, quàm pro
 capitis redundantia , vt manserit surda & delira vsque ad
 vigesimam, qua rursus recurrentibus deorsum succis, fa
 ctus est ad pedes abcessus, acciditque pedum dolor, flu
 xique simul parum sanguinis de naribus, & sudauit: atque
 ita, materia partim abscedente, partim euacuata, intermi
 sit surditas, & delirium, & febris, surditas & delirium ab
 scellu & sanguinis fluxu, febris sudore Nihilominus suspe
 ctam oportuit esse hanc iudicationem, vt pote cum non ef
 set absoluta cõstitutio legitima, longius enim fuerat prin
 cipium, quàm vt vigesima solui febris posset. Atque ita vi
 gesima quarta febris redijt, & surditas rursus, & mentis
 alienatio. Illud vero habuit hæc mutatio boni, quod do
 lor pedum permansit, alioqui magnus raptus in superna
 mortum significaretur. Vigesima septima (quam acuti mor
 bi esse postremum finem censeo) rursus sudauit multum
 & liberata est à febre, finito iam morbo legitimè. Dolor
 pedum permansit, ita vt sit ex morbis iudicatu diffi
 cilibus, alia autem perfecte iudicata sunt, febris scilicet, &
 surditas, & delirium, & fastidium, & reliqua symptomata.
 Vnde manifestum erat, nisi quid committeretur in victu, il
 lum morbum nullam recidiuam habiturum. Nam cum in
 tus manet aliquid causæ, & symptomata aliqua illorum re
 stant.

Octauus ægrotus.

A Bderis Anaxionem, qui decūbebat ad portas Thra
 cias, febris acuta corripuit, lateris dextri dolor con
 tinuus, habuit tussim aridam, neque expuit primis diebus
 Sitich-

Siticulosus, in somnis. Urinae boni coloris, multae, tenues. Sexto delirauit, post fomenta autem calida nihil remissibatur. Septimo cum labore, febris enim intendebatur, & dolores non sunt minuti, & tussis infestabant, & difficilis erat respiratione. Octauo cubitum secui, fluebat multum, ut debebat, remissi sunt dolores, tussis quidem arida committabantur. Undecimo febres remiserunt. Parum circa caput sudauit. Tussis adhuc, & quae a pulmone humido. Decima septima incepit, pauca concocta, spuerit. leuatus est, sitibundus autem erat. Et eorum quae a pulmone non utiles purgationes. Vigesimo sudauit, a febre liberatus est. Post iudicationem autem subleuatus. Vigesimo septimo febris redijt, extussijt, excreauit cocta multa. Urinis subsidentia multa alba. Desiit sitire, dormiuit. Trigesimo quarto sudauit per totum, liberatus est a febre, iudicatus est omnino.

Pleuritis fuit hæc multò longior solito. Non enim solet contra suppurationem ultra vigesimum produci. Non tamen proinde recessit a cõstitutione legitima: nam decima septima videtur, finè principio, & incremento initium, dedisse, quod dies duplicati triginta quatuor faciunt, quibus liberatus a morbo est. Fuit enim tempus cruditatis summæ usque ad undecimum, cum semper habuit tussim siccam, & nihil excreauerit, usque ad eum diem, quo mutatione facta ad concoctionem obscuram (quæ & ipsa est principij) tussis factæ sunt humidiores. Verum decimo septimo incepit excreare pauca concocta. Est enim pleuritis principium cum neque multa neque cõcocta excreantur: status & inclinatio, cum multa & concocta: incrementum, cum aut multa non concocta, aut pauca sed concocta. Itaque incrementum habuit a decimo septimo usque ad vigesimum septimum, quo excreauit cocta multa, statim ad hoc usque trigesimum quartum, quo iudicatus est omnino. Mirum est, si pleuritis Hipp. non ante octauum diem veniat, nam secuit: mirum etiam, si neque villo sequentium dierum, sed semel extraxit quantum extrahere erat necessarium.

Galenus

Galenus putat Hippocratem secuisse etiam venam prius, neque dicere octauo venam secui, quod tum primum: sed quod tunc quoque venam secuerit, præter opinionem antiquam, quæ fortasse illa tempestate inualuerat: non esse secandam ultra quartum. Cui opinioni Celsus etiam, ætate Galeno posterior, præter rationem fauit. Sed si sexto die tentauit Hippoc. fomentis, & septimo obseruauit nihil illis iuari, quia eo die febris intendebatur, & dolores non sunt imminuti, & tusses infestabant, & difficili erat respiratio; non est cur ante octauum venam secuerit. Nimirum ipsemet lib. 2. de ratione victus in acutis iubet, fomentis tentare antequam vena secetur, atque iuxta illud præceptum dicit nunc, sexto delirauit, & post fomenta calida nihil remittebatur dolor. Hoc ergo dicit, quasi reddens causam, quæ de secanda vena cogitauit, quia scilicet cum tentatum esset fomentis calidis dolorem soluere, ille nihil remittebatur. Si igitur sexto hæc acta sunt, non mirum octauo esse sectam venam. Sed cur tam serò tentauit fomentis, aut cur tam multum in hac curatione perseverauit, ut tam serò vena secaretur? fortasse præsensit constitutionem morbi, futuri tam longi, ut octauus dies in primam principij eius partem incideret, putauitque non tardius mitti sanguinem octauo, morbi triginta quatuor dierum, quam quarto, morbi decem & septem. Sed & semel extraxisse Hippoc. sanguinem, non mirabor, cum ipsemet citato libro de ratione victus scribat: neque ut copiose sanguis detrahatur est cunctandum: sed eo usque auferendus, donec rubidior multò, vel pro puro rubidoque liuidus fluxerit. Itaque Hippoc. fecit huic, quod pleuriticis fieri suadet, tentauit primum calidis fomentis, deinde copiosè, semel sanguinem detraxit. Non tamen proinde ego ita fieri suadeo. Non enim opus est tentare, nisi cum dubia est affectio (non semper autem est dubia) neque semel, euacuari totum expedit, ne forte accidat produci euacuationem usque ad deliquitum animi, quod in thoracis inflammationibus vitandum est. Non mirum autem aliquid Hippocraticis curationibus tam multa tempora addidisse. Nam neque illud probatur, sectionem venæ, non tollere dolorem, nisi is ad clauiculam pertineat. Itaque Hippoc. secutus suam sententiam, secuit octauo cubiti venam, scilicet internam cubiti, hæc enim est, quæ cum parte

affecta habet rectitudinem, vt alibi indicatū mihi est. Quod
 dextri lateris fuerit morbus potius quam sinistri, satis con-
 gruit cum Auicennæ sententia, putantis dextri lateris esse
 pleuritides salubriores & longiores, qualis profecto fuit
 hæc. Ego verò non puto, magnam habere periculi aut se-
 curitatis, neque longitudinis aut breuitatis differentiam,
 quia pro sinistri ventriculi cordis calore, est hepar locatū
 in dextra parte, & tribuit natura dextro lateri arteriam ma-
 iorem. Quare aut nulla differentia est in latere, aut certè
 dextri est acutior, quia latus est calidius, atque eadem ra-
 tione in sinistro erit periculosior, si eam contigerit esse
 æquè magnam, quia erit minus congruens. Neque quod
 Hipp. (si modo Hippo. is liber est) dicit cap. de pleuritide
 ex dorso, lib. 3. de morbis, contrariū huic sententiæ est, et
 videtur. Dicit enim optandum magis vt ex sinistra: id verò
 dicit de suppuratione iam rupta in hoc aut illud latus, non
 de pleuritide, neque certè ob morbi magnitudinem aut
 malignitatem: sed ob difficultatem curationis, quod gra-
 uius putet secare ac vrere nobilem quam vilem partem. Cura-
 tionis habet differentiā affectū latus. Hac enim causa oportet
 dextri brachij venam secari, & ei lateri fomenta admo-
 ueri. Siticulosum esse, & insomnem, & delirare, non erant
 propria huius passionis. Nam sitim pleuriticorum, aliquan-
 do subleuat tussis leuiter irritans. Peruigilium & delirium
 patiente per consensum cerebro fiunt, quod quidē aliquan-
 do euenit pleuriticis, non rarius autem non euenit. Urinas
 boni coloris, satis multas, & tenues, in multis pleuriticis
 conspexi. Fiunt enim boni coloris etiam in principio, &
 ea passio non pertineat ad venas: tenues verò ob febrem
 quæ extenuare solet bilem, vt aliæ etiam diarix, aut etiam
 vt sola ira, aut fames, aut exercitatio aliquando. Euenit etiā
 huic, quod & plerisque pleuriticis, vt misso sanguine dolo-
 res remitterentur, tussi adhuc arida & morbo in principio
 consistente. Nimirum inflammatio omnis est morbus mul-
 tiplex, partim in magnitudine, partim in temperamento:
 magnitudinem auget copia fluentis succi, intemperie qua-
 litas: contingit ergo alterum decrefcere crescente altero,
 ac plerunque anticipat fluxionis decrementum, materiz
 concoctionem, præcipuè verò in succis concoctu diffi-
 cilibus, quales erant huic. Sed quid est quod dicit, decimo
 septimo

Septimo eorumque à pulmone non vtilis purgationes? certe expuebantur cocta & pauca, quæ quia cocta, bonam significationem præbebant: sed quia pauca, non poterant ad minuendum morbum conferre manifeste: proinde erant bona signa; sed non vtilia, id est non tam boni causæ, quam signa. Iudicatio diei vigesimi merito fuit infida, quia in-tempestiua, facta enim est ante perfectam concoctionem in incremento medio: quæ facta est post vigesimum septimum, fuit perfecta, & fida, quia iam inde excreauit multa concocta, & vrinis fuit subsidentia multa alba. Cùm verò Hippocrates dicit, subsidentia multa, multo maior copia significatur, ea quæ significationem concoctionis optimæ præbere solet, quanta scilicet fieri solet, crassis succis per vrinam expurgandis. Itaque hæc subsidentia, quia alba, est bonum signum, quia multa, bona etiam causa. Bonum autem est in morborum iudicationibus, multas diuersasque euacuationes fieri, & si quædam earum non sint quæ peculiariter morbo respondeant. Multis enim opus est ad corporum perpurgationem. Aut enim proxima causa, quæ morbum facit euacuabitur, aut communis, quæ proximam fouet. Velut nunc excreatione expurgatus est thorax, vrina venæ maiores, sudore, totus corporis habitus: laborat verò in pleuriticis inflammatione latus, fluxionem verò illi totum corpus aliquando suppeditat.

Nonus ægrotus.

A Bderis Heropythus caput erectè obambulans dolebat, non multo autem postea decubuit, habitabat prope superiorem viam. Febris eum corripuit ardens acuta. Vomitus in principiis multorum biliosorum. Siticulosus. Difficilis tolerantia multa. Vrinæ tenues nigræ. Sublime appendiculum, aliquando quidem, aliquando autem non. Noctem laboriosè. Febris aliàs aliter exacerbescerebat, plerumque sine ordine. Quatuordecima verò surditas. Febres intendebantur. Vrinæ per eadem. Vigesima mul-

tum deliravit, & sequentibus. Quadragesima multus sanguis exiit de naribus, & intelligebat magis. Surditas inerat quidem, minus tamen. Febres remiserunt: sequentibus diebus sanguis erumpebat crebro & paulatim. Circa sexagesimam autem fluxus sanguinis cessauerunt. Coxa autem dextra dolor fortis, & febres intendebantur. Non multo autem tempore postea dolores omnium inferiorum partium. Contigit autem, aut febres esse maiores, & surditatem multam, aut hæc quidem recedere & subleuari, infernarum autem partium circa coxam maiores esse dolores. Iam verò circa octogesimam remiserunt omnia: defecit autem nihil. Urinæ enim boni coloris, & plures subsidentias habentes, prodibant, & deliria minora erant. Circa centesimam autem albus multis biliosis turbata est. Et tempore non exiguo, multa huiusmodi prodibant, & rursum dysenterica cum dolore. Aliorum autem quies. In summa febres defecturunt, & surditas cessauit. In centesima perfectè iudicatus est. Febris ardens.

IN morbis longis rariores esse dies iudicatorios, vsque adeò, vt perinde sit in illis quadragesimos & vigesimos notare, atq; in acutis septimanas, & quaterniones, dictum est antea, & ex hac narratione etiam intelliges, qua post vigesimam, semper per vigesimos facta additio est, quadragesimi, sexagesimi, octogesimi, & centesimi mentione facta. Quidam etiam centesimum vigesimum scribunt, ita scilicet cetero vigesimo perfectè iudicatus est. Verù in meis codicibus Græcis non habeo eam lectionem: sed centesimo perfectè iudicatus est. Galenus non explicat in cõmentariis qualem habuerit. Illud est notatu dignissimũ, omnes vigesimos attulisse magnas mutationes. Sed percurramus narrationẽ à principio. Non parũ refert scire, an ante morbum pars aliqua doluerit, quia in eam morbus firmatur. Proinde narrat, Heropitũ ante morbum erectè obambulantem caput doluisse, vt scias, meritò per morbũ delirasse.

Febris,

febris, inquit, eum corripuit ardens, acuta, vomitus in principis multorum biliosorum, siticulosus, multa, difficilis tolerantia. Hæc omnia multæ & acerrimæ bilis sunt, vt & vrinæ tenues nigræ, quæ vstionem magnam indicabant in hoc egroto, cum non responderet color niger speciei propriæ materiæ morbi. Sublime appendiculum quod apparuit aliquando, aliquando nõ, dictũ iam sæpe est deliriũ portẽdere. Sed quam noctẽ intelligit, dicens, noctem laboriosẽ tulit? Nam nullius diei hucusque meminit: sed vnicã narrationẽ fecit omnium vsque ad quatuordecimũ. Duorũ alterum videtur posse significare, aut noctẽ decimi tertij, proximam scilicet quatuordecimo, & quæ eum diem inchoauit, quia noctes quæ accessiones antecedunt aut iudicationes, difficiles sunt: aut (quod magis probo) dixisse noctẽ, non, quasi vnam quandam noctem: sed quod noctem per eum morbum laboriosius ferret, quàm diem semper, aut plerunque. Nam quasi de multis diebus narrationẽ faciens dicit, febris alias aliter exacerbescerat, plerunque sine ordine, id est, nunc vt tertiana, nunc vt quotidiana, nunc vt quarta, plerunque; tamẽ sine vllõ ordine. Quatuordecima, tendente iam malo in phrenitidẽ, facta est surditas, quã esse signũ phreniticũ diximus iam nõ semel. Et vrina per eadẽ, tenuis arbitrator cum appendiculo sublimi, & febres intendebãtur, calidis succis sursum agitatis. Merito ergo vigesimo, & sequentibus, vsque ad quadragesimũ delirauit multũ. Quadragesimo multus sanguis fluxit de naribus, & iudicata est phrenitis lætẽ ac imperfectẽ: melius enim intelligebat, & surditas minus aderat, & febres remiserunt: nihil tamen horũ omnino defecit, neq; euacuatio semel facta est: sed sequentibus diebus vsque ad sexagesimũ semper fluebat sanguis, crebrò & paulatim. Sexagesimo cessauerunt sanguinis fluxus, & permutatione facta ad partes infernas superuenit primum dolor dextræ coxæ fortis, qui vt alij fortes dolores solent, febres auxerũt, paulò post & dolores partiũ omnium inferiorũ, femorũ fortasse, & genuum, ac extremorum pedum, aut coxarũ, & lumborum. Verũ non est firmatus satis hic abscessus: sed succis reciprocẽ, nunc sursum nunc deorsum motis, contigit à sexagesimo ad octogesimũ, aut febres esse maiores & surditatem multam, infernarum verò partiũ dolores minores, aut febres & surditatem recedere & su-

bleuari (non enim omnino recedere) infernarum autem partium circa coxam dolores esse maiores. Iam verò circa octogefimum remiserunt omnia. Iam scilicet , per multas euacuaciones, & multos abscessus, imminuta materia: defecit autem nihil, vtpote nulla in parte satis cōsumptis excrementis. Tamen iam hinc melius habuit: nam & deliria minora erant(vnde constat hunc, plus aut minus, semper à vigesimo die delirasse) & fuit hæc in melius mutatio, firma & secura, quia concoctionis notæ apparuerunt, in vrinis boni colores, & habentibus subsidentias multas: quæ quidem: quia boni coloris cum subsidentia, concoctionis notæ præ se tulerint, quia verò subsidentias multas habebat, fuerint vtilis euacuaciones. Iam hinc, vt fieri solet, semel cœpto morbo vinci, multæ processerunt euacuaciones. Nam circa centesimum alius multis biliosis turbata est. Et tempore non exiguo multa huiusmodi prodibant, facta scilicet diarrhœa, & rursus eisdem excrementis lædentibus viam, fiebat dysenterica cum dolore. Aliorum verò (inquit) quies: dolorum scilicet aliorum, & februm, & surditatis. In summa (inquit) febres defecerunt, & surditas cessauit. Centesimo perfectè iudicatus est. Scriptum est in fine, febris ardens, vt & in aliis historiis, & in quibusdā phrenitis. Quas quidem voces semper putat Galen. adiecticias: atqui fortasse non sunt. Verùm hic morbus non semper fuit febris ardens (nam non habuisset tam longam constitutionē) sed multas fecit mutationes. Vsque ad diem vigesimū fuit febris ardens, inde vsque ad quadragesimū fuit phrenitis, inde vsque ad sexagesimū fuit etiam phrenitis: sed cum fluxu sanguinis de naribus inclinans ex acutie, à sexagesimo ad octogefimum fuit scyas vocatus morbus, seu dolor coxæ, ab octogefimo, diarrhœa, & dysenteria, vsque ad centesimum: qui fuit morbi finis.

Decimus ægrotus.

22 **A** Bderis Nicodemum ex Venere & potu febris corripuit, initio fastidiosus erat, & cardialgiens, & siti-culosus. Lingua vsta. Vrinae tenues, nigrae. Secundo febris

ex. accer-

accerbata, horrida. Fastidiosus, nihil dormiuit. Vomuit
 biliosa, flaua, vrina similes. Noctē quiete dormiuit. Ter-
 tio remiserūt omnia, & quies erat. Circa solis occasum rur-
 sum sub difficilem habebat tolerantiam. Noctem labo-
 riose. Quarto rigor, febris multa. Dolores omnium. Vri-
 na tenues, appendiculum. Delirauit multa. Septimus le-
 uis. Octauo, alia omnia remiserunt. Decimo & sequenti-
 bus inerant quidem dolores, minus autem omnes. Paro-
 xyismi autem & dolores huic, vsque ad finem, in diebus
 paribus erant maxime. Vigesimo minxit album, crassi-
 tiembabebat, repositum nō subsidebat. Sudauit multum,
 visus est sine febre fieri. Vespero rursus calefactus est,
 & eodem dolores, horror, sitis, parū delirauit. Vigesimo
 quarto minxit multum, candidum, multam subsidentiam
 habens. Sudauit multum calidum per totum, sine febre
 iudicatus est.

Vix est vllum morbi genus, quod non possit venus ni-
 mia facere: nam facit malignas succorum putrescentias, &
 omnium partiū principum debilitates, & neruos emollic,
 & fluxiones commouet, & cruditatibus replet. Utuntur ve-
 ro plurimo vino, qui & nimia venere, & eā etiam ob cau-
 sam multo plus ea mala incurrunt. Ut verò vtantur, eue-
 nit, quia ij maximè sunt Veneri dediti, qui & Baccho, sed
 & qui Veneri indulgent, sentientes sese debilitari, vinum,
 vt debilitatis remedium, appetunt, euenitque illis multo
 leui magis, quia vinum ipsum caput & neruos tentat, &
 fluxiones commouet, & incoctum cruditates auget, si
 ramentum coqui potest, calefacit, febresque excitat, fitque vt,
 Venere naturalem calorem minuente, & vino præter na-
 turalem augente, febres fiant malignæ, vt huic accidit, &
 adulescenti Melibæ, de quo postea scribetur. Valde fami-
 liaris est febricitantibus ex Venere cardialgia, hoc est oris
 ventriculi dolor, & inde anxietas. Prompte enim debili-
 tatem sentit ventriculi os, & cum genitalibus habet ma-
 gnam sympathiam. Merito ergo primo die hoc habuit hic
 Ec 4 ægrotus,

ægrotos, & secundo, vomuit biliosa flava, id est syncera. Ha-
 buit etiam fastidium, ac sitim, & linguam vstam: quæ febris
 vrentis sunt. Urinæ tenues, per incoctionem fiebant, nigra
 fortasse ob passionem renum, qui nunquam bene habet in
 veneri deditis. Secundo febris exacerbata est, sed & quarto,
 & sexto quantum suspicor, etsi id non dicat, quia paulò
 post dicit, paroxysmi & dolores huic, vsque ad finem, in die-
 bus paribus erant maximè. Sed quo pacto verum possit
 hoc esse, cum paulò ante hæc verba, dixerit, octavo alia
 omnia remiserunt, decimo & sequentibus inerant quidem
 dolores, minus autem omnes? Certè ob hanc ipsam cau-
 sam, quia inquam hoc dixerat, monuit in medio narratio-
 nis, cum id in fine soleat dicere, dolores fuisse diebus pari-
 bus. Quasi diceret, etsi octavo alia omnia remiserunt, & de-
 cimo & sequentibus, puta duodecimo, quatuordecimo,
 decimosexto, & decimo octavo fuerint dolores minores,
 non ita tamen, quin octavus difficilior fuerit septimo, faci-
 lior tamè secundo, quarto & sexto. Ac proinde dixit octa-
 vo remiserunt alia omnia, non scilicet quæ fuerant septimo,
 sed quæ alijs diebus paribus, & prioribus. Ita etiam deci-
 mus, & sequentes pares, attulerunt minora symptomata,
 quàm pares priores, sed maiora quàm impares, quia ipsi
 proximis imparibus, fuerunt difficiliore: ac proinde no-
 ctes imparium difficiliore, & parium faciliore: quod &
 in Pythionis historia notatum est. Sed qui factum est, venit
 morbo vigesimo quarto iudicando, dolores ab octavo me-
 nuì cœperint? Non ne circa initia & fines sunt omnia sym-
 ptomata imbecilliora, & cum consistunt, ac vigent, fortio-
 ra? Certe ita est, venit verò id (vt suo loco diximus) intel-
 ligendum de symptomatis proprijs, & quæ fluxerunt à pro-
 pria morbi essentia. Quædam enim alia, quæ motum mac-
 riæ sequuntur, aut læsiones quasdam, simul cum morbo or-
 tas a causa aliqua procathartica, decrescere solent ante-
 quam morbus. Velut nunc, cardialgiam, & anxietatem, &
 quædam talia, quæ non tam faciebat febris, quàm simul cū
 febre recens defatigatio à venere, contigit conqueiescere
 antequam ipsa febris. Horror & rigor cum non sunt pro-
 priæ febrium figuræ, significant malignam qualitatem luc-
 corum, aut passionem partium nervosarum. Sed & vrinæ
 rationem quandam habuerunt causæ, non signi solum
 hoc

hoc morbo. Nam cum à principio, dictâ ob causam, fuissent tenues & nigræ, & sexto tenues etiam cum appendiculo (sublimi arbitror) vnde & deliravit, vigesimo minxit album crassum non subsidens, vt lacteam scilicet, aut puri similem vrinam, multitudine humorum, in renibus & circa genitalia, velut suppurata, & faciente ea via vtilem evacuationem. Vigesimo quarto, eadem ratione, minxit multum, candidum, & multam subsidentiam habens. Vtroque etiam die sudavit multum, vigesimo quidem quarto plus. Sudor vero ijs qui ex Venere male habent, congruit plurimum. Quia venere putrescit semen, quod computrescit rores partium, vtpote analogos succos. Vt hac ratione mihi persuadeam, solere nonnunquam hoc, eo vsque procedere, vt ob solum Veneris immoderatum vsum, citra ullam contagionem, fiet id vitium, quod, morbum Gallicum vulgo appellant. Vtergo eo morbo laborantibus, ita quibusvis, qui à nimia Venere ægrotare cœperunt, congruit sudor: nisi sit nimius, vt dissoluat vires.

Vndecimus ægrotus.

IN Thaso mulier morosa, ex mœnore cum occasione, erectè obambulans, in somnis facta est, & cibum non capiebat, & siticulosa erat, & fastidiosa. Habitabat vero prope Pyladem in Leio. Primo sub initium noctis, terrores, sermones multi, tristitia, febricula tenuis. Manè conuulsiones multæ. Cùm autem intermississent conuulsiones illæ multæ, deliravit, turpia loquebatur. Multi dolores, magni, continui. Secundo eadem. Nihil dormiuit. Febris acutior. Tertio conuulsiones quidē defecerūt, coma autē & cataphora, & rursum vigilia. Exiit, cōtinere se nō poterat. Delirabat multa, febris acuta: ad hanc autē noctē, sudavit multo calido per totū. Liberata est à febre, dormiuit. Oīa intelligebat. Iudicata est. Circa tertiū autē diē vrina nigræ tenues. Appēdiculū uerò valde rotūdū, nō subsidebat, circa iudicationē autē muliebria multa fluxerūt.

AN

AN mulier hæc morosa antea fuerit, an ex morbo morosa sit facta, non explicat, ut cunque autem hoc fit, mœrens ex occasione, facta est melancholica. Non enim quia melancholica, cœpit esse mœsta, sed ex occasione, id est ex causa manifesta: cum autem mœror duraret plurimum, aut esset maximus, adeò ut erecte adhuc ambulans præ mœrore, neque dormiret, neque cibum caperet, & esset siticulosa, facta est melancholica. Nimirum ut in apho. dicitur, Mœtus & mœstitia longo tempore perseverantia, melancholica: quia aut ex melancholia procedunt, aut, si quam maximè procedunt ab occasione, melancholiam faciunt. Imaginationis enim, & cordis debilitatem pariunt, ut illa facile erret, & hoc facile terreatur: & sanguinè facit crassiolem, & sicciorem. Quod quidè huic euenit per vigiliam & inedia, ambo enim hæc siccant. Sed & per vehementes motus animi, obliuiscitur naturalis facultas suorù operù, quare & eo cibo, qui accipitur, minus fruuntur partes, & naturales, necessarizq; euacuationes minus fluunt: ut huic euacuationes mœstruæ minus, arbitror, fluxerant. Nã & euentus huius morbi id indicant, qui illis fluentibus solutus est: & ita solere fieri, certò scimus. Nam & cum fluunt, si terror aliquis, aut tristitia nuntium superuenit, si isti solent, multò autem facilius retineantur, cum nondum fluunt. Sin autem, ut est consentaneum, huic non secundum naturam fluxerunt, hæc ipsa satis magna occasio fuit cacochymiz melancholicæ. Vnde factum est, ut phrenitis hæc fuerit melancholica, & tota affectio velut ex phrenitide & melancholia mixta: & ut maniacæ, & cum terroribus, ac nonnunquam exiliendo, delirauerit. Nimirum species, seu modus delirandi, duo semper solet referre, & succi, qui in corpore est, speciè, & occasio nê delirandi. Succii speciè, ut qui ex sanguine, delirant cum risu: occasio, quia solent delirantes talia loqui, quæ iam iam deliraturi cogitarunt, præcipuè vero cum ex forti aliqua imaginatione delirium inchoauit. Itaq; motus animi vehementes, multum & multis modis lædere solet, magis autem mulieres, & viros debiles calido innato, aut imprudètes. Nimirum cum illi motus sint innati calidi, eius debilitas facit ad facilem passionem: sed & imprudentia: prudentia enim omnes eos motus temperat: vtraque autè ratione magis afficiuntur fœminæ, quam viri. Accedit

his

his naturalis illa mulierum euacuatio, quæ suppressa, multos & horrendos morbos facit, quos Hippocrates libris de morbis mulierum, ac multo magis libello de morbis virginum, complexus est. Quædam ergo earum solent, præ morore tabescere, atque adeo præ tabe lentè mori nunquam prius febricitantes, quam laborèt febribus hecticis. quædam aliæ ob sanguinis malam qualitatem, & euacuationum suppressionem, præoccupantur febribus acutis, quæ ob cordis debilitati passionem, & cerebri cum corde compassionem, atque alia etiam ratione, ob compassionem vtriusque (cordis dico & cerebri) cum vtero, in quo illa excrementorum suppressiones contingunt, laborant deliquijs animi, & delirijs, & conuulsionibus & ob malignam materiæ qualitatem, non utcunque insaniunt, sed nunc turbundè, nunc procaciter, nunc deuouentes sese, nunc loquentes turpia, ut vulgus hominum immundis spiritibus eas putent vexari. Talis ergo fuit hic morbus, adeo acutus ut tertia die iudicatus fuerit, cum fuerit phrenitis. Ut minus iam hinc admirationis habeat, quartum huius ordinis ægrorum, ex phrenitide die tertia esse mortuum. Difficilius enim est morbum quemcunque ante suæ constitutionis tempus solui, quam ægrum ex eo mori. Sed vtrunque iam in phrenitide fieri posse cognouimus. Scilicet est phrenitis aliquando tam acutus morbus. Sed percurramus breuiter singula, quæ acciderunt. Facta, inquit, est insomnis, *d'ortos* id est cibo abstinens, & siticulosa, & *ασωδης* id est fastidiosa. Sed quorsum hæc dicit? videtur enim idem esse dictum, cibo abstinens, & fastidiosa. An non est? Sed *d'ortos* est qui non capit, quacunque causa id fiat, siue quia non vult, siue quia non habet, siue quia fastidit. *ασωδης* verò qui fastidit. Perinde ergo est ac si diceret, non capiebat cibos, sed neque poterat, quia erat fastidiosa. Accedit, quod *d'ασωδης* videtur significare quiddam aliud, nam & fastidiosum, & anxiuum. Primo, inquit, sub noctis initium, terrores, & sermones multi, & tristitia (hæc ob dictas causas) & febricula tenuis, quia cum vltus sanguis esset, phrenitidis materia nõ poterat magnam flammam excitare, sed lentè vri. conuulsionem etiam multam. Ob has conuulsionem, quas in tritibus & iratis experiri solent, putat vulgus hominum, epilepsiam, & conuulsionem omnes, esse passiones cordis. sunt vero hæc

hæc omnia per compassiones, quas explicuimus. Quâquâ in hac muliere, raptio in caput sanguine, propria eius passio, & phrenitis facta est. Quo magis consentaneum erat conuelli. Cum autem intermisset conuulsiones, exculsis excrementis ex neruorum radicibus, & hærentibus circa cerebri substantiam, delirauit, & loquebatur turpia, dicta iã cã. Dolores multi continui magni: hi fieri solent in neruos irruentibus excrementis: vnde per tales passiones, cû non tenentur deliquo, aut apoplectica aliqua passione, grauissimè vociferantur. Secundo fuerunt eadem, & febris acutiôr, morbo eunte ad summum. Tertio defecerunt conuulsiones, quia arbitror, inceperunt iam excuti à neruis in carnes, & deturbari à capite ad vterum, excrementa, vnde acciderunt sudores: & menstrui fluxus. Sed factum est coma, & cataphora, ob antegressam arbitror defatigationem, ex qua recreata, rursus vigilauit. Illud & cataphora, declaratiuum tantum est. Nam nihil aliud est coma, quam cataphora apud Hippocratem, vt Galenus explicat lib. abole-tarum vocum Hippocratis. Cum vero nondum esset facta è corpore euacuatio, non euigilauit placide, sed exilijs, & continere se non poterat, & delirabat, & febris maior. Hæc erant decretoria, quibus, cum fuisset dies difficilis successit ad noctem iudicatio, cum sudore calido pertoruit, & liberata à febre, reliquum dormiuit, & intelligebat facta iam iudicatione. Sed qui potuit esse secura, cum vrina tenui & nigra, & sedimento rotundo, non subsidente? hoc enim, vltimum citra coctionem sanguinem: illud, atram bilis & cruditatem significabat? An hæc vrina ob instantes euacuationes menstruas fiebat? Successit ergo euacuatio, qui verisimile est, mulierem perfanasse, reliquisseque multo magis sanã, quam antequam ægotaret, atque adeo, deposito mœrore. Sæpe enim excrementa, quæ ob animi passionem congeri cœperunt, eam ipsam passionem conseruant, & augment, faciuntque ne deponi possit, antequam ea euacuata sint.

Duodecimus ægrotus.

24 **I**N Larissa virginè febris corripuit ardēs acuta. In semina, siticulosa, lingua fuliginosa arida. Vrinae boni coloris,

ris tenues aut. Scdo laboriose no dormiuit. Tertio multa fluxerunt ab aluo, vt aqua biliosa, & sequentibus fluxerunt hac cum bona tolerantia. Quarto minxit tenue paucum Habebat appendiculum sublime, non subsidebat. Delirauit ad noctem. Sexto per nares largiter fluxit multum. horrore correpta, sudauit multo calido per totum sine febre, iudicata est: in febribus autem, & iam iudicata muliebria fluxerunt tunc primum: virgo enim erat. Erat autem semper fastidiosa horrida. Rubor faciei, oculorum dolor, capitis grauitas. Huic non fuit recidina, sed iudicata est. Dolores p aribus.

His dicit fuisse hanc virginem, insinuas, occasionem agrotandi, fuisse, quod tunc primum menses ei fluxerunt, haec enim dicit, muliebria fluxerunt, tunc primum, virgo enim erat. Merito quidem haec dicit simul. Non enim sunt mulieres maturae uiridis, antequam menses fluant, & praeter naturalem ordinem fit, si quae ante id tempus nubuit. Morbus itaque uirginalis hic fuit. Nimirum praereque mulieres morbo aliquo tentantur, cum iam instat tempus muliebris fluxus, quia adolefcentulis ueneri inexpertis exigui sunt uteri, & uiae oes, quae ad uterum finiuntur, angustae, quae angustia facit difficile primam mensuram excretionem. Quo fit ut quibusdam quibus angustiae est plus, aut debilitatis facultatis expultricis, aut crassitiei succorum, eo tempore, per bona & salutari excretionem, fiat obstructiones multae uiscerum. Alijs uero non haec sunt, sed fluunt mediocriter menses, tamen ob sanguinis agitationem insolitam (omnia enim insolita mala fert natura male) quam facit secretio, quae euacuationem antecedit, corripuntur febribus, a quibus liberantur fluentibus mensibus ut huic euenit. Constitutionem habuit haec & alia omnia febris ardentis. Nam intra primam septimanam finita est, & fuit a primo die ardens, acuta, insomnis, siticulosa, lingua fuliginosa, & arida. Urinae primo die tenues & boni coloris, quales scilicet, de quibus dicitur in prognostico, rufae tenuis crudam significat agrotationem. Secundo die, laboriose

riose transegit, magis scilicet quam primo, quia morbus, ut mox dicit, dies pares habuit difficiliore, & non dormiuit. Vbi legimus, tertio fluxerunt ab aluo multa ut aqua biliosa, habetur in quibusdam codicibus *ὑδατοχροα* idest coloris aquæ. In alijs *ὑδατόχροα* aut *ὑδατόχλωρα* (nam idē est) idest, ut aqua colore chlora. Quam quidem lectionem cenfeo esse legitimam, quia aquæ nullus color est. Quare si *ὑδατόχροα* vellet Hippocrates dicere, diceret aquosa, ut solet. Accidit quod vox hæc *ὑδατόχλωρα* pro *ὑδατόχροα* est familiaris Hippocrati, ut Galenus dicit lib. absoletarum vocum Hippocratis. Quoniam vero chlora, ut in commentatione prognostici dixi, significat flauum & viride, & ambo hi colores sunt bilis, transtuli ego, ut aqua biliosa: quæ quidem fluxerunt tertio & sequentibus cum bona tolerantia. Quæ quia tenues, & colore tali præditæ, cruditatē morbi & bilis redundantiam significabant, & symptomaticæ erant. Sed bona tolerantia significabat non esse inuiciles. Quarto minxit paucum, quod tunc fieri solet, cum in superiores partes succi rapti sunt, aut certè aliam in partem. Fortasse enim huic deiectio aquosa urinam minuit. Appendiculum vero sublime nunquam notat Hippocrates, quin aut eadem, aut sequenti die, dicat ægrotum delirasse: quod & huic ad noctem contigit. Sexto per nares fluxit multum largiter, euacuatusquē illac est sanguis, qui sese in caput collegerat, & reliquum quod per totius corporis venas putrescebat, in habitum corporis exijt, & fecit primo horrorem. deinde exudatum est, & mulier soluta a febre, & iudicata. Non tamen fuisset tuta iudicatio, nisi tunc illi fluxissent menses, ea enim fuerat occasio febricitandi, ut diximus. Quod quidem vel illud confirmat, quod per epilogū addit, dicens, erat semper fastidiosa, horrida, rubor faciei, oculorum dolor, capitis grauitas. Hæc enim omnia retentionis menstruorum esse solent. Sed qui fieri potuit, ut die omnium pessimo, sexto inquam, iudicaretur, & nulla successerit recidua, cum nisi diebus imparibus febris reliquerit, soleat recidiuare, ut in aphorismo dicitur? Ipsemet Hippocrates respondet, quia dolores diebus paribus. Nam ut dicebatur primo Epide. quæ paribus mouentur, paribus dicantur.

Decimus

Decimus tertius ægrotus.

Appollonius Abderis sese, erecte obambulans sustentabat multum tempus. Erat autem magnis visceribus, & circa hepar dolor continuus multo tempo recomitabatur, & sane tunc ictericus fiebat, flatuosus, colore sabalbido, comedens autem & bibens, bouinam carnem. Incaluit primum modicum, decubuit, lacticiuijs vero vsus coctis & crudis multis, caprinis, & ouinis, & victu pravo, omniũ lasiones magna. Febres, n. exacerbatae sunt, & aluus ingestorum nihil mentione dignum reddidit. Urinae quædam tenues & pauca prodibant. Somni non inerant. Inflatione mala, multa sitis, comatosus, hypochondrij dextri eleuatio cum dolore. Extrema omni ex parte subfrigida, parum delirauit. Obliuio omnium quæ loquebatur, mouebatur mente. Circa quatuordecimum autem ex quo cum riguisset, decubuit, insaniuit, vociferatio, turbatio, sermones multi. Et rursum quies, & coma, tunc temporis accessit. Post hæc autem aluus turbata, multis biliosis, meris, crudis. Urinae nigrae, pauca, tenues, multa difficilis tolerancia. Deiectiones variae, aut enim nigrae & pauca, aut eruginosa, aut pingues, & cruda, & mordaces. Postea verò videbatur & lactosa reddidisse. Circa autem vigesimum quartum cum solatio. Alia vero eodem modo, parum autem delirauit, ex quo autem decubuit nullius recordabatur. Rursum autem celeriter resipiscebat, procedebant omnia in deterius. Circa autem trigesimum quartum mortuus est. Huic vsque ad finem, ex quo ego illum noui, aluus turbata, urinae tenues, nigrae, comatosus, insomnis, extrema frigida, delirus vsque ad finem, phreniticus.

NARRAT Hippocrates & apparatus morbosum, quem ante hanc febrem habuit Apollonius, & occasionem proximam

ximam febricitandi, & occasionem qua cum modice co-
 pisset febricitare, deinde grauius quā pro principio egro-
 tauit. Fuit verò apparatus morbosus, quod erat magnis vi-
 sceribus, hoc est maiori quam secundum naturam hepatis
 & liene, & circa hepar habebat dolorem continuum mul-
 to tempore. Vnde fiebat vt erectè obambulans sese multo
 tempore sustentaret, idest magno cum labore, & vix sese
 potens ferre, sustentaret. Atque ob viscerum affectionem
 fiebat ictericus, & colore subalbido, vt simul laborare vi-
 deretur incipere, ictero & leuco phlematia. Nimirum labo-
 rabat, obstructionibus magnis, & tumoribus scirrhis, he-
 patitis & lienis. Dolebatque hepar, cum adhuc per recentē
 fluxionem eius membrana distenderetur, lien natura sua
 habet minores dolores, quā renes & hepar, & maiores
 quā pulmo: huic vero non dolebat, quia erat fortasse ma-
 gis scirrhusa, ac proinde indolens affectio. Hepatis erat et
 flatuosa. Verum obstructio hepatis fecerit, vt solet, icteri-
 obstructa via vesicæ felis: hydropis verò initium fecerit
 hepar refrigeratū, aut per sese à succis eo loco hærentibus
 aut potius a liene. Itaque icterus, non tam quod multa bilis
 gigneretur (nam qui posset in frigida affectione hepatis)
 quam quod non expurgaretur, hydrops ob cruditatem. Cui
 tam morbosus esset apparatus, leui occasione febre corre-
 ptus est, vt certè solent qui talibus laborant obstructioni-
 bus, ob difficilem succorum dispensationem per corpus,
 & facilem putrescentiam, eorum quæ oppilata sunt. Quo
 fit, vt crebro, nunc ex facilimis occasionibus, nunc etiam
 sine illis, febricitent, & euacuationibus indigeant. Huic ve-
 ro occasio fuit, quod aliquando laute bibit, & comedit bo-
 uinam carnem: carnem concoctu difficilem, & ita difficile
 putrescentem. Primum ergo incaluit modicè & decu-
 buit, fuissetque fortasse leuis morbus, si probo esset vsus
 victu. Verum accessit alia occasio ingrauescendi, nam quā-
 iam febricitans vsus est lacte multo, nunc crudo nunc co-
 cto, nunc caprino, nunc ouino, & in cæteris etiā victu præ-
 uo, factæ sunt omnium læsiones, idest, omnes læsiones ma-
 gnæ. Nimirum lac dare febricitantibus malum est, præ-
 uè verò obstructione & inflatione viscerum laboranti-
 bus. Flatus enim multos parit pars lactea, & obstruit caseo-
 sa. Corruptur facile lac, & nonnunquam in grumos con-
 crescens

crescens malignum facietatis genus parit. Explicans verò
 quas laciones omnium dixerit, addit, febres enim exacer-
 rantur sunt, & aluus ingestorum nihil mentione dignum red-
 didit. Quasi diceret, corrupto lacte creuerunt febres. Id
 autem, vnde in satietatibus solet auxilium expectari, nõ ad-
 fuit, quia nihil mentione dignum reddidit aluus, quod re-
 ferret cibos ingestos. Vrinæ tenues & paucæ prodibant,
 tenuitatē cruditas, paucitatem faciebat vehemētia febris,
 aut raptus in superiora) somni non inerāt, & erat comato-
 sus. Nimirum antea dictū est multos huius tēpestatis fuisse,
 qui laborantes comate vigili, neque dormire, neque vi-
 gilare poterant. Huic verò peruigiliū faceret febris magni-
 tudo, coma lactis qualitas: vt etiam fecerit inflationē ma-
 lantæ, & multam sitim febris. Hypochondrij dextri ele-
 uatio cum dolore, accedente magna febre, & ingente siti,
 significabat hepatis tumorem factum esse phlegmonosum.
 Ad quod etiam referri poterat extremorū frigus, & quod
 in primis parum delirauit: nam in hepatis inflammationi-
 bus saepe deliratur per consensum. Cū verò læsio par-
 tium omnium principum procederet, malo iam eunte in
 phrenitidem, corripuit eum obliuio omniū quæ loqueba-
 tur, & mente motus est: quod quidem grauius est dictū,
 quam parum delirauit. Hæc acta sunt, vsque ad diem qua-
 tuordecimum, quæ omnia cumulatè nullis nominatis die-
 bus narrauit, quia forte non affuit mox a principio egroto,
 quod ille insinuauit, postremis historiæ verbis dices, huic
 ex quo ego illum noui, quasi non a principio nouerit. Cir-
 ca quatuordecimum, inquit, ex quo cū riguisset incaluit,
 decubuit. Sed quo pacto dicit quatuordecimo decubere,
 quem dixerat primo die febris decubuisse? Certè legendū
 cenleo circa quatuordecimū ex quo decubuit, cū riguisset
 incaluit, insaniuit. Aut circa quatuordecimum, ex quo cum
 rigore incalescens, decubuit, insaniuit. Hoc verò insanite,
 plus etiā significat, quā delirare, & mente moueri, quæ an-
 tea acciderant. Quod apertè explicat Hippocrates his quæ
 addit, vociferatio, turbatio, sermones multi. Et rursus, in-
 quit, quies, & coma tunc temporis comitabatur: quasi di-
 ceret, tantopere laborabat cerebrum, vt cū non erat furēs,
 esset comatosus. Post hæc fuit aluus turbata, multis, biliosis
 crudis, crudis non vt quæ antonomasticè dicuntur

cruda (ea enim sunt pituitosa) sed vt biliosa sunt cruda tenuibus, scilicet. Non tamen semper erant deiectiones eadem, sed varia, nunc enim quales dictæ sunt, nunc nigrae & pauca, nunc æruginosæ, quæ erant vstionis, nunc pingues, quæ colliquationis, & crudæ & mordaces, id est, quales et corruptione ciborum malè concoctorum in ventre. Nam per ventriculi facietates, cibi, qui non coquantur vt oportet, corruptiones quasdam recipiunt, nunc acidas, nunc acres, nunc secundum diuersas partes, ambas: ambæ vero sunt mordaces. Esse verò has deiectiones ex corruptis cibis, indicarunt subsequuta deiectiones. Nam postea, inquit, videbatur & lactosa reddidisse, ex lacticinis scilicet, quibus se repleuerat. Interim vrinae erant nigrae, paucae, tenues, quas lethales esse, sæpe iam dictum est, vt & commemoratas omnes deiectiones, maximè accedente multa difficili tolerantia: quod quidem significat vires manifestè languescere. Circa vigesimum quartum, qui erat vicesimus à quatuordecimo, quo insignis acuties accesserat morbo, ac proinde, vt contemplabilis consideratus est ab Hippocrate, fuit cum solatio. Hoc est, minus anxius & tristis, & videbatur sibi melius habere, eratque proinde cum minori desperatione, alia autem eodem modo: quod est, vrinae autem & deiectiones, aliaque mala signa, ex quibus poterat medicus agnoscere moriturum hominem eodem modo: minus autem delirauit. Vix vnquam vllus moritur quin aliquando antequam decedat, videatur sibi, & vulgaribus qui adsunt, habere melius. Medicus verò ne leuiter his fidat: sed consideret, an reliqua eodem modo habeant, an scilicet signa pessima, & quæ maximi momenti sunt, quæque vulgus non intelligit, perseuerent adhuc. Addit Hippocr. quiddam aliud, quod video multos, vulgares etiam, solere animaduertere in morituris. Ex quo, inquit, decubuit nullius recordabatur. Nimirum omnium eorum quæ quis amat recordari, & de eis loqui per morbum, bonum signum est, & vitalem hunc esse homines dicunt, quia de hac vita videtur cogitare: contra, si quis neque charissimæ vxoris, neque dulcissimorum pignorum, videatur vllam curam habere, neque amicorum, quos vnice dilexerit, recordari, neque rerum quibus oblectari consueuerat, graue admodum est, & lethale: neque causa est obscura. Omnia enim quæ
 similia

similia sunt, iis quæ in eisdem cum bene valerent, bona, quæ
 dissimilia, mala. Ita ergo & sermones & curæ. Nam vt in
 summa dicatur, ægrotum non esse sui similem, graue est.
 Non tamen vt erat valde obliuiosus, ita multum semper
 delirabat: sed celeriter resipiscebat. Id est, ad mentem re-
 uocabatur facile, ad rerum autem recordationem, & consue-
 tudinem, nunquam. Ita procedebant omnia in deterius.
 Quare mortuus est circa trigesimum quartum, qui à primo
 totius morbi erat iudicatorius, quia vigesimo septimo, qui
 est finis acutorum, adiicit septimanam, & à quatuordecimo,
 quo morbus comparauit maiorem acutiem, est vigesi-
 mus. Vt iam hinc intelligas, non solum esse habendam ra-
 tionem dierum contemplabilium à primo: sed pariter ab
 hoc, & ab eo qui attulerit, insignem mutationem in acutiè.
 Cætera, quæ per epilogum dicit, enarrata iam sunt.

Decimus quartus ægrotus.

IN Cyzico mulieri quæ gemellos pepererat, & agre
 pepererat, & non satis expurgata erat, primo febris
 horrida, acuta, capitis, & ceruicis grauitas cum dolore,
 insomnis à principio, taciturna, & tetrica, & non obse-
 cundans. Vrinæ tenues, siticulosa, fastidiosa plerunque.
 Aluus erraticè turbata, & rursus adstricta. Sexto ad
 noctem multa delirabat, nihil dormiuit. Circa vndeci-
 mum verò insaniuit, & rursus intelligebat. Vrinæ nigrae
 tenues, & rursus intermittentes, oleosæ, & aluus multis
 tenibus turbatis. Quatuordecimo conuulsiones multæ,
 extrema frigida, nihil iam intelligebat, vrinæ suppressæ
 sunt, mortua est. Phrenitis.

NON est numerus certus muliebrium foetuum, tamen
 duorum est partus frequens, plures raro eduntur vitales.
 Gemelli propriè dicuntur, qui simul concepti simul edun-
 tur, alij enim edi solent simul, non simul geniti: sed ex si-
 mperfoetatione. Causa numerosæ foeturæ non est multitudo

finuum, vt qui dissectionem ignorant, suspicantur. Vnicus enim sinus est toto muliebri vtero: sed abundantia, & decisio principiorum, ex quibus fiunt foetus, seminis inquam vtriusque. Decisionem dico, non separationem seminũ ab inuicem: sed cum ex cõmixtis fiunt, velut diuersa oua, quæ foetus inchoant. Grauius esse non satis expurgari, eam quæ filiam pepererit, quàm quæ filiũ; dictum iam antea in multis ægrotis est. Grauius est etiam eam quæ pepererit geminas. Nam etsi non abundet tam multis quàm quæ vnicam, vtpote quæ duabus alimentum præstiterit, habebit tamen excrementa deteriora, vtpote ex qua duæ exuxerint boni sanguinem. Merito ergo hæc cum peperisset, ægrè, hoc est cum magnis doloribus & partu difficili, filias duas, & non esset rectè expurgata, correpta est febre magna, & lethali. Habuit verò febris, quæ enixis febricitantibus familiaria esse, indicatum est sæpe. Nimirũ fuit horrida, acuta & melancholica: nam fuit mulier taciturna, & tetrica, & non obsecundans, quod idem est atque morosa. Habuit capitis & cervicis grauitatem cum dolore, quod multitudinis in superiores partes collectæ erat: quod idem ob biliosam qualitatem faciebat eam insomnem esse. Vnde etiam factum est, vt sexto delirauerit, & vndecimo etiã insanauerit (quod quidem grauius est quam delirare) & vt ante mortem passa fuerit multas conuulsiones. Omnia enim hæc pertinent ad cerebri Passionem. Vrinæ tenues cruditatis erant, nigrae, tenues, vstionis esse poterant, & melancholici succi, qui redundabat. Quod verò erant rursus intermittentes, & oleosæ (id est facta aliquando intermissione tenuitatis, & nigrifici, erant oleosæ) significabat admixtionem crassorum, & agitationem. Has urinas in nullo ægrotato notas vidimus, qui non delirauerit. Quod erat sicculosa & fastidiosa, erat magnitudinis & malignitatis febris. Quod alius erraticè turbata, & rursus adstricta, significabat multitudinem, & inquietudinem succorum. Nunc enim redundantes effluebant, nunc in aliam partem rapti, detinebantur: quod etiam, prope mortem iam constituta muliere, fecit urinas suppressi. Quin & extrema frigere fecit similis quædam causa. Omnibus enim ad cerebrum raptis, euacuationes naturales suppressæ sunt, & vna cum excrementis calidum etiam naturale ad malignè inflammata partem raptum.

primum, extrema deseruit. unde phrenitis tantopere aucta
 est, ut nihil iam intelligens, mortua sit. Est autem conside-
 ratione dignum, quod quatuordecimum videtur Hippo-
 crates dixisse, ab eo quem vocauerat primum, quo dicit
 fuisse febrem horridam acutam. Non fuit autem ille pri-
 mus, idem dies quo peperit, nam antequam febre corri-
 peretur, pepererat, & non satis expurgata erat, quod quidem
 eadem die non videtur posse esse satis perspectum. Mortua
 est ergo die quatuordecimo, ut sine quodam proprio acu-
 torum, fuitque is quatuordecimus, non à partu: sed à febre.
 Non ergo dies decretorij febricitantium ex partu, viden-
 tur fluere à partu: sed à febre: quare hinc videtur ducenda
 computatio, atque Hippocrates ipse videtur ducere con-
 tractum in prognostico scriptum est. Quid res habeat in hac
 questione, dictum mihi est decimo libro cōtrouersiarum.
 Pro hoc loco, duorum alterum dici potest: aut eadem die
 qua peperit correptam esse febre, & quod dicit, & non sa-
 tis expurgata erat, intelligi in ipso loco (nam ut Hippocra-
 tes definit debet mulier in ipso loco effundere sanguinis
 selqui heminam) aut fortasse diem illum à febris principio
 quatuordecimum, ab ipso partu fuisse alium etiam insignē,
 ut decimumseptimum, aut vigesimum. Quod autem Hip-
 pocrates neque hoc monuerit, neque à partu supputaue-
 rit, nihil habet incommodi. Nam, ut dictum etiam antea
 est, hoc libro historicū agit Hippocrates, licet illi rem nar-
 rare, ut volet, modo narret, ut est acta. Sed & in hac ratio-
 ne narrandi, est aliud quiddam utile, quod notes. Nimirum
 est computatio dierum decretoriorum ducenda sit à par-
 tu præcipue, nunquam tamen omittendum considerare, qui-
 cunque dies, qui à partu sit insignis, quotus sit à febre: si in
 proxima historia rectè monuimus, non solum esse habendā
 rationem dierum contemplabilium à primo die morbi: sed
 pariter ab eo qui attulerit insignem aliquam mutationem.
 Nam cum insignis mutatio plerumque habeat rationē ali-
 quam numeri contemplabilis ad primum diem morbi, qui-
 cunque dies secundum rationem aliquam notatu dignam
 adiciuntur illi, habebunt etiam rationem aliquam insignē
 ad hunc. Velut in Apollonio contigit esse trigesimum-
 quartum a primo, qui erat vigesimus ab eo qui attulit in-
 signem mutationem.

Decimus quintus ægrotus.

²⁷ **I**N Thaso Dealcis uxorem, quæ decumbebat in Leio, febris horrida corripuit ex mœrore à principio autem contegebatur, & vsque ad finem: semper tacita, palpabat, vellebat, scalpebat, pilos legebat, plorabat, & rursus ridebat, non dormiebat. Ab aluo irritatio, nihil exibat, exiguum admonita bibebat. Urinae tenues, paucæ. Febres et manus tenues, Extremorum frigus: nono multum deliravit, & rursus quieuit tacita: quatuordecimo spiritus rarus magnus per tempus, & rursus breui spira: decimo septimo ab aluo irritatio turbulenta, deinde ipsi potus prodibant, nihil consistebat. Omnino nihil sentiebat. Cutis arida circumtensio. Vigesimo sermones multi, & rursus quiescebat muta, breuis spira. Vigesimo primo mortua est. Erat huic vsque ad finem spiritus rarus magnus, sine sensu omnium erat, semper contegebatur, aut sermones reserti, aut taciturna vsque ad finem. Phrenitis.

VT mœror facere soleat facultatum quibus nostra corpora reguntur langorem, & excrementorum retentiones, & proinde grauissimos morbos, dictum est in historia mulieris illius morosæ, quæ perinde atque hæc, ex mœrore cepit ægrotare, & decumbebat in Leio. nunc satis sit dicere, quæ in hoc morbo fuerint præcipua: ea verò non cõtingit agnoscere aliunde, quam ex symptomatis: ex eis verò constat, hanc duo præcipua habuisse mala, alterum quidem lethale, alterum verò admodum lethale, & exitiosum: phrenitidem scilicet, & extinctionem caloris naturalis. Neque sanè mirum. Nam mœsticia & metus extinguunt naturalem calorem. Phrenitidis ergo erant hæc, semper esse tacitã, palpate, vellere, scalpere, pilos legere. Hæc enim in prognostico ponit Hippocrates in phreniticis. Taciturnitas verò significabat delirium, non simpliciter: sed ex mœrore, ut & plorare. Ex ploratu verò rursus ridere, maior infania erat,

erat, præcipuè laborantem ex mœrore, & nunc cum multis
 verbis, nunc tacitam esse, & delirare, & spiritus magnus &
 rarus, & non bibere nisi exiguum, & admonitam. Phreniti-
 ca enim sunt *βραχυπνοῦται*, id est, exiguo potu vtentes primo
 orrhoriticorum. extinctionionis naturalis caloris & langoris
 facultatum erant reliqua ferè omnia. Horridam esse, & à
 principio semper tegi, febres ad manum tenues, & extre-
 morum frigus, & quod erat breuispira, & tandem muta
 iudicatum enim est in historia Pithyonis, talem spiritum
 esse paruum & rarus, & significare caloris penuriã) at-
 que adeo quod illi potus prodibat, & nihil cõsistebat. Hoc
 enim est vnum quoddam eorum, quæ in certò morituris
 sæpe obseruauit. Nimirum cum potus cadunt in ventrem
 cum quodam sonitu, nihil in via consistentes: sed velut
 incidentes pòdere, non aliter ac si inde mortuum iam cor-
 pus, & omni naturali facultate carens, demitteretur, vnde
 & moribundos arguit homines communi epilogismo. Cui
 simile etiam est illud, quòd nihil sentiebat, hoc est exiguum
 iam omnibus in partibus habebat sensum, quod proximã
 mortem significat, quale est illud prognostici. Si non videt
 neque audit, prope iam est mors. Talis etiam erat cutis ari-
 da circumtensio, de qua in initio prognostici scriptum est:
 cutis circa frontem dura, intenta, arida. Itaque duobus his
 malis præmebatur, proinde quædam alternatè accidebant
 ei symptomata, ambo referentia (vt spiritus, nunc magnus
 & rarus, nunc erat breuispira) quædam accidebant simul
 (vt pariter habebat extremorum frigus, & delirabat) quæ-
 dam etiam accidebant communia, vt nò dormire (id enim
 & passionis cerebri biliosam fluxionem iam recipientis, &
 debilitatis esse poterat) & vrinæ tenues & paucæ, nam &
 per debilitatem facultatis, & per raptum in cerebrũ pauca
 esse poterant. Quædam etiam alia mala qualitatem succo-
 rum, quæ illorum malorum causa fuerat, referebant, magis
 quam ipsa mala: qualis erat illa crebra irritatio alui, quin
 autem aliquid: quam rursus vocat irritationem turbulen-
 tam, id est, turbationem afferentem magis quam euacuatio-
 nem. Illud enim refert malignam qualitatem, magis quam
 copiam. Maligna autem qualitas facere solet morbos hos
 malignos, magisquam magnos. Vbi dicitur ab alio irrita-
 tio, nihil exibat, exiguum admonita bibebat, legunt quidã,

nisi cum exiguum admonita bibebat. Quæ lectio significabit hæc omnia, illam exiguum bibere, idque non nisi admoneretur, utpote phreniticam, & mox à potu reddere ex alio, utpote non consistente potu. Verum quia hoc exiguum graue admodum est, non mihi persuadeo, accidisse ante nonum, morituræ vigesimo primo, quare magis probabo hanc lectionem, quam sum sequutus. Porro ubi dicitur spiritus rarus magnus per tempus, & rursus breuispira, illud per tempus duo potest significare, aut spiritum magnum & rarum non fuisse semper: sed per tempus, quia scilicet rarus per tempus breuispira: aut per tempus seu spacium longum, quod diceret spiritus magnus rarus non utcumque: sed per longa interualla. Hunc sensum solum probat Galen. quia, inquit, Hippocrates in fine historiarum dixit, erat huic usque ad finem spiritus magnus & rarus, id verò non diceret verè, si per tempus tantum, id est non perpetuo, esset. Ego verò quod probabo utrunque sensum, nam cum adiecerit & rursus breuispira, constat non habuisse perpetuo spiritum magnum & rarum: sed Hippocratem dicere semper factum per morbum, quod sæpe, & per omnem morbi tempus. Nam ita loqui solemus, neque sane opus fuerit, ut nunquam non congeretur, etsi dicit, semper contegebatur.

Decimus sextus ægrotus.

28 **I**N Melibea adolescens, ex potu & multa Venere multo tempore calefactus decubuit. Horridus, & fastidiosus, & sine somno, & sine siti. Ab alio autem primo multa stercora prodierunt cum multa defluxione, & sequentibus aquosa, biliosa multa prodierunt. Urinae tennes, pauca, decolores. Spiritus rarus magnus per tempus. Hypochondriorum distentio submollis producta utriusque, cordis palpitatio perpetua usque ad finem. Mince oleosum, delirauit modice, modestusque & mansuetus, cutis arida & distenta, deiectiones, multae tennes, aut biliosae pingues: quatuordecimo omnia exacerbata sunt.

Menes

Mente est motus, multa deliravit. Vigesimo insaniuit. Iactatio. Nihil mingeat, exiguum potum continebat. Vigesimo quartus mortuus est. Phrenitis.

NON valde disidet hic morbus à proximo. Hic enim etiam fuit phrenitis cum facultatum debilitate, & caloris naturalis defectu: quorum quidem illud, vinum: hoc, Venus nata erat facere. Tametsi ab utroque etiam factum merito esset utrunque. Vinum enim sumptum immodicè, calorem naturalem suffocat. Venus caput insigniter debilitat. Cœpit huic adolescens ægrotare eisdem occasionibus, quibus Abderis Nicodemus, decimus huius sectionis ægrotus. tamen ille non incidit cum tanta debilitate: quo factum est, ut melius se potuerit expedire, habueritque meliorem exitum: & merito, quia morbum habuit minus mali moris. Ille enim habuit febrem magnam, sitim ingentem, urinas copiosas, quibus multum contenti crassi reddebatur, & copiosum sudorem, quæ magnæ sunt, sed non perinde malignæ, febris: hic verò, cum magna febre crebat siti, nō mingeat, nullam aliã idoneam habuit evacuatione, quæ omnia debilitatē facultatum naturalium significabant. Præterea habuit distentione hypochondriorum submollem, productam utrinque, & cordis palpitationem, quæ viscerum significabant affectiones. Nam ut ex Gal. antea diximus, distentio submollis hypochondrij in morbo acuto, inflammationem significat internam hepatis, aut lienis, aut utriusq; distentio enim tumorem, mollietis non ad musculum, sed internam partē pertinere significat. Cordis palpitatio excrementa collecta intra pericardium, & angustia inferentia cordi, indicat. Cutis etiã arida, & disteta, est signum admodum lethale, ut ex prognostico nuper diximus: ut & exiguum potum continere posse corruptio nis facultatis retēricis ventriculi est. Species etiam delirandi fuit præter ratione, homo enim vinosus & libidinosus, deliravit modicè, fuitque in delirio modestus, & mansuetus. Omnia verò ea quæ præter ratione fiunt, deterioris moris morbi suspicionē faciunt: nisi forte non erat natura neq; longa consuetudine talis, sed contigit tunc agere incontinēter. Deiectiones oēs fuerunt crudæ, aut biliosæ: aut pingues:

gues : aut biliosæ pariter & crudæ , aut biliosæ pariter & pingues: quæ omnia quales corruptiones significant, dictum iam est sape. Neque minus dictum est, quem dicat spiritum magnum & rarum per tempus, & quid significet.

29 **V**idetur autem mihi, secundum rationem fuisse utile, fientem æstatem. Nam æstiuos morbos superueniens hyems soluit, & hyemales æstas superueniens trãsmutat. Atque ipsa per se ipsam quæ fiebat æstas, non erat bene constans, sed repente calida austrina & sine ventis, tamẽ, ad aliam tempestatem trãsmutata, profuit. Magnam autem partem artis esse existimo, posse considerationem facere rectè, de ijs quæ scripta sunt. Qui enim scit, & utitur his, non utique mihi videtur multum falli in arte. Oportet autem discere exactè, quamcunque temporum constitutionem, & morbum bonum, quod commune in constitutione aut in morbo. Qui morbus longus & mortalis, qui longus & superesse sinens, qui acutus mortalis, qui acutus superesse sinens. Ordinẽ decretoriorũ considerandi, & prædicendi, ex his datur facultas, siquidem ex his contingit scire, quibus, & quando, & quomodo oportet victum instituere.

Ex his quæ in calce huius libri scripta sunt, fit consentaneum, decem & sex præscriptos ægrotos, quosdam fuisse eorum, qui in illo ipso anno, qui in hac tertia constitutione descriptus est, ægrotarunt. Nam rediens nunc, ad narrationem eandem dicit, videtur mihi secundum rationẽ fuisse utilis illa æstas. Nimirum in fine narrationis dixerat: erat autem omnibus subscriptis difficilimũ quidem ver, & pluri mos abstulit, æstas autem facillima, & minime moriebantur. Nunc huius causam reddit, cur utilis fuerit illa æstas, nimirum ob communem rationem, quia æstiuos morbos superueniens hyems soluit, & hyemales superueniẽs æstas. Quia cum unicuique tempori familiares sint morbi, qui cum eo habent analogiam, contrarijs temporibus non erunt iisdem familiares, sed qui in altero fient, in altero extinguentur.

tinguntur. Atqui profecto illa æstas non fuit utilis, quòd per se bene ad modum constans, idest, optime suam naturam retinens: non enim erat, cum repente facta sit calida austrina & sine ventis, æstas verò solet paulatim ingrue- re, & habere vètos aquilonares, vocatos ætesias, sed quòd, etsi per se esset futura infalutaris, superueniens verò con- trariæ temporis naturæ, facta est causa emendans & salu- taris. Ita enim fit. His dictis, commendat hanc doctrinã, dicens, Magnam autem partem artis esse existimo, posse considerationem facere recte, de ijs quæ scripta sunt. Quæ enim scit & vtitur his, non vti que mihi (inquit) videtur multum falli in arte. Explicans deinde, quæ scire ex hoc opere, & quomodo ijs vti oporteat, dicit oportet autem discere exacte quamcunque temporum constitutionem, & morbum. Idest enim aduertere, quæ constitutio temporis sit, & qui morbus populariter grassetur bonum, quod cõ- mune in constitutione & in morbo: idest, bonum etiam est considerare analogiam speciei morbi, & constitutio- nis temporis. Nimirum sunt singulis temporum constitu- tionibus morbi quidam congruentes, quidam non. qui au- tem quo cunque tempore sint nati fieri, licet discere, ex ijs quæ scripta sunt. Oportet etiam considerare qui morbus sit longus & mortalis, vt qui Parij: qui longus & salutaris, vt qui Heropyti: qui acutus mortalis, vt qui Calui: quia cu- tus salutaris, vt qui Periclis: neque quidem hæc solum pos- sis discere, ex ijs quæ scripta sunt: sed ordinem etiam dierũ decretoriorum considerandi, datur ex his facultas. Nam vt in singulis historijs explicuimus, maximam rationem ordi- nis dierum talium visus est semper Hippocrates habuisse vt videatur hæc esse praxis doctrinæ de diebus decretorijs. Hæc verò non tantum vtilia sunt ad recte prædicendum, sed etiam ad recte suscipiendas curationes, vt in proœmio pro- gnostici ipsemet dicit, siquidẽ ex his contingit scire, quibus & quãdo & quò oporteat victum instituere. Quæ verba videntur mihi posse duo sensa continere, ambo vera. Quos & quando curare oporteat, & quò victum instituere, vt his verbis insinuetur curatio tota, & tota victus institutio: aut quos & quando & quomodo cibare, vt contineatur his tribus vculis, sola victus institutio, quæ magna medi- cæ artis pars est, cum tres habeat, pharmacis, chyurgia, & victu,

victu, vtens. Sed quo pacto pendent hæc omnia ex illa cognitione, constitutionis, & periculi morbi, & dierum decretoriorum? Certè quos curare oporteat & quos secus possis exactè scire, nisi morituros à non morituris dignoscas, hos enim curare oportet, & illos finire. Neque facere scire possis, quando oporteat curare quando agere quietem, nisi tempora vniuersalia, quibus tota constitutio consistat, dignoscas. Quia inchoantibus morbis mouendum est quidquid videtur, aut iam inclinantibus, cum verò consistunt ac vigent, melius est quietem agere, raroque est agendum tunc temporis aliud, quàm occurrendum symptomatis, quæ tunc sunt vehementia, aliter verò, non est, facultatem occupatissimam interturbandum. Sed neque in diebus decretorijs, quibus mutationem aliquam insignem fieri, speres, aut timeas, instandum auxilijs est. Quia quæcunque iudicatio fiat, aut instet, neque mouendum, neque nouandum quidquam est. Ergo non possis exactè scire quando curandum nisi dierum decretoriorum ordinem consideres, & constitutiones morborum, multo autem minus quomodo victum instituere oporteat. Cum vbi morbus peracutus est, statim extreme tenuissimo victu vti necesse sit, vbi vero non, pleniori victu vti liceat, & tanto plus indulgere, quanto morbus est minus acutus, & morbo in vigore consistente tenuissimo victu vti necesse sit. Non potest itaque rectè victus institui nisi constitutio morbi, & futurus vigor, præsentiat.

Liber quartus.

I



Post æquinactiũ & post pleiadas, qualia exdentia et sordida, quæ caput aperuerunt, prodierunt supra aurem, & ei qui prope Leucydem in pede. Phanodico digiti in pede, in pedore. Qui sectus est tibiã, hac etiã denigratus est. Erat magnum vlcus in externa parte tibiæ, & ex posteriori prodiebat. Cùm purum factum est, lateris dolor, & sinistri thoracis secundum rectitudinem, & febres. Mortuus est à febre.

IS



LN hoc quarti libri initio, nullum morbosum
 statum describit, neque communem consti-
 tutionem, sed singulares narrationes, & eas
 quidem breuissimas, non tam persequens ip-
 sas historias, quam notans in singulis quæ-
 dam, quæ ipsi videbantur obseruatione digna, non quæ, in
 una aliqua constitutione, aut in vno oppido, sed in multis,
 & in certis, notauerit, & suæ memoriæ consulens, vt solent
 diligentissimi quique facere, in priuatis chartis reposuerit.
 Neque profecto in alijs constitutionibus, aut vrbibus, ab
 ijs quas superioribus libris descripsit, necesse sit hæc con-
 tingisse, sed quædã fortasse in alijs, quædã etiã fortasse conti-
 gerint in eisdẽ. Velut quæ nũc in initio narrat, haud dubie
 pertinet, ad proximi libri vltimæ sectionis statũ pestilentẽ,
 vt hæc rone ego censeã, quæ sunt vsq; ad illa verba, circa so-
 lis couersiones hyemales, quæ paulo post occurrẽt, ad scri-
 bẽdã potius fuisse lib. 3. aut esse velut illius appendicẽ: quar-
 tum verò ab illis verbis incipere. Hęc verò ad tertium per-
 tineret constat, ibi enim ita dixit, multis quidem erysipelas
 cum occasione in quibusuis, & in valde paruis causis, in to-
 to corpore. Præcipuè autem, in ijs qui circa sexagesi-
 mum annum, circa caput, atque si parum neglecta erant,
 multis autem etiam in ipsa curatione, magnæ phlegmo-
 nes fiebant, & ipsum erysipelas multum celeriter vndi-
 que depalcebatur. Plurimis igitur ipsorum abscessus in sup-
 purationes fiebant, carniũ & neruorũ, & osiũ, elapsus ma-
 gni. Erat autẽ & fluxio collecta nõ puri similis, sed putredo
 quædã alia, & fluxio multa & varia. Quibus igitur circa ca-
 put horũ aliquid euenit fieri, glabricsies his totius capitis fie-
 bant, & meti, & osiũ denudationes, ac elapsus, & multæ flu-
 xiones, hæc; & in febribus & sine febribus. Erant autẽ hæc
 horrenda magis quàm mala. Quibus. n. ad suppurationẽ ho-
 rũ maturatio peruenit, plurimi horũ seruabatur, quibus au-
 tẽ inflãtatio, & erysipelas euanuit, huiusmodi autẽ absces-
 sus nullũ fecerũt, horũ multi mortui sunt. Similiter autẽ qua-
 siq; alia corporis parte aberraret, acciderũt hæc, multis. n.
 brachiũ, & totus cubitus, effluerũt, qbusdã autẽ & in late-
 ra hæc mala inciderũt, aut in aliquã anteriorũ aut postero-
 ri partiũ, qbusdã autẽ femur totũ, aut tibiẽ nudatẽ sũt, qbus
 dã autẽ, & pes totus. Hęc illo loco, quibus nũc addit, illa vl-
 cera

cera exedentia, quæ erysipelate depascente fiebant, & sordida, in quibus scilicet erat fluxio collecta non puri similes, sed putredo quædam alia, & fluxio multa & varia, & capite aperuerunt, id est fecerunt in capite ossium nudationes, prædidisse supra aurem. Verum quia dixerat, non omnibus hæc exedentia vlcera accidisse in capite, sed similiter etiã quocumque alia in parte, multis in brachio, & cubito, alijs in lateribus, quibusdam in femore, tibia, aut pede, exemplum nunc scribit, ut scilicet ei qui prope Leucydem in pede Phanodico digiti in pede corrupti sunt, & in pectore etiã habuit aliud vlcus exedens. Alius fuit cui tibia secta est, quia denigratus est ea parte, propter gangrænã scilicet, & habebat vlcus magnum in externa parte tibiæ, ea scilicet parte, quæ ad anteriora nostra expectat, quã id os acutum maximè & præminens est, & procedebat ex posteriori parte tibiæ. Nam vocat tibiã hic non totã cruris partem, quæ est inter maleolum & genu, sed os illud magnũ, quod ea parte est, & cum femore & pede, articulos facit, cui a posteriori parte coalescit aliud os satis gracile, non valde breues, ad poplitem, spacium quoddam in interna cruris parte formans, quod carne plenum est. Ab hac ergo, carnosa, & interna cruris, & posteriori tibiæ, parte, producebatur vlcus ad anteriorem. Curato huic, sectione & vitæ ne ut par est, cum purum factum esset vlcus, superuenit dolor lateris, & sinistrae thoracis partis, externæ scilicet, quæ in multis etiã tentatam fuisse in hac peste dixerat, & febris, & mortuus est à febre, nimirũ venenata materia curiam obsepiente. Fortasse dum curaretur, repente factum est vlcus purum plus satis, contigitque quod multis alijs contigisse dixerat, his verbis, Quibus inflammatio, & erysipelas euauit, horum multi mortui sunt, fortasse etiã ob curationem artificiosã sanatum est crus, & in deteriorius cessit. Nam vilium & externarum partium morbi, ut internis & nobilibus securitatem afferunt, ita nonnunquam cum earum periculo curantur. Cui autem nunc medicorũ narraretur, alicui facta esse in capite vlcera sordida, & glabricem capitis & menti, sine febre, & cum exulceratione pudendorum & faucium, ac postremo nudata excidisse ossa qui non affirmaret esse citra dubium Gallicum morbum? Fuerunt verò in illa tẽpestare plurimi tales. Ob quos, & mul-

& multos alios affectus, qui in hoc opere, & alijs Hipp. nar-
rantur, adducor vt censeam, nihil in illo morbo esse nouū
quodque priora secula non viderint.

Biliofum restiario catacores.

GALENVS libello absoletarum Hippocratis vocum
dicit *κατακορέα* esse alui egestionem ex meracabile: & pe-
tiora *κατακορέα*, quæ eiusmodi succum generant, quidam
tamē hirsuta intellexerūt. Sed & *κατακορέις* homines simi-
liter appellat tali bile abundantes, pharmacum autem *κα-
τακορέις* vocat, aut propter humorem qui ab ipso euacua-
tur, aut ob proprium colorem. Nominat etiam sitim ali-
cubi *κατακορέη* quæ vel ob talem humorem orta est, aut ad
summum intenta. Itaque *κατακορέη* vocat Hipp. interprete
Gal. omnia biliosa, siue hominem, siue excrementa, siue
pharmaca, siue passiones. Hic passionem aut excrementū
significare posse videtur, vt significetur, restiarius morbo
exquisitè bilioso fuisse affectum, aut deiectiones syncerè
biliosas habuisse. Atqui hoc est longe probabilius, quia
euacuationum quæ ægrotis accedebant, videtur Hipp. præ-
cipue rationem habuisse. Non parum verò est dignum cō-
sideratione quam fiat synceræ deiectiones biliosæ, quia om-
nes euacuationes synceræ significant extremas intempe-
ries, & magnas naturæ corruptiones.

*ET caustica asserenti, circa æquinoctium sanguis mul-
tus fluxit deorsum.*

καυτικὰ κατασφραγισθένθ haud dubiè dicebatur aliquis, siue
pigmentarius, siue chyrurgus, qui hac re maximè præcele-
bat, & caustica parabat. Illi, ægrotanti circa æquinoctium,
fluxit sanguis multus deorsum. Quod circa æquinoctium,
vernū scilicet, sanguis flueret, nō erat præter tēporis ratio-
nem. Nā in vernis morbis ponit Hipp. 3. apho. sanguinis flu-
xiones, quod deorsum exhibat, multò melius erat quàm si
sursum, quia vt in apho. 25. particulæ quartæ dicitur, san-
guinè sursum utcunq; exire malum, deorsum verò bonum.
Quare coniectandum huic accidisse, vt multis solet, qui-
bus ineunte vere, deiectiones cruentæ salubriter contin-
gunt, aut fluunt hamorrhoides.

Seni

4 **S**eni valde vehementer abscessit, non ultra quatuordecim dies.

QVAE notatu digna in ægrotis occurrebant, mandabat Hippocrates memoriæ. Abscedere hoc loco non est quod alijs ἀπόσασιν seu abscessum facere, sed corrumpi, corruptumque abscedere, ut cum morientes partes decidunt, aut deciduntur: quale illud quod in non ita pridem scripta oratione dixerat, carnium, neruorum, & ossium ἐκπτώσις μεγάλη idest elapsus magni. Hoc vero constat ex ipsis autoris verbis. Dicit enim γάρντι πάνσφόδρα ἀπολείσσει το. ἀπολείσαι enim non est abscedere, aut longè fieri, sed aboleri aut corruptum decedere. Dixerat ergo proximi libri sectione vltima, ad quam hanc primâ quarti libri partem, ego puto pertinere, multos, senes præcipuè habuisse de pascentia vlcera in capite, ex malignis erysipelatis, vsque ad ossium nudationem. Non tamen omnibus æque hæc partium decessio processerit, sed quibusdam tardius, quibusdam celerius: constat verò celeritatem corruptionis serpentis, periculi magnitudinem augere. Proinde, hic senex, cui valde vehementer abscessit, non potuit ultra quatuordecim dies morbum sustinere, sed putredine multum serpente, ac fortasse in internas nobilesque partes, breui mortuus est. Fieri etiam potest, ut illud ἀπεγένετο nō dicatur de parte, sed de homine, sitq; sensus seni valde vehementer corruptio contigit, quasi senex citissimè mortuus est. Nam ut περιγένεσαι significat superuiuere, & à morbo liberari, ita ἀπογένεσαι significat mori. Sed dicet, quid habet admirationis, aut quæ tanta acuties mori senem intra quatuordecim dies. Certè nunquam est stupèda acuties, quæ morbum ad dies quatuordecim produci finit: tamen intellige, eodem tempore ac eodem morbi genere, agrotasse plurimos lentius, & quod quidem id seni acciderit, admirationem auget, quia senes ut minus curabilibus, ita minus acutis morbis laborare solent. Ecce duos loci huius sensus satis congruentes. Constat verò hoc secundo sensu esse figuratam orationem, & poni casum pro casu.

Percusso ab Antiphilo vsto facta iudicatione septima die, bilioso, & typhode febre laboranti. Tertia post iudicationem sanguinem sanè spuit, superstes manebat, & recidiua postea facta est. Iudicatus est, vt par erat, circa pleiadum occasum primum. Post pleiadum verò occasum biliosum ad insaniam vsque. Iudicatio, superuixit die nona sine sudore.

In hac quoque dictione ponitur casus pro casu, perinde enim est ac si diceret, percussus ab Antiphilo, tertia post iudicationem, sanguinè spuit, & superstes manebat: alioqui committeretur solœcismus. Habet hæc dictio duas particulas; prima dicit hominem febricitasse acutè, & imperfectè iudicatum, habuisse recidiuam: secunda, quæ inde incipit, iudicatus est vt par erat, dicit, quibus temporibus facta fuerit iudicatio prima, & recidiua. Illis primis verbis τῷ δὲ σιγματίν παρ ἀντιφίλου καυτικῶ haud dubiè videtur Hippocrates occasionem morbi significasse. Suspicor autem hunc, inusta cicatrice, aut signo aliquo, ab Antiphilo (erat fortasse illius seruus) correptum fuisse ex dolore & vlcere, vt ex occasione, febre vrente. Nam σιγματίζειν est percutiendo signare, quare σιγματίν percussione signato, addito verò καυτικῶ apertè significat, inustione signato. Quæ sane in homine alioqui parato, non exigua fuerit occasio. Erat verò biliosus, atque febre typhode, i. vrente, correptus est. Hic est iudicatus die septima. Non dicit qua euacuatione, fortasse sine vlla manifesta, ac proinde non fuerit iudicatio tuta, sed cum recidiua. Tertia die post iudicationem (nona scilicet) sanguinem spuebat: quod est intus manere càm indicabat: nam aut multitudinis, aut malæ qualitatis erat: nihilominus superstes manebat, i. bene robustus, & salubriter affectus videbatur. Recidiua postea facta est, nimirum imperfectè iudicato. Quo tpe hæc acciderint, & qualis fuerit recidiua, narrat postea, dicens, iudicatus est vt par erat, circa pleiadum occasum primum, post pleiadum occasum factus est biliosus ad insaniam vsque, idest recidit in phrenitidem cum magna insaniam & furore. Non enim fuisse maniam, sed phrenitidem,

indicat constitutio, iudicatus enim est die nona, mania vero est longior morbus. Sed cur dicit iudicatum esse primum circa pleiadum occasum, ut par erat? Certè alludit ad illud, quod libello de aere locis & aquis ipsemet dicit, his verbis. Oportet autem astrorum exortus considerare, præcipuè Canis, deinde Arcturi & pleiadum occasum. Morbi enim in his maximè diebus iudicantur, alijque perimunt, alij verò desinunt, aut in aliam speciem aliumque statum mutantur. Itaque cum prope illud tempus, in postrema. s. autumnii parte, hunc ægrotare contigisset iudicatus primum est circa pleiadum occasum, ut par erat, id est, ut temporis ratio poscebat, cum verò citra euacuationem insignem, a typhode, & biliosissima febre liberatus imperfectè esset, & bilis maximè vsta interius maneret, & ob mutationem ad frigidiorē tempestatem, in altiores corporis partes repelleretur, post occasum pleiadum biliosissima phrenitide correptus est, a qua rursus nona die iudicatus superuixit, habuitque illud etiam notatu dignū, quod citra sudorem, atque adeo, citra omnem aliam euacuationem manifestam liberatus est. Antiquum enim est Hippocrati dicere sine sudore, quasi sine euacuatione manifesta. Multi verò morbi etiam acuti finiuntur insensibiliter, ipsa febre suam materiam absorbente, ut inflammatio resoluitur tuo ipsius calore.

- 6 **C**irca æquinoctium Chalcidionius a portis delatus ad forum, ruptura circa dextram mammam, dolens spuebat aliàs & aliàs subchlorum. Venter, sudor incipiens septima tenebat plerumque vsquè ad octauam. Iudicatus est quatuordecima. Circa quadragesimam verò tumores facti sunt circa aurem utramque. Non immerito videbatur suppuratus fore. Non factum est.

Cum rumpitur alicui vas aliquod in pulmone, aut thorace, aut ob vehementem motum, aut perfrigerationē maximam, aut multitudinem ad vasa vocatam, aut ob rodentem qualitatem (corrosio enim etiam rumpit vasa) citò coalescat, periclitatur suppurari, non minus quam ex inflam-

inflammatione eius loci, primum quia vlcusculum ipsum aliquando dilatatur putrescens, & pus colligit, deinde, quia sanguinem ex rupto incidentem in ventrem, seu cavum thoracis, concretumque in grumos, necesse est pus fieri, nunc melius, nunc deterius. Hic ergo Chalcidonus rupturam accepit circa dextram mammam in thorace: ex corrosione, arbitror, ob biliosam sanguinis qualitatem. Nam locum affectum indicavit dolor, sanguinis vero qualitatem sputum, alias & alias subchlorum. Id est, nunc flavum, nunc subviride, ac fortasse etiam nunc subflavum. Nam omnem hanc colorum speciem continet quod chlorum: totum vero hoc genus est biliosum. Cum igitur is affectus maiusculus factus est, febrem attulit, ut & pleuritis solet. Venter etiam egerebat, & sudor copiosus fuit ferè per totum septimum. Quæ omnia multitudinis erant. Ut iam constet multum & biliosum fuisse huic succum. Quo factum est, ut etsi indicaretur, id est, a febre liberaretur quatuordecima die, non tamen perfectè, & tutò liberaretur, sed citra quadragesimam tumores facti fuerint circa aurem utraq. Qui tumores hominem omnino liberauerunt a morbo pectoris, citra suppurationem. Quæ quidem suppuratione meritò timebatur. Atque cum, inquit, meritò putaretur suppuratus fore, non factum est, sed resolutione finiti sunt: aut, cum meritò putaretur fore suppuratus intra thoracem, quia ut ipsemet Hippocrates dicit in prognostico, quicumque dolores ex his locis non sedantur, neque ad sputorum purgationes, neque ad stercoreum alui subductionem, neque ad venæ sectiones, & victus rationem, & medicamenta, eos, ad suppurationem verti, sciendum est. Ergo cum huic fluxisset aluus, & excreatum esset multum, & exudatum, & nihilominus non esset persanatus homo, meritò putabatur suppuratus fore, tamen non est factum, quia commutatio facta est, morbi thoracis cum parotidibus.

Pectus Aristodemo vstum est. Philidis filio, cui abscessit ex casu, ipsi etiam vstum est.

QVAM familiaris fuerit Hippocrati vstio pectoris in
suppu.

Gg 2

suppuratis, siue ex casu, aut alia manifesta causa, siue citra omnem occasionē suppurati fierent, hinc, & ex alijs multis locis, intelliges. Quomodo fieri debeat, docet Paulus libro 6. quanquam non perinde non sit alia commoda vendi ratio. Ego sanè, vt absit terror, & ægroti pareant, causticis vtor, quanquam inustionem candenti ferro factam, si ægroti sint animosi, non nego esse meliorem.

- 8 **P**ost æquinoctia autumnalia recidiuæ, & aliàs vsque ad solstitia hyemalia, post solem æstiuum.

VERE, ob optimam tēporis conditionem, & ætate ob calorem, fieri solent morbi citæ iudicationis. Autumno vero ob inæqualem aëris intemperiem & debilitatem quā superior tempestas reliquit, morbi fiunt, qui lethales, acutissimi: qui salutare, difficilis iudicij, & vix vnquam, idque per multas recidiuas, desinentes. Hoc est quod dicit post æquinoctia autumnalia, idest, in autumno, recidiuæ: quoniam verò non solum post æquinoctium, sed ab initio etiā autumnus, quod est ab ortu arcturi, incipiunt esse multæ recidiuæ: neque solum per totum autumnum durant, sed et per primam hyemem, quæ solis conuersione finitur, velut corrigens se ipsum, addit, aliàs, quasi diceret, aut melius dicam vsque ad solstitia hyemalia, post solem æstiuum: i. ex fine ætatis, quam finit ortus arcturi vsq; ad solstitia hyemalia. Nimirum ætate sanguis & excrementa oīa exuruntur, vires debilitantur, ac iam inde ob hanc causam, & quia sol a nobis recedit longius (ad quem omnium corporum ortus, vita, & robur, referuntur) nulli morbi perfectè iudicantur, & vix vllus sese potest a morbo expedire, & robur pristinum recuperare, vsque dum idem sol ad nos redire incipiens, corporibus, ortus naturalis & salutis, aut esse incipit. Quod tam est experimento cognitum, vt vulgus etiam hominum, eos qui diuturno morbo tenentur, beneficium primi veris; & redeuntis solis, iubeat expectare.

- 9 **A**cheloi vxor sexta die abortum fecit, sanguinea cum esset, & horrida, & sudores. Indicatio decimaquarta.
- Quot

Quot mensium esset, non noui. Masculum autem etiam alium, ad dies viginti se abortisse, dixit. An vera dixerit, non scio.

SEXTA die febris, fecit hæc abortum, quem febris, vt solet, attulit: & decimaquarta accidit fieri iudicium: decimaquarta (intellige) eiusdem febris quæ est iudicata. Nam vt cum febris superuenit partui, computatio a partu esse debet, ita cum partus febrî, a febre. Sed est hic notatu dignum, quod dicit, cum esset sanguinea horrida, & sudores. Dicit. n. id, velut causam abortus reddens. Nimirum huic, quia gerebat vtero, fortasse non est sanguis missus, & ea quia sanguinea, abortiuit: multitudine scilicet sanguinis ex pultricem vteri facultatem prouocante, aut acetabula vteri dirrumpente. Quorum vtrumque natum erat in hac muliere fieri. Nam qualitas mala sanguinis irritare, multum dirrumpere solet. Horror verò indicabat mordentem qualitatem, & frequens sudor multitudinem. Vt iam hinc constet verissimè quosdam dicere, non semper missionem sanguinis facere abortum, sed multas hoc auxilio ab eo præseruari. Sed quorsum dicit se non nouisse, quot mensium fuerit foetus? Cur si nesciuerat, non tacebat potius? Certè vt intelligas, momentum aliquid habere ad abortus, quot mensium sit foetus. Nam primis & vltimis mensibus facilius, ac proinde minus periculosè abortitur. Porro, quorsum commemorat, eam dixisse, abortisse se alium masculum ad dies viginti, præcipuè cum dubitet, an vera dixerit? An quia hæc quoque refert disquirere in abortiente, an consueuerit abortum facere. Quia quo plus est in mulieris natura, eo minus imputandum est affectui præter naturam. Quo etiam tempore prægnationis abortiat nunc, & antea abortierit: an eodem semper, an altero. Nam vt lib. de sterilibus dicit. Hinc pendet causæ cognitio, quia quæ eodè tempore multoties abortiunt, ob exiguitatem naturalem vteri, aut substantiam non bene dilatabilem, id pati censentur.

¹⁰ *Post solis hyemalis conuersiones borealia erant. Ictericæ fiebant, catacores, & alij quidem cum hor-*

rore, alij non. Lingua vsq̄ tertia die, & turbationes circa sextam & septimam, & hæ longum durantes. Quatuordecima alui retentæ, & pharacis non obediens, secundum rationem febrium etiam sine sudore. Lienes quibusdam exigui ad dextra hypochondria intenti, & ad manus submurmurantes. Hæmorrhoidas habentes, & vrinis expurgatio & iudicatio. Multo autem magis deorsum nitebantur, etenim hoc occurrebat sub hoc tempus. Quibus non ita erat, lienes verò elati, fluebat sanguis ex sinistra nare. Solstitium præterierat, hyberna hyberno modo in borealibus. Paulo autem post, austrina fiebant ad quindecim dies, post hæc autem vix quatuordecim diebus. Per hanc anni constitutionem icterici catacores, non recipientes iudicationem syncere, amantes reuersiones. Post niues autem austrina superuenerunt, & pluuie, grauedines eruperunt, & cum febribus, & sine febribus: vni verò cuidam, & in dentes, qui antea ex medio doluerat ad dextra, & supercilium & oculos. Erant autem & rauci, & fauces inflammatae, & spongiæ vocatæ intumescebant, & circa aures & buccas, in tumescencia molles, & cum febre sedebantur; incipientibus febricitare fiebant superne, & ad vtramque partem pleraque horum. Erant quibus & spongiæ sub autumnum & hyemem: sed & porrigines.

VT antea dixi, hinc videtur mihi liber quartus melius incepturus, a quodam scilicet statu morbofo, & communi, vt priores inceperant. Præcipuè cū, quæ hucusque sunt enarrata, velut particulæ quædam historiarum libri proximi esse viderentur. In hac narratione oportet, distinctionis gratia separare, quæ pertinent ad aeris temperiem, ab ijs quæ ad morbos: indistinctè enim videntur commixta omnia. Verum ita distinguitur. Post solis hyemales conuersiones, hoc est, cum solstitium hyemale iam præterierat, borealia erant. Nimirum erant hyberna hyberno modo in bore-

borealibus. Paulò post solstitium, scilicet ad finem Decēbris, fuerunt austrina quindecim diebus, post hæc rursum nixit alijs quatuordecim diebus: post niues, appetente iā vere, austrina superuenerunt, & pluuiæ. Per hanc anni constitutionem, duplex morbi genus fuit commune. Primum facti sunt multi icteri, cum febribus biliosis, difficilis iudicationis. deinde multi catharri in varias partes, vt fieri solet, incumbentes fuerunt, inquit, icteri catacores, non recipientes iudicationem perfectè, amantes reuersiones, id est, habentes recidiuas. Dicitur est nuper, catacores significare apud Hippocratem, interprete Gal. libello antiquata rum vocum, quod est valde biliosum, siue de morbo, siue de succo, siue de homine, siue de causa, siue etiam dicatur de accidente. Velut nuper significabat excrementum, cum diceret, biliosum restiario catacores: nunc ex symptomate morbum. Nam icteri catacores dicuntur, per quos est maximus pallor per totam cutem. Nam sunt quidam per quos soli oculi, aut soli illi multum, pallent, neque verò erant hi morbi, soli icteri, sed cum acutis febribus. Nam alij (inquit) inuadebant cum horrore, alij non. Erant autem plurimis communia hæc. Lingux vsq̃ tertia die, & turbationes circa sextam & septimam, & hæ longum durantes. Id est sæua accidentia, & inquietudo quæ turbationem afferebant (hoc enim solet Hippocrati vocari turbatio) acciderunt sexta & septima, neque ea turbatio præterijt breui, sed durauit satis multum vtraque die. Quatuordecima nullæ euacuationes acciderunt, vt in acutis febribus par erat, quinimo alui erant adeo retentæ, vt, neque pharmacis obedirent: neque erant sudores secundum rationem febrium. Non enim intelligendum venit, nõ obediētes medicamentis secundum rationem febriū. Quia febris vehementia per se non iuuat ad facilem expurgationem, sed vt explicuimus, non erant sudores pro ratione febrium. Febribus enim acutis valde familiaris est sudor. Itaque hi icteri facti sunt a prima die febrium acutarum, non tamen proinde dicit mortuos esse omnes aut plurimos, sed fuisse difficilis iudicij, & amantes recidiuas. Vtrūque est consideratione dignum, qui facti sint icteri tam biliosi in tempestate boreali & frigida, & qui potuerint tam multi euadere a morbo regio ante septimum. Nisi enim

euasissent multi, non dixisset fuisse morbos difficilis iudicij, sed grauius aliquid. Considerare oportet Hippocratem non dicere tota hyeme fuisse hyberna hyberno modo, sed circa solstitium fuisse hyberna hyberno modo in borealibus. Quibus verbis insinuat, ante id tempus, in prima inquam hyemis parte, non fuisse hyberna hyberno modo, neque tunc nisi in borealibus, hoc est quod boreas flaret. Ergo ante id tempus fuerat hyemis prima pars, verisimilis, & tunc flante borea repente, vt solet, magnum frigus factum est. Cum igitur bilem ab æstate collectam, frigus prioris temporis non extinxisset, erant adhuc biliosa corpora, & a repentino frigore obstructa, priusquam emendata, in morbos biliosissimos inciderunt, & obdurata cute, prohibitoque bilioso effluuio, tincta est bile cutis. Frigus. n. paulatim ingruens, æque emendat feruorem bilis, & densat corpora, quod verò ingruit repente, anticipat cutē densare. Vnde ex accidenti biliosi morbi fiunt. Hic ergo, illud symptoma mutati coloris, rationem externæ causæ morbi sequutum est, qua ratione oportebat minus periculosum esse, quàm in talibus soleret. Iam vero Hippocrates non dicit ex morbo regio ante septimum oēs ægros mori, sed malum esse, neque hoc quidem vbiq; eodem modo. Nam quarto libro de ratione victus in acutis contextu octogesimoprimum, ita occurrit scriptum, In biliosa febre morbus regius cum rigore ante diem septimum factus morbum soluit: si vero absque rigore præter occasum nem superuenerit, mortale. Itaque morbo regio accidit quod alijs abscessib. Est. n. malum signum cum ante diem morbi decretorium sit, atque cum non solum ante diē decretorium, sed languidè èt atque tentato magis, quàm factō abscessu, pessimum, & nihil tunc temporis pōt habere boni, ne vt causa quidem. Significat vero rigor morbo regio adhuc fienti accedens, maiorem quendam imperium facultatis expultricis in partibus. Ac proinde, non mirū, si rigor cum morbo regio soluat febrem, etsi ante septimum fiat, sine rigore non ita, quanquam ne tunc quidem necessē sit, oēs ab eo signo interire. Nam etsi mortale esse ponatur, possint ab eo signo ægroti conualescere. Occurrerunt èt lib. i. sectio. 3 multi, qui a morbo regio dici sexti superuixerunt. Potuerunt ergo èt hi superuiuere ante septimum iſterici,

ictērici, cum præcipuè multi illorum corripentur ictero cum horrore, qui est quidam rigor. In hac excrementorū redundantia, cum nullæ euacuationes manifestæ contingerent, sed versus quaque diffunderentur, contigit crassiores partes bileſcentis sanguinis in lienem colligi, vt certè plærunque fit in morbis difficilis iudicationis, ob eius visceris laxitatem. Verum in quibusdam ita obfederunt lienē, vt deorsum versus reperent, quod quidem exiguo lienis tumore, & quadam intentione versus dextram partē, & murmure: quibusdam sursum, quod elatione & tumore eius hypochondrij, significabatur. Illis succedebant hæmorrhoides, & vrinæ iudicatoriæ, & expurgatoriæ, & infra nitebatur, tentati scilicet tenesmo: his fluxiones sanguinis ex nate sinistra. Nimirum murmuris hypochondriorum, vt ad inferna vergentium succorum notæ, crebra apud Hippocratem mentio est. vt & intumescencia hypochondriorum cum sensu cuiusdam reuulsionis, & ad superna retractionis, futuri fluxus sanguinis ex naribus, est indiciū. Hoc erat primum genus morborum qui ea tempestate acciderunt. Aliud, quodque posterius accidit post austrina fuit catharrus, quem ea temporis, nunc borealis, nunc austrini, diuersitas, haud dubie erat allatura: nunc austro replente, nunc borea exprimente. Destillant vero non in eandem partem omnibus, sed vt quisque paratus est, alijs in nares, alijs in palatum alijs in laryngem, alijs in dentium radices, vnde quibusdam excidunt: alijs etiam ad oculos, vnde humidi lachrymantur: alijs ad externas faciei partes, vnde circa aures, aut buccas, aut supercilia, molles intumescencia cedematosa. Quibusdam fiebant tumores in internis oris partibus, vt in faucibus, aut spongijs vocatis, quibusdam etiam fortasse in gargareone. Quas vocet Hippocrates spongijs explicat Galen. lib. vocum antiquatarum citans hunc locum, & ita dicens, *σπόγγιοι* glandulæ circa fauces, vt in quarto morborum popularium. Non fiebant hæc vt febrium abscessus, immo vero febres illis succedebant, aut simul cum illis nascebantur, quibus etiam sedabantur. Nimirum vt in controuersijs monstratum est, morbos huiusmodi, qui ex incoctis succis pendent, succedentes aut accedentes febres sanant. Fiebant itaque aut ante febres, aut incipientibus febricitare. Multis supernè
ad

ad vtramque partem, plæraque horum. Antecesserunt verò in hac tempestate, vt in alijs etiam valde morbofis, quædam inditia futurarum passionum. Nam quibusdam etiã sub autumnum & hyemem, idest, per autumnum & hyemem, ante scilicet quam morbi dicti (incæperunt enim circa solstitium hyemale) acciderunt spongiæ, hoc est tumores glâdularum, sed & porriginis alijs, idest, furfures multi in capite. Quæ omnia excrementa multa in capitibus indicasse constat. In quibus verò talis apparatus erat, necesse erat futuram aeris intemperiem dictos morbos afferre, præcipuè secundi generis.

11 *Sexta virgini iudicata, sexta reuerterunt, iudicata verò sunt omnia per sextam. In his temporibus sexta & octaua iudicabantur circa pleiadum occasum.*

NON tantum mutationes insignes, vnius perpetuæ morbi, diebus iudicatorijs fiunt: sed & recidiuæ, cum contingit morbos intercidi in illos ipsos dies solent incidere. Proinde virgini illi, vt sexta die iudicata sunt primum sua mala, ita sexta a prima iudicatione, reuerterunt, & sexta iudicata sunt rursus omnia. Nimirum illis temporibus, sextam & octauam contigit esse iudicatorias. Id quod certè fieret, quòd morbi essent acutissimi, & mouerentur per pares. Nam vt acutissimi qui per impares mouentur, finiuntur septima, ita qui per pares, finiuntur sexta aut octaua. Qui enim alius finis par sit vnius septimanæ? Moueri verò per pares, vt sæpe est indicatum, morborum est difficilis iudicationis. Itaque iudicari sexta aut octaua, est acutissimorum & difficilium morborum: tales verò merito fiebant circa pleiadum occasum. Id enim tempus est autumnus, cui tales, familiares sunt.

12 *Meandri cæci vxor statim chlorum & statim purulentum spuit, circa sextam, & hepatis feruor, & deorsum deiectio modica, carnopurulenta sursum pauca, alba, lata spuebat: cibum fastidians, mortua est prope viginti simam diem.*

Hæc

HÆC laborans ardēte febre & biliosa, qua hepar præcipue inflammabatur, collectam pulmonem bile, in suppurationem incidit, perniciosam adeo, vt merito prope viginti diem mortua fuerit. Factum est enim huic, quod in prognostico his verbis scriptum est; Suppurationes, quæ cum bilioso adhuc sputo excreantur, lethales admodum, siue per partes biliosum cum pure excreetur, siue simul. Maximè autem si incipit procedere suppuratio a tali sputo, cum morbus iam est, septem dierum. Talia verò excreantem, fore vt quatuordecimo moriatur, sperandū est, nisi aliquod ei superueniat bonum. Huic certè mala superuenierunt. Nam carnosopurulenta excreare pulmonis celeriter computrescentis erat. Alba etiam & lata, quæ sunt etiam rotunda, & consistentia, excreare, malum est. & cibum etiam fastidire. Quare magis mirandum non ante quatuordecimam esse mortuam, quam paulò post interisse. Sed erat fortasse firma alioqui natura.

EX vicinis textoris famula ex vstorijs deiectione biliosa copiosa hypochondrio intento. Sexta ex suppressione ipsi aluus, tenuia, copiosa, vna vice egesta. Et statim sudauit, & iudicata est, & aluus stetit, eadem autem hora, cum rigisset febricitauit, & in eandem rursus horam.

IL L V D ex vstorijs significare potest materiã, aut causam procatarticam. Hoc modo, significat mulierem hanc ex victu calido cœpisse ægrotare: illo verò deiectionem biliosam fuisse ex vstorijs, hoc est ex acerrima & vrente bile. Vtunque hoc habeat (neque enim Hippocrates satis explicat) constat ex ipsa narratione, hanc laborasse deiectione biliosa, & copiosa aliquot dies, deinde suppressa aluo, nondum finitis excrementis, hypochondrij regionem intentam esse: collectis scilicet eo, quæ antea fluebant. Deinde sexta die a suppressione (nimirum iudicabantur eo tempore sexta & octaua plæraque) factam illi esse vna vice copiosam deiectionem tenuium & liquidorum, & statim sudasse, & iudicatam esse, & rursus aluum stetisse, neque iam

iam inde fluxisse amplius copiosa deiectione. Verum quia tenuia fluxerant ex aluo, & sudore tenuia etiam euacuari solent, hæsit circa viscera crassum, ac velut cinericium, unde febris intermittens (cum rigore enim repetebat) est significata: quam est verisimile fuisse diurnam, cum repeteret semper eadem hora, & in aphorismo dicatur. Quibus fiunt paroxyfmi, quacunque hora febris dimiserit, si eadem sequenti die inuaserit, difficilis iudicationis est malum.

14 **T** Hersandri vxor, leucophlegmatica non valde existens, lactans, acutè febricitauit. Huic lingua exusta est, alijs etiam vstionem subeuntibus. Sub hoc tempus lingua etiam exasperabatur, vt grandine mul-
ta, & lumbrici per os. Circa vigesimam verò non perfecte iudicata est.

MVLIER hæc febricitauit ardente febre ex pituita falsa. Nam incipiens illa leucophlegmatia pituitosum apparatus indicabat, & exasperatio linguæ velut grandine multa conspersæ, & lumbrici per os reiecti, significabant eundem succum. Non mirum autem quod ex eo febris ardens nasceretur, & lingua, aliaque omnia exurerentur. Nam vt idem Hippocrates. 4. de rat. vict. in acutis autor est, duplex est causus, alius ex bile, alius ex falsa pituita. Fit vero pituita falsa putrescentia, non semper, sed cum quiddam habet terreæ naturæ admixtum. Quod vero pituita talis fieret, maxima causa fuit, quod lactaret. Lactantibus enim menstruæ euacuationes derinentur, quæ cum maligni sanguinis sint, admiscentes sese pituitæ, illam reddidere malignè putrescentem. Est vero hæc maxima lactantium noxa, impura excrementa quæ singulis mensibus exire solent, retinere, pro puro lacte, quod exurgitur. Lumbricos, & si per os nonnunquam reijciantur, in intestinis, præcipuè gracilibus habere generationem, alijs locis dictum est.

15 **C**irca pleiadum occasum puer Metrophanti caput per-

percussus testa, ab alio puero, cum attigisset duodecimam diem, febricitauit. Occasio autem, quod scalpens, perfricuit partes circa vlcus, & refrigeratus est, & intumuerunt statim labia: extenuata est cutis multis locis ultra vlcus. Secto autem non tardè, neque plus effluxit, neque alleuatus est. Iuxta aurem verò videbatur suppurari in maxilla ad sinistra, hac enim parte etiam vlcus erat. Deinde & hoc non suppuratum est, celeriter mortuus est circa vigesimam quartam.

MIRVM profecto est mortuum ab vlcere fuisse puerum, cum neque mox percussus ceciderit, neque vomuerit, aut quidpiam habuerit, eorum quæ lethaliter percussis: ac multo magis cum duodecimam diem attigerit febre vacans. Non immerito autem dicit Hippocrates, Nullum capitis vulnus leuiter contemni debet, sæpe enim cutis sola contusa ferro, aut alia aliqua re, si non diligenter, aut cum quadam cautione curetur, velut si sanguis concretus non expurgetur: aut aliud quiddam negligatur: vlcus in crude scens non parum molestiæ exhibet, & aliquando etiam febrem inducit: & medico quidem negotium, ægroto vero periculum non minus affert. Hæc Hippocrates. Mori vero contingit ex vulnere capitis sola cute concisa: aut ea sola reuera concisa, & nulla alia parte solutionem patiente: aut quod ea sola concisa esse videatur, lateat vero interius fractura aliqua. Hoc quidem manifestum est, quam sit periculosum: quia dum cutis sola frustra curatur, crescit in insanilem interior noxa. Sed & citra hanc, contingit quosdam mori, ex cutis capitis ruptura, ob pessimum corporis apparatus, aut capitis maximam debilitatem, aut curationem malam, aut tempestatem, regionemve, aut denique victus rationem incommodam. Nimirum cum quippiam horum accidit, ex leui occasione fiunt grauissimi affectus, & ex minimis inijs accipiunt maxima incrementa, vt in statu illo pestilenti sectionis tertix, libri tertij accidebat agrotis, de quibus ita dicebatur, Multis quidè erysipelas cu occasione, in quibusuis & valde paruis causis, in toto

corpo.

corpore, præcipuè autem circa caput, atque si parum neglecta erant. Potest itaque nulla interna parte diuisa, fluxio quæ ad sectam cutem conuocetur, læsionem incurabilem, in internum caput, refundere. Nam quid nisi ex digito gangræna affecto contingit mori, si malum negligatur? Ita accidit Metrophanti puero. Si enim internæ partes a principio læsæ fuissent, aut mox percusso symptomata aliqua id indicassent, aut certè multò ante duodecimam diem, febris & alia superuenissent. Sed non venit ante eam diem, neque tunc citra occasionem, sed quòd scalpens perficitur partes circa vulnus, & refrigeratus ea parte est. Leuitas autem occasionis indicauit malignum corporis apparatus. Quanquam hinc quoque nos oportet admonitos, arcendos esse capite percussos, ab scalptu, & vlcus nunquàm esse nudandum citra medicamen, linamentum, aut linteolum, vsque dum cicatrix omnino obducta sit, quin, & firmata non nihil. Facilièm enim alterascunt vlceratæ partes a frigore, & vt Hippocrates dicebat, vlcera incrudescunt: quod huic eo magis euenit, quod contempsit tegere vulnusculum circa pleiadum occasum, frigidissimo scilicet tempore. Narrat verò Hippocrates percussum fuisse testa, non oblitus suarum præceptionum, qui libro citato post dicta verba ita scripsit. Primum igitur, capite vulnerato interrogare oportet, per quid vulneratum sit. Nimirum testa non potuit scindere, citra partium adiacentium contusionem, quarum si neglecta suppuratio est, meritò successerit maligna putrescentia. Intumuerunt ergo labia vlceris frictione & frigore læsa, & noua fluxione recepta, extenuata autem est cutis multis locis per partes ultra vlcus, hoc est in capite superiori, vt tangenti videretur pus subesse. Atqui etsi illæ partes sectæ sunt non tardè, sed maturè, vt oportet suppuratas, tamen neque pus exijt, neque puer leuatus est. Nimirum illæ cutis extenuationes non sunt factæ per suppurationem, sed per corruptionem facultatum naturalium in parte male nutrita, ac proinde tabescente cute, eodem modo, quo labia ipsa vlcerum malignorum solent extenuari, & arescere. Erat verò vulnus in sinistra capitis parte iuxta aurem, parte quidem perse minimè periculosa, vt pote in qua os firmissimum est. Videbatur, postquàm labia intumuerant, suppuratio colligi eadem parte ad maxillam

illam, quæ sanè suppuratio si procesisset, fuisset salutaris,
 & ipote secundum rectitudinem, in proxima vlceri parte
 & humiliori facta. Verum ea euanuit, & humerus dexter
 suppuratus est. Quod quidem fuit graue signum, ob loci
 contrarietatem, eadem ratione, qua vt monet Hippocra-
 tes ipse libello citato, in perituris conuulsiones in contra-
 ria parte fiunt. Si (inquit) in sinistra capitis parte vulnus ha-
 beat, in dextra corporis parte conuulsio corripit, si verò in
 dextra capitis parte vulnus habeat, in sinistra corporis par-
 te conuulsio corripit. Cum ergo tam graue iam signum
 accederet, breui mortuus est, circa vigesimam quartam.
 Forasse quia vigesima quarta fit ex bis duodecim, & duo-
 decima acceperat in signè mutationè. Hæc. n. est rō cōstitu-
 tionis legitimæ. Sed cur conuulsio in contraria parte fiat,
 moriturus ex capitis vulnere, & nō potius in eadē superest
 dicamus. Atheneus huius euentus cām facilem commen-
 tus est, sed non ad eò veram, neruos nullos in sui lateris
 partes recta ferri, sed statim in exortu sese mutuò interse-
 canes, ad figuram græci X. singulos ferri in latius contra-
 rium. Sed cum hoc falsum esse ipsa anatomes indicet, ni-
 hil refert a quo dictum sit, sed alia opus est ratione. Ea
 verò est hæc: vlcera in perituris, vt in prognostico dicitur,
 siccescunt, & deponunt tumores labiorum. Quibus enim
 in vlceribus tumores apparent (vt dicitur in aphorismo)
 non valde conuelluntur, sed his euanescuntibus: quia cū
 perit facultas rectorix in parte læsa, cessante sensu & dolo-
 re, & tractione alimenti, ac pròinde arefcente parte, non
 recipitur quod venit, quare quod mittebatur non rece-
 pitum quo mittebatur, repellitur in partem contrariam,
 euanesçūtque in vlcerata tumores, & conuulsiones appa-
 rent in cōtraria: magis verò si vlcerata pars posterior est,
 quàm si anterior. Hæc enim, vt in aphorismo citato dicitur,
 infaniam aut mala alia potius facit, quàm conuulsio-
 nes, nisi forte oculorum, qui quia ab anteriori cerebro re-
 cipiant motum, possunt per vlcerationem partium ante-
 riorum, facile conuelli. Sed cur (vt hoc obiter in gratiam
 lectorum dicatur) si ex dextra sinistra, & ex sinistra dextra
 patitur, non etiam ex anteriori posterior, & ex posteriori
 anterior? Certè anterior eiusdem lateris cum posteriori, &
 posterior cum posteriori contrarij, parem contrarietatem
 haber,

habet, tamen non parem distantiam. Propior enim est posterior posteriori, quam anterior. Cum verò fluxio ob dictam debilitatem errat a parte in quam tendebat, consentaneum est, declinet prius in contrariam proximam, quam in contrariam remotam (alioqui & in longissimè positam, & multis modis contrariam feratur primum) quare ex vulnere dextra & posterioris partis, in posteriorem sinistram fertur, prius quam in anteriorem dextram, & ex anteriori in anteriorem aliquo modo contrariam, potius quam in posteriorem. Accedit quòd aphorismus ille nò de ulceribus capitis, sed de quibusuis intelligitur. Sed hæc obiter dicta sunt. Huius loci gratia illud solum dicere intererat, signum lethale esse in vulneribus, conuelli parte contraria, eadem enim ratione lethale fuit huic puero euanescente suppurationem è sinistra maxilla, & dextrum humerum suppuratum esse. Similis vulneratæ partis langor, & similis expultricis error.

16 **P**ost pleiadum occasum, ille qui aurem dolebat circa vigesimam, postea voce priuatus fuit, & dextrarum partium impotens, sine febre sudauit. Dextra auris, dexter oculus, consistebat non valde, & trahebat aliquid ex inferna parte, in sinistris verò distortus est oculus grauius dolens. Cervix dura facta est, tertia hora postea quam doluit.

HVIC vigesima die febris rapta multitudine in caput, auris dolebat, crescente postea passione cerebri factus est paralyticus toto dextro latere, & vt solent paralytici, voce priuatus sudauit & febris, cum abscessu, tum sudore extincta. Auris dextra, & dexter oculus non valde consistebat, idest motitabatur, vt solent quibus resolutio imminet. Sed quo pacto auris non consistebat? Auricula enim non mouetur, auris verò solius sensus instrumentum est. Certè ita intelligendum est, dextra auris & dexter oculus consistebat non valde, & trahebat aliquid ex inferna parte. Quia oculus non consistebat, & vtraque pars trahebat aliquid ex inferna parte: idest recipiebat fluxionem infer-

nè sursum venientem: quod quidem indicabatur humiditate circa eas partes redundante. Non admodum curat Hippocrates distinguere pars quæ aliunde recipit, trahat, an recipiat solum, utcumque enim hoc habeat, trahere dicit eam quæ recipit: id quod præcipuè in oculorum fluxionibus obseruauit. Nam & quinta sectione secundi libri dixit, pituitæ fluxiones ex mammis trahunt oculi. Sed addimus reliqua. In sinistris, inquit, distortus est oculus grauiter dolens, & ceruix dura facta est, tertia hora postea quam doluit oculus. Hæc, conuulsione facta sunt. Nimirum dextra pars erat resoluta, & in sinistra oculus & ceruicis musculi conuulsi. Nam etsi, distorqueri potest oculus resolutione & conuulsione, conuulsiones verò potius sunt quæ à graui dolore incipiunt: & durities illa, ac velut rigor ceruicis, longè aberat à resolutione. Quare argumento à dolore antecedente, & à passione proximæ partis, constat sinistri oculi passionem conuulsionem fuisse. Non mirum autem alias partes conuulsione, alias resolutione tentari, passionibus enim sunt, loco affecto, & materia, similes.

17 **P**ost pleiadum occasum, seruus Atici, à quartana correptus, fatuus permansit.

FATUITAS frigida passio cerebri est, ex crudis succis, quales sunt pituitosi & serosi. Hi enim succi vergentes ad corpus faciunt resolutiones, & vergentes ad animam, fatuitatem: velut melancholici, vergentes ad animam faciunt insaniam, vergentes ad corpus conuulsionem. Nihilominus videmus multos ex melancholicis morbis in passiones illas incidere, ut ex epilepsia melancholica, aut ex melancholia morbo, in resolutiones, & ex quartana, & dicta epilepsia, in fatuitates: quia melancholicus sanguis est admodum serosus, quia in eo boni, & mediocris sanguinis exiguum est, sed totus resoluitur in fæcem & serum, velut quædam vitiosi lactis genera, ex quibus casei & seri extrahitur multum, mediocriter crassi lactis & butyri nihil ferre. Hac causa ex quartana sudatur multum, & melancholici sunt saliuosi, ac reddunt copiosam vrinam. Pituitæ etiam multum colligitur, in melancholicis, ob de-

H h bilitatem

bilitatem caloris, & incoctionem. Has ergo ob causas, nō immerito potuit hic egrotus ex quartana fatuus fieri. Quāquam Alexander Trallianus, vt resolutiones neruorū quādam ex melancholia esse dicit, videtur mihi dicturus, esse fatuitatem ex melancholia.

- 18 **A**lius eodem tempore vera typhlomania, in coxas & crura venit dolor, conquieuit, quotidie haud scio.

Vt fatuus, & qui velut mentis stupore tenetur, proxima sententiola dicebatur τυφλόδεις, & qui aperte multumque delirat, dicitur maniacus, ita qui mixtam habet passionem, dicitur Hippocrati typhlomaniacus, & passio ipsa typhlomania. Quāquam apud Gale. occurrit semper scriptū τυφομυϊκλο vetustate mutatis in. v. Cū hic egrotus hac passione teneretur, dolore descendente ad coxam & crura, liberatus est. Nimirum vt sectione quinta secundi libri dicebatur, si caput doluerit ad pectus descendit, dein de ad hypochondria, postea ad coxam.

- 19 **E**odem tempore horridi, vomentes, & post iudicationem fastidiosi, & biliosi, & splenes, magni, duri, dolentes, & hæmorrhagici. Quibusdam autem eodem tempore post pleiadum occasum, ex naribus sanguis biliosus in splenicis.

VEXABANTVR hoc tempore, vt in autumnō plerumque solent, ora ventriculorum bile flaua, & fiebant morbi difficilis iudicationis, & amantes reciduas. Illud quidem indicabant horrores & vomitus, hoc fastidia post iudicationes, & bilis effusa, & magni splenes, quia vt. 6. epidemiarum sectione 5. dicitur, rigor (est verò eiusdem generis & horror, à superiori ventre fit: & vt. 2. sectione eiusdem libri dicitur, Oris resiccatio, & amaritudo, & fastidium post iudicationem relicta, reciduas minantur. Abscessus etiam ad lienem in difficilibus morbis fieri solent. Sunt verò sæpe lienosi tumores hæmorrhagici, idest sanguinem fundentes: quāquam non omnes per eandem partem: sed quibus tu-

met,

met, & intētus, ac velut sursum detractus lien est præcipuè si phlegmonosus videatur affectus, quod dolore & calore maximè significatur, ex naribus fiunt eruptiones, vt sectione. 3. lib. 2. dicebatur. Quibus verò minus tumet, & velut in latera & humiles partes distenditur, fiunt fluxiones ex hæmorrhoidibus. His itaq; meritò sanguis ex naribus biliosus fluebat ob splenes, cū illi esēt magni, duri, & dolorosi.

IN Cranone Nicostirati vxorem correptam, quatuordecima, statim anticipauit impotentia colli, & aliorū, & cibus inclusus est vsque ad decimam. Spiritus densus paruus, impotentia, palpans digitis: delirans: sudores: distracta sunt ad dextram, ceruix, os, oculus, nasus.

CORREPTOS, seu deprehensos, vocant medici, eos qui apoplectica aliqua passione repente corripuntur, & omnium maximè catochos. Hac ipsa ratione dicit mulierē hanc correptam fuisse quatuordecima die morbi, hoc est in apoplexiam aut catochum ea die incidisse, vnde haud dubie mortua est. Narrat verò quæ hanc apprehensionem antecesserant, dicens correptam quatuordecima, anticipauit statim impotentia colli, & aliorum: hoc est, mulierem illā quæ quatuordecima die morbi correpta est, anticipauit statim à morbi initio impotentia, hoc est, debilitas, & ægre mouere Collum, & partes alias omnes, vt brachia, & crura, & cibus inclusus est vsque ad decimam, hoc est aluum non exoneravit vsque ad decimam morbi diem. Quod qui dem duplicem habuisse causam est consentaneum, debilitatem musculorum abdominis, similem ei, quæ erat in reliquis partibus, & raptum humorum in partes superiores: quibus fieret, vt fæces duræ, à debilibus musculis exprimi non possent. Spiritus etiam hoc tempore fiebat paruus & frequens. Sed cur, dicens spiritus paruus densus, addit impotentia? Præcipuè cum dixisset mox, anticipauit colli impotentia, & aliarum partium? Videtur enim frustra repetitum illud nomen impotentia. Certè rarum quiddam & magnum innuens. Id verò est, respirationē talem, non esse factam ob dolorem partium supra septum transuersum, vt in prognostico ab ipomet Hippocrate dicitur, fieri solere, &

qua sola causa fieri posse à Galeno putatur, sed ob impotentiam mouendi septum transuersum. Nimirum anticipauerat hanc, impotentia colli & aliarum partium, quare & musculorum pertinentium ad respirationem, quorum precipuus est septum transuersum. Necessarium autem videtur, causam hanc ponere respirationis talis, quanquam eius Galen. non meminerit. Nam si semiresolutum, & cum mouendi impotentia septum sit (quid autem prohibet ita esse) non poterit longum dilatari, quare dilatabitur motu curto: cum verò vsui, vtpote quem non ponimus diminutum, non fiat satis, necesse sit, moueatur crebrò. Indicat etiam hoc ita habere spiritus sublimis, qui creber & paruus plerumque est & debilitati imputatur. Verùm quia per morbos acutos, qui cum febre fiunt, de quibus in prognostico agebatur, dolorosi affectus intra thoracem frequenter fiunt, impotentia verò huiusmodi, rarissimè, atque non ob ipsos acutos morbos, sed ob alios casus ipsis accedentes, vt paralyfim, velut perpetuum quiddam statuit illic Hippocrates. Crebrum spiritum significare dolorem, aut incendium, crebrum scilicet cum exiguitate dolorem, cum magnitudine incendium, Gal. cum in libris de dyspnoea, tum etiam vbique alibi, videtur contempsisse quartum & quintum libros epidemiarum, quoniam arbitror, videntur negligentius scripti quam tres priores, & qui proximè sequitur. Mihi verò ex his etiam videtur multum frugis capi posse. Fuit etiam palpans digitis. Quod quidem instantis delirij esse, in prognostico dicitur, in hac verò, euentus id aperte significauit. Nam delirauit etiam. Quapropter videtur hæc affectio, vsque dum in magnam & manifestam deprehensionem venit, velut ex ingruente apoplexia & phrenitide mixta fuisse, delirabat enim, & partes omnes sensim in resolutionem ibant: quæ quibusdam in partibus manifesta fuit: nam ceruix, os, oculus, nasus, ad dextram partem distracta sunt, per resolutionem, arbitror, partium sinistrarum. Nam etsi tortura faciei, conuulsione partis versus quã distorquetur, aut resolutione contraria, fieri possit, tamè impotentia quæ antecessit, & apoplexia subsequuta, nos vocant in resolutionem. Non poterant autè hæc nisi admodum pleno corpori contingere, vnde & sudores crebri fiebāt: & quatuordecima die in apoplexiam malum finitum est.

Vri-

VRinarum subsidentia alba orobina, alia alba ramentosa, alia subchlōra vitellos pisos referens. Huic aliquando ut pingue quiddam superstabat, hocque aceruatum, non multum dispersum, ut eneōrema disparatum, ut quod exit ex ouicula. Non subsidens, deinde mingebatur, & aliud quidem huiusmodi, aliud autem residens. Aliud huiusmodi paucum in latum dispersum: aliud perturbatum, aliud huiusmodi. Eneōrema nubeculæ nigræ quæ videretur crassitudinem habere. Laxum autem aliud tenue, aliud eneōrema tenue tale, aliud quale equi, aliud ut quæ caliginosa.

Non est Hippocratis institutum hoc loco, logicam partitionem, & quæ differentias omnes vrinarū contineat, facere, sed memoriæ mandare, eas quæ ea tempestate in ægrotis occurrebant, exercitationis, & experientiæ gratia. Proinde veritatis nunc & obseruationis, magis quam logicarum differentiarum studiosus, collatione cum rebus quibusdam, quæ extra nos sunt, & cum vrinis aliorum animalium, qualia & quomodo apparebāt, quam maxime ratione potest, conatur fideliter explicare. Atqui, quia nō solum in multis ægrotis apparebant variæ differentiæ, sed in quibusdam etiam eisdem, nunc hæc, nunc illæ; cum dicit aliud huiusmodi, aliud alterum, significat, cum idem ægrotus pluries viferetur, aliam vrinam fuisse huiusmodi, aliam non. Sed percurramus singula verba. Vrinarum, inquit, subsidentia alba orobina, alia alba ramentosa, alia subchlōra vitellos pisos referens. Orobinum contentum vrinæ, duplex est, quoddam sola figura orobinum ut grana orobinis similia, alba tamen, quoddam colore & figura orobi granis simile. itaque, quæ ut grana quædam sunt figura, simulque frustrulis veterum vitellorum colore similia, orobina simpliciter sunt. Quæ grana alba, sunt orobina alba: quæ verò sunt frustrula alba, non tamen figura ut grana, sed ut ramenta, est alba ramentosa subsidentia. Hæc quidem sunt exulceratione viatum: orobina verò vitione succorum: alba, pituitosorum

3 simpliciter orobina, sanguinis biliofi. Huic (addit) aliquā
 3 do vt pingue quiddam superstabat, hocque aceruatum, nō
 3 multum dispersum, vt enedrema disparatum, vt quod exit
 ex ouicula. Scilicet, hypostasi orobinæ simili vitellis pifis
 (illam enim refert illud, huic) superstabat aliquando vt
 pingue quiddam, non qualecumque, sed aceruatim mictū.
 Merito sane; nam illud orobinum fit, sanguine bilioso in re-
 nibus vsto, significat verò pingue confertim mictum, vt in
 aphorismo dicitur, calorem renum. Proinde cōsentaneum
 est, quibus talia orobina minguntur, supernatare etiam pin-
 gue aceruatum, non multum dispersum, vt simile fit eneo-
 remati disparato, vt (inquit) quod exit ex ouicula, id est
 quale est quod apparet in ouium vrinis. Quo loco licet mi-
 rari Hippocratis diligentiam, qui obseruabat nō solum ho-
 minum, sed aliorum etiam animalium vrinas, quo aliquid
 inde fructus caperet, conferens vrinas cum vrinis ad earū
 agnitionem: aut etiam ad cognitionem naturæ. Nimirum
 erat contemporaneus, & amicus Democriti, qui omne ge-
 nus, vel reptilium dissectabat, tanta erat philosophorum il-
 lius seculi diligentia. Sed videamus reliqua, non subfidens,
 3 inquit, deinde mingebatur, & aliud quidē huiusmodi, aliud
 3 autem residues, aliud huiusmodi paucum in latum disper-
 3 sum, aliud perturbatum, aliud huiusmodi. Hoc est, aliquan-
 do erat vrina ex qua nihil separabatur. Neque tamen illa
 perseverabat, sed alia mingebatur huiusmodi, alia residues,
 alia huiusmodi, hoc est, non residues manifestè, sed habens
 paucum dispersum in latum, alia perturbata, alia rursum
 huiusmodi, hoc est non perturbata, sed in qua nihil reside-
 bat. Quod quidem significabat, multos, varios, & inæqua-
 3 liter coctiles succos. Enedrema, inquit, erat nubeculæ ni-
 græ, hoc est in quibusdam erat quod continebatur nubecu-
 la nigra, quæ videtur crassitudinem habere, hoc est quæ ob
 3 nigræ videtur crassior quàm erat re vera. Erat verò
 3 aliud enedrema laxum (hoc est disruptum, deiunctum, seu
 3 sparsum: denique non continuatum, & cohærens) tenue,
 aliud tenue tale, hoc est tale qualis nubecula continuata,
 quæ etsi ob nigræ videretur crassa, erat tenuis. Nihil au-
 tem habet admirationis descendere cum vrina, nigrū quod
 tenue fit. Nam habet etiam melancholia partes satis tenues,
 immo verò multas. Nam vt nuper monstrauius, est admo-
 dum

dum serosa, & lienis substantia nutritur nigro & tenui, que proinde, ut est nigrior, ita tenuior hepate, & alijs visceribus. Addit, Aliud quale equi, aliud ut quæ caliginosa. Que verba ad ipsam fuluram vrinæ referuntur, non ad aliud quidpiam quod in ipsa contineatur, aut innatet. Constat vrinam qualem equi, esse, eam quam in aphorismo vocat similem vrinis iumentorum, dicitque significare dolorem capitis, qui adest aut aderit: quæ quidem est perturbata, non utcunque, sed perturbatissima. Itaque quanquam dixerat antea perturbata, & nunc dicit quale equi, non est repetitio inutilis. Non enim quamcunque perturbatam dicimus esse qualem equi. Caliginosam vrinam, aut qualem caliginosam, vocat, vrinam obscuram, magis quam crassam. Ut ergo videmus succos quosdam esse crassos non valde obscuros, sed pellucentes: ita constat esse alios turbidos obscuros, & tenues. Non enim obscuritas æque comitatur crassitiam, ut dictum est, sed est aliqua crassa clara, aut saltem non valde obscura vrina, & alia caliginosa tenuis, aut saltem non valde crassa. Cum summa enim tenuitate non potest esse nisi aquosa, quæ est alba perspicua, neque cum summa crassitie, nisi cenosa, quæ est etiam obscura. Verum potest esse inter hæc alia minus obscura, quam pro crassitie, alia minus crassa, quam pro obscuritate: illa significabit, pituitam vitreæ substantiæ non absimilem, hæc, melancholiæ tenuem ichorem.

22 **Q**ui primus delatus est adolescens, huic vrina pura tenuis, omniū deiectio tenuis, multa, sine bile. Lingua aspera admodum, febris valde vrens, insomnis. Aluus curua. Hic deliravit arbitrator octava procaciter, exurgere, pugnare, turpia loqui fortiter, cum talis non esset. Huic venientibus confertim vrinis multis tenuibus ex suppressione, somnus factus est continuus, & sudor qui videbatur iudicatorius, ex quo talis fortasse circa decimā. Deinde & insaniuit statim, & mortuus est celeriter, vndecima die. Occasionem arbitrator, bibere merum multum, antequam insaniret. Pauci anni huic prope viginti.

Hh 4

QVAE

QV AN febris esset hæc, & quæ eius causa, & quò, quo-
 uis tempore, humores quique reperent, ex ipsis symptoma-
 tis licet agnoscere. Ardentem enim fuisse ex bile, eaque
 exusta, vt atrabilis naturæ iam accederet, indicat lingue
 asperitas, & quòd febris erat valde vrens, & peruigilium,
 & delirij species. Causa autem qua bilis meracior est facta,
 duplex esse videtur, ipsum incèdium febris: & quòd aqua,
 qua solet bilis dilui fundebatur largiter, in primis per se-
 cessum, deinde per vrinam. Et cum aqua deorsum inclina-
 ret, bilis facta calidior & meracior, rursus efferebatur.
 Quòd indicabat vrina pura tenuis, hoc est alba & perspi-
 cua, qualis aqua: & deiectionem, per febrem vrentem, sine
 bile esse, & peruigilium, & curua aluus Hoc est aluus tumi-
 da, elata, & proinde incurua. Ea enim cum deiectio aqua
 multa fieret, detenta circa viscerabile, & sursum eunte, fie-
 bat. Quòd subsequutum delirium declarauit. Delirauit (in-
 quit) arbitror die octaua. Nimirum cum non esset Hippo-
 crates satis certus qua die, vt fieri solet, cum principiam
 morbi non satis exactè ex relatione agnoscitur, aut inter
 duos aliquos dies mutatio euenit, reiecit illud in octauam
 ob naturam tempestatis illius, qua omnia sexta aut octaua
 recipiebant insignes mutationes. Quantum verò delirium
 esset, multis exagerat Hippocrates dicens, delirauit proca-
 citer, exurgere, pugnare, turpia loqui fortiter: & (quòd ma-
 gnitudinè delirij maximè auget) cum talis non esset, hoc
 est cum ipse alioqui esset honestus, & modestus, & tempe-
 rans. Huic ab initio fuerat mictio exigua, a qua, vt est con-
 sentaneum deriuata ad aluum: & bile, quæ mictionem mo-
 uere solet, sursum elata. Nam vt dicit, fuit omnium deiectio
 multa sine bile. Cum verò nomen hoc *απονοσ* latine ab-
 scessus, significet præcipuè deiectionem alui, & hic non de
 omnibus eius tempestatis ægrotis ageret, sed de solo hoc
 adolescente, constat dictum esse omniū deiectio, quasi om-
 nis deiectio. Itaque, quia erat omnis deiectio tenuis multa
 sine bile, vrina reddebatur exigua vsque dum post octaua,
 erumpente arbitror parte aliqua bilis, eius qua aluus tume-
 bat, per vesicam, minxit cōfertim multa tenuia, & somnus
 factus est continuus, & sudor, bile effusa, pariter per vias
 vrinæ, & corporis habitum, & ad tempus recedente a ce-
 rebro: quòd tūc temporis, sanguis pituitosus occupauit. Sa-
 dor

dor ille iudicatorius videbatur, quia circa decimam, quæ his morbis qui mouentur per pares, est pro undecima. Et ob hanc ipsam rationem, Hippocrates non satis certus diei, reijcit in decimam, dicens, circa decimam fortasse: & quia sudor calidus erat per totum, ut hæc etiam causa magis iudicatorius esse videretur. Tamen cum nullæ concoctionis notæ antecessissent, non poterat esse iudicatio perfecta. Fortasse non fuisset inutilis, nisi, dum hæc agerentur, adolescens per intemperantiam bibisset multum merum. Ex hac verò occasione insaniuit statim, & mortuus est celeriter, undecima enim die. Meritò sanè intra diem & noctem ab occasione. Eo enim tempore iudicantur, quæ à causis procatarticiis fiunt, graues noxæ. Et quid ni fieret, ex vino multo mero, adolescenti viginti annorum, in summo febris ardentis, cum phrenitide, constituto?

3 Eumenis vxor, autumnò vomuit bilem nigram, & odores manifesti, & febres horridæ, & cardialgia biliosa, in breuia vomens, & lumbricum. Deiectiones tenues, totum tempus ante occasum pleiadum desinebant circa ipsas sanguinis eruptiones, & breuiore febres, & statim reuertentes breuibus reciduis, & cibum non capientes, & excocti, & anxij, & cardialgici, & serini in indicationibus, & rigore affecti, & biliosi a cordis.

Incipiens ab ijs quæ vxori Eumenis acciderunt digreditur ad ea quæ in commune, ea tempestate, accidebant multis. Non dicit qui fuerit morbus præcipuus vxoris Eumenis, consentaneum autem, fuisse febrem acutam & periculosam, quales autumnò solent fieri. Quicumque autem fuerit ex his symptomatis quæ illi acciderunt, constat fuisse periculosissimum: siquidem os ventriculi laborabat multum, a materia biliosa malignè putrescente. Vomebat enim nigra, & admodum grauolentia, & habebat cardialgiam biliosam, hoc est dolorem oris ventriculi à bile. Vnde fiebant febres horridæ, quia, ut dictum est, sæpe sensus eius partis facit, ut ea patiēte crebrò rigeant aut horreant ægroti. Hinc etiam fiebat, ut crebrò vomeret, irritato scilicet ore

BIBROS
DEL DR.

ore ventriculi: mirum verò quòd tales succos in ventriculo colligens, lumbricum vomeret. Nam acres & acidi necare solent animalcula huiusmodi. Sed hoc quidem necesse erat fieri, in intestinis gracilibus genitis ex semiputri chylo lumbricis, & ascendentibus in ventriculum, vbi necarentur à malignis succis, & eorum vi extincti reijcerentur. Non dicit quem habuerit exitum morbus: ego verò suspicor, mortuà esse hanc mulierem. Quia vomitus nigros, & graueolentes, in pernicioso ponit Hippocrates in prognostico. Deinde diuertit ad ea quæ in multis obseruabat, hæc scilicet, deiectiones tenues per totum tēpus ante occasum pleiadum, hoc est per totum autumnum: desinebant etiam circa ipsas, hoc est circa ipsarum occasum, & ineunte hyeme, sanguinis eruptiones, & febres fiebant breuiores quàm superiori autūno, & statim reuertentes breuibus recidiuis, hoc est, ex breuibus intermissionibus habentes breues, & multas recidiuas: & erāt ægroti valde fastidiosi, & excocti, hoc est vsti, & anxij, & cardialgici, & ferini in iudicationibus, & rigore affecti, & biliosi, hoc est bilem hæc & illac effundentes, & colore ac reliquis symptomatis, bilem præferentes. Vbi legi, anxij, Græcè dicitur ἀσώδες quæ vox solet significare fastidiosos, eos præcipuè qui ex satietate fastidiunt. Hic verò constat, id nomen non dici de fastidiosis, nam dixerat ἀστρος hoc est cibum non capientes: non adderet verò fastidiosi: quia vox hæc ἀστρος multò magis aborrentes à cibis significat quam ἀσώδες, etià cum hæc de fastidiosis dicitur. Quare ineptè, cum dixisset ἀστρος, adderet ἀσώδες. Sed hic ἀσώδες dicuntur anxij. Velut & paulò post, in hoc ipso libro. Ferinum Hippocrati enarrate Gal. libello de antiquatis vocibus, significat nonnunquàm lumbricos, aut morbum per quem bestiolæ illæ reijciuntur: nonnunquam vlcus agreste & malignum. Est etiam cum significat tabescentiam. Hic nulla ratio est, qua de vlcerebus intelligatur id nomen: tamen duorum alterum significare potest, ægrotos circa solutiones morborum acutorum tabescere, aut per morborum iudicationes reijcere lumbricos, & vtrumque quadrat naturæ temporis. Nam tabes familiares sunt autumnò, & Hipp. (quem locum Gal. lib. de vocibus antiquatis citat) vocat autumnum ferinum, à lumbricis, qui eo tempore multi gignuntur. Et in hanc de lumbricis

bricis suspicionem feror potius, ob id quod de vxore Eut
menis dixerat, in breuia vomens, & lumbricum. Itaque di-
cit, in iudicationibus illa tempestate lumbricos apparuis-
se. Quibus aut e causis singula illorū fierent, cōstat ex sæpe
iam dictis. Illud solum nunc fit satis dicere, omnia quidem
fuisse morborū periculosorū, & difficilis iudicationis, qua-
les autumno, præcipuè solito insalubriori, erāt familiares.

A *Dolefcens peregrinus. Tertia sanguis ex naribus
multus & quarta, & quinta. Sexta stetit, compositè
delirauit. Septima alius stetit comatosa erat reuersio ter-
tia die, alius destitit eniti. Vrinam non vidi circa iudi-
cationē vt oportebat: circa pleiadum verò occasum au-
strina & pluuia erant, & tunc adolescens mucosa, subbi-
losa, cocta, deijciebat. Lentas multas deiectiones. Febris
continua, lingua arida. Iudicatus est sexta. Septima sta-
tim arripuit, dimisit eadem die cum tremore, fluxit ex au-
re sinistra lentum & crassum sexta.*

Ex redundantia sanguinis pituitosi magis quam biliosi,
ob austrinam constitutionem caput occupante, videtur
morbus hic natus. Nam occupari caput, fluxio sanguinis
de naribus in principio apparens, & expurgatio ex aure,
quæ morbum finiuit, apertissimè indicarunt, præter deliriū
& comam non fuisse autem sanguinem biliosum nisi modi-
cè, modus delirandi, qui fuit moderatus & compositus, ve-
lut ex sanguine mitiori: abundantiam pituitæ, coma, & de-
iectiones mucosæ, lentæ, & multæ, & quod ex aure, exijt.
Lentum enim illud etiam fuit & crassum. Fuisse tamen etiā
non nihil bilis (nam qui posset non esse in ardente febre)
indicarunt deiectiones, quæ etiam fuerunt subbiliosæ, &
arida lingua: tamen hæc minus, quia ex salsa etiam pituitæ
qualitate fieri poterat. Vbi dicitur, & tunc adolescens,
mucosa, subbiliosa, cocta, deijciebat, in quibus sdam codici-
bus desideratur illud cocta, & sententia nihil læditur. Nam
reuerà illa non erant cocta. Crassa enim fiunt quæ coquun-
tur, non lenta. Quare suspicor redundare eam voculā, aut
significare descendisse simul cum succis crassis & lentis,
fæces

fæces similes ijs quæ ex aluo egeri solent. Illæ enim cum
 crassitiem quandam, & colorem quandam, sunt consequen-
 tæ, sunt quodammodo coctæ. Enumeratio dierum in hoc
 morbo est difficilis, quia Hippocrates noluit id oratione
 satis explicare, & præpostero ordine videtur narrationem
 profequi, vt vix intelligas quæ dicit, an de eisdem diebus
 pluries differens, an de diuersis, dicat. Ego verò curabor
 apertè explicem. *καμματα δὲ τῆς ὑποτροπῆς* (nam
 nihil differt) significare solet Hippocrati vt Galenus dicit
 in libro antiquarum vocum, accessionem quæ cum coma-
 te reuertitur: velut solent quibusdam, tertianæ, aut quoti-
 dianæ, redire semper cum sopore. Quare vbi dicit erat co-
 matosa reuersio tertia die, ne intelligas aliquam recidiuam
 factam esse tertia die ab aliqua iudicatione: sed eum figu-
 ram morbi exponere, ac si diceret, tertia quaque die fiebant
 accessiones cum sopore. Nam si de aliqua recidiua loque-
 retur, non diceret erat reuersio comatosa: sed fuit. Itaque
 dicit hanc febrem, fuisse continuam cum lingua arida, &
 habuisse accessiones comatosas tertianas, & vsque ad sex-
 tam diem, qua stetit, fluxisse sanguinem à tertia. Aluus
 etiam dicit stetisse septima: antea enim fluxerat, qualibus
 postea dicit. His dictis de morbi figura, addit quæ ad iudi-
 cationem pertinuerunt, dicens primùm quæ circa iudica-
 tionem, & ante ipsam euenerunt, deinde qua die facta sit
 iudicatio, deinde quæ subsequuta sunt. Aluus, inquit, desti-
 tit eniti, & vrinam non vidi circa iudicationem, vt oport-
 tebat. Hoc est cum aluus antea niteretur semper excerne-
 re, & fluere, circa ipsam iudicationem destitit (nam vt mox
 dicitur iudicatio facta est die sexta, & septima aluus iam
 stetit) & vrinam, inquit, non vidi, qualem oportebat quo-
 bona esset iudicatio, concoctam scilicet. Quid ergo appa-
 ruit ante iudicationem? Cum, inquit, tunc circa pleiadum
 occasum essent austrina & pluuix, quæ scilicet alui fluxio-
 nes nata erant facere, adolescens mucosa subbiliosa cocta
 deieciabat. Lentas & multas deiectiones, quæ scilicet re-
 dundantiæ erant, magis quàm quòd materia superata res-
 ceretur. Proinde tametsi febris erat continua & acuta (hoc
 significabat lingua) quales sunt quæ iudicari consueue-
 runt, tamen iudicatio quæ sexta die est facta tam fuit ini-
 da, vt mox die septima febris reuerteretur. Neque mirum:
 nam

nam illa iudicatio habuit omnia, contra ac oportuit. Nam concoctiones non apparuerunt, & euacuationes quas tunc oportebat incipere, tunc cessauerunt. Itaque iudicatus est sexta infide. Quia septima statim arripuit eum febris, eorum tamen rursus eadem die dimisit illum cum tremore. Non arbitror cum tremore propriè, vt Galenus vti eo nomine vult, vt scilicet est motus talis à sola debilitate facultatis animalis, non enim tam repente fit facultas ex fortiori languida, & rursus ex ita languida fortis. Quare non tam repente incidisset, aut diutius durasset tremor. Sed quia incidit est, *τρεμος πυρεδεις*, hoc est partim tremor, partim rigor. Quem Galen. dicit Hipp. vocari non *τρεμον*, sed *πρεμον*. Mihi etiam nomine *τρεμος* videtur Hippocrates vti pro tremore rigoris participe. Sunt verò tales multi tremores. Ita enim tremunt qui timent, & labia eorum quibus instat vomitus, & crura earum, quibus partus. Huic adolescenti magna causa rigendi fuit, cum, vt euentus indicauit, pus aliquod circa auris partes gigneretur. Languidiori ergo facta facultate à febre prægressa, contigit cum dimitteret, fieri tremorem cum rigore: non expurgata verò mali causa: sed procedente eius suppuratione, sexta die à recidua (non enim fit à principio sexta, quàm antecessit septima) fluxit ex sinistra aure lentum & crassum: pituitosum scilicet, non bene suppuratum, quando quidem létum. Itaque hic etià ægrotus fuit vnus eorū qui sextis diebus recipiebant insignes mutationes, & totus morbus videtur attingisse, aut decimam tertiam, aut solum duodecimam, vt longior aut breuior fuerit ea intermissio febris, quàm sexta attulit. Tametsi enim dicit statim septima febrem rediisse, non dicit qua hora, potest verò esse in viginti quatuor horis septimæ, & si quas alias sextæ etiam dimisit, tanta differentia. Sed hoc non multum refert. Quod tota dictio continet, ego, aliter compositis verbis dicam apertius. Adolescentens peregrinus habuit febrem continuam; & linguam aridam, & comatosas reuersiones tertijs diebus. Tertia die sanguis ex naribus multus, & quarta, & quinta, & cum esset tunc circa pleiadum occasum austrina & pluuia, adolescentens mucosa subbiliosa cocta deiecit, nō vt cumq;: sed lentes & multas deiectiones. Sexta stetit sanguis, & ille delirauit

delirauit compositè, & iudicatus est, aluus niti cessauit, & non vidi vrinam circa iudicationem, vt oportebat. Septima stetit aluus, & statim febris arripuit, & dimissit eadem die cum tremore, fluxit ex aure sinistra lentum & crassum sexta.

25 *P* Vero Phagedena laboranti, dentes inferni, & superiorum & inferiorum anteriores emergebant, cauam habebat. Quibus os ex palato abscedit medius nasus subsidet: quibus verò dentes anteriores supernæ partis censentur habere extrema lata. Quintus ab anterioribus quatuor radices, secundum binas coniugatas, vt ad vtrūque vicinum dentem, omnes quidem reflexas ad internā partem. Iuxta tertium dentem suppurationes plures, quam iuxta alios omnes. Et quæ ex naribus crassæ fluxiones, & à temporibus dolores ex hoc maximè fiunt. Exeditur hic maximè. Quintus ex medio quidem excrescentiam habebat: duas autem ab anteriori parte. Paruus primus interiori iuxta duos exedebatur. Radicem vnā crassam acutam habebat septimus.

HÆC oratio partim pertinet ad disputationem de abscissionsibus, partim ad causas simitatis, partim ad anatomiam: tota tamen ad dentes. Accipere solent dentes, magnam, & numeri, & magnitudinis, & figuræ, differentiam in varijs hominibus, maiorem multò, quam aliæ quæcunque partes. Sæpe enim qui huic minores illi sunt maiores, & qui huic plures, illi pauciores radices habent, est tamen quædam formatio communis plurimis, quædam eorum quæ Hippo. hic dicit, notat vt pertinentia ad communem formationem, quædam vt rara. Quæ tamen hæc sint, non aliter intelligere possis, quam sciens, quæ accidant plerisque. Dentes esse solent triginta duo, in vtraque maxilla sedecim. Quatuor anteriores siti in anteriori & media mandibulæ parte, amplius & acuti, quibus ad incidendum vtimur, vocanturque ob id incisori; duo vocati canini ob figuræ similitudinem, vtrin-

que vnus, quibus vtimur ad frangendum, decem molares, quibus vtimur ad comminuendum, vtrinque quinque. Incisori, & canini habent radices singulas: canini longiores multò, & crassiores, ac magis rotundas, vt cum omnes infiri sint vt clauis, hi videantur esse clauis grandiores. Molares habent radices plures, duas enim aut tres, aut quatuor. Nam neque in omnibus hominibus, neque omnes molares, neque in ambabus maxillis, totidem. Superiores enim plures quam inferiores, & qui ad postremam maxillæ partem spectant, plures quam anteriores, radices habent: vt plurimis, in superiori maxilla tres postremi molares habeant quaternas, & duo anteriores binas. Postremi etiam habent radices tortuosas magis, firmitudinis gratia, quam anteriores, & superiores quam inferiores. Omnes recipiunt perradicem venam & arteriam, ex iis quæ in totum caput ex iugularibus distribuuntur, & neruum ex tertio pari descendentium ex cerebro. Omnes solent excipere abscessus præcipue ex capite. Nam & secundo libro sectione prima, in abscessibus opportunas partes, dentes numerauit. Nunc ergo dicit, puero laboranti phagedæna (secundum os scilicet: quæ pars exedentibus vlcerebus crebrò solet corripi) dentes maxillæ inferioris (omnes scilicet) & vtriusque maxillæ anteriores (qui dicuntur incisori) emergebant, id est excidebant, nempe suis alueolis, & cauum habebant, hoc est, caui alueoli pro dentibus relinquebantur. Sed cur cum excidisset dentes inferioris maxillæ omnes emergebant, addidit, & superni & inferni anteriores? Frustra enim videtur repeti, & inferni? An vt significetur facilius corrumpi inferios supernis, & in vtrisque anteriores posterioribus? Hinc accipit occasionem digrediendi ad similitatis causas (quod physiologicum nunc pathologicum est) ac dicit, quibus os ex palato abscedit, medius nasus subsidet. Os hoc esse videtur quod Vesalius vocat sextum maxillæ superioris, quia collocatur ad finem palati, qua narium foramina in oris amplitudinem pertinent. Hic cum firmentur vt quodam cemento nares, si ob corruptionem id os dehiscit ab aliis, subsidet, media etiã nasi pars subsidet, vt fieri solet, morbo Gallico aut Elephante correptis. Quoniam autem duodecim ossiculis, proprijs sinibus circumscriptis, consistat maxilla superior (nisi etiam pluribus) fit sæpe, vt illorum aliquid

quod putredo deuastet, quæ alia, ne attingat quidem. Quibus verò inquit, dentes anteriores supernæ partis excident, censentur habere extremum nasum latum, quia maxilla minima exterior, eleuari ab infixis dentibus desinens subidet, ac cum illa nasi extremum. His dictis transit ad cæcitiæ historiam, & vocat quatum ab anterioribus, tertium molarem. Anteriores enim hic dicit duos anteriores & medium medios, quorum vterque est primus sui lateris. Operet enim intelligere mandibulam per medium in duas partes sectam, vt reuera gemina est. Inter dictos enim dentes, habet ossium agglutinationem. Ergo post hunc primum, in quouis latere superest incisorius vnus, & caninus alter, quare tertius molaris, est post primum quintus dens. Ille, atque ab illo etiam reliqui molares, quartus & quintus præcipue in superiori maxilla, habent quatuor radices, binas ad vtrumque vicinum dentem, omnes reflexas ad internam partem. Hinc redit ad abscessus, ac docet quidem quod apud Hippocratem magna cum voluptate reperit, vt pote sæpe à me notatum. Iuxta tertium dentem suppurationes plures fieri quàm iuxta alios omnes, ac promereri sæpius exedi, & huic condolere magis tempora, & fluxiones crassas nasum ob hunc magis, pati. Causa qua temporales condolent dentibus, est in ea portione nerui tertiæ conuersionis, quæ erumpit è caluaria, qua coarticulantur mandibulæ. Ea enim distribuitur in tempora & radices dentium, vnde compassio temporum & dentium. Quod verò maior compassio cum tertio, hoc est cum canino, fit: causa est maior crassities & longitudo radice, excipit enim ob plus nerui, venæ & arteriæ, quam alij, & naribus propius accedit, & rectius situs est. Quæ mox sequuntur pertinet ad dissectionem. Quintus, inquit, ex medio quidem extremam habebat, duas autem ab anteriori parte. Quintus hic dicitur secundus molaris. Duo enim incisorij sunt, & vnus caninus, post quos secundus molaris, est quintus dens. Hic, vt & primus, rarò habet quatuor radices: sed cum plurimas, tres duas ab anteriori acie, & aliam velut ex medio dente erumpentem. Addit paruus interius iuxta duos exte- debatur. Hoc rursus pertinet ad abscessus, dicitur vterque paruus primus, secundus incisorius, quia incisorij sunt primi dentes, duo verò medij sunt maiores multo alij, promereri

alij dicuntur primi parui. Alter ergo horum interius exedebatur iuxta duos proximos, hoc est pertingente exesione duos dentes proximos. Addit deinde aliud, quod vtrarum notauit. Septimum. scilicet in quodam homine habuisse radicem unam crassam. Septimus. non est quartus molaris, qui habere solet quatuor, aut minimum, tres radices. Verum, ut diximus, dentium formatio magnam recipit varietatem.

Athenada puero masculo doluit a sinistra parte infernus dens, supernus a dextra. Huic auris dextra suppurata est, cum non amplius doleret.

Quandoquidem non dicit, qui dens, suspicor fuisse tertium, quem omnium maximè solere tentari dolore, nuper dixerat. Fuerit verò ille, aut quiuis alius, meritò malù ad pus per aurem venit, ut solet. scilicet. Quia cõio magna est dentibus cum aure, cum quintæ coniugationis neruorum cerebri, pars, abeat ad aurem, pars concreseat prope maxillarum articulationem cum parte tertiæ, quæ emittit furculos in dentes. Meritò et cessauit, cum primù pus apparuit, dentis dolor: quia quæ in hanc partem mittebat cerebrum, in aliã mittere cepit. Atqui hoc est per abscessum liberari. Nam ut de his mutationibus dixit Hippocritus. impossibile est omnia simul dolere.

Post pleiada clemens celum, nubilosum, & caligines. Iudicationes quintanæ, & sextanæ, & septimanæ, adhuc autem & longiores. Reuertentes febres, & erratico modo, & fastidiosæ, & biliosæ, & dysentericæ, fastidiosæ, & biliosæ.

Post pleiada dicit, quod paulò post dicit post pleiadum occasum, tunc non fuerunt austrina, quæ faciunt clemens celum, & nubilosum, & caligines, ut ex superioribus constat. Tunc inquit fiebant iudicationes quintanæ, & sextanæ, & septimanæ, adhuc autem & longiores, reuertentes febres & erratico modo, hoc est, iudicationes accidebant quintis, sextis, & septimis diebus, aut adhuc pluribus. Reuertebatur verò, & certis diebus, & erratico modo. Ad hanc

eandem sententiam pertinent, & eius exempla sunt, quæ paulò post dicit. Post pleiadù occasum austrina. Quæ quinta die iudicabantur, intermissa vna repetebant. Et illa est. Sutor quidam septima iudicatus est, vna intermissa, altera redijt: rursus, quarta iudicatus est. Alius, ex ijs qui a Loocy de venerant, septima iudicatus est. Alius quarta. Moschus nona. Largus sanguis ex sinistra, modicus ex dextra nare, ad decimam quartam ad iudicationem. Rursus, delinquentes circa edulia decima septima fiebant. Nimirum hi partim iudicabantur quinta, sexta, aut septima, partim tardius recidebant, partim vna die interposita, partim rarius intertis interuallis. Quia hæc omnia pertinent ad difficiles iudicationes, quales autumnalibus, aut ex autumno cadentibus morbis, sunt familiares. Erant etiam fastidiosa, & biliosa febres. Quia, arbitror, non acciderunt, initio hyemis frigora tempestiua, quæ extinguerent bilem, & ob eandem causam fiebant dysenteria, fastidiosa, biliosa. Magnum est, in dysenterijs non fastidire cibos, quia venter superior bene habet.

²⁸ **C**irca pleiadum occasum austrina fortiter erant, hæmorrhagiæ & febres tertianarum figuram referentes, epiliarum naturæ.

CUM, vt dictum est, hoc initium hyemis non valeret bilem extingueri, fiebant hæmorrhagiæ (biliosus. n. sanguis maximè fluit, & auster non cohibet, sed potius fundi facit) & per putredinem bilis intra venas, quam austrina constitutio omnibus succis, quin & rebus omnibus, nata est asferre, tertianæ continuæ. Quas Hipp. vocat *τρεσσημιμιας*. Cum verò non posset, non ea anni pars aliquid pituitæ adijcere, succorum calidi & frigidi mixtione, contraherant febres naturam epiliarum, per quas simul ardere, & algere videntur corpora.

²⁹ **Q**ui in sutrina decumbebat, sanguinem fudit valde biliosum, deiectio pauca, iudicatus est septima cum rigore.

Quia

QVIA sanguinem fudit valde biliosum ex naribus, habuit deiectionem paucam. Cōscendente. n. multa humiditate, & ea biliosa, in caput, siccata sunt stercora in ventre, & cessavit fortasse quotidiana irritatio intestinorum, quam affert bilis. Siccauerit ēt fæces ipsa febris, quæ fuerit ardens: cui familiaris iudicatio est rigor, siquidem a febre ardente rigore superueniente solutio. Cum ergo hic non acciderit sexta, qua solet esse malus, sed dierū optima, potuit iudicare, & si morbus processerit per difficilia. Fluxus enim ille sanguinis ante iudicandi tempus, malum erat signum, vt causa verò videtur fuisse bonus, quia non vt stillicis, sed copiosus.

Per qui iuxta extremam cauponam, fudit sanguinem die quarta, mox multum nugabatur, alius renebatur, hypochondrium dolorosum durum, ad glandem die sexta deiecta sunt mala, chlora. Septima mane iactatio, multus clamor, venarum pulsationes iuxta umbilicum.

NON dicit quem habuerit exitum hic morbus, suspicor tamen puerum mortuum fuisse nō multo post, aut si forte fortuna euasit, euaserit suppuratus. Quia sanguis de naribus fluens malus est, vt dī initio primi prædictionum, præcipue si quarta die appareat (cā dicta iā mihi antea est) indicat verò phrenitidem, quod mox euenit, mox. n. multū nugabatur, quod est blandius delirare. Alius renitebat huic, vt proximo ægrotō, grauius verò, quia fuit hypochondriū durum & dolorosum. Hoc. n. est inflammationis, quam ēt fuisse ex valdē calido ac bilioso sanguine, exeuntia diei sextæ declararunt, cum essent chlora. Sed inflammatione in summum aucta die septima, factæ sunt venarum pulsationes in hypochondrio, de quibus in prognostico dicit Hippo. furorem significare (id verò est ob magnitudinem inflammationis) cuius sniæ accommodatissimum exemplū hic puer præstat, cui simul cum pulsu circa umbilicū, iactatio, & clamores contigerunt. In tanta ergo ventris inflammatione, quid posses aliud expectare, quam mortem, aut

saltem suppurationem? Non.n. inflammatio infra umbilicum consistebat, sed ab hypochondrijs ad umbilicum.

3¹ **I**N acutissimis febribus, pulsus creberrimi ac maximi.

Contendunt quidam Hippocratem nullibi de pulsibus agere. En verò locus, vbi febrium pulsus describit. Pulsus inquit in febrib. acutissimis creberrimi ac maximi. Quia febris, hoc est aucti præter naturã calor in corde, pulsus sunt magni, celeres, & crebri. Maximarũ ergo febriũ, maximis celerrimi ac creberrimi. Si verò sunt maximi, ac creberrimi, necesse est sint et celerrimi. Si.n. ab aucto calore incipit magnitudo, prius accedet celeritas, quã crebritas. Si verò a debilitate, aut incommoditate arteriẽ incipit crebritas, prius accedet celeritas quã magnitudo. Nõ pnt ergo esse creberrimi & maximi, quin sint celerrimi. Tales verò sunt magnarum febrium, vt febrium omnino, maiores, celeriores, & crebriores.

3¹ **Q**uale est ad vesperam exacerbari, tale in omni morbo.

Hoc est, ois morbus exacerbatur ad vesperam. Cõstat vero intelligi, morbum pendentem ex materia, atque nisi figura propria morbi impediatur. Si cui.n. summo mane est accessio in initium, & ad vesperam inclinatio, leuabit ad vesperam. Cũ vero accessio id non facit, ipsa diei hora ex sese, facit vt morbus exacerbetur: & egroti, quin & valedudinarij oēs, sibi ipsis magis displicetes fiant: quia vt lumine, calore, & motu, & vigilia, euocantur ab internis excrementa, ita tenebris frigore, & quiete, & somno, occurrunt ad viscera grauãtq; partes. Proinde, cũ accessio in inclinatio nõ incidit in eã horã, ad vesperã ingrauescũt morbi. Quã non est imputandũ morbi nature, sed horã. Quin & quib. inclinatur ea hora febris, inclinatur minus, ac deterius soluitur, quã quib. mane. Et hac rone fit, vt febres diurnã, quã inclinatio incidit in noctẽ, minus veniãt ad in febricitationem, quã nocturnã, quarum, in summum mane. Ac proinde diurnã nocturnis deteriores sunt, vt lib. 1. sect. 3. dictũ est.

Ad

AD principia verò & paroxyfmi, & quod prius, & continuïtas, & anni tempus.

Hæc est prima pars aphorifmi duodecimi fectionis primæ. Docet. n. nos eo aphorifmo Hipp. agnofcere accessiones & constitutiones ex duplicibus fignis, alijs quibus vti poffumus ab ipfo morbi initio (hæc funt morbi, & anni tēpora, & circuituū inuicē incrementa) alijs, quib. non poffumus vti, nifi cum bona iā morbi pars procefferit: hæc funt quæ fuperuenientia vocant, vt quæ concoctionis aut contrarij. Prima pars aphorifmi continet prima figna, quæ & hæc oratio continet: fecunda quæ inde incipit, fed & ex mox apparentibus, continet fecunda. Qd̄ illic dicit, morbi, hic dicit continuïtas, i. an morbus fit continuus an intermittens. Qd̄ illic dixit circuituum inuicem incrementa, dicit hic paroxyfmi, & quod prius: hoc est an paroxyfmi potius an pofterius fiant. Anni tēpis meminit vtrouique.

Post pleiadum occasum Austrina, quæ quinta iudicantur, intermittentia diem vnam, corripiebant.

Diximus hoc effe, quod nuper dixerat, iudicationes quintanæ, & febres recidiuantes.

Quæ verò pustulosa folliculos referentia, qualia Acanthio Lapyto. Circa pleiadum verò occasum subleprosa, & aspera, quæ pruriginosa, non lachrymantia: præcipue autem hac tempestate: verum & impetiginosa elata. Talia erant vxori Pythodori, & Capilio. Cum febre simul incipiente ferè vxori Pythodori, coxæ impotentes.

φολλικώδεις dicit Gal. libello antiquarum vocum Hipp. esse φυλλώδεις hoc est referentia folliculos: tales sunt pustullæ quædam ampullis interfitæ, quæ ferofam esse materiā postillarū declarant. Hæc antecesserunt, æstate fortasse & autumno. sequuta aut sunt iā circa pleiadū occasum, alia scabiei maligniora genera, consumpto iam sero, &

ficatis pituita & bile, factisque pituita falsa, & bile atra. Fuit verò meritò atræ bilis multò plus. Atrabiliarium, est id tempus magis quàm pituitosum, ac proinde fuerit subleprosa (ita. n. verto *Uro. Iaspis. Dea*) aspera, pruriginosa, non lachrymantia, multo magis Verùm quibusdam etiam fuerunt impetiginosa elata Vocat impetiginosa elata, impetigines quasdam, per quas magnæ quædam ac crassæ, velut crustæ eleuantur. Sunt. n. aliæ per quas nulli ferè tumores sunt, sed quædam vlceratæ maculæ serpentes. Tali, inquit, erant vxori Pythodori. Coxæ impotentes simul cū febre incipiente, hoc est coxæ factæ sunt impotentes, atq; ea impotentia incepit, simul cum febre. Fit impotentia articuli alicuius, laxatis ligamentis ossium ob mucos quos imbibunt. Meritò verò notauit simul cum febre incepisse, quia in hmōi neruorum & ligamentorum passionib. multum refert febris antecedit, subsequatur, an comitetur, neque omittendum vnquam est, id considerare.

36 **P**ost pleiadum occasus: horridæ, sanguinis fluxiones ex naribus.

QVOD antea dixerat citra pleiadum occasum fluxiones sanguinis, & febres, epialæ referentes, dicit nunc his verbis. Nimirum epialæ sunt, vt perpetui quidam horrores febribus admixti.

37 **S**utor iudicatus est septima die, vnā diem intermittens rursū apprehendit, statim quarta iudicatus est. Alius eorum, qui a Laocyde, iudicatus est septima, alius quarta, Moschus nona.

EXEMPLA sunt hæc iudicationum in varios dies incidentium, & recidiuarum per varia interualla repetentium vt nuper diximus.

38 **L**Argum ex sinistra, ex dextra nare paucum.

PLAERVMQVE ab incunte vere & vsque ad mediū ætatis,

æstatis, fluit sanguis ex dextra nare magis, ob sanguinem & bilē, ac hepatis affectiones: a media ætate & vsque ad extremum autumnū, ex sinistra, ob bilem nigram, & tumores lienum. Meritò ergo ad pleiadum occasum hoc fiebat.

AD quatuordecimam in iudicationem, si vt oportet in accipientia exacerbarentur.

Quandoquidem morbi erant acuti, meritò eorum finis intra quatuordecimam expectabantur, quia acuti his finiuntur plerunque. Quoniam ergo morbi indicant constitutiones, quia erant acuti indicabatur iudicatio intra hos dies: non tamen morbi solum, sed & circuituum inuicē incrementa. Multi. n. morbi, non videntur moueri tam acutè, quam exigit eorum natura & species, sed videntur a sua acutie degenerare, ac tunc quidem producantur magis quam solent. Si verò a principio exacerbantur vt oportet, vt exigit sua natura, finiuntur intra legitimum tempus.

ERrantes in cibus decima septima fiebant.

Cibus copiosior quam res exigit, facultatem grauat & morbum auget, ac proinde nihil est quod crebrius iudicationes, alioqui suo tempore futuras, impediat, & morbos producat. Velut nunc, qui quatuordecima vt alij essent iudicandi, non iudicabantur ante decimam septimam, quæ errassent in cibus, accipientes plures. Si. n. pauciores accepissent, facultas periisset ante morbi concoctionem, potius quam iudicationem distulisset.

IVxta aurem dextram exiguum, introrsum durum, extrorsum exiguum molle, dolens, nihil remittens, superuenit decimanona noctu.

Cum febris aliqua supra legitimam constitutionem prorrogatur, saluo affecto homine, vt dicitur in prognostico, abcessum expectare oportet, vt huic supra quatuordecimam, quæ maximè erat eo tpe decretoria, atque adeo supra decimam.

cimam septimam quæ erat et quibusdam, prorrogata febre, decimanona ad noctem factus est post aurem tumor. Fuit verò is, ut constat, phlegmon œdematodes. Phlegmon quidem, quia introrsum durus & dolens, œdematodes, quæ extrorsum mollis. Nunquam autem omittit Hipp. dicere, ad quæ partem pertineant abscessus aut euacuationes, quæ cum membrorum natura semper mouet secundum rectitudinem, inde agnoscimus, quæ pars princeps laboret excrementorum multitudine. Quare attentè notat ad dextram aurem erupisse.

- 42 **V**alde biliosis, suppuratis maxime, sepiæ atramento similis purgatio.

Suppurationes valde biliosæ pessimæ sunt, nunquam enim ex bile pus bonum, sed sanies aliqua chlora, viridis, aut nigra, atramento similis. Ac proinde maiori cum periculo suppuratur valde biliosi, quæ sanguinei, aut pituitosi. Quæ ob causam scriptum in prognostico est; Ex suppurationibus quæcumque, dum spiritum adhuc biliosum est, suppurant, perniciosæ valde sunt.

- 43 **Q**ui cucurbitulam affixit cum in coxa dolens haberet, huic in crure deorsum venit, & melius habuit.

Vulgares huius temporis medici, reformidantes cucurbitularum usum, neque affigentes, nisi iam moribundis, & qui reuocari nequaquam possunt, fecerunt id remedium infame, cum tamen Hipp. frequenter illis vteretur, ac fortasse non rarius quam venæ scissione: nam & in doloribus plerisque, & in alijs quos solum vacuare studium est, ut qui ex alto ceciderunt. Sed quid est quod tantopere reformidant? Ne dicunt in partem cui affigitur trahatur undique. At verò Hipp. dicit affixam cucurbitulam coxæ, ad crure deorsum venisse, & habuisse melius. Tam longè abest, ut semper trahat ad partem laborantem, cui superponitur. Quid ergo? Nunquid cucurbitula inde detrusit materiam? Non certè. Nam qui posset? Sed ex alto in cutem trahens, ac digerens, fecit, ut ex expeditioni iam articulo natura deturbaret. An parum est cucurbitulam

ex

ex loco affecto, qui in alto positus sit, in cutē trahere, nisi
 ēt in illum vndiq; conuocet? An non pōt locus qui pręter
 naturam erat distentus vacuari, quin tantūdem aliunde re
 cipiatur? An non pōt partes subsidere? Falluntur certē quā
 maximē: nullum. n. in omni magno dolore, remediū ma
 gis pręsentaneū, & vt a parte affecta in aliam ignobiliorē
 materia abscedat, sępe causa est: vt huic euenit.

¶ *Qui a Ceramici equo cecidit, & non affixit statim
 cucurbitulam, vltus est intrō, & vigesima recrui
 dit. Sanguinis fluxiones faculentę & exedentes.*

Vt nunc ex equo, aut ex edito aliquo loco cadēti, venā
 secamus, ne conturbatus sanguis in partem contusam, aut
 in aliam aliquam internam (quod esset multo grauius) in
 cidens, affectū aliquem grauem pariat, ita Hipp. tpe mitte
 batur sanguis scarificatione cū cucurbitis sparsim corpori
 affixis. Hoc cū omisisset facere hic, vltus est intrō, i. in fe
 brem incidit, ex vltō intus qui fundendus fuerat, sangui
 ne, & malū vigesima a casu recruduit: i. exacerbātū est, &
 acciderunt fluxiones sanguinis fęculentę, & exedentes.
 Non narrat, per quā partem, neq; quid factum de homine sit.
 Ego quendā vidi qui missionem sanguinis a casu contem
 pit, & aliquot deinde dies, n. hil mali putauit se habere,
 post aliquot vero alios magna febre correptus, fęculentū
 sanguinem vomens, mortuus est. Hic fortasse p sedem deij
 ciens, vt p conuenientiorē regionē, fuerit liberatus. Ex ca
 su vero multarum sanguinis fluxionum pericula impend
 unt. Quidam. n. vomunt, alij deijciunt, alij meiunt, alij
 excreant ex thorace, alijs etiam ex auribus erumpit.

¶ *Tenedia quarta die corrumpit, vt dicebat, triginta die
 rum, masculum. Alius humida tenuia, lingua exu
 sta est. Indicatio quarta.*

Hęc ex febre acutissima quarta a febris initio abortum
 fecit, & quarta ab abortu, quę, septima febris fuit, iuxta
 legitimam acutissimarum constitutionem, iudicata est.
 Certē

Certè vtero gerentes non nisi lethaliter corripuntur morbo acuto, inter cætera, quia paratissimum est abortus periculum & ex morbo ipso, & ex curatione, & victu. Abortus verò est solus est partu periculosior, nedùm cum morbo acuto. Verùm fœtus recens, quanto facilius, tanto cùm minori periculo abortitur. Difficilius n. medijs mensibus ob firmitudinem acetabulorũ. postremis ob magnitudinẽ ipsius fœtus. Hæc ergo abortiuit facile, & citra dispedium salutis, septima iudicata est, quia vnus solum mensis. Abortiuerit verò meritò mensem trigesima die conceptionis, & quarta febris. Quia vt diximus lib. 2. & in commen lib. de alim. trigesimus dies est primus finis, quo fœtus accipere possunt primam mutationem, quam figurationem vocamus: hanc verò accipiunt mares breuius quam fœminæ. Proinde trigesimus conceptionis maribus mutationẽ insignem afferet, eritq; in masculorum conceptionibus contemplabilis: iam verò quartus, in morbis septimo iudicandis, multò magis quia index septimi. Incidentibus ergo in eundem trigesima conceptionis maris, & quarta febris, abortus est factus. Malè verò agebatur cum muliere, quia humida, tenuia aluus deiciebat, verum quia erat constitutione acutissima febris (quod vsta lingua indicabat) iudicata est septima.

46 **P**ost pleiadum occasum splenica, & vsque ad quintam fluebant. Iudicabantur.

Ad occasum pleiadum meritò intumescunt lienes multo ob autumnũ, optimè verò liberantur, cum dysenteria, ex fæculētis ac melancholicis supuenit, nisi, vt in alio aphorismo dicitur, dysenteria plurimũ duret, tũc. n. hydrope aut leuitate intestinorũ succedente, moriuntur. Optimè ergo hac tẽpestate actũ est cùm splenicis, quibus splenica excrementa vsq; ad quintam solum diẽ fluebant, & mox cessabant. Merito iudicabantur, i. liberabantur ab splenis affectione.

47 **C**vidam septima die vrina vt orobi lotura, similis ipsa sibi ipsi: deinde pura. Recidua. Intermisit etiam Megaris filio, præterquam quòd sanguis non fluxit. Vrina

na qualis Antigenis, alba, crassa, similis.

Hypostasim orobinam vocare solet Hipp. quasdam velut carūculas, seu sanguinis grumulos, nunc verò fusuram ipsam confert orobi loturæ, quæ referret colore orobū: quæ sanè vrina redundantiâ sanguinis crudioris significabat. Vrinam similem ipsam sibi ipsi, aut oīno similē, vocat nunc, quæ alijs locis æqualē. Nimirū, vt æqualis per totum tēps hypostasis dicitur, quæ talis perseverat: ita hic ipsa vrina dicitur sui similis, aut simpliciter similis, quæ non recipit mutationes multas, sed sui similis manet. Pura dicitur his, quæ alijs locis alba perspicua. Hęc verò est decolor & aquosa. Non. n. aliter ex orobi loturæ simili, fieri pōt pura, quàm deposito colore: hoc. n. præcipuè habebat illa impuritatis. Itaque cuiusdam fuit septima die vrina similis erui loturæ, & non quidem ea die solum, aut primum, sed fuit similis ipsa sibi ipsi, quia talis ēt fuerat prioribus diebus. Cur ergo dicitur septima die fuisse, si antea ēt fuerat? Certè quia septima intermisit febris; refert aut multum scire cum quali vrina intermitteret. Intermississe verò, per insinuationem dicit, quia addit, deinde pura facta est vrina, & fuit recidiua. Qui posset aut recidiua fieri, nisi intermisisset? Intermissit ergo septima, & quia sine signis concoctionis, successit recidiua. Non autem solum intermississe, sed qua iudicationis specie dicit per insinuationem, addit. n. intermisit ēt Megaris filio, s. vt illi, & si non fluxit sanguis, vt illi, & ut ea tempestate fluebat plurimis (nam hoc quoq; dixerat antea.) Vrina erat huic, velut Antigenis, alba crassa, similis, i. talis manens multis diebus. Constat huic quoque factam esse recidivam vt priori. et si id non dicat aperte: quia nisi redijisset, dixisset potius iudicatam fuisse, quàm intermississe febrem, dicit vero intermisit etiam filio Megaris, vt priori. s. cui redijt. Sed & per sese est consentaneum, quia cessauit febris sine vrina cocta, perturbata solum.

¶ In solstitio hyemali astrum non exiguum. Quinta autem postea vbi que terræ motus.

Astrum, significat stellarum congeriem, seu cōgressum.

Con-

Congressus magnos stellarum vocant astrologi, eos qui sunt notatu digni, rarique, quos eisdem dicunt magnæ efficacitæ esse, in permonendis his corporibus, quæ penes nos sunt. Sûnt autem tales duplici ratione, aut quod plura astra conueniant quàm solent, aut quod aliqua, quæ rarissimè congregiantur, & quæ tardius, vbi semel fuerint congregata, decedant, vt si Saturnus & Iupiter coniungantur. Hippo. astrologicas considerationes ad res medicinales non parvipendit. Nam libro de aere, locis, & aquis, dicit, ortus & occasus astrorum considerari debere, præcipuè vero pleiadum & arcturi. Non solum autem has dicit considerari debere, sed has præcipuè: considerasse enim enim non eas solum, sed quascunque etiam ex hoc loco constat, quo dicit in solstitio hyemali fuisse astrum non exiguum. Id vero non potuit esse ortus, aut occasus pleiadum, aut arcturi, quia non incidit in id tempus, præterquam quod ortus aut occasus non dicitur astrum, sed solæ coniunctiones aut congeries. Quod astrum fuerit hoc, non est vlla ratio intelligendi, non exiguum fuisse dicit, & ob illud, quia tanta die a solstitio subsequutum terremotum vbiq; idem latè per multas terræ partes, ac multa oppida. Non sanè ad medica opera terremotû fieri intererat, sed quo intelligas astra, quandoquidem tantum terræmotû asserre possunt, corpora etiam nostra vehementer mouere, ac proinde rationem eorum habendam esse medico. Non tamen, quia ortus & occasus astrorum, & astra insignia quæ incidunt in tempus, quo quis ægrotat, vtiliter considerantur, proinde medicos nimios esse oportet, & ad ægrorum natiuitates, ac multo minus ad interrogationum tempora, & alia huiusmodi procedere, quæ vana hominum curiositas excogitauit. Nullum vero talium, apud autorem quemquam frugi, exemplum inueniri possit.

- 49 **Q**uæ in Peryntho morabatur asthmatica. Antigenia vxor, quæ non sciebat, an prægnans esset. Rubra insuper apparentia, aliàs atque aliàs uenter paruus, aliàs magnus, tussiens certè, ac si semper contingeret iter fecisset celerius. Mensis erat octauus, conquieuit, febricitans prius.

In quibusdam codicibus legitur separate quæ in Peryn-
tho morabatur, asthmatica, quasi alia fuerit ab Antigenis
vixore, quæ in Peryntho asthmate laborauerit, in alijs con-
iunctim, quasi sit eadem, quæ ignorans an in ventre habe-
ret, esset asthmatica, ac tussiculosa. Non multum refert, eadẽ
enim prorsus symptomata dicuntur, siue tota hæc sit vni-
ca dictio, siue duæ, incipiatque secunda inde, Antigenis
vixor. Nam dicit fuisse semper, ac si iter fecisset celerius quàm
est, anhelantem, & spirantem difficulter. Itaque Antigenis
vixor dubitans an vtero gereret, venit ad mensẽ, quẽ pu-
cauit esse prægnationis octauum. Neque mirum, tametsi
enim multa sunt quæ ad cognoscendam hanc affectionem
faciunt, nulla tamen sunt, quæ id possint euidenter a qui-
busdam alijs dispositionibus separare, vt a molis, & alijs
affectionibus vteri, quibus menstruæ euacuationes suppri-
muntur. Tametsi enim quædam prægnationes conspicuæ
admodum sunt, vt nullus sit dubitandi locus, quia aliæ quæ
dam solent fieri obscuræ, & affectionibus præter naturam
similes, contingit merito non raro dubitare, et vsque ad
mensẽ, qui putatur esse postremus. Quia menstruæ eua-
cuationes ob multas alias affectiones supprimuntur, &
ijs suppressis intumescit venter, quin & lac in tumidis mā-
mis colligitur, & nauisæ ac fastidium, pleno excrementis
corpore, fiunt. Quin et motum fallacem aliquando cras-
sus flatus, in obstructis locis conclusus, ciet, fætus grandio-
ris motu similes. Iam vero pulsus & respiratio, vt cunq; di-
stent vtero, fient quales in vtero gerentibus. & si quæ taliũ
vixor est, ob mensiuorum suppressionẽ perinde fiet. Mul-
to autem miretur quis magis, quàm vixor Antigenis in ea du-
bitatione fuerit, apparentibus insuper, hoc est apparentibus,
et postquam in ea dubitatione fuit, rubris mensibus. Verum
constat, etsi soleant deficere, posse tamen etiam vtero ge-
rentibus fluere, quia præter venas & arterias, ex quibus pen-
dent secundinæ & fœtus, subeunt in os vteri aliæ, recur-
rentes è femoribus, quæ possunt in illis sanguinem fundere.
Quod alias atque alias erat venter paruus, alias magnus,
flatus multi cum excrementis admixtionem indicabant. Il-
lis nunc crassioribus, nunc tenuioribus factis, facile in-
tumescebat, & subsideret venter. Crassis vero succis, ac
multo minus molæ, non potest in alterutrum tam facilis mu-
tatio

tatio contingere. Non fuisse itaque huic molam, sed succorum & flatuum abundantiam in ventris partibus, vtro inquam, aut etiam inanibus partibus cum intestinis, hinc constat: atque adeo ex exitu quem habuit. Correpta enim febre acuta, ab ea affectione liberata est, febre scilicet in dos succos, & flatum absumente.

50 **V**XOR autem fratris Apemanti abortiuit feminam, *quaxaginta dierum, vt dicebat septima die, ad nonam autem perturbata est. Post crifim verò dextra doluerat, velut a recidina. Hac concipiebat cito, & corrumperebat.*

Merito Tenedia, & hæc, corruerunt foetus, illa trigesima, hæc sexagesima die, quia vt lib. secundo dicebatur. contingunt abortus, cum labores menstruales. Iisdem enim circuitibus, quibus nisi vtero gererent menstrua euacuationes fierent: natura (quæ naturalis motus nunquã obliuiscitur) commouet corpora. Velut et per morbos contingunt comotiones, non solum diebus quibus iudicantur, sed alijs et decretorijs. Merito ergo illa corripit quarta morbi, & conceptionis trigesima, hæc sexagesima, & morbi septima, insignibus articulis prægnationis & morborum in eisdem dies incidentibus: cum præcipue alia etiam causa vtrique accesserit ex ipsius foetus mutatione. Vt. n. lococitato diximus, tres sunt foetus mutationes, formatio, vitæ cum sensu, & partus: his oibus comouetur corpus vtero gerentis, quare vltima est ipse editus, primæ afferre solent abortus. Contingit vero prima duplo tardius feminis quam maribus. Hi. n. triginta diebus possunt eam recipere, illæ accipiunt sexaginta, aut circa sexaginta: vt ob hanc mutationem, non caruerit ratione triginta abortiri marem, foetum nam sexaginta. Sed neq; marem quarta, & feminam duodecim quaternarijs, quia mares gerentes calidiores sunt, & morbis acutiorebus corripuntur, & vt partus mariũ breuiore sunt, ita abortus celeriores. Velut hæc, etsi ea die abortuerit, non est septima iudicata, sed nona: quæ significans diebus ad nonam perturbata est. Nimirum iudicatio semper agitur cum perturbatione: id aut eum velle, constat, quia subito demox, quasi de crisi loquutus, post crifim vero dextra doluerunt.

uerunt. Sed quia non explicat quæ dextra, par est intellige
 re circa vterum, vt dextram coxam, femur, ac renem, hæc
 .n. ob vteros dolere solent. Dicit, velut a recidiua, signifi-
 cans, nõ esse factam reci diuam, vt solet, redintegrato mor-
 bo, sed eum dolorẽ fuisse pro recidiua. Volens dicere ali-
 quid ad mulieris conditionem pertinens, addit, hæc conci-
 piebat cito, & corrumpibat. Sunt. n. vt lib. de sterilibus dñ
 quædam, quæ concipiunt sæpe, sed cito corrumpunt: & q-
 dam earum totidem diebus semper, ob exiguitatem vte-
 rorum: quædam incertis temporibus, ob intemperies extre-
 mas, humidam aut siccam. Quibus. n. sicca est, male alitur
 factus & corrumpitur cito: appetitur vero humiditas, ac
 proinde facillè concipitur. Quibus humida, excidit ob lu-
 ciditatem, atque hæc etiam fieri potest, vt ob hæc causam
 appetant, & facile concipiant, quæ cito corrumpant. Ve-
 lut renes in diabete, quia facultas retentrix debilis est, &
 multum trahunt, & mox deponunt.

Alia albis femellam peperit, alia rubris, vt par erat.

Mulieres quibus profluvia alba fiunt, rarum admodum
 fit parere. Nam ipsamet vteri affectio, aut concipi, aut reti-
 neri prohibet. Fieri tamen potest vt hæc quoque aliquãdo
 pariant, euacuata iam bona copia, & vtero emendato aut
 omnino, aut partim. Velut & venter a lienteria nonnun-
 quam venit ad probam, & retentionem, & concoctionẽ.
 Legitimum vero & frequens est, parere in rubris, hoc est,
 quibus rubræ fluxiones singulis mensibus fiunt. Proinde
 dicit quandam peperisse foemellam albis, aliam rubris, vt
 parerat. Verum rationi consentaneum fuit, eam quæ albis
 pareret, filiam parere. Quæ enim excrementosiores cum
 sint concipiunt, filias concipiunt potius.

Horridi, anxij, cibum auersantes, recidiuantes, biliosi,
 sanguinem fundentes, subsplenici, doloroso modo ex
 sinistra parte plurimi.

Dixerat nuper in hoc ipso libro, eodem tempore, hor-
 ridi,

ridi, vomentes, & post iudicationem cibum auerfantes, biliosi, & splenes magni, duri, dolentes, & sanguinis eruptiones: & rursus paulò post, dixit, ante pleuriticum occasum, febres statim reuertentes breuibus interuallis, & cibum auerfantes, & excocti, & anxij, & cardialgici: & rursus addit, & rigore affecti: & pluries etiam in hoc ipso libro quo toto agit de morbis, qui quodam autumno contigerunt, hæc eadem repetit sparsim, inter multas historias singulares. Hæc ergo eadem sunt quæ in aliis repetit. Nimirum familiaris est autumno, illi maxime, fuit insaluber debilitas ventriculi, marcescente naturali calore: ac proinde horrores, aut rigores, anxietates, & fastidia, cardialgiæ. Familiares sunt etiam morbi acuti, & difficilis iudicationis. Ac proinde biliosi, & recidivantes, & abscessus multi, præcipuè ad lienes, quia ea parte colligit sanguinis sæcem, quæ eo tempore redundat. Quæ re plerisque ægrotis eo tempore, quibus febres prodigiosæ sunt, si atrectentur, sentiuntur sinistrae hypochondriorum partes dolere. Quibus verò lien est affectus, ut in hoc ipso libro Hippocra. dixit, sanguis fluit ex sinistra nare, si est eleuatus, sin velut extentus ad dextra, per infernas partes.

53 **A** Pemanti uxori, oculus distortus est dexter hinc de
 aliam autem partem ile.

Vt raram abscessuum complicationem, videtur Hippocra. narrare hanc: simul enim ad dextrum oculum & sinistram ile decubuit humor: partes duplici ratione contrarias, alteras enim supernam & dextram, alteram infernam & sinistram. Verum etsi abscessus multos fingentes, aut alios ex alijs in partes eiusdem lateris, & in tuam rectitudinem habentes, contingat incidere perit, tamen non mirum est, contrarios etiam compleri, ut neque affectiones primarias. Si forte enim hemiplegia dextra & lienis tumore simul laborabat, quid habebit admirationis, in dextrum oculum simul, & sinistram ile, abscessisse.

4 **A**ristophōtis filia, tertia, & quinta febricitauit. Sicca permanebat plerunque, venter quidem turbatus, huic difficilis iudicationis, supra triginta cessauit.

HÆC febris continua haud dubiè febricitauit post parum, quæ tertijs diebus exacerbabatur, vt solent biliofa. Nimirum enim si tam simpliciter, vt tertiana intermittete, febricitaret ex partu, præcipuè quæ sicca plerūque, hoc est sine vlla expurgatione manifesta per os vteri, permaneret. Accidit huic, quod alijs multis enixis, pro muliebri fluxu fluxus alui. Non potest autem cui id euenit (tametsi non raro à morte liberat) non iudicari difficile, quia nō est huic morbo ea regio conueniens. Producta ergo huic mulieri febris, quæ iuxta suam acutiem esset quatuordecim, vltra triginta dies. Nesciuit arbitror Hipp. quoto die febris cessauerit. Certè multi morborum muliebrum ex partu, sunt quadraginta dierum, & alioqui etiam qui decidunt ex acutis, fuerit hæc iudicata circiter quadragesimum. Verum nō omnibus qui similiter affecti sunt, totidem exactè diebus morbi finiuntur. Quia etsi quædam causæ communes sunt multis, certè firmæ ac statæ, vt quæ in cœli motu, etsi quæ alia est huiusmodi (vt dicunt) numeri, aut musicæ: tamè ex ipsa materiæ dispositione, est differentia indefinita.

55 **F**amula retro Heroum rigor factus est.

MALÈ hæc sententiola, intra quandam aliam longiorè, & multò plus frugis continentem, coniecta est. Proinde ego eam excepi, mox reliqua, quæ disrupta, non bene possent enarrari, interpretaturus. Hæc verò tenue quiddam est quod continet: famulæ cuidam retro Heroum habitati factum esse rigorem. Non arbitror laborauerit hæc febre tertiana intermitte, vt fuerit in ipsa febris figura rigor, quorsum enim notaret? Sed, quod est rarius, aut continua febris inceperit à rigore, aut ardenti continuæ rigor superuenerit. Potuerit verò, tūc quoque die bono superuenire, ac cum reliquis bonæ iudicationis conditionibus, & febrè soluere: aut sexto aliove die tali, sine tolerantia & conferentia, fueritque lethale. Vtrum sit factum, nihil refert scire, modò scias quæ fieri soleant.

56 **A**mpullæ quidem ex lassitudinibus non valde magnis
perueniunt vsque ad septimam, subliuidæ: albæ au-
tem magnæ, neque ipse valde bonæ, catochorum, & som-
nolentorum, & non coincidentium, & bile renitente, atque
siue humida sit, siue sicca, non coincidentes.

φλύκταιναι seu φλεκταίναι φλυκτιδες dicuntur papulæ,
seu ampullæ, quæ in combustis oriri solent, & in ijs qui in-
soliti exercentur, aut quàm sint soliti, vehementius, velut
agentibus iter fieri solent in plantis pedum, ex affricu: sed
& in alijs partibus obferuorem sanguinis, velut profectio
inferuenteolla fiunt multæ bullæ ad operculum. Has dicit
ex lassitudinibus (non spontaneis scilicet: sed ex labore)
non valde magnis, solere fieri subliuidas (quales scilicet in
collissis partibus, aut verberatis fiunt, sanguinis parte aliqua
cum sero effusa. Videmus verò sanguinem extra vasa ad cu-
tem effusum, mox liuorẽ quendam comparare (vt in sugil-
latis) & tales durare vsque ad septimam, moxque arescere
& solui. Sed cur dicit non valde magnis? Nõne id maiores
facient potius? Quia arbitror, si maximè lassitudinis sint, nõ
tam citò soluentur: sed in vlcera, & tetra scabiei genera ad-
ibunt, aut certè nõ fiunt pustulæ: sed multò grauiora mala.
Itaque lassatis tales ampullæ fieri consueuerunt. Aliæ verò
sunt albæ & magnæ, quæ, etsi ob colorem simpliciores esse
videntur, neque ipsæ tamen sunt valde bonæ (vt signa scili-
cet) nam fiunt ob crudorũ suecorum redundantiam: atque
& si aliquando accidunt nullo graui morbo occupatis, nõ
rarò tamen etiam accidunt valde lethalibus morbis. Nam
sunt catochorum (dicuntur tales non solum qui actu de-
preheni sunt: sed qui deprehendi solent) & somnolentorũ
(in hoc genere sunt lethargici, & caro præssi) & non coi-
cidentium, & bile renitente. Id est & aliorũ etiã non coi-
cidentium, id est non laborantiũ illis caducis morbis, sunt
tales pustulæ, ob hoc solum, quia bilis renitatur, id est quod
cum sint cacochimi, malus succus non deijciatur. Cõsuevit
enim Hippocrates vocare bilem omnem putidium succũ.
Addit, atque siue humida sit, siue sicca (aluus scilicet) non
coincidentes: quasi diceret, atque adeo quidã habent dictas
pustulas, qui coincidentes non sunt, idque siue aluus sit lu-
brica,

brica, siue sicca. Itaque etsi neque caduco morbo teneatur neque bilis renitatur: sed solum quod abundant succis crudis. Nimirum aliquando citra magna mala fiunt: sed quia nonnunquam fiunt, grauissimè affectis, dixit neque ipsæ valde bonæ. Non dixit valde malæ, quia non semper sunt tales: sed neque valde bonæ, quia aliquando pessimarum affectionum sunt comites.

Zoili fabri tremuli pulsus, imbecilles. Mictio & aluus mediocriter decolor, ventris imi intentio vtrinque in rectum vsque ad vmbilicum, cum acuta. Cibum non capiens, siticulosus.

Locvs hic satis apertè indicat, Hippocratem pulsus, non aliter ac posteriores illo medicos, in ægrotis ratione habuisse, quâquâ eam artis partem, omnium minimè excoluit. Tremulos pulsus dici, nullos probabilius putare possis, quâ eos qui tremente arteria fiunt. Tremere verò non dicitur arteria, quæ loco consistens dilatetur & constringatur, alioquin omnis arteria tremit: sed quæ secundum se totam loco mouetur, velut concussa: vt scilicet cordis tremor dicitur is motus, quo, velut concussum, locum mutat. In hoc genere sunt vibratus, & conuulsivus. Vibratus verò ob arteriæ duritiem, & auctum vsus, cum quodâ robore, fit: quare qui imbecilles pariter ac tremuli dicuntur, conuulsivus potius fuerint, qui inflammationes in duris ac nervosis partibus consistentes, cum debili facultate, merito sequerentur. Fuisse vero huius hominis præcipuam affectionem, cum febre maligna inflammationem in hypogastrio, à pube inquam vsque ad vmbilicû, in musculis rectis, qua parte sese tangunt, & in durissima ea parte peritonæi, quæ in rectum sub ipsis musculis protenditur, coalescentia tensionû musculorum, transuersorum & obliquorum, cum ipso peritonæo facta, constat ex ventris imi intentione in rectum vtrinque vsque ad vmbilicû. Fuisse enim, non aliud tumoris genus quàm inflammationem, febris acuta, & tales pulsus iubent coniectare, malignam verò fuisse etiâ febrè, quod pulsus mox debiles, & cibum non capiebat, & siticulosus. Tametsi hoc peculiarem quandâ causam in partium

imi ventris, cum quo facillimè patitur vètriculus, affectio-
ne, habuisse videtur. Quod mictio, & alui egestio, medi-
criter decolor fuerit, id est paulò infra naturalè mediocri-
tatem consistens, & remissiori colore quàm per bonam va-
letudinem solet, indicat rationem generandi morbi. Du-
plici enim ratione fiunt morbi ex excrementis, aut quod
redundent supra copiã quam ferre potest sanitas, aut quod
non expurgentur, qua secundum naturam solent. Aliquan-
do vtrumque euenit. Constat, cum non expurgatur bilis
satis per aluum & vrinam, aut ob viarum incòmoditatem
aliquam, aut facultatum naturalium debilitatem (vt huic
contigit) necesse esse, vt in ipso hepate detenta morbum
faciat: aut si id non fiat, in quampiam aliam partem præter
naturam trudatur, aut in venis & arteriis abundet, vnde fe-
brès, & partium inflammationes, aut horum alterum, fiat.
Tale ergo quiddam huic contigisse videtur, cum pariter
febrem acutam, & inflammationem, vrinasque, ac secessus
decolores, habuerit. Quod enim non erysipelas, herpes
in cute factus fuerit: sed phlegmon, nihil obstat. Nam bi-
liosus sanguis male intra venas consistens, sæpe facit infla-
mationem, fuerit verò ea erysipelatodes. Nam & acuta fe-
bre laborabat homo, & erat siticulosus.

58 **F**ilia edilis apud Tecomæum, cum in ventre habere
sine signo cœpisset, secundo mense vomitus pituito-
sus, aliquando autem biliosus fluebat. Difficiliter peperit,
perfectè purgata est. Vomitus similiter vsque ad trigin-
ta dies, deinde aluus turbata est, & vomitus sedatus.
Lienteria. Muliebria non successerunt duobus annis hye-
me habebat hæmorrhoidas.

Consentaneum est hanc mulierem, vnam earum esse,
quibus non rectè, neque suis temporibus fluunt menstrua.
Hæ enim solent maximè sine signo concipere, ac crebrò in
magna sunt hæsitazione. Quibus enim certo ordine fluit,
horum ipsorum retentio fit maximum cõceptionis signum.
Licet etiam id suspicari ex eo quod euenit. Morbosæ enim
mulieres solent, eius euacuationis intermissionè pati, quas
si contingit cõcipere, difficiles habent, & prægnationes, &
partus.

partus. Fastidium plurimis recens prægnantibus fieri solet. Et vt aphorif. 61. quintæ particulæ dicitur, ipsius cõceptio- nis est signum. Quibusdam etiam fiunt vocatæ Picæ, quæ malorum succorum abũdantiæ sunt, multò vero magis, cū multæ etiam vomitiones & variæ fiunt, vt huic, cacochy- mia indicatur. Solent hæc omnia ventriculi mala secundo mense, cū scilicet primum menstrua iam suppressa lædūt, incipere, durareq; vsque ad quartũ: iam enim trahente ver- sus vterum multum foetu, solet ventriculus liberari: quòd si diutius durant, longè iam maior cacochymia indicatur. Velut huic durauit varius vomitus vsque ad partum, atq; amplius triginta dies. Nam, inquit, difficulter peperit, & vo- mitus similiter vsque ad triginta dies, similiter scilicet ac antequam pareret. Sed quo pacto potuit id fieri, muliere perfectè purgata? Aut quo pacto potuit perfectè purgari, quæ difficulter peperit? Certè purgatam perfectè dici suspi- cor, non quòd quantum sui corporis dispositio, & excre- mentorum multitudo, postulabat: sed quòd quantum aliæ mulieres solent, ac fortasse etiam quantum ea ferre posset, Non enim semper expedit, quantum mali succi in corpore est effundere. Peperit ergo difficulter, & magnis cum cru- ciatibus, accurrentibus ad vterum multis excrementis: quo- rum, effusa est magna pars, quanta alteri esset satis, nihilo- minus multum in viis hæsit, & eis obturatis, in partes alias raptum est, & vomitum triginta dies deinde diarrhœam fecit, fluxione in contrarium deriuata, lienteriam postea debilitatis iam per longam ventris passionem, cõcoctrice & retentrice facultate. Muliebria non fluxerunt duobus annis: sed natura viam aliam querente, habebat mulier hæ- morrhoydas hyeme, quia (arbitror) reliquo anno, insensibili euacuatione sanguis dissipabatur.

Dvo fratres Cecropis familiares, quibus nigra ab ini- tio prodibant, subfeculenta, edulia ex sanguine con- fecta, colore referentia, ex valde biliosis spumosis, chlora erant.

His ab initio morbi prodibant nigra qualis sanguis ni- ger, qualis scilicet esse solet in farcimimbus sanguinis. De- inde valde biliosa & spumosa: ab his chlocora. Quas

omnes deiectionis species in lethalibus esse, in prognostico dicitur ab eodem Hippocrate & in aphorismis. Nam vt
 21. sectionis 4. dicitur, deiectiones nigræ, qualis sanguis niger, sponte procedentes, & cum febre & sine febre, pessimæ. Talia verò omnia tanto sunt deteriora, quanto citius à morbi principio, & ante iudicationis tempus, fiunt, illud etiam quod mox sequenti aphorismo dicitur, Morbis quibuslibet incipientibus, si atrabilis supra aut infra exierit, lethale. Nigras ergo ab initio his fieri graue erat: sed he quæ subsequuta sunt. Nam & biliosæ vituperantur aph. 47. eiusdem particulæ, quæ eadè æque ac spumosa, & chilo-ræ, vituperantur in prognostico Ergo quod ad deiectiones pertinebat, quas contigit his ægrotis esse dignas mentione, lethaliter eorum procedebat affectio. Quid, quæ quæ talium deiectionum, significarent, superfluum sit hoc loco dicere, cum in commentariis locorum quæ citauimus, satis sit dictum.

60 **Q** Vi asinum ex pacto eleuauit, febricitauit statim tertia, sanguinem fudit, quarta, & quinta, & septima, & octaua: indicatus, est aluus humida.

NON satis possis ex ipsa dictione intelligere, an octaua iudicatum dicat cum tertia, quarta, quinta & septima sanguinem fudisset, an sanguinem etiam octaua fudisse, & iudicatum deinde, non nominato die: neque an dicat iudicatum esse forte ipsa sanguinis fusione, & deinde multo tempore habuisse aluum humidam. Nam cum in plerisque, nullis grammaticæ regulis sit adstrictus Hippocrates: sed velut solutis vocibus vtatur, omnia hæc potest ferre sua phrasis, atque adeo omnia possent contingere. Sed quia octaua non est valde iudicatoria, neque morbo per quem sanguis adeo funderetur, deiectio ex aluo erat satis congruens iudicatio, omnium maximè consentaneum est, hominem ex nimio nixu & labore, cum asinum ex pacto eleuasset, febricitare correptum esse, & raptum ei sanguinem fuisse ad superna, ac proinde copiosè fuscum esse per nares, atque tandem iudicatum esse (nona fortasse aut vndecima) superfuisse quæ huic conualescenti iam ex morbo, humidam aluum: quia vt dici-

vt dicitur in aphorif. 27. fectionis quartæ, Quibus in febris sanguinis fluxerit multitudo, quacunque ex parte, in refectionibus, his ventres humectantur.

V Ir metallicus, hypochondrium dextrum intentum. Lien magnus, & aluus intenta, subdura, spirituosus, decolor. Huic in genu sinistrum, recidua, omnino iudicatus est.

QUIBUS hypochondria intenta sunt, ac multò magis quibus aluus tota, fiunt spirituosus, id est difficulter spirantes ob compressionem septi transversi. Hi iidem fiunt decolores, ob hepatis debilitatem, vt quibus lien solus tumet, solent colorem quandam subnigrum contrahere, ob atræ bilis in totum habitum distributionem. Hic ergo, cum febricitaret, & iam iam hydropicus, ob vtrumque præcipuè verò ob dextrum hypochondrium fieret, abscessu in sinistrum genu liberatus est à febre. Tamen quia exiguus erat abscessus ad tantum morbum, reciduiam habuit: sed tandem omnino iudicatus est, partim febre ipsa absumente, partim per abscessus.

Filius Temenæi habebat quid spiritus, velut chlorus in dorsum, in manus chlorus.

SPIRITVS apud Hippocratem significat respirationem, hic vero non quamcunque: sed eam quæ præter naturam sit, & quæ vocatur dyspnœa: respirationem enim omnino, omnes habent, quandiu viuunt. Quare cū dicat hunc ægrotum habuisse quid spiritus, quasi neque omnes homines immo & quasi neque omnes ægroti habeant, intelligi debet difficilis. Itaque dicit hunc habuisse respirationem non nihil difficilem. Quæ autem addit velut chlorus in dorsum, in manus chlorus, non possunt coniungi cū prioribus. Quid enim habet chlorus cum respiratione? Aut quid etiã manus? Chlorus enim dictum iam sæpe est, specie esse coloris, inter flauum & viridem consistentis. Manus vero, neque in instrumētis respirationis, neque in ijs, quæ mouentur cum illis, sunt. Nihil ergo hæc aliud significant, quã fixisse

huic ægrotò colorè subchlorù in dorso, & chlorum in manibus. Consideranda est Hippocratis diligentia, & imitanda, animaduertentis colorè ægroti, non in facie solùm, vt solet sed & in manibus, neque solùm in his, in quibus etiam est peruium: sed & in dorso. Verisimile autè est eù, qui in dorso vitiosum colorem inuenit, toto corpore quæsiuisse, vñ; adeo Hippocrates nihil omittebat eorum, quæ aut curationis modum indicare poterant, aut significationè aliquam præstare, siue bonam, siue malam. Velut hic color, qui profecto pessimã significationè præstabat. Nam in prognostico vituperat colorem chlorù faciei, fere vt liuidum & nigrum, quasi extinctionem naturalis coloris etiã significationem, vt illos. Ergo & in reliquis etiã partibus, perinde significet. Solent verò hi colores aliquando fieri, æqualiter per totam cutem colore mutato: aliquando quibusdam maculis exiguis & frequentibus subortis, quas quidem semper significare, per febres acutas, nondù inclinantes malù, constat: cum omnis intempestiuus abscessus à mala qualitate succorù nascatur. Verùm maximã differentiã malignitatis aut benignitatis habere ex colore, rationi consentaneu est: cù colores cutis, omniù maximè possint iudicare quales in corpore sint succi. Sed experimèto est proximis annis confirmatissimum. Grassata enim sunt, neq; adhuc extincta cù febribus acutis & malignis, hæc exanthemata, quæ nisi cum rubra sunt, nunquã non lethaliter fiunt. Solèt verò incipere plurimis à manibus, ceruice, & dorso, vtpote partibus à visceribus facilè recipiètib, ab hepate præcipuè & corde. Hic forte tale quidpiam habuit. Vtcunque verò, siue iniqua cum exanthematis, siue sine illis, certè morbo maligno tenebatur. Nam respiratio magnam habet vim in acutis morbis ad salutem aut mortem: mala ergo, habebat magnam ad mortem: color verò cutis chlorus, est malignorum succorum, & caloris debilis nota, vt in prognostico indicatù est.

63 **M** Aritus Lechus, qui prope Sitodochi ædes, iethericus ad quem septima die veni, octaua moriebatur, neque vrinam, neque deiectionem emittens. Hypochondria magna & dura, & spiritus densus. Hic moriens, neque ex labore frontem humectauit.

Quando

Quandoquidem dicit septimo die se venisse ad ictericū ;
 insinuat eum ante septimum factum esse talem. Merito er-
 go mortuus est ex eo signo, quandoquidem, vt in aphorif-
 mo dicitur, malum est. Solet verò icterus talibus (cum in-
 quam lethaliter fit, vt Galen. in commentario illius apho-
 rismi dicit,) fieri ob hepatis inflammationem, Id & si non
 sit perpetuum, vt non possit aliter fieri, est verò plerunque
 ita. Certè hic habuit inflammationem, eamq; maximā, non
 hepar solum, sed omnia hypochondria occupantē. Quo fa-
 ctum est, vt non solum moreretur, sed vt etiam citissimè.
 Maximam verò, ac omnia hypochondria occupantē esse,
 omnia certè quæ narrat, significauerunt. Magna enim fuis-
 se & dura hypochondria, ex propria essentia inflammatio-
 nis, significabat id tactui, sed & vrinas, & deiectiones, at-
 que alias omnes euacuationes suppressi (id enim insinuat,
 exaggerans quod circa sudorem euenit mox) maximæ in-
 flammationis erat, colligentibus enim sese ad vnam aliquā
 partem, quæ maxima fluxione occupatur succis, euenit eua-
 cuationum consuetarum suppressio, quæ ab inflammatio-
 ne fit, & ipsam postea auget. Iam verò spiritus creber, si
 magnus est, ardorem ingentem: sin minus affectum dolori-
 ficum in instrumentis respirationis, aut partibus proximis,
 significat. Vtrumq; verò est inflamationis magnæ, magnus
 inquam ignis & dolor. Probabile est autem hunc spiritū
 crebrum & exiguum ob dolorem fuisse, & ob impedimē-
 tum quod hypochondria facerent, quo minus septum satis
 dilataretur. Cum enim essent magna & dura, qui possent nō
 obstare? Hunc vsque adeo siccauit illa viscera confluxio
 succorum, & vehemens inde à magna inflammatione tra-
 ctio, vt ne frontem quidem humectauerit moriens, vel ex
 labore, vt scilicet morientes solent. Frigidum enim secun-
 dum frontem sudare solere, in prognostico dicitur. Causa
 certè esse solet exolutio, cum calido innato quod expirat,
 exeunte parte aliqua succi, & ob illius exolutionem, refri-
 gerata: in alijs etiam fuerit (quam hic Hippocrates insi-
 nuat) ex labore, vt solent qui anxij sunt, aut vehementius
 aliquid nituntur. In hoc tamen tanta vis fuit reuocationis
 ad interna, vt neque ex labore tantillum per frontem su-
 darit, sed cohibitis interius omnibus excrementis, mortuus
 fuerit, suffocato calido, potius quam expirante.

Huius

64 **H**uius vxor eiecit filiã septimestrẽ septima die: apparuit autem quarta. Hanc à principio dolor pedum tenebat, desinente verò febre spiritus non est solutus, sed in manus præoccupauit, dolor in manus & brachium.

In hac muliere apparuit fati vis septimi, vtque vis ea non solum in diebus, sed & in mensibus, atque adeo in quadragenarijs, notetur: & quod est secundo libro tantopere celebratum, esse quosdam menses parui decretorios, & acutis morbis dies. Hæc ergo septimo mense prægnationis correpta est morbo, & septima die morbi fecit abortum. Quamquam, vt secundo libro dictum est, mensis septimus non omni ratione est septimus: si enim quadragenarij numerantur, est quintus: verum, numerandis lunæ circuitionibus, est septima. Quod dicit apparuit quarta, indicat, quod sæpe etiam ab eodem autore dictum est, quartã diẽ esse primum morborum impetum, & esse indicem, secundi, qui septima absoluitur. Velut ergo in prægnatione motus qui nono mense plærunque perficitur, septimo tentatur, ita in morbis acutissimis, qui futurus est septima, solum tentari quarta, atque futuram iudicationem septima, indicat quarta, ex concoctione manifesta, vt forte nubecula rubea: quæ autem iudicatio futura sit, ex motu qui tentatur, idque siue bona siue mala sit futura. Velut sanguinis stillæ quarta die, minantur phrenitidem in septima, si verò simul appareat concoctio manifesta, & alia virtutis signa, fortasse iudicationem per nares futuram. Huic itaque, quantum suspicor, quarta die dolores acciderunt, vt putaretur abortum velle facere, quem septima fecit. Neque tamen cum abortu omnino liberata est, etiam si sit febris soluta, sed cum à principio teneretur dolore pedum, desinente febre (die arbitror septima) non est solutus spiritus, id est, non redijt ad facilem respirationem, vt par erat degrauiatam vtero, & soluta febre, sed perseuerauit respiratio difficilis vt cum gereret vtero, ac fortasse etiam vt cum febricitaret: quod significabat, humorem qui partes imas tenebat, sursum raptum, spirituales partes occupasse. Id verò ita factum esse, multo magis indicauit, quod cum à principio teneretur pedum tantum dolore, deinde, cum scilicet soluta

Intra febre difficilis respiratio perseveraret, intus præoccupavit eum dolor in manus & brachium: id est ex interna causa, citraque ullam externam, febris solutionem antevertit dolor manuum & brachiorum. Manus Hippocrati significat totum brachium. Nam quam vulgo manum vocamus, ille vocat extremam manum. Brachium illi significat primam partem vulgo dicti brachij, eam inquam quæ est inter humerum & cubitum. Ergo dicens in manus & brachium, significat, non in extrema solum manus, sed in totas manus, aut in brachia. Id verò constat factum, quia cum antea tota humorum copia, natura eo nitente & abortum parante, deorsum reperet, atque proinde pedum dolorem faceret: qui, ut etiam tumor, gerentibus vterò ob rectitudinem pedum cum vterò, familiaris esse solet: cumque abortus eam humoris partem euacuasset, quæ febrem tollere potuit, non tamen corpus perpurgare, reliquæ se in superiores partes collegerunt, atque occupantes thoracem, respirationem difficilem producerunt, & redundantes in brachia, eorum dolores intulerunt. Recte ergo narrat hæc simul, spiritum non esse solutum, & factum esse dolorem brachiorum, utpote signa annuentia sibi mutuò, & eandem significatiōnem tribuentia.

Recidiva per longissimum corripiebat, quibus urinae ante iudicationem supprimebantur.

NULLUM certius inditium esse potest futuræ recidivæ, quam citra euacuationes manifestas, & pro multitudine excrementorum, febres solui. Atqui in quocunque tempore sunt expectandæ, præcipuè eæ euacuationes, quas in quamplurimis observauerimus, & earum suppressiōnem timere debemus, ob eamque præcipuè timere recidivam, si mediocriter quidem suppressa sit, minorem breviorēque, si autem plurimum, longiorem. Quoniam ergo dicit recidiva per longissimum corripiebat, quibus urinae ante iudicationem supprimebantur, oportet intelligere, morbos ea tempestate solitos iudicari per urinam, ac proinde quibus id non accidit, accidisse recidivam, & quibus, & ante iudicationem, & in ipsa iudicatione, omnino supprimebantur.

mebatur, accidisse longissimam. Nam posse quosdam morbos solui sine euacuationibus, infidè tamen, & quibusdam morbis esse familiares quasdam euacuationes, atque adeo quibusdam tempestatibus, dictum antea sæpe iam est.

66 *S*oror quæ erat apud Timeneum cum rigore iudicata est. Chloro autem colore soluto celeriter manus & humeri. His autem solutis. capitis: oculorum autem superiores palpebræ eleuatae sunt, & lachrymæ fluebant, non noui reliqua. Iudicata est circa septimam primùm.

NIHIL refert, fuerit hæc soror Timenei, an alicuius alterius, apud Timeneum habitans: neque an fuerit hic idem Timeneus cuius filij morbus nuper narratus est, an alius. Videretur sanè consentaneum eundè fuisse, quia morbi sunt valde similes, habentq; commune illud chlorum circa humeros, dorsum, & manus, & reliquum corpus. Malignæ autem illæ maculæ cum febribus solent in multos simul quibusdam tempestatibus incidere, præcipue cohabitantes in eadem domo, aut quod contagiosi habeant aliquid, aut quòd qui in eadem domo degunt, plærunque eodem vtantur victu. Habuit ergo hæc febrem acutissimam & malignam: acutissimam quidem quia septima iudicata est, malignam, quia habuit maculas chloras, quibus etiam illud malignitatis accessit, quòd celeriter solutæ sunt, citius scilicet quàm sperare posses, & antequam febris inclinaret. Quod sane in omnibus, siue tumoribus, siue doloribus, siue maculis, malum est, ita pessimum in malignis. Non tamen ex omni parte omnino euauerunt, sed reliquo corpore euanescentes, circa manus, & humeros factæ sunt, & his solutis, superuenerunt aliæ capitis: quod etiam habuit malû, abscessum scilicet sursùm ire, cum ad inferiora descendere magis probetur. Non potuit ergo non male affici cerebrû. Malæ autem illius affectionis significationem prestiterunt, palpebrarum superiorum reuulsio sursùm facta, & inuoluntariæ lachrymæ. Ambo enim hæc vituperantur in prognostico, quasi male affectum cerebrum significantia. Non tamen semper lethaliter fiunt, sed cum alia signa sunt, vt in conualituris, esse solèt etiam hæc decretoria, conuulsio inquam

quam circa oculos & inuoluntariæ lachrymæ. Nam vt antea dixisse me memini, in secretionem succorum contingit quædam particulas corripere conuulsione, quæ, mox succedente iudicatione, cessat. Lachrymæ etiam possint ob eandem causam accidere, ac iudicationem præmonstrare. Dices verò, solent hæc cum quam maxime decretoria sunt, indicare fluxum sanguinis ex naribus, non rigorem. Ita sane est, verum & fundentibus sanguinem biliosum ex naribus, solet iudicatio fieri cum rigore, vt accidisse seruo in extrema caupona decumbenti, nuper narrauit. Si ergo fundenti biliosum ex naribus accidit, certe & parato fundere, possit accidere. Itaque euenit huic, vt cum his signis iudicaretur septima die cum rigore. De qua iudicationis specie sæpe iam est dictum. Dicit verò iudicatam esse circa septimam primum, non quòd certo sciat alia postea iudicatione fuisse opus, sed quòd ignoret, an deinde habuerit aliam, successeritque recidiua. Dicit enim, Non noui reliqua. Iudicata est circa septimam primum.

MEnandri vinitor eodem modo, præterquam quòd venter circa principia tenuia reddebat. Deinde siletit etiam vrina, iudicatus est. Non riguit septima die, quia venter antea turbatus est.

RELIQVA habuit hic vt soror Timenei, præterquam quòd fluebant illi à principio tenuia ex aluo, & proinde citra rigorem iudicatus est. Itaque profuerunt ei deiectiones tenues intempestiuæ, ad acrioris bilis euacuationem. Nam alioqui non substulissent rigorem. Id vero in tali morbo optandum non est: nam minime est tali morbo (febri ardenti dico cum acutis maculis) congruens euacuatio per ventrem, tametsi aliquando etiam proffit. Vidimus certe nonnullos ita affectorum alui fluxione liberatos, tamè multo melius tutiusque liberantur sudore, quia auertuntur à visceribus succi maligni. Deiectiones verò in ita affectis, multo sæpius vidimus prodesse citatas pharmaco, quàm sponte fluentes. Neq; immerito. Quia in talibus natura extorsum nititur, introrsum ergo ire sponte succos, magnæ debilitatis est. Trahi vero pharmaco, non ita, Quia quòd à causa externa fit, non est quòd imputetur affectioni. Expurgare ergo
inter

inter initia plurimos horum iuuat, atque adeo per totum morbum procurare, ne aluus adstricta sit, quia nulla ratione melius præcauetur capiti à quo omnes ferè huiusmodi periclitantur. Tamen cum spontaneis deiectionibus ingruere hunc morbum, aut per alui fluxionem iudicari, periculosum esse, & dicta ratione, & plus satis iam longo experimento didicimus. In sudore euenit contrarium. Quia qui sponte fit, & tempestiue illos optimè liberat, qui verò arte elicitur, plærunque auget febres, & virtutem aliquando minuit. Nisi forte inchoatum iam a natura adiuues. Quapropter cum das alexipharmaca, quorum in his morbis magnus vsus est, deuita valde calida, si febris magna est. Ac ne que cum dederis mediocria, tegumentis plurimum præme: sed tempestiuum sudandi tempus expecta, & serua spontaneos. Vbi dicitur deinde stetit, dicit Hippocrates *ἔσθητα ἔσθη, κατὰ οὐρὸν ἐκπίδη* quod quidem duobus modis legi potest, aut ita, deinde stetit (aluus scilicet) & vrina iudicata est, aut ita, deinde stetit etiam vrina, iudicatus est. Certè dicere vrinam iudicatam esse, noua phrasis sit apud Hippocratè, iudicari enim dicitur morbus aut ægrotus, non vrina. Sed si hoc non videtur durum, atque vrinam iudicari vis, intelligi, vrinam, quæ antea suppressabatur, fluere copiose, satis pulcher sensus redditur. Nimirum dum venter fluebat, vrinam modicè fluxisse (ita enim fit) suppressa autem aluo, cœpisse fluere, & ita citra rigorem febrem iudicatam esse die septima: habuerit ita hoc boni ægrotus, quò non sine euacuatione sit iudicatus. Sin autem durior videtur phrasis, dic stetit cum deiectionibus etiã vrinam, & iudicatum esse hominè septima citra rigorem. Sed cum qua euacuatione fuerit iudicatus? Fortasse cum fluxu bilioso ex naribus, & si id Hippocrates taceat. Fortasse etiam cum nulla sensibili. Inde verò nihil euenit absurdum, aut quod non possit fieri, sed solum, non fuisse satis tutam iudicationem. Quid tum postea.

68 **F**ilius Patamonis, huic aluus non fluebat septima, ante iudicationem duos dies. Non rignit ob hoc. Neque vrina suppressabatur.

Hic

Hic etiam simili morbo occupatus septima etiam iudicatus est. Sed duos dies ante iudicationem non egessit ex alio, qui certè videbatur hac causa, rigore iudicandus. Nā si vinitor Menandri non riguit, quia alius fluxerat, oportebat hunc rigere, cui non fluxerat. Non tamen (inquit) riguit ob hoc. Sed quæ fuit causa? Neque vrina (inquit) suppressa est: quasi diceret, quia vrina non est suppressa ut alius, sed fluxit. Et quod vinitori præstiterunt liquidæ deiectiones, hoc filio Potamonis præstitit vrina copiosa. Neque mirum, analogæ enim admodum causæ sunt, & altera alterius vicem faciliè supplet.

Dens Hegesistrato, cui suppuratio iuxta oculum, & suppuratus est iuxta extremum, & rursum sanatus est oculus, & secundum nares pus descendit crassum: iuxta gingivam caruncula parva rotunda abscesserunt. Et sic iuxta tertium videbatur suppuratio futura, deinde auer-
ebatur, repente autem intumuit maxilla & oculi. Hegesistrato duo dentes extremi, quæ sese mutuò respiciunt corrodabantur, extremus habebat supra gingivam duos nodos, unum quidem iuxta corrosionem, unum autem in al-
terum, quæ autem erant duo, ea radices latæ similes ex duobus coincidebant. In alia vna medietas rotunda.

DVAE ac dissitæ sententiæ occurrunt hæc, in omnibus exemplaribus, atque quasi ad duos fortè Hegesistratos pertinentes. Mihi verò visâ est vnica narratio, & ad eundem pertinens. Proinde, quæ quibusdam interpositis paulo post scripta inveniuntur, ego huc transferens, hæc omnia verba coniungi, vt historiam vnâ continentia. Mirum si duo, ambo Hegesistrati, dentium corrosionem laborauerint ambo, & id Hippocrates nō aperuit dicens, alter qui etiâ Hegesistratus vocabatur, aut tale aliquid. Quod si forte id ita euenit, nihil læditur doctrina his omnibus, quæ ad dentium corruptionem pertinent simul enarratis, siue eidem homini omnia, siue duobus acciderint. Ac fortassè etiam fuisset factius hæc, cum illis huius ipsius libri quarti verbis coniungere,

gere, quæ ad dentium & formationem & morbos pertinebant, quia ex illis pendet horum enarratio. Ita enim dixit Hippocrates, iuxta tertium dentem suppurationes plures, quam iuxta alios omnes, & quæ ex naribus crassæ fluxiones, & a temporibus dolores, ex hoc maximè fiunt. Exeditur hic maximè. Hoc idem euenit Hegeſtrato: cui ex suppuratione circa oculum, facta est suppuratio ad extremam radicem dentis, & secundum nares descendit pus crassum. Videbatur verò suppuratio futura ad tertium dentem (ad caninum scilicet, vt solet) abscessu è regione illius primum factò, deinde auertebatur, colligebatur videlicet pus versus alium, aut secundum incisoriū, aut molarem primum. Cur ex doloribus temporum suppurationes magis fiant ad dictum dentem, quàm ad alios, & cur descendat crassum etiam ex naribus in tali abscessu, illo loco dictum est. Constat verò eandem esse rectitudinem dentibus cum oculis, & cum temporibus. Meritò ergo huic ex morbo circa oculum, abscessus hic factus est: & excipiētibus pus naribus & dentibus, sanatus est oculus à suppuratione. Nihilominus, ex dentium dolore, vt fieri solet, repente iatuerunt maxilla & oculi. Neque sanè leuiter laborauerunt partes oris ad dentes. Nam, præter dicta, pus descendens exæſit frustula carnis, quæ ex gingiua eius lateris abscesserunt: & præterea, duo dentes extremi, postremi scilicet molares (consenzaneum est id factum esse in eodem latere) quæ sese mutuo tangunt corrodebantur, & extremus acutissimus omnium, habebat supra gingiuam quasi duos nodos, vnum iuxta corrosionem, iuxta eam scilicet partem qua tangebatur alium, alterum, in aliam partem, in extremitatem scilicet quasi finiebantur dentes. Reddit causam qua id euenit ex ipsa ossis figura. Qua (inquit) erant duo, (nodi scilicet) hoc est à facie hac anteriori qua dentes teguntur labijs, erant denti radices duæ latæ, quæ reflexæ in sese coincidebant, similes ex duobus, hoc est similes illis radicibus paribus, de quibus loco citato dixit, Quintus ab anterioribus quatuor radices habet, secundum binas coniungatas vt ad vtrumque vicinum dentem, omnes quidem reflexas ad internam partem. Nimirum illic dictum est, quosdam dentium molarium habere quatuor radices, secundum paria reflexas ad sese: alterum par à facie anteriori

ri & exteriori, alterum à posteriori & interiori: quosdam habere tantum tres in facie anteriori duas, & tertiam in posteriori à medio ortam. Nunc dicit dentem illum postremum, habuisse à parte anteriori, qua est gingivæ facies, duas radices similes ex duobus, id est illis radicum paribus quas esse antea diximus: in alia parte, vnam medietatem rotundam, hoc est vnicam radicem rotundam è medio productam. Quanquam certe hic cum esset vltimus molaris, atque vt suspicor superioris maxillæ (his enim est maior rectitudo cum oculis & temporibus) quatuor habere solet, sed vt diximus magnam differentiam recipiunt dentium figuræ. Sed quid hæc ad nodos? Certe supra duas illas radices facti sunt duo abscessus duriusculi, quos vocat nodos. Nam vt dictum illic est, per radices recipiunt dentes abscessus.

Quibus ad oculos abscessus in febribus ardentibus, valde rubri secundum maxillas, & hæmorrhagici: sed & quibus ad aures sunt. Fortasse autem & abscessus ad articulos magis. Non sanè satis scio.

Quæ per febres ardentes rubent valde maxillis, & sanguinem e naribus fundunt crebrò, & oculorum abscessus patiuntur, vt rubores oculorum, seu ophthalmias: aut aurium vt dolores in eis pulsantes, certe hi multo sanguine pleni sunt. Tales (inquit) fortasse solent ad articulos facere abscessus, magis quàm alij acutis febribus laborantes. Sed explicans cur dicit fortasse, addit, non sanè satis scio. Nimirum diximus in initio huius operis, hoc opus scriptum esse captando potius experimèta, quàm docendo quæ iam essent satis confirmata. Vide ergo quàm fidem debeas Hippocrati cum aliquid affirmat, quia cum hæc scriberet, nondum fortasse hoc habebat experimètis confirmatissimùm, non affirmat, sed aperit tantum quàm habet de re, seu opinionem, seu tantum suspicionem. Sed dices videri quod docet apho. 74. sect. quartæ ei quod modò dicit longe contrarium. Nàm inquit, quibus spes est abscessum fore ad articulos, liberat ab abscessu vrina multa, & crassa, & alba prodiens, qualis in febribus laboriosis quarta die quibusdam fieri incipit. Si

LI verò

verò etiam ex naribus sanguis eruperit, breui admodum soluitur. Tam longè ergo abest, vt sanguis ex naribus fluens, significet abscessus ad articulos, vt etiam alioqui futuros, fieri prohibeat. Certè non sunt contraria hæc duo, sed ad eandem sententiam pertinent. Si enim sanguis copiose fluens liberat ab abscessu ad articulos, certe abscessus ad articulos nati sunt fieri in sanguineis morbis. Sanguineus enim natus est soluere fluxus sanguinis, sanguineum verò esse morbum nihil possit melius significare, quam creber tentatus fluxus sanguinis. Ergo eadem ratione potest fluxus sanguinis futuros abscessus significare, qua & ab eis liberare. Exiguus. s. & creber, significare, copiosus, tollere.

71 **R**igores tremulis, hypochondrij intentio, muliebria exparuerunt, decima septima, iudicabantur semper. Si verò non ita mansissent intus, iudicabantur tertia. Alia quinta. Alia septima.

MULIERES plurimas quadam tempestate dicunt febricitasse acutè ex menstruorum retètionè, hæcque habuisse per febres rigores citra vllum ordinem, & fuisse tremulas, hypochondriumque eis intentum fuisse. Has verò superuenientibus mensibus iudicari solitas decima septima. Si vero aliæ ea tempestate febricitarent, quibus non ita mansissent intus, hoc est. non defecissent menstruæ euacuationes, eas tertia die iudicari, præter vnã quandam, quæ quinta, aliam quæ septima, iudicata fuerit. Quam familiare sit muliebris ex hac occasione ægrotare, nõ est quod moneam, vtque nullius rei magis curare debeat medicus certior fieri, cum ad curandas mulieres accersitur. Fere enim omnes muliebres morbi hinc nascuntur. Qui enim aliunde, non mulierum proprij, sed communes cum viris sunt: nisi forte perpanci quidam ex lacte in mammis. Nam & vocatos mammillarum caneros, & morbos ex feminis retentione omnes, in viris etiam vidimus. Fere itaque omnes muliebres sunt ex menstruorum defectu. Iam vero menstruus sanguis non tam lædit cum natura non tentat eum pellere (quanquam ita quoque redditur impurum corpus) quam cum confluit versus vteros velut effluxurus,

ros, & aut ob viarum stricturam, aut suam crassitiem, aut vtrumque, non effluit, vt dicitur libello de morbis virginum. Tunc enim secretus ab habitu corporis, confluit in maiores venas deorsum, oppilatus vero regurgitat per maiores & communes ad hypochondrium (ita vocatur ea regio, qua sunt hepar & lien) distenditque illud. Porro venas ad artus, vt brachia aut crura (crura autē præcipue distendens, comprimit vicinos neruulōs, & priuat subiectas partes facultate animali, vt cū compressione stupor inducitur. Hinc necesse est tremulos fieri artus. In secretionem vero, & ea velut repressio, necesse est excrementa agitari, vnde mox fiēt rigores. Merito ergo illa omnia fiebant mulieribus, ea occasione febricitantibus. Merito etiam febres longiusculæ, cū ex multis crassisq; penderēt, ac proinde non iudicabantur nisi menstruis fluētibus (necesse enim erat prius eam, quæ febris esset causa, tolli, vt ea iudicaretur) neq; ante decimam septimā, alioqui acuto morbo laborantes. Eas vero quæ citra eam occasionem febricitarent, non mirum iudicari tertia, quinta, aut septima. Nimirum contigit ea tēpestate febricitare acutissime, ac proinde intra fines acutissimorum iudicari, quibus multitudo & crassities non esset impedimento.

Mulier cui sanguis ex naribus fluxit quinta & sexta, septima iudicata est. Valde rubra.

Hanc arbitror fuisse mulierem de qua loquens dixit, alia septima. Hanc dixit non ex menstruorum suppressione febricitasse, ob id ergo, & ob ea quæ contingere constat, non tam eam laborasse multo & crasso: quā tenui & valde calido, non multo. Nimirum erat rubicunda maxillis: quia sanguis, vtpote tenuis sursum efferebatur. Fuit vero satis ad perfectam iudicationem in septima, vt sanguis quinea & sexta flueret, quod sane non fuisset, si aut omnino multus aut crassus esset: aut enim producta febris esset, aut fortasse essent facti abscessus ad articulos, vt ipsemet nuper dicebat.

73 **M**ulieri fortiter capite grauata iudicatio facta est circa vigesimam. Vigesima æstiuans hypochondrijs, septima non multum fluxit ex naribus sanguinis deiectiones tenues, in oculum dextrum circa octauam.

An huic mulieri menstrua suppressa fuerint non expedit, verisimile autem est ita accidisse, quia quibus non rarisiffent intus, vt dicebatur nuper, breuissimè iudicabant ea tempestate. Nam tertia, aut quinta, aut septima. Quoniam autem hæc non decimaseptima iudicata est, vt eodem tempestate, plæreque alix, constat ex multo ac crasso & angustis locis impacto sanguine malum processisse. Sed & doloris species hoc indicauit. Nam grauanti dolore secundum caput laborauit fortiter. Id verò fit cum multus sanguis, crassus præcipuè, in capite redundat, maxime autem cum is replet sinus, & vasa membranarum cerebri. Hæc ergo ob causam malum ad vigesimam peruenit, quia iudicata est æstiuans hypochondrijs: qui æstus non erat phlegmonis eius loci, alioqui non simul eadem die coepisset a finitus esset, sed decretorius. Nimirum cum succi calidi, qui maximè ea regione abundant, excernerentur explorandi, æstuarunt hypochondria. Qua ratione iudicata fit non dicit, fortasse autem fluxu sanguinis ex naribus, is enim fuerat insinuat per morbum, cum septima fluxerit, & si non multus. æstuantia etiam hypochondria multam euacuationem habent magis accommodatam. Per magnas enim venas inde sursum latas facile sanguis ascendit. Fortasse etiam fuerint deiectiones biliosæ, hæc enim etiam ex hepate facillè per mesenterium deponuntur, & fuerant etiam per morbum insinuatæ, fuerant enim deiectiones tenues. Redundasse autem calidos succos dextris partibus magis, atque ita hepate magis quam liene, indicauit ille decubitus quem fecit in oculum dextrum, circa octauam. Neque quidem obstat, supernas partes fuisse præcipuè affectas. Hæc enim sæpe per infernas euacuationes liberantur, vt surditas alui fluxione cessat, cum præcipuè liberantur ab infernis partibus receperint, vt in hac caput partibus circa vterum. Fluxio ergo ex aluo, & si recipienti parti contraria fuerit, cum mittente habuerit reuertentem,

nem, fueritque illi reuulsio, huic deriuatio. Fuerit etiam iudicatio valde congruens, muliebris fluxus.

Viro eadem, præterquam quòd septima iudicatus est; subsplenicus in sinistra. Vigesima octaua & tardius huic quæ oculi, forte quòd post iudicationem, & q̄ multa.

EADem quæ dictæ mulieri, acciderunt eius viro, præterquam quòd iudicatus est septima (quia scilicet non ex menstruorum suppressione laborare cœpit, vt illa) & erat subsplenicus, ac proinde fortasse fluxu sanguinis ex sinistra nare est iudicatus. Nam cum coniectauerimus mulierem fluxu sanguinis esse iudicatam, & huic eadem accidisse dicar, consentaneum est hunc quoque ita esse iudicatum, ac proinde illud, in sinistra, significare fluxum in sinistram narem incidisse: & illud, subsplenicus, cōtinere simul affectionem, & iudicationis causam, quasi diceret, erat subsplenicus ac proinde in sinistra inclinavit iudicatio: quia vt in hoc ipso libro dixerat, quibus splenis eleuatio, ijs sanguis ex sinistra nare fluebat. Fortasse etiam illa verba, subsplenicus in sinistra, nihil aliud significant, quàm fuisse subsplenicum, dictumque sit in sinistra per pleonasmum, quia lien ad sinistra pertinet. Cùm huic eadem acciderint, quæ vxori, accidit etiam in oculum dextrum decubitus, vt illi (contigit enim eum oculum habere debilem) verum non tam cito, sed vigesima octaua, & tardius (cœperit scilicet vigesima octaua, & lente ad dies alios processerit) reddit Hippo. causam, qua coniectat, tanto tardius huic esse factum, ac non octaua, vt vxori. Forte (inquit) quòd post iudicationem, & quòd multa, hoc est, quia indicatio præuenit diem octauam, ac proinde eius diei decubitus sustulit, qui dilatus in tantum tempus est, quia etsi iudicatus perfectè non est (omnino enim habuisset nullum) tamen euacuata sunt multa per iudicationem, ac proinde factus est tardior multo, & minor abscessus.

Hymenæ soror spirituosissima, & intentis hypochondrijs apparebat per tempus, an verò etiam haberet infantem, non noui. Aluus primum suppressa, & tunc vomens.

bat, deinde non amplius. Aluus enim multa viscosa, & biliosa egerebat. Hypochondrium non impediēbat. Unde ma in magnum dextra digitum phlegmone, fluxio, & precebat superius. Cum autem hoc fieret, melius habebat. Etenim cataphora minor & febris, & aliquando motu spirans, quod supra vomuerat vomitum prauum. Decima sexta gracilis factus est spiritus, & densus, & febris. Mortua est. Hæc febricitauit ante abscessum, septima post abscessum perijt. Erat etiam hæc ex rubro modo.

Eccē aliam quandam, quæ ex menstruorum suppressione ægrotauit, ut aliæ multæ illa tempestate. Nā nisi fuissent suppressa, non dubitaret Hippocrates an utero gereret. Sed & ex ijs quæ habuit, agnoscitur, erat enim (inquit) etiam hæc ex rubro modo, hoc ex vultu per rubro, quomodus erat tunc temporis in multis. Nam & de quadam aliam perrimè dicebatur, valde rubra, & paulo ante, quibus abscessus ad oculos in febribus ardentibus, valde rubra interdum maxillas. Habuit etiā intenta hypochondria, quod in guine multo sursum regurgitante, eadem tempestate dictum esse in multis, nuper dicebatur. In hac ergo prima omnium, consuetæ euacuationis defectus fecit difficultatem inspirationē, & tensionem hypochondriorum: idque non tantum iam febricitaret, sed per tempus, per multos scilicet dies ante, ut videretur, utero gerere, ac fortasse etiā gerebat. Nūquid prohibet simul utero gerere, & morbo lethali corripī? Certè tam difficile est aliquando discernere, an gerat utero quæ ægrotat, an solū teneatur morbo, quæ suppressis menstruorū fecerit, ut in hac, quæ multos ante dies habuit ventris tumorē, & respirationē difficilem, & decem ante tempore dies postea febricitauit, confiteatur Hippocrates, se non nouisse, an utero gereret. Cū igitur mulier ea dubitatione, ob dicta accidentia, teneretur, correpta est febre acuta cū cataphora, ut solent quibus multus ad caput sanguis effertur, præcipuè si is est pituitosus, qualis esse huic videtur ex alui deiectionibus. Nā imprimis aluus suppressa est, & tunc, sursum repentibus excrementis, vomebat pituitosa, & biliosa arbitror, quia deinde, hoc est postquam aluus sup-

suppressa esse desijt, & non amplius vomebat, alius multa
 deiecit viscosa, & biliosa: quæ quia viscosa, magnâ pituitæ
 mixtionem habere agnoscebatur. Addit, hypochondrium
 non prohibebat, quod non video quid aliud possit signifi-
 care, quàm non prohibebat vomere, aut deijcere. Scilicet
 non erat admodum dolens, etsi intentum. Non tamen ad-
 modû placet, rarius enim solet ea intêtio prohibere deie-
 ctionē & mictum, quam vt deberet id Hippocrates admo-
 nere. Quare suspicari cogor, vbi legitur, *ὄν ἐπιώλυνεν*, legen-
 dum fuisse, *ὄν ἀπόλυνεν* hoc est non demittebat, aut sol-
 uebatur, quasi diceret alius multa viscosa & biliosa egere-
 bat, hypochondrium tamen non demittebat ea, a quibus
 intendebatur, sed nihilominus tumebat. Ita enim fit in qui-
 bus morbus ad malum tendit. Nihil excernitur è partibus
 præcipuè affectis, & reliquis inutiliter euacuatis vires dis-
 soluuntur. Undecima die in magnû digitû dextræ incidit
 phlegmone. Quia rarò nõ tentantur abscessus in morbis pè-
 dentibus ex multo sanguine. Manus autè dextra maximè
 rãta est ab hepate recipere, & hoc est maximè natum san-
 guine redundare. Addit, fluxio, & procedebat superius.
 Hoc est, per id etiã tempus erat humorum fluxio per vo-
 mitum. Cum autem hoc fieret, idest cum vomeret, melius
 habebat, remittebatur enim & cataphora, & febris. Et ali-
 quando etiã euenit fieri melius spirantem, quòd supra vo-
 muerat vomitum prauum. Constat per pleonasmum dici
 supra. Non enim est vomere infra. Sed causam qua tantope-
 re subleuabatur vomitibus, cum esset lethaliter affecta, sa-
 tius sit considerare. Videtur enim perituris illud imprimis
 esse proprium, nullis euacuationibus magnopere iuari.
 Certè quæ vterinis morbis tenètur, aut ex suppressione mē-
 struorû ortis, magnopere solèt iuari vomitibus, quia cū
 vtero magnopere consentit ventriculus, & eius passiones
 grauissima symptomata afferre solent, anxietates enim &
 deliquia animi, & capitis grauitatē, & vertiginē, & motus
 conuulsuos, & præfocacionē. Quæ eadē symptomata mor-
 bis illis sunt familiaria. Depositis ergo quæ ventriculû præ-
 munt, cessat eius consensio, & ea cessante, magna ex parte
 remittuntur accidentia. Eadem ratione in hac eueniebat,
 vt vomitibus subleuaretur, non sane quòd ita morbus præ-
 cipuus minueretur: alioqui fuisset liberata, sed quòd deone

rato ventriculo symptomata minuerentur, & illa, videretur potius habere, quam haberet melius. Nam ita procedente morbo, decima septima spiritus factus est exiguus & creber, & febris aucta, quod quidem inflammationem magnam in spiritalibus instrumentis ortam significabat, aut (si id citra dolorem maximè contigit) ardorem ingentem maxima facultatis debilitate. Tandem mortua est. Non enim eadem die, sed decima septima. Nam inquit, hæc febris citavit ante abscessum (nam vndecima die febris habuit abscessum) & septima post abscessum perijt. Est verò septima. Nec immerito id euenit. Quæ enim eodem modo, & ex eadem occasione egrotantes seruabantur in hac tempestate, iudicabatur decima septima. Eisdem autem diebus moriuntur homines, quibus salui fiunt, vt Hippo. ipse autor est.

76 **I**lle puer qui erat mulieris, sororis Apemanti, hypochondria magna, & splen spirituosus, deiectio lentissima, substercorosa. Defessus ex operibus. Vigesima die in pedes, & indicatio certè lassis in articulos, & non in oculum. Hypochondria autem intenta erant. Atqui etiã rufsicula quædam sicca continua.

PUER hic maiori aliquo, quam pro suis viribus, habuit defessus, coepit febricitare cum hypochondriorum tumore, præcipuè lienis, ac cū difficili respiratione: ac proinde abscessus factus est huic in pedes (non in oculum vt alijs de quibus dictum est, qui eodem tempore ægrotarunt) & in pedum articulos, idq; merito, quia, vt in aphorismo quartæ partitulae dicitur, lassitudinem habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potissimum, abscessus fiunt. Hic ergo quandoquidem in pedum factus est articulos, videtur iter agendo defatigatus esse. Si enim esset aliter, forte factus esset ad maxillas, cum maximè iuxta tempestatem conditionem esset futurus in oculum. Sed pueri & debiles cum pedes agunt iter, solent ex ea defatigatione inflammationem visceris contrahere. Quæ excrementis ex toto corpore effusis, in tumorem eleuatur, dextrum, aut sinistrum, aut vtrumque, vt sunt dextra, aut sinistra, aut vtraque partem debi-

debiles. Ita accidit huic, cui ambo hypochondria, lien verò præcipuè intumuit, & erat difficile spirans, & ob compressionem, quam afferebant hypochondria thoraci: & quia talis respiratio lassitudini ipsi est familiaris. Ob redundantiam verò excrementorum multipliciù, quæ ibi collecta sunt, fiebat deiectio lenta, biliosa, & stercorosa, ex pituita scilicet & bile cum stercore admixtis. Vigesima die dicta ob causam abscessum habuit in pedum articulos. Atque ita iudicatus est, imperfectè tamen. Nam & post factum abscessum, hypochondria intenta erant. Et tussicula etià quædam sicca, continua, hærentibus adhuc multis excrementis iis in partibus, & resudante parte aliqua in thoracem tenuissima, vt solet in hydropticis. Vnde facile constat hunc non fuisse bene liberatum: sed obnoxium recidiuis, quod vt insinuet, addit hæc, quæ sequuntur.

Quæ relinquuntur post iudicationem recidiuas faciunt, & quæ in ipsis morbis excernuntur, sputum præmaturum, venter, intemperies, & huiusmodi.

IN multis locis scriptam inuenias apud Hippocratem hanc sententiam, Quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas faciunt. Nam vel in hoc ipso opere enarrata iam est lib. 2. sectione 3. & rursum lib. 6. occurret. Itaque quod ad primam partem attinet huius contextus, non est quod moremur, quod verò addit, & quæ in ipsis morbis excernuntur, sputum præmaturum, venter, intemperies, & huiusmodi, aliquanto est difficilius. Nam si quæ relinquuntur recidiuas faciunt, non facient quæ excernuntur. Contraria enim sunt, excerni & retineri. Iam verò concoctiones omnes securitatem iudicij significare. 2. lib. dictum est, quo pacto ergo præmaturum sputum, significet securitati iudicij contrarium, hoc est recidiuam. Venter non videtur hic posse significare aliud, quàm deiectiones. Intemperies videntur pertinere magis ad ipsum affectum, quàm ad causam, illud verò quæ relinquuntur, dicitur de causa morbi, & malis succis. Quid ergo est quod dicit Hippocrates? Certè, non quæ satis copiosè excernuntur, &

vsque

vsque ad corporis perpurpationem, faciunt recidivas: sed quæ imperfectè exeuntia retinentur, & quæ sexto libro sectione 2. dicitur his verbis. Siquidem ex effusis intus relinquantur, parata est recidiua. Hoc est, si aliquid, eorum quæ ex fundi cœperint, retinetur, vt effusio non perfecta facta sit, paratus est homo ad recidiuam. Hoc idem nunc dicitur, quæ in ipsis morbis excernuntur. Perbellè autem dicitur, quæ in ipsis morbis excernuntur. Nam excerni non in iudicationis tempore, & extrema morbi parte: sed in ipso morbo, id est per ipsos totos morbos, dyscrasias, seu difficiles iudicationes indicat, ac proinde recidivas, vt dicitur libro 2. sectio. 1. Ergo per morbos, intempestiue fierent excretiones, siue aliunde, siue ex ventre, significant futurum morbum difficultis iudicij, atque ob id iudicandum difficulte & habiturum recidiuam. Quod ergo addit, venter, hoc potest significare, puta deiectiones imperfectas, aut etiam fortasse ventrem tumentem, quasi dicat ventris tumorem ex morbo relictum, significare intus manere aliquid, quod minetur recidiuam. Ad hunc sensum fert puer ægrotus, cuius causa videtur Hippocrates hæc dixisse. Nam dixit, post iudicationem hypochondria illi intenta fuisse. Quod dicit sputum præmaturum & intemperies, simile est ei quod dicitur. 6. Epid. Sitis intus relicta. Nimirum cum morbus acuti præcipuè, causa perfectè euacuata est, facillimè ac citissimè redit corpus ad temperiem, cum ergo non redit, quod ex siti, aut crassato sputo cognoscitur. timeri debet, ne aliquid interius relictum sit, quod recidiuam afferat. Sputum ergo præmaturum hoc loco videtur mihi dici, ob quod bene maturatum facile excreatur: sed salua crassitate facta, ac præcalida intemperie exusta. Quoniam enim sputum cum coquitur crassescit, ob accidentis similitudinem, quod utcumque calore crassescit, licet vocare præcoctum. Hæc ergo & huiusmodi, hoc est quæcunque, intemperies significat, aut succos, vt sitis, amaritudo oris, & fastidium, recidivas prænantiant.

78 **A** Pemanto, cui dolores in sede, in dextro ili, & in umbilicum paulò infra, & ex dextro, ante dolorem mingebat cruentum. Desijt tertia. Et faber in cætera et eadem

eadem rectitudine & hic mingebat prius cruentum, desinente vero, ambo, subsidentias habebant & hoc tertia. Fovebatur autem plurimum Apemantus, alter non sentiebat, nisi in sinistra Et Nicostrato accidit: aliquid in vmis dextrarum partibus, inferius quam quibus in sinistris. Longè verò ante ile. Vsq̄ ad umbilicum vtrisque.

Aliquando dolores, renum ac viarum vrinæ, tam similes sunt doloribus intestinorum, vt primis diebus omnino discerni non possint, quòd scilicet, in vtroque contingat, & vrinam & deiectionem cohiberi, & ægrotum nauseare, & doloris species in eodem loco eadem sit. Non discernuntur ergo vsque dum incipiant vrinæ, & deiectiones exire. Tunc enim earum forma indicat, renes an intestina laborant, ex renibus enim mictu, ex intestinis deiectione reijciuntur, quæ affectionem indicent. Cum ergo dolorem, aut mox inuadentem comitatur, aut antecedit insigniter mutata vrinæ species, facillè dignoscuntur vel in ipsa prima inuisione. Nam & timebuntur antequam fiant. Velut accidit Apemanto & fabro: quorum, Apemantum, dextri renis & vteræ secundum dextrum ile: fabrum, sinistri, & vteræ etiam sinistra, dolore laborasse certum est. Nam vterque ante dolorem mingebat cruentum, per debilitatem, arbitror renis, laxatis, quæ in eum finiuntur venis, quam anastomosim vocant, aut laxatis meatibus, qui à primo in secundum sinum sunt, ac ita malè peracta secretionem. Ea verò vrina cum incepisset ante dolorem, cessauit in vtroque die tertia. Non explicat an tertia à doloris initio, an ab ea qua coepit cruentum mingere, vtrumque sanè fieri potuerit. Vtrumuis autem factum sit, rene debiliato per intemperiem, ac ob debilitatem colligente excrementa, quæ obturarint, & suppressionem sanguinis fecerint, hæc ipsa excrementa cruentum mictum tollentia, dolorem auerunt. Verùm & si cruoris expers vrina reddi desijt, non tamen proinde omnino exijt pura. Nam ex illis ipsis excrementis, quæ obturarunt, decisa sunt fabulosa quædam, quæ subsidebant in tenui vrina, quod nunc vocat subsidentias. Ergo dicit: Apemanto dolores in sede (non quidem

dem arbitror in ipso podice: sed iuxta in interfoemineo, per illud enim præterlabitur tortuosè vesicæ cervix ad extremum colem) & in ili dextro iuxta umbilicum, paulo infra illum (qua scilicet vterera descendit ex rene dextro in vesicam) & ex dextro (rene scilicet) ante dolorem mingebat cruentum. Desijt tertia die (doloris arbitror) & faber in cætera (hoc est in sinistras partes habuit dolorem incipientem) ex eadem rectitudine, id est secundum eandem rectitudinem producto dolore à rene sinistro. per ile sinistrum adcolem. Et hic etiam mingebat prius (quam scilicet doleret) cruentum, desinente vero (cruento mictu) ambo (Apemantus scilicet & faber) habebant in vrina subsidentias (arenosas scilicet, aut crassas, sedentariasque, quales renales esse solent) & hoc tertia die euenit vtrique. Fouebatur autem plurimum Apemantus, alter non sentiebat nisi in sinistra. Hoc est Apemanto extendebatur dolor ad partes plures, vt multis fit proximis partibus consentientibus, aut secundariò occupatis, ac proinde fouebatur plurimis partibus, faber verò paucioribus, quia non sentiebat dolorem nisi in sinistra parte. Obiter insinuat (quod est verissimum) maximum vsum esse fomentorum in huiusmodi doloribus, anodinorum scilicet, & laxatium. Nicostratus, qui tertius est in præscripta narratione ægrotus, videtur habuisse dolorem intestinorum, quia non minxit cruentum vt illi, & dolorem habuit, non secundum ilis rectitudinem: sed ad anteriorem partem inclinantem in dextra parte. Quoniam verò, comparans hunc cum fabro, qui in sinistra parte habuit dolorem, dicit, in imis dextrarum partibus, inferius quam quibus (legendum arbitror cui) in sinistris, & mox addit, vsque ad umbilicum vtrisque, fabro scilicet & Nicostrato: constat, fabrum, etsi dictum sit secundum eandem rectitudinem doluisse sinistra parte, qua Apemantus dextra, habuisse tamen dolorem non æquè humilem: sed secundum rectitudinem ilis, superiorem verò: nam attingit umbilicum, & non attingit interfoemineum: nam si hoc attingisset, non posset dolor Nicostrati inferius descendere. Ergo faber habuit ab umbilico descendentem per sinistrum ile, non vsque ad pubem, Nicostratus verò ab umbilico ante ile vsque ad pubem: qui locus intestinorum, potius quam viarum vrinæ, esse videtur.

Ea enim

E A anus quæ iuxta Sossileum, leucophlegmate. Tibiæ duris tumoribus, candidis, mollibus. Et pedes, minus autem. Erat autem & in ijs quæ infra femora. Plurimis autem difficilis exitus hoc est. Sed & lumbi: & tenui ventre. Hypochondria submollia. Spirituosa autem non valde. Erat autem deficientibus plurimis cura etiam alia, cum glauci facti erant oculi. Hic autem oculorum mitior quidem paulò erat. Coxæ autem, & cruris, vterina erant, quæ videbantur, dolores esse. Appositum bene olens ex farina & unguento. Contigit citò discuti, & finire. Tempus abscessui in oculos. Anus.

HÆC anus ea hydropis specie, quæ ob pituitam toto corpore redundantem, & colorem quem cuti tribuit, leucophlegmatia vocatur, laboravit. Est is affectus ut Galen. dicit, in toto corpore aut multis partibus, quod œdema in una quadam particula. Vocat enim medici iam pridem œdema, tumorem mollem sine dolore. Talis verò etiã est candidus: quamquam Hippocrati, & vetustissimis œdema, sine adiecto, non hunc aut illum: sed tumorem simpliciter significabat. Proinde dicit, hæc leucophlegmate laboravit, mox describens affectionem per symptomata, addit tibiæ *οιδήματα*, id est tumoribus, albis, & *φολλικώδεσι*, id est mollibus, seu laxis, & folliculorum similibus. Sed quo pacto fieri poterant, ut essent etiam duri (dicit enim etiam *σκληρόσι*) si erant, *φολλικώδεα*? oportebat verò mollia esse, si œdemata? Certè quod Hippocrates insinuat his verbis, est quod in leucophlegmaticis sæpe videmus: in quibus carnes adeò intumescunt, ut distendatur cutis, ac proinde durescere videntur. Tamen si quis comprimat, fouea fit, quasi sub distenta cute non durum quidpiam: sed molle aut inane fit, ut in inflatis follibus. Hæc omnia significans dicit, duris, albis, & *φολλικώδεσι*. Erant, inquit, hæc etiam in pedibus: sed minus: erant autem & in ijs quæ infra femora, ad genua scilicet. Exagerans obiter mali huius periculum, dicit, Plurimis autem est hoc *δυσέξωδος*, id est difficilis exitus. Hoc est,

est, habet autem in plurimis hic morbus difficilem exitum. Nam ut libro 2. de morbis dicitur, morbus hic maxime, a nullo discedit. Verum quæ hic addit, parum videntur congruere cum iis quæ illic scripta sunt. Dicitur enim ibi, tumet totum corpus tumore albo, & venter crassus ad contactum. Hic verò & lumbi, & λεπτόγαστρος, id est tenuem habens ventrem: additque, hypochondria submollia. Rursum illic, & respirat aceruatim, hic, spirituosa autem non valde. Malè ergo dicit hanc leucophlegmate laborasse, quæ eius morbi notas non habebat omnes. Certè non ea omnia semper inseparabilia à passione sunt: sed cum ea est maxima. Hæc autem proinde liberari potuit ab hoc morbo, & si is in plerisque soleat habere difficilem exitum, quia scilicet non in eo multum est ei progressum: sed, etsi tibia, pedes, & femora, & lumbi, tumore albo duro, & folliculoso tenerentur, venter erat tenuis, & hypochondria submollia, & non erat valde spirituosa, quod certè apertè significabat, pituitam superiores partes non admodum occupasse. Sed, quos abscessus habuerit hoc malum, opere præteritum est audire. Deficientibus iam tumoribus oculi facti sunt glauci, & eius glaucedinis cura quædã etiam fuit, quæ per annum duravit, post solutos iam tumores. Verum hic abscessus mitior fuit, neque enim dolores quospiam, neque symptomata alia acerba inferebat, fuit autem alius immittior. Nimirum dolores coxæ & cruris. Non dicit dextra & sinistra in parte: sed nihil refert: certum tamen est, non fuisse in vtraque, quia dicit coxæ & cruris, alioqui dixisset coxarum & crurum. Qua causa hydropicis fiant oculi glauci, dictum est lib. 2. sectione 5. vbi ita scripsit Hippo. ἰδὲς χαροπὸν vbi ex quodam loco Galen & hoc quem ibi produximus, indicauimus, dici illic χαροπὸν abusive γλαυκός, nunc ergo non est quod causam eius euetus dicamus. Veniamus ad coxæ & cruris dolores. Vterina, inquit, erant, qui videbantur esse dolores. Dolores certè erant, alioquin quomodo viderentur? Sed intellige, cum viderentur esse dolores earum partium per propriam earum passionem, erant tamen ob passionem vteri. Nimirum ut lib. 2. de morbo muliebribus pluries dicitur, distortio vteri in coxam, facere solet dolores maximos, coxæ, inquam incidit, & crurum soletque esse tam immitte malum, ut aliquando finiatur in suppura-

Suppurationem, & excisionē, ad ipsam coxam, & linamentum, vt etiam in apho. part. 5. dicitur. Num ergo oportet luscari, hanc cœpisse fieri hydropicam ex vtero, vt multas dolere eodem libro Hippo. dicit? Fieri quidem ita potuerit, nam corrupta hepatis temperie, nunc a ventriculo, nunc à liene, nunc ab vtero, nunc à renibus & inani parte, fit hydrops. Non tamen ex ijs quæ narrantur, necesse est ita esse factum. Vndecunque enim hydrops inceperit, potest puitæ abscessus in vterum incumberē, occupareq; alterius lateris ligamenta, atque ita eum distorquere, atque in coxam trahere, vnde dicti dolores mox fiunt. Probat deinde Hippo. dolores hos fuisse ex vtero, argumento quòd Gal. vocare solet à iuuantibus & nocentibus. Nimirum apposito medicamento bene olente, contigit citò discuti, ac finiti dolores. Talis autem est ratio curandi oris vteri torturam. Ita enim scriptum est lib. 2. qui citatus est de morbis muliebribus. Quibuscunque osculum aliò inclinatur, & ad coxam allabitur (contingunt enim & hæc, quæ vterū purgari prohibent, & genituram suscipere, & liberos gignere) hanc odoratis fouere oportet, & post fomentū digito repellere, & à coxa disparare, & postea tædulis, & plumbeis fistulis immisis, dirigere. Cum ergo odoratorū admotio, tam sit vterinarum passionū propria curatio, vt quibusdam videatur esse vtero sensum odorū, quo vt animal quoddam odorata prosequatur, & hi dolores, odorati medicaminis admotione, tam citò soluti sint, constat, eos fuisse ex vtero. Odorata verò admouentur, aut in ipsum os immissa ad formam pessii: aut illita, vt acopa, aut vt cerata, aut cataplasmata: aut suffitu & vapore, aut duabus pluribusve etiam formis. Facile verò fit quouis modo medicamentū odoratum parare. Huic quādoquidem ex farina & vnguento: seu oleo, admotū est, constat fuisse cataplasma. Quo vnguento paratum sit, non dicit, solet verò laudare passim in eodem libro ad eandē passionē, vnguentum Aegyptium. Quod verò sit id quod Aegyptiū vocat, non satis constat: cōstat tamē esse aliquod bene olens, cuius eo tempore esset vsus, vt quod Romæ multò post vocabatur foliatū, aut spicatū. Ac nunc parantur quædā accipientia muscum, aut galliam. Fortasse erat illud vnguentū Aegyptium ex myrto, quod dicit esse arbutum quoddam odoratum: incognitum verò id est.

Περὶ μασ-

30 **P** Εριμοφακώδης, σάκ', τὰ ἐξανθήματα ἐξείλιξε οὐτάδε
ἔσι δὲ κ' ἀπ' αὐτῶν συρμάτων τοιαῦτα.

Circumumbilicaris, cui exanthemata contabuerunt non perfectè. Sunt autem & à ramentis talia.

VBI ego legi, circumumbilicaris, legitur Græcè περιμοφακώδης, vertitque Cornarius circum circa durus, & ramentis legitur συρμάτων, & vertit ille, disquammatistalia. Estque tota dictio, circum circa durus, cui exanthemata contabuerunt non perfectè, sunt autem & a disquammatistalia. Quæ verba non video quid significant, nec sane, multum denique cogitans, inuenire potui, quod non displiceret omnino. Proinde corruptum esse codicem conieci, scribendumque pro περιμοφακώδης, περιμοφακώδης, & pro συρμάτων ζυρμάτων atbitror verò Cornarium etiam legisse ζυρμάτων ac pro ramentis dixisse disquammatistalia συρμα enim res est longè diuersa. Ita ergo restituta lectione, videamus quid possit tota hæc dictio significare. Certè dolorem factum esse circum circa vmbilicum eandem, cui exanthemata sublata sint non perfectè, eumque dolorem fuisse qualis esse solet à ramentis. Quæ sane rationi est valde consentanea. Exanthemata enim perfectè sublata dicuntur, cum decretoriè, ac commodè, & secundum rationem cessarunt, imperfectè verò, cum intempèstive euauerunt, quæ res vt in nullo externo tumore, aut etiam partis cuiuspiam dolore, tuta est, ita in exanthematis est valde periculosa. Collectis enim intro excrementis præcipuè malignis, qualia esse solent quæ faciunt exanthemata, internæ passionis succedere solèt, atq; adeo sæpissime dysenteria, quæ ab intestinorū magno dolore incipit, & eam etiã comitè habet. Meritò ergo cui exanthemata contabuerunt non perfectè, factus est dolor circū circa vmbilicū, intestinorū scilicet: ilque dolor fuit qualis à ramētis, hoc est qualis ex dysenteria. Dysenteriã enim indicāt ramēta, quæ exulceratis intestinis decidūt. Monet ergo nos hæc historia ab imperfectè solutis exanthematis, dysenteriã scilicet

31 **I**N Hippologi villa puer, cui quod continebatur in hypocondrijs, circa ambo erat & ipsi, durum antrum & inferum

& inferne habens fulgorem aliquem, similem ei qui in muliere fabri ferrarij hydropica, cui tenuia venientia partem aliquam euacuarunt. Erat autem & hoc ipsum ad dextrum planum quid, supra ea quæ circumferentiam habebant, eleuatum. Huic umbilicus ex semine erat niger, & vlcus profundum fiebat, & umbilicus non valde cicatricem contrahebat, & pudendum extrema parte nudum factum est, non statim tale existens, neque congenitum, & adhuc magis fiebat: hic vomebat plerumque: febris: fastidium: sanus: circa septimam autem a decubitu (Antea enim ægrotabat, & aquam multam bibens, & fortasse aliter, parui pendebat) iactabatur, & aliquantulum conuellebatur, desinente autem conuulsione latenter mortuus est. Ante hoc autem minxit confertim, & flatus prodierunt cum crepitu, & supernæ partes nihil euacuatae sunt. Statim vero ac ille defecit, & illæ sunt euacuatae fortiter, & reliquæ rubrae factæ sunt, vt verberibus totum corpus, præter id vbi maxime tumor erat, ac calidus etiam multum tempus erat.

Hic puer a suæ generationis principio erat melancholicus, quod nigrities umbilici aperte declarabat. Tales enim sunt in partibus colores, qualibus vtuntur succis. Ea vero nigrities non successit postea, sed ab ipsa generatione facta est, & hac ipsa causa, merito potius in umbilico, quam alia vlla parte contracta est. Nam cum capiatur per umbilicum primordiale alimentum: & illud ipsum esset melancholicum, ipsam viam qua recipiebatur, & circa eam consistentes particulas, primum maximeq; tingebat. Fortasse etiam nõ est inde recens nato satis expressum ab obstetrice. Sed & morbus quem contraxit, hanc esse illius naturam indicauit. Nam vitiosa naturæ, in morbos similes: sunt admodum pronæ. Constat vero hunc morbum grauissimum, natum esse ex multa melancholia, collecta in hypochondria. Durata enim sunt ambo, & intumescunt: factique sunt in eis scirrholi tumores, quos a crassis

succis fieri necesse est: eos verò principio melancholicos
 fuisse, potius quàm pituitosos, indicauerunt vlcera ægre
 sanabilia, circa vmbilicū orta, & effusio illa nigrioris san-
 guinis quæ mortuo e. facta, qua totum corpus reditū est
 rubrefactum, vt viuicibus. Sed quo pacto factus est etiam
 hydropicus? Factum enim etiam fuisse talem, indicabat il-
 le fulgor qui in distenta ventris cute apparebat, & illa ni-
 ditas extremæ partis pudendi. Illa enim ambo hydropi-
 cis fieri videmus, vtrunque quidem distenta cute a subie-
 cta pituitosa & aqua. Nam membranæ omnes distenta,
 comparant secundum superficiem lenitatem (deponunt
 enim rugas) lenitas verò facit plurimum ad fulgendum,
 quia ex superficie vna melius totus fulgor repercutitur,
 & nullæ neque sensiles, neque insensiles vmbra fiunt. Hac
 ergo causa, tentio cutis fulgorem illum facit in hydropi-
 cis: nuditatem verò pudendi, quia distenta cutis ventris,
 contrahit cutem, qua ea pars tegitur. Cum ergo hydrops,
 aquæ sit, aut pituitæ aut flatus, pituitosum potius quàm
 melancholicum malum fuisse videtur. Certè redundans
 crassioris ac nigrioris sanguinis, occupans hypochondria,
 ac præcipuè hepar, obruit calorem naturalem & debilita-
 uit. Eo debilitato hydrops successit. Ita cum laboraret &
 febricula quadam, vt hydropici solent, sed nondum de-
 cumbens, neque sane bono vtens victu, sed (quod ita asse-
 cto erat aduersissimum) multam aquam bibens, & alia et
 aduersa faciens, exusta, ac proinde acriori atrabile facta,
 cœpit acutè ac malignè febricitare, a quo septima die,
 præter spectantium opinionem, mortuus est, eadem pro-
 fus post mortem habens, quæ qui moriuntur ex veneno.
 Nimirum atra bilis ad eò nonnunquam excandescit, vt sit
 quasi venenum intra corpora genitum. Sed enarremus
 gula verba, atque si quid historię ommissum est, adijci-
 mus. In Hypologi villa puer cui quod continebatur in
 hypochondrijs (tumor scilicet) circa ambo hypochondria
 erat & ipsi (vt alijs fortasse ea tempestate) durum autem
 & infernè (versus medicum scilicet ventrem) habens ful-
 gorem aliquem, similem ei qui in muliere fabri ferrarij hy-
 dropica (obiter dicit quid hydropicæ illi euenerit) cui te-
 nuia venientia, hoc est aquosæ deiectiones, partè aliquan-
 tuam euacuarunt, eius scilicet quo venter tumebat. Nimirum

vt aphorif. 14. particulæ sextæ dicitur: Ab hydrope deten-
to vbi aqua in venis ad ventrem confluit, solutio fit. Re-
dit ad puerum, dicens, erat autem & hoc ipsum, hoc est
tumor durus, & si ad ambo hypochondria pertinebat, ta-
men erat ad dextrum planum quid supra ea quæ circunfe-
rentiam habebant, idest supra alias partes quæ circum cir-
ca tumorem eum erant, eleuatum. Multo itaque maiorem
tumorem contraxit hepar, & magis affectum est quàm
lien. Constat vere quod nunc dicimus planum, pro læui
accipiendum esse, læuitatem enim habuisse fulgor decla-
rauit, tumores verò hepatis rotundi apparere solent, non
planî. Itaque nunc dicimus planum vt contrarium aspero
non vt rotundo. Atque hoc idem significat verbum quo
vlus est Hippocrates *ὀμζλόν* idest æquale. Nam quod aspe-
rum est, inæquale est secundum extremitatis partes. Huic
ex femine erat vmbilicus niger, hoc est ab ipsa generatio-
ne, & vlcus profundum fiebat, quasi diceret, & ob hanc
causam, quia scilicet ea pars prauo utebatur succo, vlcus
profundum fiebat in vmbilico, & non facilè contrahebat
cicatricem Nimirum a corrodentibus succis, quales ma-
ximè est atra bilis, ex æsa carne, fiunt vlcera caua, & ob eã-
dem causam dysepulotica, idest ægrè ad cicatricem ve-
nientia. Videntur verò hæc verba duo posse significare,
aut hoc tempore quo tumore illo ventris laborabat puer
vlcus vmbilici esse ei obortum profundum & contumax,
aut non eo tempore solum, sed solitum eum aliquoties
habere id vlcus Nam illud verbum fiebat, indefinitum tẽ-
pus significat. Vtrumque autem rationi erat consonum.
Nam duplex est rebellium vlcereum genus, alterum quod
sæpe cicatrice obductum, sæpe redit: alterum quod vix
cicatrice obducitur. Quod ergo sæpe rediret, & ægrè sem-
per sanesceret, faceret cacochymia eius partis, præsentem
autè hoc malo accederet etiam alia difficilis sanationis
causa, quòd vt apho. 8. sectionis sextæ dicitur, hydropticis
fientia in corpore vlcera, non facilè sanantur. Pudendum
extrema parte factum est nudum non statim tale existens
(explicans quid dicat statim addit) neque congenitum,
hoc est non ex ipso statim ortu factum tale, vt vmbilicus ni-
ger, sed ex hoc morbo, & adhuc magis fiebat, idest, &
in dies increfcebat hoc accidens. Hic vomebat plærum-

que, ob debilitatem, arbitror, ventriculi: & febris eum tenebat (febricula scilicet, qualis in hydropicis fieri solet, cum putret iam aqua) & fastidium, ob vitiosos succos in ventriculo imbibitos: post hæc occurrit, *ὕγιαυε*, idest sanatus est. Sed non video qui possit sanatus esse, qui septima die a decubitu est mortuus, ut mox dicit. Proinde suspicor, non *ὕγιαυε* sed *ὕγιαυε* aut *ὕγιαυε* idest sanus legendum esse. Sanus autem videtur dici, non quod nullo morbo omnino teneretur, cum vomitu, febricula, & fastidio, laboraret, sed quod non ita ut cogeretur decubere. Quasi diceret multo tempore antea vomebat crebro, & laborabat febre, & fastidio, nondum tamen decumbens, deinde cœpit acutè ægrotare, & coactus est decumbere, & circa septimam a decubitu iactabatur huc & illuc in lecto, præ anxietate, & conuellebatur. Eueniebant verò ambo hæc, patientibus corde & cerebro a maligna atrabilis qualitate. Cordis enim anxietas, cerebri conuulsio est. Reddens interim causam qua dicit a decubitu, & appariens occasiones tam grauius ægrotandi quæ antecesserunt, dicit, antea enim ægrotabat (antea scilicet quam decumberet) neque sanè bono vtens cibo, sed (quod hydrope iam tentato erat aduersissimum) multam aquam bibens, & fortasse aliter paruipendebat, idest & fortasse aliter etiam peccabat, paruipendens morbum. Euenit itaque hinc tam graui malo corripiti, ut septima die a decubitu moreretur. Sed quomodo, audiamus. Desinente conuulsione latenter mortuus est, hoc est cessauit conuulsio, & cum hac causa melius habere fortasse videretur, inopinatò mortuus est. Nimirum sæpe in proximis iam morti, pereunte partium sensu, & cessante facultatum actione, metelcere videntur symptomata, & hoc ipsum, est ipsum mori. Ante hoc autem, hoc est, antequam moreretur, mixta confertim, & flatus prodierunt cum crepitu, tamen superioræ partes (hoc est hypochondria) nihil euacuatae sunt: quæ arbitror, nihil crassioris succi quo hypochondria tumebant, & qui hydropis ciendæ causa fuerat, euacuabatur, sed aqua & flatus. Hæc verò, manente priori ac deteriori morbi causa, leuare non poterant, poterant verò debilitare spirituum effusione, atque ita mortem properare, velut profectò in omnibus hydropicis euenit, quibus aut
alia

alia maligna affectio in corpore est, aut iam est partium temperies radicitus euerfa, vt euacuatione aquæ siue sponte siue arte facta, primum quidem videantur iuuati, deinde verò multo debiliores redditi, citius moriantur. Statim vero (inquit) at ille defecit, & illæ partes (hypochondria inquam) sunt euacuatae fortiter, & aliæ rubrae factæ sunt, diffuente scilicet iam sanguine illo exusto, vt per inanimes canales. Et totum corpus, vt ex verberibus, maculatum est, præter id vbi maximè tumor erat: quia scilicet inde effluebat. Neque sanè mox refrigeratus, vt solent cadauera, sed multum tempus post mortem erat calidus. Hoc putredinalis caloris est (non enim naturalis) vbi maligna putrescentia succorum suberat. Atque vt & viuicibus per totum corpus a morte maculari, & atrociter, cum anxietate, (inquam) & iactatione, ac conuulsionibus, mori, in signis, morientium ex veneno, est, vt Galenus vltimo de locis affectis dicit. Verùm ibidem etiam dicit, sæpe in tantam malitiam venire succos, vt sint quasi venena in nobis sponte genita.

Illi autem qui in Abderis, effluxit deorsum.

In tam concisa oratione, non possumus planè dicere, quod contineatur. Fortasse autem & hic erat hydropticus, meliusque cum eo factum est, quàm cum proximo ægroto, quod aqua infernè per sedem ex aluo effluerit, hunc enim esse solere bonum hydroptis exitum, ab Hippocrate ipso dicitur in aphorismo 14. sextæ sectionis.

Cvidam autem in anteriori parte intumescibat sine febre, tumor autem ad contractum similis erat suppurato.

Hic quoque fiebat hydropticus: nam in anteriori ventris parte tumorem contrahebat pituitosum & serosum, ac proinde fiebat sine febre, quia scilicet ex frigidis nondum putrefactis, & ob hanc eandem causam tumor erat mollis, & tangenti videbatur aliquid sub digitis exundare, vt in suppuratis.

84 **A**nhelosæ famula, tunc cum vasa sanguinem funderent, in mensuris autem fiebat, anhelationes illæ cessabant. Febris fiebat. Mamma sinistra supernè suppurata est, & a principio etiam auris.

Anhelosæ famulæ, cum vasa sanguinem funderent (fuebat autem id per menstruas vocatas euacuationes) anhelationes illæ cessabant. Addit, febris fiebat. Non dicitur quæ tempore fiebat. Num ergo hoc etiam fiebat, cum vasa sanguinem funderent? At non videtur consentaneum quod euacuatione fieri febrem, quæ anhelationes cessarent. Proinde censeo deesse huic dictioni verba hæc, cum autem non funderent, vt tota dictio sit hæc, Anhelosæ famulæ, cum vasa sanguinem funderent, anhelationes cessabant, cum autem non funderent, febris fiebat. Mamma sinistra supernè suppurata est, & a principio etiam auris. Cui scilicet aliquando non fluere facta est febris vt solebat, & mamma sinistra supernè est suppurata, a principio autem, id est prius, ante etiam quam mamma inflammatio contraheret, ex aure etiam erumpere pus, quod anhelationes mensuris fluentibus soluerentur, causa est, communio illa vocalium cum genitalibus, quam libro secundo tam insignem esse dixit: quod cessantibus, mamma eoque ad suppurationem inflammaretur, communio mammarum cum utero per venas secundum rectos abdominis musculos productas. Auris suppuratio excrementosum significat cerebrum, quibus verò tale est, facile, cessantibus alijs euacuationibus, repletur, & eius repletio faciliè finitur in anhelationes. Facile enim decumbunt capitis excrementa in pulmonem. Non ergo ratione caret (quod ego etiam ipse obseruavi) quibus pus ex aure fluit, anhelosos fieri. Siue cerebro primario laborante, & sua excrementa refundente in pulmonem, siue eo etiam alium de recipiente.

85 **O**lympiodori famulæ sanguis ex dextra nare. Et indicata est ad vigesimam, qualia & febricitantibus & deiectiones quales etiã astate populariter factæ sunt, & qualia Hipponacti.

Spe-

Speciem iudicationis, & quæ ad eam spectant narrat Hippocrates potius quam morbi ipsius speciem, aut figuram. Iudicatam esse dicit fluxu sanguinis ex dextra nare, circa vigesimam diem. Quod dicit *ως ενδεκάτη* id est quasi ad vigesimam, seu ad vigesimam, ac non potius simpliciter *ενδεκάτη* ut solet, dubitantis arbitror est, ac non tenētis exactè, an ipsa vigesima. Itaque fluxit ei sanguis, aut ipsa vigesima, aut ad vigesimam. Addit qualia in febricitantibus, id est qualia in febricitantibus acutè fieri consueverunt, ac fortasse etiam ea tempestate fiebant. Nimirum biliosæ febres, quales plerumque sunt, quæ acutæ ob hepatis intemperiem fieri solent. Cum hepate verò magnam rectitudinem habet dextra naris, & acutis febribus, sanguinis è naribus accommodatissima euacuatio est. Iam vero dies vigesima intra fines acutorum, etsi non exactè, est decretoria. Deiectiones etiam dicit fuisse, quales ætate populariter factæ sunt. Biliosæ arbitror, tales enim fuerint, si ætatis conditionem secutæ sunt. Adiunxit verò, memoriæ gratia, alium cui hæc similiter euenerunt, dicens, & qualia Hippocrati.

ET Hyle famula Aristidi, octava in pharmacorum purgatione deorsum, signa qualia facile ferunt, & si non præter rationem debilitant, & neque spumosa, neque sub cruenta, sed qualia ova sunt, qualia Heraclidæ. Purgata est multum & ferebat facile.

Hyle famula Aristidi purgata est die octava, quæ dies in multis est ad purgationem idonea, quibus scilicet septima est iudicatoria. Semper enim Hippocrates elabifinebat diem decretorium, atque si is non iudicabat morbos, mox ipse purgabat. Nam & libello de medicamentis expurgantibus ita scriptum ab eo est. Quicumque a febribus fortibus corripuntur, his medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiserit febris: sin minus, saltem non intra quatuordecim dies. Hæc illo loco. Constat verò quòd quibusdam morbis est dies quatuordecimus, hoc alijs esse septimum. Proinde ut in illis non ante quindecimum, ita in his non expurgauerit Hippocrates

crates ante octauum: Atque suspicor sanè attentè admodum, & vt hoc insinaret, narrasse, octauo die expurgationem esse factam. Tam longè absunt ab Hippocratis sententia medici vulgares, qui omnes ferè ægrotos die sexta expurgant, timentes, vt ipsi dicunt, ne non possint impurgati diei septimi violentiam sustinere. Euenit tamen aliter, aut vt motu pharmaci debilitati, naturalem diei motum non possint sustinere, aut vt iudicatio imminens, impediatur. Bene cessit huius purgatio: quia euacuata sunt qualia oportebat, & cum bona tolerantia: hæc autem cum adsunt non potest non accedere contentia, vt in aphorismo dicitur. Sed quibus verbis hæc dicat, est opere præcium considerare. Signa (inquit) qualia facillè ferunt. Hoc est deiectiones tales erant, & talia signa præ se ferebant, qualia solent, eæ, quas ægri facillè ferunt. Definiens tales euacuationes addit, & si non præter rationem debilitant, idest quæ debilitant quidem, sed non præter rationem, hoc est non magis quàm pro euacuationis multitudine. Nimirum bonæ tolerantie euacuationes esse dicuntur, quæ non debilitant, non tamen ita est intelligendum, quasi nihil debilitent (nullæ enim, & si sint quàm maximè naturales, non debilitant aliquid) sed quasi non præter rationem, idest non plusquàm pro euacuationis multitudine. Esse talia qualia euacuari oportuit, significat describens deiectionum speciem. Neque (inquit) spumosa, neque subcruenta, sed qualia oua sunt. Nimirum euacuantur ipsi succi qui morbos faciunt, huiusmodi sunt in biliosis febribus deiectiones biliosæ. Est verò vna quidem bilis species, quæ refert vitellos ouorum. Quæ autem spumosa aut cruenta sunt, colliquationem aut exulcerationem, aut affectionem huiusmodi significant. Erant itaque qualia oportebat euacuari. Qualia (inquit) Heraclidæ (subaudi vxori) quæ purgata est multum, & ferebat facillè. Nimirum non tanti momenti est, quantum excernat quis, quanti, vt ferat. Quia deiectiones non multitudine sunt existimandæ (sed neque magnitudine) sed si talia euacuentur, qualia euacuari oportet, & æger facillè tolerat.

Quæ

Quæ in Bulagoræ villa depurgata est, cœpit febricitare ex splene. (Habentibus autem & dextrum, non quidem sublime, sed intentum, bi & perrubri fiunt aliquanto magis) perrubra existens, aluum in principijs perturbatam, expectabam abscessum in oculum. Huic septima die salsa ex oculis & mordax lachryma venit, & secundum nasum, & secundum fauces, & aurem sinistram. Quindecima sudavit cum rigore non iudicabatur, ante rigorem: valde chlora facta est, & faciei angustia, & afflictio. Auris secundum rectitudinem splenis & bateris, dolebat.

Non satis possis intelligere, an hæc mulier quia purgata est cœperit febricitare ex splene, atque ut causam procatarticam ægrotandi narrans dixerit, quæ depurgata est cœpit febricitare, an non, sed hæc quidem per hunc morbum purgata sit, & memoriæ gratia, insinuans. s. quam mulierem dicat, aut etiam fortasse declarans quid ipse circa ægrotam egerit, dicat, quæ in Bulagoræ villa depurgata est. Nihil enim horum rationi dissonum sic. Nam sæpe expurgationes quæ excrementa commouent, non satis euacuantes, tumores in hypochondrijs pariunt. Iam verò hæc, morbo per quem tanta mali succi redundantia erat, quantum tam multi dolores, tam multæ tentatæ euacuationes, color chlorus, & rigor, & salsa ac mordax excretio, significabant, laborantem, haud dubium est purgatione indiguisse per vêtrem, cum præcipuè laboranti splenica euacuatio sit accommodatissima. Vt cumque ergo hoc habuerit explicemus quo mulier morbo, siue purgatione læsa, siue aliter, ægrotare incipiens, laborauerit. Febricitare cœpit ex splene. Non solum dicit febricitare cœpisse cum splenis aliquo affectu, quasi duplici affectu forte laborauit, sed ex splene, significans càm febris fuisse lienis affectionem. Constat ergo fuisse phlegmonosum affectum. Quod etiam reliqua quæ habuit, significarunt. Nam fuit perrubra secundum faciem, & superuenerunt, lachryma ex oculis salsa & mordax, & secundum nasum sinistrum & fauces

fauces fluxio eiusmodi, & dolor auris sinistrae, quae omnia calidiorum succorum redundantiam secundum rectitudinem lienis, quasi inde regurgitatum, indicabant. Quae ut interpretaretur, scripsit in fine historiae, auris secundum rectitudinem splenis & lateris, dolebat. Fuit etiam multitudinis signum, non minus quam ante dicta omnia, habere aluum in principijs perturbatam. Euacuationes enim omnes mox apparentes, debilitatis, aut multitudinis, aut malignae qualitatis sunt. Sed cur expectabat abscessum in oculum? Certè quia horum plurima ad oculos solent abscessus facere. Nam lib. 6. sect. 2. ita occurrit scriptum; E directo & laterum & hypochondriorum intentiones, & splenis eleuationes, & e naribus eruptiones, & aures è directo. Horum plurima etiam ad oculos. Non est omnino deceptus expectatione. Nam etsi fortasse ophthalmiam sinistrae oculi expectabat, contigit tamen iam quidam in oculos decubitus. Nam septima die salsa ex oculis & morborum lachryma venit. Quindecima die colore chloro respiciendus est, qui color lienosis est congruens. Facta est ei faciei angustia, & afflictio, quibus nominibus significatur quaedam repentina extenuatio, quae ijs qui linquntur animo, aut moribundis, solet fieri ob defectum innati calidi, aut cuius quibus rigor imminet ob eiusdem innati calidi fugam, & certè euenit huic, cui mox accidit rigor & cum rigore labor. Quae iudicatio quamquam solet febres acutas tollere, hanc tamen non iudicabat, hoc est non tollebat febrem. Constat verò hoc fuisse signum difficilis iudicationis. Nam ita scriptum est aphorif. 56. sect. 4. febricitanti sudor oboriens, febre non remittente, malum, moram enim trahit morbus, & multam humiditatem significat. Sed & ob id quindecimae naturam, qua id contigit, erat hoc discretio. Nam aphorif. 36. eiusdem sectionis, ita habetur, Sudores febricitanti si inceperint boni sunt, tertia die, & quinta, & septima, & nona & vndecima, & decimaquarta, & decimaseptima, & vigesima prima, & vigesima septima, & trigesima prima, & trigesima quarta. Hi enim sudores morbos iudicant, qui vero non sic fiunt, dolorem significant, & longitudinem morbi, & recidivas. Constat ergo contumaciter esse, productum esse multo plus morbum, neque solum postea sine recidiuis & abscessibus, nisi

verò

verò postea quàm Hippocrates illam vidit, etiam mortua est. Si enim ex hac die quindecima debilis supererat facultas, mors erat expectanda, sin autem non debilis, difficile iudicium post morbi longitudinem.

Pueris alui turbata, & tusses sicca, in humerum aliquando suppuratio fiebat in tussibus, posterioribus.

Familiares morbos esse pueris turbationes alui, & tusses, constat ex ijs quæ de morbis ætatum, sectione tertia aphorismorum, scripta ab Hippocrate sunt. Sicca verò tusses dicuntur, cum nihil excreatur, quod ob maximam causæ cruditatem, aut tenuitatem euenit, aut quòd ex sola intemperie pendeant. In his citra materiam fieri, non est consentaneum. Nam alui turbata, & abscessus qui eas finiebant, succorum abundantiam declararunt. Neque verò extremè tenuis materia est, quia talis non est nata in pus mutari. Superest ergo fuisse morbum valde crudum, alibus verò euenit fieri longos, & difficilis iudicationis. Merito ergo abscessu soluta sunt multæ tusses, & is quidè fuit, non ad testes, vt solere sectione prima libri secundi dixit, aut ad partem aliam humilem, sed ad humerum. Dicitur enim ibidem ab Hippocrate, Tussiculosi abscessus qui supra ventrem sunt, non similiter perfecte liberant. Addit verò, in posterioribus: quod Ianus Cornarius de diebus intelligi vult, vertit enim posterioribus diebus. Mihi verò videtur referre tusses, vt sensus sit in tussibus posterioribus, idest quæ in vltimis iam ægrotis, ac in fine tempestatis acciderunt. Cum enim dixisset aliquando suppuratio fiebat, significans non in omnibus, sed in quibusdam tussibus fieri: explicans deinde in quibus, addit in posterioribus, hoc est in fine tempestatis illius, magis quàm antea. Non caret autem hoc ratione, nam ad fines tempestatum solent moueri succi crassiores, tenacibus antea consumptis, & insalubres temporum causæ solent debilitari: atque, ob hoc, euadunt: ob illud non sine abscessibus: qui etiam morbi exitus cum puerili ætate quadrabat. Tali enim familiares sunt abscessus in suppurationem abeuntes, ob succorum crassitiam, & fortem facultatem.

Meri-

Merito ergo & hi morbi, & hi abscessus facti sunt pueris, magis quam adultis, & posterioribus ægrotis, quam prioribus.

89 **F**ullo collum, caput, septima manus stupida, nona crus stupidum, tussis cessauit.

Ferè est hæc historia enarrata libri secundi sectione prima, ubi Hippocrates dixit, abscessus aut per venas, aut per ossa, aut per tonos. Sed quæ illic obiter attigimus, nunc apertius explicemus. Fullo hic caput & collum habet malè affectum & dolens: vnde destillante succo, verisimile est tussim excitatam. Nam & cum abscedente de capite & collo humore, in alterum ceruicis latus, quæ ex spinali medulla procedunt nerui mouentes manum (fere vero id fit a quarta vertebra ceruicis vsque ad primam dorsif) resoluta manus est (nam stupor est initium resolutionis) & postridie, reliquijs eiusdem materiæ deorsum repentibus in postremas lumborum vertebrae (secundum idem arbitror latus, ita enim fit) crus resolutum est. Facto abscessu per neruos & secundum spinalem medullam (ut illic dicebatur) tussis cessauit.

90 **C**vi bucca distracta fuit quinto mense in ventre, distracta erat ad sinistram partem.

Nihil aliud hic dicitur, quam mulieri cuidam vtero gerenti, mense quinto prægnationis, distractam fuisse buccam ad sinistram partem. Sanè & si ad sinistram partem distracta esset, nondum inde cõstare poterat, esset ne pars sinistra affecta, an dextra. Si enim conuulsione torturabatur, sinistra: sin autè resolutione, dextra pars erat affecta. Id vero ex alijs signis, præcipue autem ex prægressis, fluxione & dolore, licebat agnoscere. Euenire id gerenti vtero admodum fuit rationi consonum. Quia quæ vtero gerunt, multa excrementa congerunt, ob defectû menstruæ euacuationis. Qui enim sanguis foetum nutrit, est bonus, ac pro eo detinetur intra corpus malus, alioqui singulis mensibus

mensibus effluxurus, ac proinde quanto in prægnatione plus est progressum, tanto cacochymia est maior, quia tanto pluries defecit euacuatio consueta. Merito ergo etiam mensē iam quinto hoc euenit, potius quàm priorib. Neque mirum non perseuerasse mulierem diutius sine morbo, vt posterioribus mēsis primū fieret. Nam quater iam defecisse illam adeo necessariam euacuationem, admodum graue malum est, & vt Hipp. 1. de morbis muliebribus dicit. Quibus menstrua defecerunt vsque ad quattos menses curari possunt, quintis vero iam difficilime curantur, & sextis sunt incurabiles.

IN Cranone Lycino grammatico, ex febre biliosa in splene, capitis grauitas, stridebat secundum splenem. In vtrisque labijs vlcuscula interius rotunda parua. Deinde etiam exiguum aliquid sanguinis ex nare, quæ è directo, fluxit.

Fortasse febrem biliosam vocat, vt solet putridam, non exactè indicans succi speciem, fortasse etiam erat ex bile. Vtunque hoc habeat (nihil enim prohibet bile putrescente intra venas febrem excitari, vt cumque lien melancholicam congessisset) consentaneum fuit, cui esset, capitis grauitas in splene, ex febre, fluxum sanguinis ex nare sinistra succederet. Nam cum lien abundaret sanguine melancholico, febris superuenientis calor hunc in caput extulit: is itaque elatus capitis grauitatem fecit, elatus vero iam in caput ex liene, quæ melius quàm per sinistram narem eruperet? Laborabant itaque iam lien & caput multitudine mali succi. Affectionem lienis præter alia significabat rugitus secundum lienem (nam quia id viscus flatuosum est valde, mox eo loco sita intestina strident) capitis vero, vlcuscula cacothæ in vtrisque labijs, interius orta. Nam quia caput excipiebat a liene multum & malum succum, multitudo faciebat grauantem dolorem, malignitas vlceris cacothæ. Nam cacothæ esse indicabat forma eorum, quæ cum magna non essent, erant tamen rotunda & profunda. Quæ duo in vlceribus maximè vituperantur. Porro labia sæpe ob hypochondriorum affectus patiuntur, quia

quia ascendentia sursum eorum excrementa, tanquam in
via intercipiunt.

92 **F** Amula quam nuper emptam vidi, cui durities in
dextris erat magna non valde dolorosa, & veter ma-
gnus & circumtentus, non similis aquoso, & in ali-
crassa, & non admodum difficulter spirans, decolor
tem. Muliebria septem annis non prodierant, facta est
dysenterica non cum tenesmo. Et sub hac dolens erat
quod in dextro, & febres lente, & non ultra septem dies
& alius turbata est, electro similis, subuiscosus, non
tus, in dies aliquot, sanata est. Et muliebria post hac fe-
cta sunt, & secundum ventrem crassa, & corpus boni co-
loris, & crassum erat ipsi.

Aetatis fatis prouecta erat serua hac. Nam quoniam
dicit septem annis muliebria non prodijisse, constat pro-
dijisse antea aliquoties, ac deinde septem annis desinisse.
Desuerant ergo huic septem iam annis, cum recens erupta
Dysenteria primum & febricula correpta est, cui succed-
sit mox diarrhoea pituicosa, per quam ita sanata est, ut
rursum menses fluxerint: & bonus habitus corporis, bo-
nusque color ei restitutus est. Verum totus hic morbus
superuenit, iudicatio fuit diuturnarum affectionum, quae
ex menstruorum defectu contraxerat, ut sane saepe ete-
nit. Contraxerat enim hac scirrhum magnum in hepate
(nam duriciem in dextra parte magnam, non valde dolo-
rosam) & tumorem in ventre, & tensionem. Erat vero
venter non qualis aquosus. Nimirum non sentiebatur
subesse aqua, ut in ascyte, sed erat solidus, ut refertur cras-
sis & pituitosis succis, atque adeo & per totum corpus
erat huiusmodi, velut leucophlegmatica. Nam & in aliis
partibus erat crassa & decolor, albida scilicet. Neque ve-
ro praeter rationem euenit, ut retentione sanguinis scirr-
rhosus affectus, & pituitosorum redundantia heret. Ha-
rent enim circa hypochondria crassae sanguinis partes, &
suffocatur calor, & ita frigidae passiones oriuntur. Mirum
vero

verò refrigeratio hepatis facit leucophlegmatiam potius quam ascytem, aut tympanitem. Itaque elanguit in hac, non tamen adeo ut non potuerit iudicari. Ergo agitare incipiente natura excrementa, quæ in ventre inculcata erant, primum commoueri cœperunt. tenuia acria si quæ erant, & tenue est aliquid salsumque pituita. Quo factum est, ut dysenteria tentaretur aluus, & tumore hepatis dolere cœperit, irritato a calidis viscere, & scirrho phlegmonosum quid contrahente. Et febres lentæ, hoc est exiguæ & submissæ, quales ex succis subiecto frigidis, putrescentibus tamen, fieri solent. Verum non durauit hæc dysenteria multum, ac proinde non est factus, ut solet, ex ea tenesmus. Non. n. durauit ultra septem dies, & successit mox diarrhoea. Aluus. n. turbata est, & factus est secessus copiosus electro similis, subuiscosus, multus, qui durauit in dies aliquot. Erat igitur secessus lentus, crassus, albus, particeps cum quadam exigui palloris. Tale. n. est electrum, seu succinum. Constat vero talem secessum esse ex pituita crassa, quæ colorem illum comparauerit, aut putrescentiâ, aut modicæ bilis admittance. Nimirum & si naturalis calor debilior erat mediocri, tamen aderat calor præter naturam, siquidem aderat putrescentia & febris. Quoniam ergo copiose euacuata sunt, qualia euacuari oportuit, sanata est, & sublatis obstructionibus, ac per detractionem succi obruentis roborato naturali calore, muliebria denuo facta sunt, & mansit secundum ventrem crassa, & corpus boni coloris, & crassum erat ipsi. Nam hæc non fuerat extenuata per morbum, sed crassa, nutriebaturque multa pituita. Pituita vero roborato calore, facile emendatur, abitque in sanguinem, atque ita quæ crassa & decolorata sunt, præter crassam mentia, colorem & habitum in meliorem mutare. In græcis codicibus occurrit scriptum $\chi\rho\acute{\alpha}\mu\alpha \ \epsilon\upsilon\chi\rho\omicron\omicron\nu$ idest color boni coloris, constat vero legendum esse $\sigma\acute{\alpha}\mu\alpha \ \epsilon\upsilon\chi\rho\omicron\omicron\nu$ idest corpus boni coloris. Nam præterquam quod illa est dura locutio, addit Hippo. $\nu\tau\alpha\chi\rho$ idest & crassum, constat vero crassum non posse dici de colore, sed de corpore.

EA quæ Minois, quæ ex sectione præmentibus spha-celum contraxit, insidente in pulmonem, breui signifi-

gnificationem præbuit, quotquot supererat, & aliud quid interius.

Per insinuationem dicit hanc Minois, seu vxorem, seu filiam, seu ancillam, mortuam esse breui, & causam quæ mortua est, aperit. Ea fuit quod cum ei pars aliqua externa secaretur (quid prius perpeffa secaretur, non dicit) & chyrurgi plusquam oporteret partem secandam præmerent, & starent, & affligerent, contigit vt ex sectione sphacelum contraheret. Deinde verò insidente in pulmonem prauo succo, qui in corpore redundabat (non enim euenire solent hæc nisi cacochymis) tabuit, & mortua est breui, neque id admodum latuit. Nam post sphacelum, breui significationem præbuit malum, quotquot diebus supererat (his verbis indicat superfuisse paucos dies) aliud aliud quid interius esse, præter id scilicet malum quod in interna parte conspiciendum se exhibebat. Hic admonentur imprimis chyrurgi, ne partem quampiam vlceratam, circa quam aliquid moliantur, plusquam necesse sit, præman, aut attræcent: sed quo ad fieri possit, leuiter, ac suspecta manu quiduis agant, nam mortificationis, quam sphacelum (quasi dicas syderationem) græci vocant, periculum in nimia attræctatione esse, quotidie nos admonent carnes quæ ad cibos parantur, qua parte eas manu quis tenuerit, facilius citiusque quam alijs putrescentes. Porro hæc obserues licet, ab externarum partium affectionibus, non aliter homines mori, quam ad aliquam internarum eistransfusis, velut hic ad pulmonem. Iam verò ex pulmonis malis arefcere corpora, res est notissima, idque tanto citius fore, quanto deterior succus in eum incubuerit, est contemporaneum: neque minus, tanto citius significationem sui morbum quencumque præstiturum, quanto citius sit peruenturus ad summum: crescunt enim cum passione quæcunque pathognomonica vocata symptomata. Quomodo ergo in hac malignus succus pulmonem obsedit, breui scit tabescere, & breui sui significationem malum præbuit.

94 **Q**uæ induntur in nares si febricitauerint, si solutus sit dolor, crassa per nasum effluunt, sin autem neque

que dolor, neque febris, tenuia & fortasse feruida, velut
 tenue Hegesippo cum ad noctem quid indidisset, crassum
 autem erat ei qui in Coryntho, simili eunucho qui Celeuris.

Redundantiæ excrementorum in cerebro nulla euacua-
 tio prior, neque magis accommodata est, quam per na-
 res. Cietur vero ea, cum sponte non succedit satis. Cietur
 inditis in nares medicamenti aliquibus acribus, aut so-
 lam aperientibus, & extergentibus: vel forma liquida vel
 solida: quæ vocantur errhyna. Non est autem ea molien-
 da in principio: sed cum cocti iam sunt succi, velut in alijs
 omnibus morbis siue totius corporis, siue partis cuiuspiam,
 pendentibus ex succis concoctilibus. Ita & in grauedine
 capitis expectanda concoctio est materiæ propriæ. Nam
 si ante hanc sternutamenta moueas, aut acria medica-
 menta naribus haurias, euacuatione parum iuuabis, quia passio
 cruda non cedit, & irritatione, capitis grauitatem auge-
 bis. Signum autem concoctionis in hoc, vt in alijs etiam,
 est crassities eius quod educitur, crassities inquam quæ
 sine lentore. Porro in coryza, vt & in inflammatione, fe-
 bres & dolores accidunt magis cum coquitur materia,
 quam coctione iam perfecta. Quoniam autem non om-
 nes coryza laborantes corripuntur febre: sed nonnulli
 sine ea transigunt, constat in eis qui febricitauerint, ma-
 iorem excrementorum crassitiem debere expectari. Fe-
 bris enim siccat, cogit, & crassiora reddit, quin & coquit
 excrementa, cum horum concoctio non sit perfecta qua-
 lis alimentorum: sed imperfecta, & vstionis aut putre-
 scentia cuiusdam particeps, qualis puris, aut eius quod
 in vrinis, febribus putridis laborantium, subsidet. Ergo,
 dicit, quæ induntur in nares, id est cum induntur aliqua
 medicamenta in nares (idem autem euenit si non indan-
 tur: sed sponte effluunt excrementa, dicit i vero hoc in-
 nuens obiter rationem purgandi per nares) si febricitau-
 erint, si solutus sit dolor, crassa per nasum effluunt, quia
 febrem & dolorem antecessisse, & solum iam esse do-
 lorem, significat antecessisse concoctionem, & perfectam
 iam esse: sin autem neque dolor neque febris (soluta scili-
 cet sint: sed adhuc maneant) tenuia, & fortasse feruida

N u effluent,

effluent, huiusmodi enim sunt, quæ coquantur, coctæ autem non sunt: calore enim feruent, crassitiem verò nondum compararunt. Velut ergo ex inflammatione adhuc dolere multum, & ardente, nemo exprimet nisi tenue & feruidum, ita neque in coryza ex naribus, cum adhuc febris & dolor urgent. Velut (inquit) tenue effluxit Hegesippo cum ad noctem quid indidisset, quod scilicet nondum concoxisset morbum, crassum autem alteri, Celeuris, seu filio seu seruo, eunucho simili qui erat in Corynthis. Hæc omnia dicuntur memorie gratia, proposuitque duo exempla, alterum tenuis, alterum crassæ emunctionis.

95 **M**aturi in morbis abscessus si iudicant signum, si febriculosa existentia non febricitant, & difficultatis tolerantia existentia, facile ferunt, ut quæ Charisii in sede.

MATYROS abscessus arbitror illum dicere, eos qui suppurantur, quia suppuratio ut 4. libro meteororum Aristoteles dixit, maturitas quædam est. Tales verò abscessus sunt febriculosi, id est nati febres facere. Sunt præterea difficultatis tolerantia, & dolorosi, quia cum pus conficitur, dolores & febres fiunt. Velut ergo in omni iudicatione nihil præstantius signum est, quam conferentia, & tolerantia, ita & in omni abscessu. Conferentia verò est: ne affectio morbosas augeat, aut si fieri potest, etiam tollat. tolerantia facilis, ne facultates plusquam pro ratione debilitentur, & ne symptomata admodum vexent. Ergo maturi abscessus si iudicant, id est tuto ac perfecte à prioribus morbis liberent, ex hoc signo agnosces. Si febriculosi alioqui existentes (sunt verò tales omnes suppuraciones non exiguae) non faciant febres, & existentes difficultatis tolerantia non dimittantur. Ut quæ Charisii in sede, cui forte suppuratio abscessus magna circa sedem facta est ex alio morbo, citra novam febrem, & citra magnos dolores: sed facile, & ægro sentiente leuari, & à febre & ab omni alio morbo. Verum tantum hic est, etsi omni febre carere & labore, perfectum iudicantis abscessus signum sit, non tamen eum qui perfecte iudicaturus sit, abscessum, necessario sine febre fieri. Nam

Nam nihil prohibet ob suppurationem ipsam in magno abscessu excitari febrem, & nihilominus priorem febrem per eum abscessum solui. Verum tunc quoque, ea febris erit, aut diaria solum, qualis solet esse ex bubonibus, aut si putridæ aliquid habens, tamen simplex omnino, & breuis. Multò vero melioris abscessus, & perfectius iudicantis sit, nullam omnino afferre, quia perfectæ expurgationis internarum partium argumentum est, suppuratione non exigua, nullam posse febrem excitare. Nam quanto corpora sunt puriora, tanto minus ab externis causis febricitant.

L *Leambio verò, cum intestinum ulcerosum esse videretur, in dysenteria pharmaco curato, humerus & sedes exulcerata sunt in sinistra, citra febrem.*

ALIUD exemplum est hoc abscessuum sine febre, cum essent febriculosi, ac proinde rectè iudicantium. Nimirum huic ex dysenteria, magna adeo, ut intestinum exulceratū videretur, factæ sunt duæ suppurationes, altera in humero, altera in sede, ambæ in sinistra parte atque ad exulcerationes processerunt citra febrem, atque ita est liberatus. Nam tamen si id nunc non dicat, ex nuper dictis licet intelligere: cum dixerit, Abscessus si iudicant signum, si febriculosa exilentia non febricitant. Sed quo pacto dicimus dysenteria teneri, ita ut videretur intestinum esse ei exulceratū, si dysenteria ipsa exulceratio intestinorum est? Certè dysenteria est corrosio intestinorum, quæ ad exulcerationem procedit, non est autem ut magnum aliquod ac insigne intestinorum vlcus. Si cui enim intestina laborant vlcusculis ac excoriacionibus, dysenteria dicimus eum teneri, si verò vlcere aliquo magno, dicimus potius exulceratū esse ei intestinum, neque ab vlllo symptomate nomen ei morbo damus: sed ab essentia, dicentes esse intestini vlcus. Proinde diximus hunc teneri tanta dysenteria, ut exulceratum intestinum esse videretur. Sed quia magis consentaneum est maiorem affectionem ex minori, quam contra processisse, atque adeo vlcus à dysenteria, non dysenteriam ab vlcere, constat quod dicit, Leambio cum intestinum ulcerosum esse videretur in dysenteria, pharmaco curato, hu-

N n * merus

merus & sedes exulcerata sunt in sinistra, citra febrē, ita
 legendum esse, humerus & sedes exulcerata sunt in sinistra
 citra febrē Leambio, curato pharmaco in dysenteria,
 cum vlceratum intestinum esse videretur: intelligendum
 quia in dysenteria est curatus pharmaco, id est expurgari
 (nam *παρὰ δὲ νεῖν* Hippocrati significat expurgare) et
 mali peruenisse, vt vlceratum esse intestinum videretur, et
 postea superuenisse ei dictos abscessus. Significat ergo
 obiter, quā sit temerarium expurgante medicamentis
 curare dysenteriam, cum enim ad ipsa exulcerari cœpta in-
 testina, excrementa mordacia trahantur, apertum pene-
 lum est, ne manifestè exulcerentur. Non tamen prohibe-
 negauerim aliquando nulla ratione melius curari dysen-
 teriam, verum quæ occasio ea sit breui dicam. Aut in dy-
 senterico est cum cacochymia magna, exulceratio nōdum
 magna, aut cum exulceratione magna, cacochymia exi-
 gua: aut vtraque cacochymia dico & exulceratio) exigua:
 aut vtraque magna. Si primum, expurgari debet: si secun-
 dum minimè: sed ad vrinas & sudorem, & vomitus, vocan-
 dum, & instandum localibus interius & exterius prohi-
 cere curando. Si tertium, ne tunc quidem opus est purga-
 tione, neque localibus admodum: sed bono victu, & facili
 ad alias euacuationes deriuatione: si tertium, insanabile
 est, facies aut nihil, aut omnia tentandi gratia, velut in re
 desperata. Tales enim etiam curationes aliquando pro-
 fuerunt, neque mihi semper displicet illud Celsi. Sæpe
 quos ratio non inuit, temeritas adiuuat. Sed est consi-
 deratione dignum, quam rectitudinem habuerit cum in-
 testinis, vt dysenteriam finiret, humerus. Sedes enim ha-
 bet rectitudinem manifestam. Verum scire oportet, par-
 tem, qua euacuatio sponte aut arte, aut etiam abscessus fit,
 rectitudinem seruari posse, aut cum parte recipiente, aut
 cum ea quæ mittit, ac nihilominus vtilem esse rectitudi-
 nem cum mittente: sed vtiliorem etiam, si fluxio nondum
 cessauit. Sedes ergo habuerit rectitudinem cum ipsa affe-
 cta & recipiente parte, puta cum intestinis, humerus vero
 fortasse cum mittente. Fit enim sæpe dysenteria toto co-
 pore mittente acria aut salsa in intestina, non rarò etiam
 ex capite catarrho falso defluente. Huic si ex capite fluxio
 bat, nulla pars potiore rectitudinem cum mittente par-
 te habe-

te haberet quàm humerus : sed & si ex toto corpore : nam partes mediæ respiciunt totum.

Qui à flatibus eleuabatur, eleuationem & dolorem quendam habebat in inani parte. Huic lac multum & meracius bibenti, & insuper dormienti, statim nausea, & calor fiebat, deinde admonenti, & pro cibis farinam crassiorem in craticula coctam comedenti, substitit venter, & puri simile quiddam egesit. Sede autem inflammata, sine febre & sine dolore erat sufficienter. Hoc dico.

Hoc iam est tertium exemplum, abscessus febriculosi, & toleratu difficilis, sine febre & sine dolore vt antea dicebatur. Nimirum ex morbo partis inanis, hoc est ilis, inflammata huic est sedes, satis sine febre & dolore. Quod sanè, vel ob partem ipsam, erat mirabile. Est enim ea acriter sentiens. Tumebat, eratque eleuatus huic venter flatibus, præcipuè autem in inani parte, quam vocamus ile, secundum quam etiam habebat dolorem quendam. Quoniam verò, dicit, *ὀσπλῆξ* quod nos vertimus, subdolebat, aut habebat dolorem quendam: constat extenuatione esse eum vsu, innuentem dolorem minorem fuisse tumore, hoc est dolorem minorem fuisse, quàm pro tumoris magnitudine. Quod quidem fit, cum flatus non tam est qualitate, quàm copia noxius. Est enim magna etiam in ipsis flatibus qualitatis differentia, quæ ex differentia succorum, qui illis materiam suggerunt, ortum habent. Nonnunquam enim flatus est valde frigidus & crassus, qui sanè vehementem dolorem infert in intestinis, nonnunquam etiam acer & fumosus, qui mordendo etiam infert, aliquando etiam est simplex & apios: seu qualitatis expertus, distentione tantum dolorem faciens. Fuisse autem huic talem, rationi est consentaneum. Nam succus qui intestinis hærebat, non erat admodum lentus & vitreus, siquidem puri similis, candidus, scilicet & sine multo lentore, excretus est. Neque verò dicit excreuisse pus, vt suppurationem aliquam

internam fuisse cogaris suspicari: sed puri simile, quod minoris cruditatis succorum fuisse autuma. Sed & à iuuantibus & nocentibus constat, hanc fuisse eius passionem. Læsus est enim lactis meratoris potu, & admota farina crassiori, in craticula tosta, aut confracta, scilicet & tosto hordeo, aut tostis furfuribus in sacculo admotis, & ipsa farina crassiori tosta in cibo accepta, iuuatus est: ita scilicet ut fit in dolore partis inanis ex flatu & crudis succis. Dicitur igitur huic lac multum & meracius bibenti, & insuper dormienti, statim nausea & calor fiebat. Ex hoc loco constat crebriorem usum lactis fuisse antiquis, quam nunc sit, consueuisseque eos uti in potu lacte, aut mero, aut mixto cum aqua, aut etiam cum vino. Nam, quasi diluto solerent potare, dicit bibisse meracius. Quin etiam ipsemet lib. 2. Epidemiarum ad quædam vlcera iussit in potu dare lac & vinum pari aquæ mensura. Insinuat ergo fortasse, non tam grauitè lædendum fuisse, si cum aliqua parte vini bibisset lac, verum quia merum bibit, flatu creuerint, & inde communicata ventriculo passione, ut fit in dolore ilis: nausea acciderit, & lac ipsum corruptionem receperit, vnde & febris orta sit. Somnus quidem hæc mala non fecerit per se, sed potui multi lactis necessariò superuenerit, & ex somno cum nausea & febre excitatus sit homo, non valète somno probè, per eam præcipuè passionem, tantum lac coquere, ac proinde flatu gignente, & præstante initium alterationis, quæ per impotentiã facultatis deciderit in corruptionem. Deinde inquit (cum, arbitror, sentiret se tali victu lædi, mutato consilio) admouenti. Ianus Cornarius venit incendenti ignem. Nam Græcè habetur ἀπὸ πυρὸς quæ vox significat & accendenti & admouenti. Cum verò significet vtrumque, videtur mihi hoc multo magis quadrare. Nã ignem accendere quis vlli ægroto vnquam præcepit ad dolorem ilis? Admotis verò frumentaceis seminibus, confractis & tostis, in sacculis, est vtilissimum uti. Siccane enim & discutiunt flatu. Significat verò mihi hic quodcuque tale, aut etiam furfures tostos, nomen farinæ crassioris admotæ. Sed & pro cibis, addit, farinam crassiorem in craticula costam comedenti. Hoc est quod far, seu vulgari nomine nunc farrum dicimus. Paratur enim confractis & tostis granis hordei. Hoc vero siccatione & extersione iuuare

uare poterat. Et ita euenit. Sustitit venter. Sterisse autem aut sustitisse ventrem hic dici intelligo, non quod aliis locis (nullius enim fluxionis alui mentio facta est) sed subse- disse, aut tumorem deposuisse. Egesit quiddam puri simile vt dictum est, & sedes est inflammata, non tamen id ob fe- brem habuit aut dolorē, sed sine febre & sine dolore erat sufficienter. Quoniam vero dicit sufficienter, videtur in- nuere, non omnino sine febre & dolore fuisse (alioqui dixisset simpliciter sine febre, & sine dolore erat) sed suffi- cienter, satis scilicet, vt febre & dolore carere diceretur, quod omnino haberet exigua, & quæ medicus posset ne- gligere. Et quia hoc quidem rarum est, & notatu dignum, narrationi veluti subscribens, addidit, hoc dico.

Senex qui in lapideis vestibulis lumbos dolebat, & ambo crura, & vtrumque descendebat in femora, & aliquando tibias, & aliquando genua. Durante autem plurimum multa recursiones factæ fuerant. Tumor in pe- dibus, lumbis, tibia parui bubones. Venter durus, & in- tentio interfeminei tota, & dolorosa. Plerumque reper- tus est habens vesicam duram, & dolorosos articulos, & post hæc doluit iuxta aures, idem tumultus adenem non tangens, os non suppurans, hoc euannit, & tunc statim febricitauit.

SENEX qui habitabat in vestibulis lapideis (vico quo- dam ita forte nuncupato) magna succorum crassorum re- dundantia laborabat secundum humiles corporis partes. Tales autem sunt renes, & quæ circa illos, aut sub illis sunt, vt uterus, vesica, & crassa intestina, in internis: femora, ge- nua, & tibias, & pedes in externis. Nullam ergo humilium partium videtur mihi hic senex habuisse crassis succis li- beram. Nam dolores, tumores, & tentiones, eas omnes, aut simul, aut alternis vicibus, obsidebat. Omnium autem ma- ximè videtur laborasse vesica. Nam plerumque repertus est habere vesicam duram, & dolorosam. Sed & intentio interfoeminei pertinebat ad vesicam, quia eius ceruix illac procedit tortuosa. Dicit verò intentio interfoeminei (est

ea pars quæ inter podicem & testes) tota (id est totius interfoeminei) & dolorosa. Si cum febre acuta duritie & dolore ea regio laboraret, phlegmon vesicæ, & eius cœnicis esse putaretur, verum quia ea non dicitur fuisse, consentaneum est dolorem ex ipsa tentione natum (dolor enim non solum quæ inflammata: sed & quæ distentæ videntur sunt partes) tentionem verò ex ipsis succis in fibras inhibitis. Sed & renes laborasse, constat ex lumborum dolore, præcipuè ad femora descendente, sed & ex affectione vesicæ quæ subsecuta est. Ut enim à vesica in eius cœnicem, ita à renibus in eam descendisse, est consentaneum. Sed & aliæ omnes, quæ dictæ sunt partes, laborabant. Nam aliquando dolebant genua, aliquando tibiæ. Aliquando verò dicit, non quòd aliquot diebus doluerit, ac deinde contra dolorem perseverauerit: sed quod alternatè sæpe, dolor harum partium, & cessauerit & redierit. Nam durante plurimum morbo: multæ horum dolorum recursiones factæ sunt. Tumor etiam in pedibus, & tibia, & lumbis (tumor arbitræ œdematosus, qualis in his locis ex pituita sæpe conspicitur) & bubones parui, tumores scilicet in adenois inguinum partibus, qui ex crassissima pituita, duri & exigui, ut scirruli quidam, fieri solent. Et veneris durus, quia partibus omnibus ibi crassis succis repletis, necesse erat eam regionem esse distentam, ac proinde duritie quadam tactui occurrere, certè, ut vesicam distentam plerumque occurrisse. Verba reliqua, quæ fini dictionis huius adiecimus, hæc scilicet, & articulos dolorosos, post hæc doluit iuxta aures, idem tumultus adenem rotangens, os non suppurans, hoc enavit, & tunc statim fabricavit. Hæc inquam verba, post multa alia eorum quæ sequuntur scripta occurrunt, in omnibus codicibus: quia cum illis non aptè hærent, neque idoneum sensum reddunt, censui inde excipienda & transferenda huc & restituendam lectionem, ut hic seorsum scriberentur, quæ ad historiam singularem videntur pertinere, moxque proxima dictione quæ hanc sequetur, quæ in commune dicitur, de ijs quibus cognoscimus quæ circa ægrotos fiunt, ergo restitutam orationem enarremus. Plerumque, in quo repertus est habens vesicam duram, & dolorosos articulos, nam ut dictum est genua, & pedes, & femora, & lumbos

bos dolebat. Et post hæc doluit iuxta aures, in ea scilicet parte, qua est os petrosum. Dolorem hunc constat fuisse vehementem admodum, ex ijs quæ addit. Nam inquit, tumultus idem (vocat *ὄσπευμα*, nos tumultum vertimus, passionem hanc quod grauiter angeret, & tumultuari cogeret) adenem non tangens, os non suppurans, idest fuit dolor vehemens, tamen non fecit tumorem in adenibus, neque res venit ad ossis corruptionem, vt Solet. Sed hoc euauit, & tunc ccepit febricitare, cum non febricitaret antea. Hoc non intelligit, nisi qui ex ipsis operibus cognouerit, solere maximos dolores circa ossa diu durantes, per quos præcipuè nullus tumor in carne ossi incumbente sentiatur, in corruptionem membranæ, quæ periostū vocatur primum, deinde & ipsius ossis, finiri, atq; adeo hos dolores, & has corruptiones ossium, sæpe fieri citra febrē, velut in externam partē & ignobilē putrescentia incumbente, atq; nonnunquam has externas affectiones cessare cū magno ægrotantiū malo, velut eadem putrescentia in interna recondita. Vbi vertimus vtrunq; descendebat ad femora, reperimus, in græco codice *ἄλλοτερον* idest alterum. Sed si alterum tantum descendebat, quo pacto alterum descendebat in femora? Ac nō potius in femur? Præterea, si alterū tantū in femur, quo pacto dolebant ambo crura? nā femur suprema & prima pars cruris est: crus ergo, cui non in femur descendebat, nō dolebat. Proinde cōstat legendū fuisse *ἕνα τὸ τερον* idest vtrunque, vt nos legimus. Porro vbi legimus, parui bubones, habetur græce *ἄραχες βούβωνες*, vertuntq; breues bubones, qui autem dicantur breues nisi qui exigui, non succurrit. Proinde cū *ἄραχ* significet, & quod breue & quod exiguum, magis placet legi parui bubones.

99 **E**T germinationes & calores, quod oculis, auribus, naribus, manu. Iudicationes, & alia quibus cognoscimus: ægrotus an sudet, an tāgat, an olfecerit, an gustauerit. Alia autē agnosce, pili, color, cutes, vena, nerui, muscoli, carnes, ossa, medulla, cerebrū, & qua à sanguine viscera, venter bilis, alij succi. Pulsus, tremores, conuulsiones, singultus, circumspiratio, secessus quibus cognoscimus.

Hic

Hic voluit Hippocrates in vnum caput colligere omnia quibus vtimur ad cognitionem. Ea medicinæ pars, ad quam hæc pertinent, dicitur agnostica. Triplicium rerum facit mentionem, non sanè admodum distinctè, & artificiosè distributarum. Hoc verò vetustari est condonandum, & à nobis, quod ordini & distinctioni deest, addendum.

3 Triplicia illa sunt: Quibus potentij s, seu organis, ad hanc
 3 medicinæ partem opere exequendam, vtamur: Quæ signa
 3 captemus: Quarum partium consideremus affectiones. At-
 qui quæ vt signa consideramus, sunt duplicia, quædam ante-
 cefferunt, quædam comitantur. Organa quibus vtimur
 sunt oculi, nares, aures, & manus, visus enim, auditus, odo-
 ratus, & tactus, sunt hæc organa. Gustu verò nullus vti-
 medicus ad medicinales agnitiones, quia excrementa ali-
 qua, siue sudorem, siue vrinam, siue quiduis aliud degusta-
 re, absurdum, & minimè necessarium est. Proinde Hippo-
 crates à tali ratione agnitionis semper abstinuit, neq; so-
 an saporis excrementorum vnquam meminert, nisi forte
 dulcedinis sordium auris, section. 5. libri. 6. huius operis,
 proinde neque hoc loco linguæ meminit, tamen odoris
 multis in locis fecit mentionem, foetidarum scilicet, & vri-
 narum & deiectionum, & quàm minimè foetidi puris, æ-
 que hoc loco etiam narium. Quibus itaque agnoscimus,
 quatuor hæc sunt. Signa quæ vt prægressa consideramus,
 an sudauerit, an tetigerit, ad motumve ei fuerit aliquid no-
 xium, an olfecerit, gustaueritve aliquid à quo potuerit ef-
 se læsus, ac denique omnia alia, quæ ægrotus facere, patire
 potuerit: vt an vigilauerit homo, aut laborauerit, aut in-
 ediam sustinuerit, aut alius copiosè fluxerit, aut denique
 aliud tale antecefferit. Nam huiusmodi omnia quæ proca-
 tarticæ causæ medicis vocantur, considerare consuluit Hip-
 pocrates initio prognostici, aut ex alijs coniecturam fa-
 cientes, aut, nisi id fieri poterit, interrogantes. Nam quæ
 consideramus vt præsentia, non eodem modo semper in-
 dicant, sed plus aut minus bona aut mala fiunt, vt illa, quæ
 vocamus prægressa, antecefferunt, aut non. Nam quæ con-
 siderantur vt comitantia affectionem, sunt, germinationes,
 seu quæ exterius per cutem germinant, quo in genere sunt,
 quæ exanthemata vocantur, maculæ scilicet, & papulæ, &
 tubercula exigua: præterea & vlcera omnia, & tumores
 præter

præter naturam externi (omnia enim hæc per cutem germinant, & significationem aliquam præbent) & calores, qui totum corpus, aut quasdam partes præcipuè tenent: & color in toto corpore, præcipuè verò in vultu, & lingua: & pulsus (vt hinc etiam constet Hippocratem consueuisse tangere ægrotantium arterias. Nam σπύγμος non significat palpitationem, aut motum alium quam dilatationem arteriarum) & tremores, conuulsiones, singultus, circumspiratio, & secessus, & alia quibus agnoscimus, vt decubitus, palpitationes, extenuationes partium, manuum gestulationes, vomitiones, & vrinæ, & sputa. Circumspirationis nomine intelligo ego hoc loco spirationis difficilis omnes differentias. Ex illis enim omnibus significatio aliqua capitur in morbis, peculiariter tamè quam dyspnœam significet, non possunt certò affirmare. Non enim memini me vnquam hoc nomen *αυψίπνευμα* seu circumspiratio, apud Galenum aut vllum alium autorem legisse. Neque sanè Gal. in libro de antiquatis vocibus Hippocratis illius meminit. Proinde omni auxilio destitutus, hac in re sola possum coniectura uti, ea verò ducit in respirationem sublimem: sublimis enim videtur posse circumspiratio vocari, quod non tantum septum transversum & thorax per eam moueantur, sed & partes quæ circumstant thoracem, supernè quidem clauiculæ, infernè ilia. Nam re vera cum augetur debilitas, quâto hæc quæ circumstant thoracem mouentur euidentius, tanto thorax videtur moueri minus, vsque adeo vt cum ad extremam debilitatem iam ventum est, non respirare, sed circumspirare videatur animal. Atque ita nisi me coniectura fallit, pessima omnium specierum dyspnœæ, nomine circumspirationis significatur. Dicitur itaque est, dictis organibus, aut facultatibus, dicta signa considerari. Id quod faciliè constat: nam oculus sentimus germinationes, & colores, tum in partibus, tum in secessibus, & alijs excrementis, atque adeo modos substantiæ, in his ipsis. Auribus, quasdam dyspnœæ species, vt cum feruet plenus in gutture pulmo, & excretiones flatuosas. Naribus, odores in vlceratis partibus, & in excrementis. Manibus, calores & refrigerationes, & partium durities, aut mollities. Porro tremores, conuulsiones, & dyspnœæ plætreque species, & decubitus partim oculis partim manibus

bus videntur sentiri posse: vt & singultus partim oculis, partim auribus. Porro dictum est, hæc significatione mutare, ob ea quæ antecesserint aut non antecesserint. Quod etiam constare poterit singula perpendenti. Germinationes certè in febrium initijs malignitatem humoris indicant, nisi tamen exsudationis vi aut tactu affricative alicuius medicaminis calidioris, aut longioris moræ in sole, aut potu vini meracioris, & esu rerum acrium, eruperint: tunc enim non malignæ, vt quæ tabardillo, sed simpliciore, vt quæ sarpullido Hispanis vocantur, fuerint germinationes. Calores itidem mordaces & maximi, ardentis febres indicant, aliquando verò esu aut potu rei calidioris, aut inedia excreuerunt, & citra grauem vllum affectum apparent. Pulsus etiam nonnulli ob perturbationes animi fiunt, qui citra eas pericula non exigua protenderent. Iam tremores motu defatigatis aut inedia, aut vigilia, aut dolore aliquo, qui alioqui extremæ debilitatis essent, conuulsiones, & singultus, qui conuulsionibus analogi sunt, ex vino, & gustu odoratuve nimio rei acrioris, cum minori periculo: ex expurgatione per pharmacum, aut nimia sanguinis effusione, aut etiam nimia exsudatione, cū maiori fiunt, quam sine eis. Circumspiratio ex vehementi cursu aliquando fit sine magno malo, alioqui omnium perniciosissimum signum. Secessus nigri, virides, liuidi, & impensè flauii, pessimi sunt, si verò deuorato pharmaco fiant, minus erunt mali, atq; si ingestis copiosis cibis eiusmodi, multo minus mali. Perinde etiam euenit in alijs omnibus, quæ circa ægros considerantur: quæcunque enim eorum quæ comitantur, quibusdam antecedentibus, grauiora: quibusdam leuiora fiunt. Quare inditia non ex eorum quæ adsunt consideratione procedunt, sed eorum & antecedentium. Partes quæ considerare debemus affectiones, sunt, pili, cutes, venæ, nerui, muscoli, carnes, ossa, medulla, cerebrum, & quæ à sanguine viscera, venter, bilis, & alij succi. Enumeratio est hæc partium omnium. Nam duplices partes sunt. Quædam quæ propriè sunt partes, & in toto viuunt: quædam quæ non propriè sed quia aut in nostris corporibus naturaliter sunt, cuiusmodi quatuor succi, & ossium medulla, & propriij partium rores: aut quia in nascuntur nobis, vt pili, & cuius non vera, & extremi vngues. Quæ propriè sunt partes

res quædam sunt simplices & homogenæ, quædam organice: simplices sunt carnes & ossa (in carnibus verò sunt, rubræ, & pingues, & laxæ, & cuique parti propriæ) & medulla, spina & cerebri. Organa sunt duplicia, quædam organa prima, & potioribus organis communiter seruientia, vt venæ (in his sunt & arteriæ) & nervi & musculi quædam organa præcipua, vt venter, (& hic superior aut inferior) & uterus, & vesica (hi enim etiam sunt ventres) & cerebrum, & viscera quæ a sanguine, idest partes quæ ex sanguine concreuerunt (cerebrum enim & venter ex semine) vt cor, hepar, lien, & renes. Omnium ergo curam habere iubet Hippocrates, vt rectè possimus de ægotantium affectionibus iudicia ferre, non solum partium, sed & eorum quæ in nobis naturaliter innascuntur. Porro hæc vt habeant agnoscimus, ex dictis antea signis, & ex horum affectionibus notas alias accipimus, vnde in grauiori aut minus graui statu esse ægotum cõstitutum, agnoscimus. Nam ventris affectiones agnoscimus, ex secessibus aut vomitibus, velut vesicæ & renum ex vrinis; hepatis & cutis, ex germinationibus, & calore, & colore. Cordis & venarum, ex his ipsis, & pulsu: & medullæ, & neruorum, & cerebri, & musculorum: ex tremoribus & conuulsionibus horum ipsorum: Et ventriculi, ex singultu: bilis & aliorum succorum, ex excrementis, secessibus inquam, & vrinis, sudoribus, & sputis, & vomitibus: ossium, ex quibusdam germinationibus, ex vlceribus enim diuturnis. Porro pilorum decidentia malignas cacochymias, aut extremum tabescentium periculum, indicant. Repentina & intempestiua canicies frigiditatem & humiditatem cutanearum capitis partium. Cutis distentio & ariditas, siccationem Corporis: venæ tumores; redundantias Indicant arteriarum motus multiplices, multiplices affectus: nervi & musculi affecti, faciunt partium quarundam peruerfiones, quæ & ipsæ in acutis morbis significationem habent insignem. Carnes emollitiones quasdam, aut durities præferunt, malum statum vtraq; ratione indicantes, vt in leuco phlegmaticis, & tabescentibus. Ossa corruptione subeuntium, dolores quosdã solent pati horrendos: medulla sping affecta resolutiones parit: cerebrum affectum, deliria: cor, deliquia animi: hepar & venter, incoctiones: bilis & a-

lij succi,

lij succi, fastidia, oris amaritudinem, aut falsuginem, & alia multa. En quæ continet hæc Hippocratis dictio, quam fatius, arbitror, fuerit rursus enarrando repetere. Et germinationes (inquit) & calores (supple) considerari oportet, eo quòd oculis, auribus, naribus, & manu fiunt iudicationes: idest iudicamus quæ circa ægrotum sunt. Neque verò duo illa tantum consideranda, sed & alia quibus agnoscimus, idest quibus iuuamur ad necessariam circa ægrotos agnitionem, vt an sudet, aut tangat, idest an sudor aliquis nimius, aut tactus aliquis noxius antecesserit, an olfecerit aliquid insigniter lædens, an gustauerit cibum, potum aut pharmacum. Alia autem agnosce, idest & alia omnia quæ antecedere possint, quæ agnosce, idest cura agnoscas, aut per te ipsum, aut interrogando. Porrò quæ considerari debent sunt, pili (color dicit, sed fatius sit hic excipi, & cum signis posterius poni) cutes, venæ, nerui, musculi, carnes, ossa, medulla, cerebrum, & quæ à sanguine viscera, ventribilis, alij succi. Porrò reliqua signa quæ consideranda sunt, præter germinationes, & calores, sunt color, pulsus, tremores, conuulsiones, singultus, circumspiratio, secessus, quibus agnoscimus, idest & alia, quibus ad agnitionem vtimur.

100 *S*uppurationibus oculi, & erumpentia magna vlcera fiunt, & secta profunda, vtroque modo intuitus exulcerantur.

SUPPURATIONES fiunt aliquando in oculis, collecto sub cornea tunica pure, A quo quantum periculi visui impendat, vel hinc constat, quod si expectes vt ipsum erumpat spontè, fiunt vlcera magna (quia non aliter erumpere potest, quàm corrodens tunicas ipsas, atque ita magnum vlcus faciens) si seces, facies vlcus profundum (quod non satis sit, nisi totam ipsam corneam disseces) & vtroque modo intuitus exulcerantur, idest exulcerantur oculi, ita vt intuitum amittant. Quid ergo remedij superest? tunc quod Galen. 4. de comp. secund. loc. cap. 3. consultit, & sculorijs colyrijs tentare pus absumere.

101 **A**risteas ex Amphilocho pago quarta delirauit, al-
uus subchlora egerebat, & somni salubres. Colore
albus.

SPECIES quædã mihi videtur esse hæc hominis phre-
nitici in lethargicum abeuntis. Nam notas habebat vtrius-
que succi, bilis dico, & pituitæ. Nam biliofas deiectiones
habebat, & colorem album, quorum illud bilem, hoc pi-
tuitam indicare poterat. Nam duo sunt hi loci à quibus
redundantium succorum capiuntur argumenta, ab exeun-
tibus, & à calore ægrotantis. Albus enim pituitam, flauus
bilem, ruber sanguinem, niger atram bilem indicat. Vide-
batur vero nunc moueri bilis, quia aluus egerebat biliosa
& delirabat, quare cum notæ pituitæ simul apparerent, qui
est frequentissimus transitus in delirium ex pituita, cum
febre (nam malum erat acutum) sese insinuabat: in lethar-
gum ergo. Multo vero magis, cum simul essent somni sa-
lubres. Nam duorum alterum videtur posse significare, di-
cens somni salubres, aut somnos vtiles ac conferentes, aut
quietos, & similes ijs qui per sanitatem fieri solent. Vt cum-
que hoc interpreteris, constat hunc non teneri magno
peruigilio, vt phreniticorum plerique solent: sed dormire.
Certè somni phreniticis omnibus vtiles sunt, vt peruigi-
lium noxium, si tamen nulli aut prorsus exigui somni huic
fuisset, non dixisset somni salubres: sed quod solet, somni
nulli, aut non dormiebat. Dicit itaque huic somnos fuisse,
vel similes beneuolentium, aut vtiles, aut forte vtrumque.
Nam alterum ex altero fit. Si enim phrenitico somni pla-
cidi, certè & vtiles: atque si vtiles certe non valde impla-
cidi, neque inquieti. Nam qui omnino tales sunt, laborem
faciunt, & deliria & conuulsiones augent, quare & lædunt.
Qui ergo iuuant, sunt similes somnis beneuolentium. Ta-
les ergo erant huic somni, vtraque ratione salubres. Tales
verò attestabantur colori faciei, ac indicabant in cerebro
non valde synceram esse bilem: sed pituitæ satis admixtam.
Quare cum bilis per aluum efflueret, consentaneum erat
futurum, vt passio abiret in pituitosam.

Incipit

102 **I**ncipientibus velut subtremuli & digiti, & labia cum loquerentur, & alia, & celerior lingua præditi proteruè. Rubor in facie præcipue his erat. Hi vinū bibebant, aut vomitum vtiliter vomentes, intumescabant.

QVI vehementer vomere coguntur, cum alioqui non sint ad vomendum faciles, neque ad vomendum paulatim affuefacti: aut corpore pleno, & capite infirmo sunt, læduntur solent similiter, atque qui vino plurimo, meraciori præcipue, vtuntur. Nimirum vomentes solent, non aliter ac ebris, tremere manibus, & labijs, & balbutire, læsis neruis ob cōfensum cum ore ventriculi, & ruborem, tumoremq; in facie contrahere, & oculos tumidos, exertos, & humidos habere, raptis in caput humoribus. Cum ergo aliqui, per morbos incipientes, hæc habent symptomata, cōsiderare oportet, an aliqua harum causarum adsit. Si enim adest, melius sperare potes de ægroto: plerumque enim cocto vino, aut quiescente à vomitu corpore, symptomata hæc cessant. Si autē neutrum affuerit, periculosa constitutio est. Nam apoplecticam aliquam passionem minatur. Hoc ergo nunc eos hac historia Hippocrates docet, dicens, multos per incipientia morborū habuisse digitos subtremulos, & labia, cum loqui inciperent, & alia huiusmodi, & fuisse celeri lingua. Hoc idem epitheton lib. 2. sect. 6. dedit balbutientibus: sed addit nunc proteruè, quod sane non omnium balbutientium est commune, sed peculiare ebriorum. Nam loquacè balbutientem, & petulantiam, præstat vinum: & ruborem, faciei præcipue, etiam dicit fuisse his: verum hæc non citra occasionem facta, sed quòd tales ægrotare cœpissent, aut ex ebrietate, aut nimio vomitu. Verum non omnia æque addunt ebris, & vomentibus. Nam petulantia est ebris maior, & tumor faciei vomentibus. Proinde dicit prius (quòd ad bibentes vinum magis refertur) celeri lingua præditi proteruè, & postea addit, vomentes intumescabant. Sed dubitabis, cur dicat vtiliter vomentes. Nisi enim nimius vomitus sit, non videtur tam noxius futurus, si autem nimius, qui sit vtilis? Certe qui vomunt, aut vomunt naturali quadam vi coacti, non potentes retinere, aut sperare id faciunt alicuius vtilitatis gratia, vt qui vomunt

riūm pharmacum accipiunt, aut digitis, intinctisve oleo pennis, sibi ipsis vomitum cient. Hi verò, aut nimis sese ad vomitum cogunt, & in ea re modum non tenentes, dictas sibi noxas faciunt, aut fortasse intempestiuè vomere tentantes. Velut enim quidam vtilitatis gratia sese expurgare tentauerunt, & à pharmacis vehementer læsi sunt, superpurgatione correpti, aut commota citra euacuationem bile, aut distemperati, aut aliter: ita multi, sanitatis causa vomentes, læsi sunt, rupto aliquo vase, aut grauato capite, aut debilitata ventriculi retentrice, aut aliter. De his dicit, vtiliter vomentes intumescabant, idest vtilitatis gratia vomentes, & vt ab alijs affectionibus liberarentur, ac fortasse etiam vtilitates alias inde capientes, has noxas incurrerunt, intumescabant scilicet secundum faciem & oculos, & tremebant digitis & labijs, & balbutiebant cum rubore faciei, impetu quodā actis in caput humoribus (qua eadem ratione solet quibusdam, nimio & crebro vomitu vtentibus, visus acies hebetescere) & ore ventriculi læso, ab accurrentibus excrementis, cui consentiente neruoso genere tremores & concussiones partium fiunt.

103 **Q** Vi iuxta Medosada, cui tenuia sine bile, aquosa, multa deieciabantur. Hypochondrium obediens & gibbum, comatosus fiebat, circa quatuordecimam ad indicationem præcipuè eunti, rigor sine tremore, dissolutio, langor, concursus. Quæ exeuntium, comatosus, negligens ex somno, non insaniuit. Iudicatus est circa decimam quartam. Nullum indicantium, contrarium.

ὀψιχόνδριον idest obediens, hypochondrium vocat hic per metaphoram, quod molle, & cedens digitis tangentis: gibbum verò quod intentum. Nam tumens & elatum hypochondrium rotunditatem quandam comparat. Dicit ergo nunc obediens & gibbum hypochondrium, quod vocare solet intentum & mollè. Rigor sine tremore est horror, aut quod solum vocatur frigus.

O o Nam

Nam dempta concussione, rigor fit horror. Vnde constat rigoris nomen apud Hippocratem latius patere quam apud Galenum, & significare omnem extremorum refrigerationem, aut saltem horrorem & rigorem. Alio qui nõ posset esse rigor sine concussione partium. Cõstat etiam, vt & in alijs multis locis huius operis iudicauimus, tremorem non dici Hippocrati vt Galeno eam solum partium instabilitatem, quæ ex pondere & debilitate nascitur, sed omnem partium sine voluntate concussionẽ, quæ partes loco mouentur. Nam aliter quorsum diceret rigor sine tremore? Peculiariter. n. vocatum tremorem a Galeno, vix vnquam habet rigor adiunctum. Notauit ergo rigorem sine tremore fuisse, quasi carẽtem eo tremore quẽ solet habere, ea verò est concussio partium ab expultrice facultate procedens. Accipiuntur ergo hic nomina rigoris & tremoris vt dictum est, estque rigor sine tremore, horror. Dissolutio & langor eandem rem fortè significat, nisi fortè διαλυσις (dissolutionem vertimus) est motus partium debilitas: & πάρεσις (debilitatem vertimus) est animi deliquium, & vitalis contentionis remissio. Vellẽ sane Galeum libro antiquarum Hippo. vocum, harum meminisse, verum quando ille non fecit, licet nobis quod videt congruentissimum coniectare. Addit deinde σύμπτωσις παρὰ τῶν ἐξοίωντων nomen verò Symptomis non est facillè iudicare quid hoc loco significet. Nam nomen ipsum significare potest multa, quorum hoc loco vix vllum quadrare videtur. Significat enim concursum seu cõgressum, & compressionem, & infortunium, seu calamitatem, & accidens, seu symptoma. Quod autem horum dicas magis quadrare? Quid enim sit congressus aut compressio quæ exeuntium? Nam illud quæ exeuntium idem est ac si diceres, quæ exeuntia σύμπτωσις τῶν ἐξοίωντων idest σύμπτωσις τὰ ἐξοίοντα, itaque sensus sit, exeuntia erant compressio, aut concursus, aut calamitas, aut accidens. Compressionem legi non est consentaneum. Quia quid aliud significaretur, quam comprimi exeuntia seu sisti? Quo pacto autem cui antea fluxissent, eunti in iudicationem supprimerentur, aut quo pacto si supprimerentur circa quartuordecimam, mox circa eãdem diem iudicatus esset? Sed neque symptoma commodum sit legi. Cur. n. in ipsa iudicatione

catione dicerentur euacuaciones esse symptoma? Leges
 ne calamitatem? Vt dictio sit calamitas quæ exeuntium,
 i. calamitas exeuntia? Id verò significet, dictam dissolutio-
 nem, & langorem, videri euacuatione augeri, itaque eua-
 cuaciones videri non cum satis multa conferentia ac tole-
 rantia prodire, sed angî & debilitari deiectionibus. Non
 quadrat, cum addat mox, iudicatus est circa decimâ quar-
 tam, nullum iudicantium contrarium. Quid. n. magis ad-
 uersum in iudicantibus, hoc est in euacuationibus decre-
 torijs, excogitari pot, quâ sine conferentia aut tolerantia,
 denique calamitatem, esse? Superest ergo concursionem
 eo nomine significari, vt dictio sit quam præscripsi, cõcur-
 sus quæ exeuntium, hoc est concursus exeuntia. Quid ve-
 rò signare possit ea dictio? Certè præcipitatum & frequen-
 tem fuisse deiectionem in iudicatione, adeo vt videretur
 deiectiones concurrere. Quæ sanè nimia deiectionum fre-
 quentia, casus virtutis periculum afferre potest, ac proin-
 de vituperatur in prognostico. Quia, inquit, si acruatim
 & sæpe egerit, periculum est ne in animi deliquium inci-
 dit. Verum si hoc absit & bona tolerantia est in iudicatio-
 nibus, nihilo deterius est abundanter & crebrò deijcere.
 Vt ergo diceret hoc malum omen non affuisse, sed bene-
 nulisse ægrotum tam copiosam euacuatione, addidit, nul-
 lum iudicantium contrarium. Vnum adhuc nomen inter-
 pretatione indiget, vtpote non satis vsitatum *παρὰ τὸ μέ-
 νος* & *ἔξ ὄνου* quod quidem ego verti, negligens ex somno.
 Nam vt *ὑπὸ τὸ πᾶρ* est despiceret, seu res non videre, sed præ-
 terire, ita *παρὰ τὸ μένος* præterferri, non considerare, negli-
 gere, & *παρὰ τὸ ἀκούειν* qui res non considerat, sed quasi nō
 videat quæ videt, neq; audiat quæ audit, negligit. Cū ergo
 esset comatosus, erat etiam ex somno, hoc est cum excita-
 batur, negligens, vt obliuiosus, aut stupidus. His nomini-
 bus, quæ certè omnia inusitata sunt, explicatis, historiam
 aggrediamur. Hic haud dubiè laborauit morbo acuto ex
 pituitosis & aquosis, hisque satis synceris. Omnia enim
 signa talium humorum semper fuere (vt hinc constet nō
 omnes acutos morbos esse ex bile, sed frigida etiam sub-
 iecto materia, posse celerem alterationem accidere) nam
 habebat multam deiectionem per totum morbum (quod
 multitudinis est) tenuium. Quoniam verò duplicia ex-
 cremen-

crementa sunt in nobis tenuia, biliosa & serosa, addit, *αχολα*, idest minimè biliosa, sed *υδαρσενια*, idest aquosa. Hypochondrium erat obediens & gibbum, idest molle & intentum, quod etiam aquosæ (cum flatuosa fortè) materiæ redundantiæ significabat. Comatosus fiebat, procedentibus scilicet aquosis excretionibus, pituita purior fiebat, vnde fiebat comatosus. Circa quatuordecimam ad iudicationem præcipuè eunti accidit rigor sine tremore, hoc est frigus aut horror, quod etiam frigidi succi erat, alioqui accidisset rigor verus. Accidit & dissolutio & langor (ne refrigeratio illa affert) & tunc temporis multo abundantius cœpit deijcere, adeo vt concursus quidam esset exortium, & tunc fiebat magis comatosus, & si quando excitabatur erat ex somno negligens, hoc est nihil considerans eorum quæ sese offerebant, sed velut mente alienatus. Nilominus non insaniuit apertè. Vnde constat non fuisse legitimum lethargum, sed coma solum. Tandem per tam cum mulatam deiectionem iudicatus est citissimè, mox enim circa decimam quartam, & bene sanè: nullum enim iudicantium (hoc est signorum decretoriorum) fuit contrarium, hoc est improsperrum, & aduersum. Nam in die decretoria, & optima, cum euacuatione congruente, & copiosa, cum conferentia & tolerantia, solutus est morbus. Vnde consentaneum est, nullam recidiam superuenisse.

104 *S*imiliter alius in principijs sub viscosas deiectiones, ex quibus quæ crassa indicatoria. In somnis: post hoc sub viscosas sub biliosas, coctas, biliosas non tenues. Postquam autem cœpissent compactæ esse, celeres indicationes. Hypochondrium intentum apparuit modo vespere circa sextam, deinde dormiuit septima: iudicatus est circa nonam.

CUM plurima eorum quæ hoc opere continentur videantur citra ordinem ab aliquo collecta, aut ab ipso autore tumultuariè scripta, multo certè magis quæ hoc quarto libro, quam quæ prioribus. quod ex multis alijs dictionibus iam constat, sed & ex hac constare potest, in qua quædam dicuntur

dicuntur pertinentia ad historiam singularem, quædam
 interponuntur pertinentia ad communem doctrinam. Mul-
 tæ etiam in hoc libro sunt inusitatæ voces. Similiter etiam
 (inquit) alius in principijs habuit deiectiones subuiscos-
 as. Dicit similiter, quod hic etiam, ut qui ante hunc scrip-
 tus est, habebat copiosas deiectiones. Tameñ profectò
 non fuerunt qualitate similes. Prior enim habuit tenues nõ
 biliosas, quæ quidem tales cum essent longè aberant à vi-
 scosis, hic verò habuit subuiscosas, hoc est aliquantulum
 viscosas. Nam illud, sub, minuit significationem. His di-
 ctis quæ pertinent ad narrationem, apposuit illud, Ex qui-
 bus quæ crassa iudicatoria: quod sane non de hoc ægroto,
 sed in commune dictum putari debet. Nimirum deie-
 ctiones crassæ concoctiones præse ferunt, & proinde iudi-
 catoriæ sunt. Hoc verò non est deiectioni proprium, sed
 commune excrementis omnibus. Nam suo quodque ge-
 nere, quod coctum crassum est. Concoctio enim omnia
 facit crassiora. Verum non ut crassa quæ cocta, ita lenta
 sunt, imo verò sine lentore crassa. Lentor enim in excre-
 mentis, ex interno frigore & cruditate nascitur. Cum ergo
 dicitur ex quibus quæ crassa iudicatoria, non est intelligen-
 dum ex quibus subuiscosis deiectionibus quæ crassa iudi-
 catoria. Nam in lentis, quanto crassior tanto crudior deie-
 ctio sit: sed ex quibus ex deiectionibus scilicet. Itaque hæc
 verba nihil aliud continent, quam quod in prognostico di-
 citur his verbis, Inspissari oportet deiectionem morbo ad
 iudicationem eunte. Erat in omnibus. Hoc sanè non attesta-
 batur viscosis deiectionibus, sed bilem potius significabat.
 Quid ergo intelliges aliud quam pituitosa in inferna repe-
 re, & bilem in supernis partibus abundare? Quod & euen-
 tus declaravit. Nam post hæc, elapsis scilicet duobus
 aut tribus diebus principij, paulatim cœpit detrudi deor-
 sum bilis, & paulatim cœperunt deiectiones bilis speciem
 ostendere, & hypochondria exceperunt calidos humores,
 usq; dum recedente à capite bile dormiuit septima, & no-
 na iudicatus est. Itaq; (inquit) post hæc deiecit subuiscosas
 subbiliosas, coctas, idest crassas, biliosas non tenues, sed ex
 crassa bile cuiusmodi est vitellina. Non sanè omnes has de-
 iectiones habuit simul (nā qui posset?) sed alias post alias,
 procedente verò, bilis ad inferna detrusione, abierunt à

subbiliofis ad biliofas: interim prodiebant aliqua sterco-
rofa, seu ex facibus crassis, quas coctas vocat. At qui ex eo
tpe quo cœperunt compactæ esse, celeres iudicationes
expectabantur, quia vt dictum est primo huius operis. Cō
coctiones celerem iudicationem & securitatē significant.
Hypochondrium intentum apparuit modo venoso circa
sextam. Scilicet a sexta ad nonam est quaternarius, sem-
per aut primus dies vltimi quaternarij, & qui in iudicatio-
nem finitur, solet perturbationem afferre. Itaque sextus no-
num indicauit. Sed quid est venoso modo intentum esse
hypochondrium? noua certè phrasis. Phlegmonosum affe-
ctum puto venosum modum vocari, quod tumefactis pri-
mum, ac repletis venis soleant phlegmonosi affectus exci-
tari. Fortasse èt (quod magis placeat) legendum fuit, non
φλεβονώδεια τροπών, sed φλεγμονώδεια τροπών. Itaque intentū
erat hypochondrium cum calore, quod significabat eam
regionem succos calidos copiosè imbibisse, cūque mox
sequenti die dormiuerit, constat ex supernis partibus eos
descendisse. Iudicatus est circa nonam, procedente arbi-
tror eo biliosorum descensu, ac hypochondrij redundan-
tia deiectionibus biliofis euacuata. Cum n. Hippo. non di-
cat stetit ante hos vltimos dies deiectiones, ego intelli-
go ad finem vsque morbi processisse. Itaque malum hoc,
alioqui acutissimum, ex vtriusque excrementis, pituitosis
inquam & biliofis, pependit, fuitque biliosior multo, quā
qui ante hunc enarratus est.

105 **A**lbi colore, non rufi, vtrique.

Ambos duos ægrōtos qui dicti sunt & eum qui iuxta
Medosadæ habitabat, & hunc alium qui similiter ægrotā-
uit, dicit esse λευκός χρους, id est colore candidos, non rufos.
Vbi considera Hippocratem non contemnere in morbis
qualis natura sit ægrotantium, imo hanc in præcipuis con-
siderare, atque ob hanc notas oēs, ex corporis habitu, co-
lore, capillis, & reliquis oibus, quæ ad eam cognitionem
inuenire pñt. Albi colore plerunque rufi sunt plus aut mi-
nus, vt Germani, quidam aut èt sunt colore faciei satis al-
bi, capillis verò & barba nigri. Qui albi & rufi sunt, si qui-
dem

dem in vigente iam ætate sunt tales, frigidi sunt. Qui albi & nigris capillis contrarias notas habere videntur, aliam quidem frigoris, aliam caloris. Verum quia contraria non possunt eidem simul inesse, necesse est ambo hæc signa simul, aliud significant, præter vtriusque significationem. Quoniam ergo color capillorum aliquando sequitur conditionem causæ facientis, aliquando materiæ, necesse est quando duo dicta signa non possunt attestari facientibus, quia essent contraria, & simul, aut ambo, aut alterum, sequantur conditionem materiæ. Merito ergo coniectemus eum qui simul sit cute albus, capillis niger, duplici succo abundare, pituitoso & melancholico. Non enim æque repugnat duos hos succos abundare, atque calidum frigidumque simul esse corpus. Ambo enim sunt frigidi succi, atque melancholica viscerum natura, ob substantiæ proprietatem gignit nigros succos, atque adeo nigras fuligines, ob incoctiones verò, etiam ex pituitosis edulijis multam pituitam, qua molliores corporis partes nutriuntur. Sunt verò in melancholicis multæ incoctiones, quia eorū debilis est naturalis calor. Itaque illi erant pituitosi & melancholici, & uterque sanè morbus fuit magna ex parte congruens tali naturæ (nam melancholici serosi et sunt, pituitosi verò lentis abundant) non tamen omnino. Nam satis et biliosus morbus fuit huic postremo. posse verò & congruentes, & omnino non congruentes, & partim congruentes morbos hominibus accidere, ob multas eorū concursiones, non est quod dicam. Illud solum addamus oportet, cum Hipp. non dicat qui fuerit illis pilorum color, sed solum non fuisse rufos, unde coniectemus fuisse nigros. Certè quia albi, rufi magna ex parte sunt, plus aut minus, quasi notatu dignum notauit fuisse albos, nullatenus rufos: tales verò sunt qui nigri. Rubri enim aut virides, pili humani esse non consueverunt, neque sanè albissimi, nisi raris quibusdam. Tales aut si essent, par erat ut rem rarissimam apertioribus verbis significaret, cur enim quia non erant flauis, suspiceris fuisse quales rarissimi esse solent, ac non potius quales mox sunt, puta candidos colore & nigros capillis? Constat verò iuxta hæc enarrationem, *πυρρόν* seu rufum latius accipi, ut & *δ' ἄρον*, seu pallidum, atque adeo ipsum *ξανθόν* seu flauum, pro omni pallore, ut non rufi dicantur, qui nullatenus rufi, hoc est oino

absunt a pollidorum genere. Nimirum dicta tria nomina, & si differentiam quandam palloris secundum maius & minus plerunque continent, non nunquam etiam promiscue, seu pro omni palloris genere, quocunque eorum, accipitur.

106 **D**eiectionum aquosarum cum sub dio expositæ essent, leue supernè tenue valde simile Isatodi, inferne fit subsidentiam habens.

ISATIS græcis dicitur ea herba, quæ latinis glastum, cuius succo vtuntur tinctores ad cæruleum colorem præstandum, eo enim colore est is succus. Herba ipsa viridior, non omnino viridis, hinc species quædam bilis vt Gal. docet lib. de atrabile *ἰσατάδεις*, hoc est isatidem colore referens, vocatur: ea est inter viridem & cæruleum, sic vt omnis alia viridis bilis species vstione, nisi cum sequitur conditionem ciborum, vt in ventriculo aliquando. Ergo dicit deiectiones aquosas multas, cum sub dio expositæ manerent, habuisse supernè tenue & leue, simile flori qui in vinis solet innare, colore simile isatodi bili: infernè verò subsidentiam ex parte crassiori. Nimirum vt in vrinis repositis separatur infernè subsidentia, & supernè quiddam tenuissimæ telæ araneorum simile, leue & tenue, ita in plerisque deiectionibus aquosis. Refert verò quod separatur id quod in eis latitabat. Significabat ergo hoc tenue & leue isatidi simile, bilem cum aqua descendere. Vnde manifestum fit, hoc Hippocratem non dicere de deiectionibus aquosis, quæ erant in ægroto qui iuxta Medosidæ edes habitabat. Ille enim deieciebat tenuia *ἀχολα*; id est bilis expertia, hæ verò deiectiones erant biliosæ, & isatodes, sed potius hanc fuisse differentiam aliam aquosarum, illis contrariam, quam in alijs ægrotis eadem fortasse tempestate notauit. Tu interciat considera Hippo. diligentiam, qui deiectiones, & reccettes & repositas, contemplabatur, quod in alijs etiam itea animaduertimus.

Quibus

107 **Q**uibus in dextris submollis intentio, phrenitici, se non solvatur febre desinente. Quibus verò submollitudine alui in hac ipsa velut circum collectum, aut durum, dolorosum fit, & valde malignum non vult diffundi, fortasse ex talibus suppurantur. In dextris autem elevationes, quæcumque quidem præmente aliquo, multum ac maximè submurmuravit, non valde cacoethes fuerint, in dextris ei qui ab Amphiloco, & ei qui iuxta Medosada. Hi comatosi, & in somnos deferebantur.

QUANTUM referat in acutis morbis, & ijs qui ex acutis decidunt, atrectare hypochondria, & ventris inferni regionem, intelliges facile ex ijs quæ de ea re in prognostico Hippocrates reliquit scripta, ad quod sanè etiam pertinet hæc tota dictio, quam enarrare aggredimur. Dictum est Hippocrati illic, tumores hypochondrij dextri deterioriores esse quàm sinistri, quod sanè ob hepatis dignitatem, quæ ex communis alimenti generandi facultate procedit, verissimum est, usque adeo, ut phlegmones hepatis lethales sint, & inueterati tumores cum duritie insanabiles. Hanc ob causam tumores in dextris partibus ventris præcipue persequitur, eorum differentias quasdam insignes, & significationes proponens. Prima est, intentio submollis in dextris, quam diximus iam sæpe fieri ob flatum eo loco collectos, si enim ex tumore phlegmonoso aut scirrroso nasceretur, esset dura, si ex œdemate, non admodum esset intenta pars: sed laxior, si ex aqua inter peritonæum & intestina, deflueret per totum ventrem, neque distenderet solùm dextrum hypochondrium. Flatus verò eam solùm partem, qua contingit gigni, nonnunquam distendit, sursum petens, neque versus quævis diffusus. Ita quibusdam ex flatu distenditur solùm hypochondrium dextrum, alijs pluribus sinistrum, alijs etiam totus venter, vel quòd plurimum sit & vix toto ventre capiatur, aut quòd in omnibus ventris partibus gignatur, aut à lumbis utero, aut parte alia inferna gigni cœperit. Tales quidè tumores distentionis plurimum habent. Nam flatus, velut ad summa elatus, membranas tendit. Duritici verò propriæ, & quam tactus à tentione diver-

fam

sam esse sentiat, exiguum. Est ergo distētio submollis, quā
 per febres continuas apparente, duplex exitus expectari
 possit, alter bonus, vt scilicet sensim flatus a febre dissipe-
 tur, simulq; tentio & febris desinant: alter malus, vt scili-
 cet phrenitici fiant. Scimus. n. flatus per venas & arterias
 redundantiam, semper esse capiti periculosam, & significa-
 re morbos eius, qui adsunt, aut aderunt, velut profectio
 vrinas turbatas vt subiugalium. Ergo dicit, intentio sub-
 mollis in dextris, futuram phrenitidem timere iubet, si nō
 soluatur desinente febre. Si enim febre perseverante ten-
 tio ipsa perseveret, quasi febrilis calor nihil eius absumat,
 aut ipsa soluatur febre non desinente, utroq; modo time-
 ri dēt phrenitis. Illud enim significat maximam indissol-
 bilis flatus redundantiam, hoc fortasse raptum ad caput.
 Quia si febris non desinit, meritō putes desijisse tētionem,
 causa aliam in partem abeunte, potiusquā consumper.
 Quod si febre desinente tentio non soluatur, non sanē est
 quod timeas phrenitidem, non n. ea fit sine febre, tamen
 hoc per febres acutas rarum fit, tales. n. consuevere flatus
 morbos finire, aut in alios, causā transmissū, mutare.
 Quia ergo hoc rarum fit, dicit si non soluatur tēcio febre
 desinente phreniticos fieri agrotos. Omnino. n. necesse est
 quatuor horum aliquid euenire, aut tolli ambo, tentionē
 dico & febrem, quod est maximē expetendum, aut ambo
 perseverare, aut febre manente tolli tentionem, quæ dum
 phrenitidem minantur, aut solui febrem, & tentionē ma-
 nere. Cum ergo hoc vltimum adeo rarum sit, nisi prima
 fiat, rōni consonum est, ob secundam aut tertiam phreni-
 tidem timere. Apponit mox aliam tumoris in ventre dif-
 ferentiam, dicens, quibus verō sub mollitudine alui in hac
 ipsa velut circum collectum aut durum dolorosum fit, &
 valde malignum non vult diffundi, fortasse ex talibus sup-
 purantur. Multas ēt notas scripsit in prognostico interna
 in aluo inflammationis in suppurationem abeuntis, quod
 sanē etiam posse cognoscere plurimum refert, estque hæc
 vna earum rerum, quibus periti medici imperitis maxime
 præstant. Nam multi ex internis inflammationibus ad sup-
 purationes mutatis moriuntur lentē, cum putarentur iam
 esse a morbis liberati, atque a medicis dimissi. Cum. n. fa-
 cto iam pure dolores & febres magnopere remittantur,
 putan-

putantur multi ad maximam morbi remissionem & securitatem peruenisse, quibus pus interius vomica aliqua collectum subest. Quorum, quidam beneficio ipsius naturæ fortis, rupta vomica & excreto pure, liberantur: quidam pure malignius putrescente, & computrefaciente partes internas, aut assidua febricula, quam putidè ex loco in cordelata fuligines fouent, tabescentes, intererunt, aut vomica rupta, sed tardius, & cum iam debilitata virtus est, magisquam ut possit ipsam puris excretionem sustinere. Multum ergo refert scire notas internæ inflammationis in supurationem abeuntis. Ac multi quidem has ignorant, quia ne ipsas quidem internas inflammationes dignoscere sciunt, & latentium affectionum cura deposita, nihil ferè considerant, præter ea quæ sensibus comprehenduntur citra rōcinationem ullam, & vulgaribus et sunt nota. Oportet verò inflammationes, & affectas partes nosse, posseque eas ab alijs dolorosis affectibus dignoscere, & magnas ab exiguis An.n. facturi sint abscessum, seu suppurationem, agnosces ex tribus, loco, magnitudine, & modo inflammationum ipsarum. Nam inflammationes partium calidiorum, nisi anticipent resolui, magis suppurantur quam frigidiorum, ac proinde ut dicitur in prognostico, Tumores in ventre minus faciunt abscessus quàm qui in hypochondrijs, minime verò qui infra umbilicum sunt. Porro exiguæ inflammationes plerèq; resoluuntur, præcipuè si in locis calidis sint, magnæ in calidis quidem locis suppurant, in frigidis manent crudæ & inuictæ. Quod ad modum attinet, quæ sunt rotundæ & eminentes, & proprio loco circumscriptæ, & in unum collectæ, futuræ suppurationis significationem præbet, quæ vero extensæ, & latæ, effusæ, non admodum suppurant, sed si exiguæ sunt aut materiæ tenuis, resoluuntur, si magnæ, aut crassiores, indicationem subeunt, fluxu sanguinis, aut alia euacuatione, si modo bonum exitum hæret. Hæc continent illa verba. Quibus verò sub mollitudine alui in hac ipsa velut circumcollectum, aut durum dolorosum fit, & valde malignum non vult diffundi, fortasse ex talibus suppurant. Mollitudinem alui vocat ipsum abdomen, & sub alui mollitudine apparere durum est, ipsum abdomen extrema in parte molle esse, interius autem sub ea mollitudine durum quiddam reconditum esse. hoc ergo significat tuberculum internum.

Quia

Quia verò dicit durum dolorosum in hac ipsa, hoc est in febre, seu cum febre continua, significat id tuberculum inflammationem esse. Hæc, inquit, si sit circum collecta, & valde maligna nolit diffundi, hoc est & nolit in partes circumfinitas effundi & extendi, neque compressa, neque aliter: sed vno quoddam loco duricies & dolor hærens, & velut in circumscriptam, certamque particulam, sese colligens, quod quidem est malignæ inflammationis (nam quæ se effundit non est tam firmata in parte) fortasse, inquit, ex talibus suppurantur. Hoc est, fortasse in ijs qui hæc habent, expectari debent suppurationes internæ Meritò sanè. Nã tales sunt inflammationes magnæ (& ob essentiã propriam, quia in alio cum sint, sentiuntur manifeste, & propter cacoethiam, quia dolent maligne, & nolunt diffundi) & in loco calido: quia sub mollitudine alui, & non sunt benesolubiles, quod indicat duricies. Quid ergo aliud expectes quam suppurationem? Dicit verò fortasse, conditione huius operis, quo non tam docere, quam observationes & experimenta, vt occurrebant tradere institutum est. Dicit ergo fortasse ex talibus suppurantur quasi non desinat modo: sed affirmet in talibus se obseruasse suppurationes fieri. Tu verò iam hinc, quando quidem ego experimento idoneam rationem adiunxi, vt ere vt signo satis bono. Apponit deinde aliam differentiam tumoris in ventre, quam non esse cacoethem dicit, adiungens duo exempla. In dextris, inquit, eleuationes quæcumque quidem præmente alio quo, multum, ac maximè, submurmurât, non valde cacoethes sunt. Constat has eleuationes in ijs esse, quæ non admodum circumscriptæ sunt: sed diffunduntur, quas diximus iudicatione aliqua: seu abscessu aliquo eorum qui per effusionem fiunt, vt sanguinis fluxu ex naribus, aut deiectione copiosa, aut tali aliqua solui. Quæ euacuatio expectanda sit, ex ijs quæ tensioni accedunt, agnosces. Quibus enim hypochondria velut retracta sursum, & distenta sunt, fluxus sanguinis imminet: quibus murmurant, fluxus alui. Si ergo multum murmurant cum quis præmit, constat non esse humores admodum firmatos in parte, & ad inferna vergere, per aluum non difficulter excernendos, vt nihil prohibeat mox aliquid expurgantis medicamenti dare. Nã est igitur hæc maligna affectio, Talis, inquit, tensio fuit in dextris

dextris ei qui ab Amphiloco, & ei qui iuxta Madofadæ, ei scilicet de quo nuperrimè scriptum est. Ambo dicti ægrotierant comatosi & in somnos deferebantur (constat illud, & esse declaratiuum) quod etsi graue videbatur, tamen nihil illis euenit mali. Certè de eo qui iuxta Madofadæ, ita est dictum. Circa decimam quartam iudicatus est, nullum iudicantium contrarium.

108 **C**onstitutiones quales in quibus magis & minus sunt, temporibus, regionibus. Vigores quo tempore morborum & ad iudicationem, & quod quotidie, & quod prius & tardius, tertia, quarta periodo. Et circuituum in quibus iudicantia, tumentia, cruenta, & non.

QUANTI faciat Hippocrates sententiam duodecimam primæ particulæ aphorismorum, qua dicitur, paroxysmos & constitutiones iudicari ab ipsis morbis, temporibus anni, & circuituum incrementis, & ijs quæ mox apparent, inde intelliges, quod multis suorum operum locis sparsim eam repetijt, partim quidem eandem rem omnino dicens, partim aliquid quod ad eandem sententiam facit, adijciens. Sanè vel in hoc ipso quarto epidemiarum lib. bonam partem eius aphorismi scripserat, quem hic repetit, quædam etiam vtilia adijciens, quædam etiam detrahens non inutilia, vt videatur mihi hæc sententia (quod & antea dixi) si vndique colligatur, perfecta euasura, & totam doctrinam de crisi contentura. Hic non meminit signorum concoctionis in excrementis, quæ in aphorismo vocauit mox apparentia, quæ sanè maximam præensionis in morbis partem continent, tamen adiecit, habendam esse rationem circuituum quibus iudicationes, aut abscessus fiant, quod etiam ipsum ad fidam aut infidam iudicationem habet magnum momentum. Constitutiones dixit in aphorismo indicari, ab ipsis anni temporibus, inter cætera. Vt autem ab anni temporibus, ita & à regionibus, & alijs congeneribus causis indicari, est intelligendum. Quia scilicet quædam, & anni tempora & regiones, quædam: quædam, alias constitutiones morborum facere, nata sunt.

Quia

quia calida tempora breuiore, frigida longiore, morbos, alioqui eosdem, esse faciunt. Ergo ut possis hac presentie-
 di rone uti recte nunc monet, dicens, scire oportet quales
 constitutiones, in quibus temporibus & regionibus, ma-
 gis & minus fiunt. Nimirum breues constitutiones in cali-
 dis, & temporibus & regionibus magis, in frigidis minus
 fieri, longas contra. Sed quid refert considerare constitu-
 tiones morborum? Certè ut presentias quo tpe vigores mor-
 borum, i. ut presentias quando habiturus sit morbus vigo-
 rem, & quantum ad vigorem vsque, transigendum sit. Quorsum
 id? Et ad iudicationem inquit, quasi dicat, quia iudicatio-
 nes morborum fiunt in ipsis morborum vigoribus. Ergo
 & ad presentendum tempus iudicationis, oportet presen-
 tire vigorem, & ad hunc, constitutionem. Neque verò so-
 lum hanc presentionem presentant anni tempora, & regio-
 nes: sed & circuituum inuicem collata incrementa, siue
 quotidie, siue alternis diebus, siue ex longiori interuallo
 fiant, ut in aphorismo dixit. Quod idem nunc explicat, di-
 cens, & quod quotidie, & quod prius, & quod tardius, hoc
 est an anticipet, an tardent paroxyfmi (inde. n. nascitur cir-
 cuituum ad sese incrementum, aut decrementum) & quod
 quotidie, tertia, & quarta periodo, hoc est, siue quotidie,
 siue alternis diebus, siue quarto quoque die repetat pa-
 roxyfmi. Non meminit autem longiorum circuituum
 quia quintani, septimani, & longiores, rarissimi sunt, & in
 acutis nunquam fiunt. Itaque hæc verba idem omnino fi-
 gnificant, quod verba illa aphorismi. Qua ratione autem
 cognoscatur constitutio morbi, ex circuituum inter se col-
 latione, in commentario aphorismi dictum est. Addit, &
 circuituum in quibus iudicantia, tumentia, cruenta, &
 non iudicantia Hippocrates vbique vocat euacuationes,
 velut cum dixit, iudicantia ne mox appareant: & rursum,
 iudicantia quæ non iudicant, idest euacuationes quæ non
 tollunt morbos. Porro hæc ipsa aliquando vocat absces-
 sus, distinguens abscessus, in abscessus cum euacuatione,
 & sine ea, vocansque abscessus cum euacuatione, excre-
 tiones, ut sudores, fluxus sanguinis, & deiectiones. Ergo
 dicit nunc, non solum constitutionem esse notandam, sed
 etiam habendam rationem circuituum in quibus appa-
 rent iudicantia (idest euacuationes) aut tumentia, idest

tumores præter naturam, siue sint cruenta, idest tumores ex affluente sanguine, & phlegmones, siue non, sed qualia œdemata, aut scirrhii. Non enim hoc parum refert, si quis est dierum decretoriorum, ac nisi frustra est scriptum ab Hippocrate in aphorismo. Sudores febricitanti si cœperint, boni sunt tertia die, quinta, & septima, & nona, & vn decima, & decimaquarta, & decimaleptima, & vigesima prima, & vigesimalseptima, & trigesimalprima, & trigesimalquarta. Hi enim sudores morbum iudicant: qui verò non sic sunt, dolorem significant, & longitudinem morbi, & recidivas.

Abscessus quibus recidivæ.

Multa dicta sunt antea in hoc ipso opere de abscessibus. præcipuè sectione prima libri secundi, vbi diximus, morbos difficultis iudicationis, esse eos qui per abscessus sine excretionibus, aut cum recidivis, aut cum vtrisque finirentur. Hoc idem est quod Hippocrates hoc loco docet. Nimirum abscessus & recidivæ eisdem morbis esse familiares, ijs scilicet qui imperfectè iudicati sint: & abscessus solere fieri, quibus & recidivæ. Nimirum vtraque fiunt ex ijs quæ relinquuntur in morbis post iudicationes, aut ob acritas, siue iudicationum defectus. Nam qui contra iudicantur perfectè, perpurgantur, ac proinde tutò, sine quæ villo malo alio, fruuntur sanitate.

Vena temporum, & concidentia, & colorum mutationes ante indicationes, & quibus indicationes non fiunt, & anxietates, circumtensiones, colorum mutationes ex rubro in chlorum. Si non iudicent, & cutis circumtensiones sine indicatione, & collapsus oculi. Corporis durities sicca.

Hac oratione complectitur Hippocrates signa corporis tendentis ad ariditatem seu marcorem. Quia enim siccitate extrema, & quam confirmatam vocant, fiunt partes omnes corporis duriores, vnde & durum pulsum talibus

talibus, & totius corporis habitus duritiem, contingit fieri vocat eam corporis affectionem, corporis duritiem siccam, hoc est, duritiem corporis, non ob cōcretionem à frigore: sed ob siccitatem, & naturalis corporis humiditatis consumptionem, factam. Quæ quidem affectio, vi ignei caloris, cum naturalis debilitate, fieri consuevit. Quæ ratione multi ex febribus putridis tales manent, cum præcipuè illæ sunt ardentissimæ, aut mali moris, aut cum interna aliqua inflammatione, præcipuè visceris alicuius calidioris, aut cordi proximi, vt pulmonis, hepatis, aut ventriculi. Tali affectionis futuræ signa sunt hæc quæ hic recensuit. Venarum temporum vocat, manifestas in temporibus pulsationes. Nam venas vocabant antiquissimi genus vtrumque, & pulsantes, & nō pulsantes: vt cum dicit, venarum pulsationes. Velut ergo pulsus solet Hippoc. vocare, non qualescunque arteriarum motus: sed insignes & conspicuos, ita vocat venas, non ipsos sanguinis canales: hæ enim non fiunt in ægrotis, quibus in partibus non erant, cum bene valerent: sed venas manifeste, & plus solito, pulsantes. Concidens temporum vocat, quæ in prognostico collapsa tempora, vt & collapsum oculi, quod illic dicit oculos cauos, hæc ergo sunt hæc signa, quæ in principio prognostici scribitur, quæque vulgus medicorum vocat Hippocraticam significationem. Nam sunt oculi caui, & collapsa tempora, & circum frontis circumtensiones, & colorum mutationes in ceteris. Addit hic pulsus in temporibus, & anxietates. Sed ratione hæc tabem indicent explicemus. Hæc magnæ consumptionis carniū, & vitalium spirituum, sunt. Aut in primis diebus, atque mox ac homo incipit ægrotare, appaerent, aut procedente morbo paulatim fiunt. Atque vno tempore, aut ex manifesta aliqua occasione, aut citra illud. Velut in initio morbi, quia vigilauit homo, aut alius ieiunauit: vel procedente morbo, quod euasitio aliqua insignis nuperrimè antecesserit, aut adhuc non est vel citra omnem talem occasionem. Hoc si fit impudens est morbi magnitudini, aut malignitati. Qui quidē si inter initia citra omnem occasionem hæc facit, nō magis solum: sed malignus est, neque sine maxima naturalis corporis debilitate, ac proinde nihil aliud significatur, quam mors: si verò postquam dies multos vrens febris consumit

confecit, hæc incipiunt apparere, minus est mirandum, & minoris malignitatis est. Significat verò tunc quoque carnes exsuccatas: quod certè, si ob copiosam aliquam succi profusionem, factum est, causam habet manifestam, si verò citra illam, significat febris vi corpora siccare. Meritò ergo sint hæc inditia marcoris imminētis: quibus annunt ventæ temporum. Nam fiunt ob igneas fuligines, quæ per arterias deferuntur, & cutis extenuationem, vt venæ pulsare sentiantur, vbi sentiri non solent. Sed & anxietates. Nam qui ita afficiuntur, præ debilitate habent anxietates indicibiles. His etiam perit vitalis color & decens, fit verò quibusdam in partibus rubor insolitus, vt in genis, ob calidam arteriarum intemperiem, alijs color chlorus, ob effusam bilem, aut spirituum penuriam. Itaque dicit. Quibus venæ temporum, & concidentix eorundem temporum, & colorum mutationes, hæc scilicet quæ dictæ sunt ante iudicationes, & quibus iudicationes non fiunt, hoc est, non accedentes post aliquam insignem euacuationem, aut adhuc fiēte, & anxietates, & circuntensiones (cutis scilicet frōtis, & aurium & partium huiusmodi, in quibus præcipuè hæc apparent) & colorum mutationes ex rubro in chlorū, si non iudicent. Hoc, si non iudicent, dicitur de sola mutatione ex rubro in chlorum. Nam talis mutatio aliquando fit decretoriè, vt & morbus regius: aliquando symptomaticè, significatque tunc sanguinem per totas carnes bile scere, atque euenit tunc carnes ab ipsa bile qua imbuuntur sicari vt solent quæ saluntur ab ipso sale. Talis ergo mutatio, nisi iudicatoriè fiat, signum & causa est ariditatis corporum. Et cutis, inquit, circuntensiones sine iudicatione, hoc est, quæ non ob euacuationem aliquam magnam fiunt (hæc repetitio non est admodum utilis cum dictum antea fuerit circuntensiones. Verum in tam antiquis codicibus non potest non esse aliqua corruptio, & vnius vculæ inutilis repetitio, leuis corruptio est) & collapsus oculi, hoc est oculi cavitatis. Corporis durities sicca. Hoc est, dicta si adsint, corporis durities sicca significatur.

¶ **Q**ui volentes illachrymant non malum, quibus verò inuoluntariè fluunt, malum.

P P

I N

IN prognostico non longè à principio libri dixit Hipp. nolentes illachrymare in malis & exitiabilibus esse. Cuius rei reddita à me causa in eius loci commentatione est, explicatumque quibus in morbis, & quibus exceptis intelligi debeat: nimirum in acutis, præter causas externas, & peculiæres affectiones oculorum. Itaque altera ex parte non indiget præscripta oratio noua enarratione, id verò quod dicit. Volentes illachrymare non malum & quod in aphorismo 51. sectionis 4. qui idem est cum hac sententiola, adiecit pendendum est. Num significet solùm volentes illachrymare non esse malum, vt nolentes, an aliud aliquid: ita scilicet, vt quemadmodum inuoluntariè lachrymare malum est, ita lachrymare voluntariè, bonam aliquam significationem præbeat. Certè si quicumque inuoluntariè lachrymat, potest voluntariè etiam lachrymare, nihil boni per se significat voluntariè lachrymare: sed est minus malum quàm inuoluntariè id facere. Si verò qui in eo statu iam constitutus est, vt inuoluntariè lachrymet, non potest voluntariè flere, certè voluntariè flere posse, minus malæ dispositionis, aut etià melioris, signum est. Videtur autem ita habere. Nam & experimento cognitum est eis qui moribundis hominibus assistunt, nulla ex causa eos flere posse. Neque ratio quidem non subscribit epilogistica, quia naturalis tristitiæ significatio est fletus: eis ergo qui plurimum extra naturam acti sunt, consentaneum est talè iam significationem non adesse. Nimirum vt nihil aliud secundum naturam iam agi, neque ridere, neque flere. Sed & analogistica ratio accedit. Vt enim cum naturalis partium firmitudo iam labascit, humores inuoluntariè excidunt: ita non possunt voluntarie exprimi, quia ob eandem facultatis remissionem, ob quam non retinentur, neque exprimentur. Maiori enim constrictione fit expulsio, quam retentio. Excidere ergo possint inuoluntariè, voluntariè pelli non possint, quibus facultas, quæ regit corpora, corrupta est.

112 **Q**uibus in dentibus circum circa viscosa sunt, malum est subhiare.

VBI verti subhiare, dicit Hippo. *ἄποχρόνου* significat verò

verò *χλοσιν* aperire, aut infixis oculis aspicere. Quare *ὑποχλοσιν* fit subaperire os, aut suspicere infixis oculis. Accidit verò utrūque horū hiantibus, & ijs qui laqueo, aut nimio æstu strangulantur. Aperiunt enim ora, & inconniuentibus oculis inruentur. Hoc verò malū esse quibus circum circa dentes viscosa fiunt, constat. Siquidē in aphorismo dicitur. Quibus circa dentes in febribus viscosa fiunt, ijs fortiores fiunt febres. nūc in eandē sententiā addit signū aliud, quod vt ex eadē causā ortū, illi annuendo plurimum valet. Nimirū lentores circa dentes fiunt vi caloris febrilis, si tamen simul qui eos habet, hiet, multo iam manifestius est, eos esse ex igne. Nā lentores fortasse ob pituitosam fluxionē ex cerebro aut ventre, cū calore etiam exiguo fieri possint, vt ij materiam potius quā facientem causam indicarēt: si verò per febres iā id fit, ac multo magis hiantē homine, iam, ab annuētibus signis distinguitur ea ambiguitas, & concursu signorū agnoscitur ignis. Qua ratione ergo in aphorismo dixit in febribus, hic adiecit, subhiare. Nam hoc ipsum subhiare, febris fortis est. Idē ergo est dictū febricitātī lentores fieri malū: aut cui lentores fiant hiare, malum.

113 **Q**ui in tibia vlcus habebat, & Attico vsus est, huic exanthemata eleuata, yubra, magna. Hoc pro tussi quæ postea accessit, antea enim non tussit.

TIBIA dicitur ea pars cruris, quæ inter genu est & pedem. Nomen accipiens à duorū ossium quæ ibidē sunt, maximo, & crassissimo, quod femori coarticulatur. Atticū, cū simpliciter dicitur, nomē est medicamenti cōpositi, anti quis familiaris, & ad curanda vlcera cōparati. An eius cōpositio alicubi iam extet an solum nomen relicū sit, non satis scio. Parū refert. Non. n. arbitror, quia, cum vlcus haberet in tibia, Attico vsus est, superuenerunt huic homini exanthemata, vt neque quia vlcus in tibia habuit: sed euenit, vt huic ea parte vlcerato & eo medicamine vso, exanthemata superuenerent. Fortasse (nam hoc consentaneum est) quod, cū id fieri vlcus maximè postularēt, non est euacuatum, & expurgatum satis. Plenis. n. & maligna cacochymia laborantibus, fieri solent exanthemata. Facta

ergo huic sunt, eleuata, rubra & magna, ea scilicet quæ variolæ, ob varorum similitudinem, vulgò vocantur. Sunt verò multæ inflammatiunculæ malignæ. Hoc, inquit, pro tussi quæ postea accessit, antea enim non tulsijt. Semper solent exanthemata huiusmodi, variolæ inquam & morbilli, tussi quadam prægressa præmonstrari, incipientibus, arbitrari eruptionibus secundum internas membranarum facies in ventribus, & cauis corporis partibus, locis præcipuè calidissimis, vt in thorace, fieri. Qua passione procedente, vetriculi euerfiones, & dysentericæ satis periculose fieri solent. Itaque, huic factum est, vt solet. Cum antea vlcere solum tibiæ teneretur, neque tussiret, postea tussijt. Deinde pro tussi, hoc est extussi, seu post tussim (quasi tussis in malum hoc aliud abire videretur) facta sunt exanthemata, eleuata, magna, rubra.

114 **I**N Aeno quicūque horridi vulnera capitis maligna & suppuratoria. Ex tenesmo ex itinere dolor pedum, & in turbationibus lassitudines. Quorum Clinia cibum auersans colliquescens, purulentum, aliquando exiguum cruentum, purulentum intumescens.

DICTVM est lib. 2. huius operis sectione 4. fuisse in oppido Aeno tempestatem quandam morbosam, quæ ex fame processit, ita vt sit, vtentibus multis & viris & mulieribus leguminibus in tritici penuria. Non dixit autè Hippo loco qualis fuerit, malignorū morborū, qui ea tempestate grassati sunt, species: sed solum exitum quendā notatu dignū, quem multi habuerunt, quibus crurū impotentia & genuū dolor facta sunt, & vsque ad vitæ finē durarunt. Hic narrat quædā eorū quæ à principio, & procedēte morbo acciderunt, vnus mulierculæ, Clinia nomine, quæ febre, vt multi alij tunc, ægrotauit, mentione facta. Horrores & rigores intempestiui, & sine febribus & per febres, sicut ex redundantia crudorum succorum. Proinde & ijs qui putrescentibus multis & crudis febricitant, febres horridæ fiunt. Nullus autem victus magis paratus est febres tales facere, aut etiam sine febribus horrores, quā esus leguminum. Hæc. n. omnia sunt mali succi, & flatuosa, & coctio difficilia.

difficilia. Vnde crudis & malis succis, flatuq; replent. Febres ergo faciunt meritò malignas, vtpote ex putrescentia malignorum: horridas, aut etiã sine febribus horrores, ob cruda, & flatus. Cum vlceribus mali moris, & suppuratorijs, hoc est dysepuloticis, ac curatu difficilibus, & pus multum fundentibus. Nã ex crassis & crudis multis, copiosum pus prouenit. Nimirum ipsum pus simile est crudis succis. Maligni autem succi faciunt vlcera rebellia. Fiebant verò hac tempestate in capite vulnera dicta, flatu efferente in illud acres malignorũ succorũ partes, & cerebro, vtpote parte nobili & forti, extrudente à se malignos succos. Patientur etiã simul crurum impotentiam, crassis succorum partibus (vt lib. 2. dictum est) deorsum repentibus. Hanc ob causam, habebant ex tenesimo ex itinere pedũ dolorem hoc est, si iter agebant, aut ambulando tantillum defatigabantur, motu crurũ deorsum trahente, tentabãtur tenesimo deinde dolore pedum corripiebantur. Et in turbationibus, inquit, lassitudines, hoc est, turbationes, ac lassitudines. *ταπεινότης*, hoc est turbationes vocat Hippoc. humorum commotiones, atq; ita corpora turbari dicit, agitari humores, vt in nauigantibus, aut ijs qui pharmaco commouentur, aut vehementi aliquo corporis motu. Et alui turbationẽ, deiectiones copiosas, quæ commotis humoribus & aluo soluta fiunt. Itaque *ταπεινότης* hæc, turbatio est. Nã turbationẽ animi, & timorem vehementem, vocare solet *δούρειον* vt in prognostico, vbi dicit, significat turbationẽ, aut delirium. Hic ergo turbationes alui videntur intelligi. Nam etsi corporis intelligi dicas, in idem redit. Quia corpora turbari dicuntur, cum cõmoti humores effunduntur vomitu, aut deiectione, aut vtroq; modo simul. Cum ergo horũ multi tenesimo & dolore genuũ & pedum, ac eorundẽ tenerentur, congeneres etiã his reliquas passiones fuisse coniectandũ est, turbationes, scilicet alui, & reliquorum etiam articulorum defatigationes, & lassitudines. Nam flatuosi, & prauũ, crassique succi cibi, ambo hæc facere admodum nati sunt. Flatus. n. tormina intestinorum, & prauũ succi inordinatas excretiones, crassi verò articulares passiones; impotentia verò articulorum & neruorum, mox faciunt lassitudines. Lassantur enim ita affectis corpora vel sua ipsorum mole. Itaque habebant huius tempestatũ ægroti las-

fitudines articulorum, & alui turbationes. Inter quos Clinia deijciebat è ventre purulentum quiddam, & aliquando parum purulentum, & subcruentum, aliquando purulentum subtumidum, hoc est inflatum & spumofum. Erat verò interim cibum auersans, & colliquescens. Tres deiectionum species describit, purulentam, & partim purulentam, partim cruentam, & purulentam spumofam (quid. n. aliud potest tumentem deiectionem reddere?) Porro purulenta dici videtur posse, vel quòd sit puri similis, vel quòd aliquid veri puris in se contineat. Velut etiam cruenta dicitur, quæ cruoris aliquid habet. Puri similes deiectiones sunt, quæ crassæ, & albæ, talesq; , vt intuens dubites, sintne re vera pus, an aliquis alius succus. Tales verò sunt quæ pingues. Nam ex liquata pinguedine, cum aliquo alio succo permixta, fit succus quidam huiusmodi. Hæc verò fiunt corporibus colliquescentibus. Quoniam ergo dicit Hippocrates hanc fuisse fastidiosam, & colliquescentem, in hanc nos ducit coniecturam, vt suspicemur deiectiones fuisse pingues, puri similes, ob colliquescentiam factas; interim tamen aliquando ob hepatis debilitatem sanguinis aliquid cum eis descendisse: interim, has ipsas exiisse spumofas, ob eandem sanè causam. Nam spuma, vt Gal. dicit in prognostico, flatum, aut calorem igneum, ac colliquantem, indicat. Hæc verò omnia acciderint mulieri illi non immerito, ob naturam morbi, qui illo tēpore grassabatur, & conditionem prauis victus, quo homines tunc vsi esse dicuntur. Nam per putrescentiam prauorum succorū, & flatu redundantiam, quæ ambo ex leguminum esu colligi necesse est, fierent hepatis debilitas, colliquationes, & spuma. Si verò illud *αυωδες*: seu purulentum significat quod in se habet puris admixtionem, constat significari, mulierem illam habuisse vlcera aliqua interiora, ex quibus, nunc pus, nunc pus & cruor excernerentur, non dissimilia ijs quæ in externis partibus, ac præcipuè in capite multis tunc fiebāt, maligna & suppuratoria. Colliquescere autem corpora ob hæc ipsa vlcera, & internas suppurationes, multis euenit. Fastidium vero prauorum succorum redundantie, & igneo calori familiare admodum est. Quare qui vi februum colliquescentium tabescunt, cibos auersantur.

Mulier

115 **M**ulier hippæ Hydropica, quæ etiam per tres annos vere incipiente tussit, diutius suppurata est. Ad hyemem aquosa est facta. Illis autem pharmacis curata, firmata est. Mortua est ancilla.

Dubitare possis, an in hac oratione contineantur duæ historiæ, altera mulieris illius Hippæ suppuratæ & hydropticæ, altera ancillæ illius, siue ipsiusmet Hippæ, siue alterius quæ mortua est, an non: sed eadem fuerit mulier illa, & ancilla. Nam etsi Ianus Cornarius legit, vxor Hippæ, vt alia fuerit vxor ab ancilla, tamen Hippo. dicit ἡ ἰατροῦ, id est illa Hippæ, mulier scilicet, siue vxor, siue filia, siue familiaris siue ancilla. Videtur tamen consentaneū, non vnica: sed duarum mulierum historias hic narrari. Nam altera confirmata fuit pharmacorum vsu, altera mortua, quæ duo non videntur posse bene de eadem dici. Sed cū Hippocrates scriberet hæc, obseruando quos exitus morbi haberent, & scripta historia mulieris quæ ab eo morbo pharmacis est liberata, recordaretur cuiusdam ancillæ quæ ex eodē morbo mortua est, gratiā suæ obseruationis adiecit, mortua est ancilla. Sed hoc non multum refert, naturā morbi contemplemur. Suppurati dicuntur, qui pus excreant, horum quidam, breui ex inflammatione in suppurationem mutata tales euadunt, vt ex perineumonia, aut pleuritide: alij non ita: sed diutino pulmonis, aut thoracis morbo detenti, tandem pus excreant. Huiusmodi sunt qui ex assidua in pulmonem destillatione, aut succorum paulatina congestione, aut crudorum lateribus hærentium putrescentia, illud incipiunt extussire: quorum plerique euadunt pthysici. Tale quiddam passa est hæc mulier, quæ per tres annos, vere incipiente, tussi vexata est. Nimirum succorum redundantia vere maximè nocent, & huic ob naturalem earum partium infirmitatem, aut fortasse etiam structuram, occupabat spiritus vias, & cogebat tussire. Siue id ex capite deflueret: siue ex toto corpore conflueret: quod, ob ea quæ dicam, verius puto. Congesto tandem succo pluri quàm extussiretur, contigit alterari, ac fieri pus. Neque tamen hic constitit noxa: sed exactis his, ineunte hyeme aquosa est facta, vel pulmone trahente ad compassionē hepar, vel

calore naturali iam debilitato ob incipientem pthysiam: vel muliere (ita vt fit) ad soluendam spiritus angustiam, pluri utente potu, & aeris frigore, ex anni tempore accedente. Addit, illis autem pharmacis curata, firmata est. Non dicit quibus. Putes pharmacis hydragogis, hoc est aquam vacuantibus (his enim curatur hydrops) sed quo pacto his liberaretur à puris excreatione? Aut quo pacto ab hæc liberata, firmitudinem, hoc est firmam salutem, compararet, ac non potius tabesceret? Ego proinde suspicor hic pharmaci nomen, non de solo expurgante per ventrè dici, vt aliquando solet: sed aut pro omni medicamine, vt solet etiam, aut pro omni medicata potione, atque vocem, illis, referre medicamenta aliqua, quorum antea facta sit mentio, etsi ex hoc volumine interciderint: aut dici figuratè, vt ea vocula significantur insignia. & ad eam rem magna medicamenta: ea verò esse mouentia menstruas purgationes. Nam perrarò muliebres morbi hunc decursum tenent, nisi ob menstruorum suppressionem, ob hanc verò sæpissimè, eo qui detentus sit præter naturam, sanguine, occupatè primùm vias spiritus in thorace, suffocante deinde naturalem calorem in hepate. Atqui has passiones, cum eo vsque progressæ sunt nunquã videmus curatas, nisi superueniente illa euacuatione, quæ vt cum maximo periculo detinetur, ita cum tanta utilitate erumpit, vt ea mulieres multæ curatz sint, quæ videbantur insanabiles, vt sit nonnunquam res miraculo similis. An hoc innuit dicens, illis pharmacis.

116 **E**X tussientibus, qui manibus laborabant, velut puer, qui sarmenta torquebat, & qui Amintæ, ambo, sola dextra resoluti cessauerunt, quando quidem patientibus hoc tussientes. Qui autem aut equitarunt, aut iter egerunt, in lumbos, in femur. Siccæ autem plurimæ, sin minus, violentæ sanæ.

Tussis siccæ sunt, per quas tussitur inaniter, & omnino excreatur nihil. Violentæ, per quas excreatur quidè aliud: sed exiguum & cum magno labore. Fiunt verò tales, vel ob intemperie nudam instrumentorù respirationis, vel ob

ob maximam materiæ cruditatem. Intemperiem nudam fuisse causam horum morborum, non est consentaneum, siquidem tam insignes habebant abcessus. Patiebantur enim paralyim tulsientes, quamquam non eârundem omnes partium, sed quibus earum quibus maximè laborasset. Nam quidam, qui laborabant manibus, ut puer qui sarmenta torquebat, & puer alius Amintæ, qui etiam laborabat manibus, liberati sunt ambo à tulsu, resoluta dextra, ea nimirum manuum parte resoluta, qua maximè laboratur, præcipuè verò ab ijs qui sarmenta torquent: qui verò equitauerant, aut iter egerant pedites, lumborum, aut femoris resolutionem patiebantur. Nimirum iter agentes lumbis, equitâtes femoribus, & vtrique vtrisque partibus, maximè laborant. Dicitur verò Hipp. est. 4. apho. Quibuscunque resurgentibus ex morbis, si quid laborauerit, hic fiunt abcessus. Dicitur vero in eo apho. nomen laboris, & de dolore, & de vehementi motu: ut & lassitudinis nomen in 31. de spontanea & non spontanea.

17 **V**Xor Emmyris modo non morbofo, videbatur sine febre, fatua esse. Deinde in tremorem venit totius corporis, & liquationem, & fastidium, & sitim: & frigida erat.

Hæc mulier primùm videbatur esse fatua sine febre, modo non morbofo, sed ut esse videretur fatua. ut quædam aliæ quæ naturaliter tales sunt. Deinde correpta tremore, incidit in febrem malignam, colliquantem, & generis earum quæ dicuntur lypitiæ, per quas exteriora frigent, & interiora vruntur, & sitim habent: fatuitas ob abundantiam pituitolorum in cerebro, per se, aut per consensum, fit. Multis igitur & crudis constat mulieris huius corpus totum, aut caput abundare, aut ventriculum, vterumve, aut pulmonem, aliamve partem cum qua caput pateretur. Verùm quoniam ad totius corporis tremorem res venit, totis musculis debilitatis ex aggrauatione (intelligo enim hic nomen tremoris, proprie, pro eo qui ex animalis facultatis impotentia procedit, accipi) constat totius corporis fuisse illam cacochymiam, maximè autem cum successerit
(putre-

(putrescentibus malignè excrementis in proximis cordi locis, aut magna & maligna interiori inflammatione oborta) febrislypiria. Nam si ea redundantia ad solum cerebrum pertinuilset, omnino factus esset lethargus, aut passio aliqua apoplectica. Consentaneum ergo est, ob redundantiam totius corporis, occupatum imprimis esse ei caput, factamq; fatuitatem, crescenteq; aggrauatione instrumentorum motus, factum tremorem, mox verò multitudine (ita vt fit) finita in putrescentiam, & magnam aliquam inflammationem internam, factam esse febrem perpetuam. Non mirum autem ex frigidis & crudi, qualia fatuitas significabat, factam esse febrem colliquantem, & lypiriam. Nam liquare, & naturalem calorem trahendo extinguere, non certi cuiusdam succi est, sed malignæ putrescētix, quæ cuius succo potest accidere, cui putrescentia. Nam & in veris inflammationibus, & œdematis, & scirrhis, & omnibus ad hæc genera pertinentibus tumoribus, videmus nunc fieri simplices, nunc malignas putrescentias. Ita ergo potest in febribus euenire, nam ex succo subiecto frigido, potest vrens febris fieri, ob modum putrescendi. Accedit quòd euenit aliquando multiplicem fieri cacochymiam, quòd duæ, pluresve species excrementorum simul redundant, aut etiam aliam in vna, aliam in alia parte esse. Vt si huic mulieri pituitæ & bilis fuerit redundantia, aut pituita in cerebro, bilis in hepate, aliave parte, & illa priorem, hæc posteriorem passionem fecerit. An simplex fuerit cacochymia, & modus alterationis tantam passionum differentiam fecerit, an multiplex, ex alijs signis oportuit agnoscere, præcipuè ex exeuntibus, adiunctis, hominis natura, & anni tempore, & anteacto victu.

118 *Nictalopes autem, qui plurimum mingebant, postea exiguum quiddam. In aures verò tussientes, super febricitantes, erumpentia circa septimam, aut etiam octauam.*

NICTALOPTA est visus imbecillitas, per quam nocturni nihil, & in crepusculo exiguum videtur, tametsi interdiu videtur bene. Constat esse eum affectum aciei oculorū hebetudinem

berudinem, aut spirituum crassitiam, & exiguum fulgorē. Siquidem indiget magno fulgore aeris, ut possit concipere visibilium species: passio contraria ei, per quam interdum exiguum, & noctu aliquanto plus videtur: quod sanè sit oculis & spiritibus tersis, tenuibus, & fulgentibus, cuiusmodi videmus esse noctuis. Talibus enim, dici fulgor cum tanto fulgore interno coniunctus, sit nimius, & nocturnus est satis. Ergo vel hac ratione constat nyctalopiam ei passioni contrariam in contraria affectione habere essentiam, esseque crassitiam ac opacitatem oculorum, aut spirituum, aut utrorumque. Constat verò nisi in natura membranarum, succorumve oculi, aut spirituum sit, ex redundantia excrementorum in eum locum confluentium, pituitosorum, plærunque, ex cerebro, fieri. Quibus excrementa in cerebro sunt, nonnunquam sunt spontaneæ reuulsiones in inferna, ventrem inquam, aut urinæ vias, & ita, si euacuatio satis producitur, contingit liberari, velut surditas fluente aluo cessat: nonnunquam deriuationes quædam ad vicina, & harum quædam sunt per conuenientes regiones, ut eruptiones ad glandulas quæ post aures, aut in ceruice sunt: quædam per non conuenientes, ut destillationes in pulmonem, aut ventriculum: nonnunquam euacuationes per propria emunctoria, ut per nares, aures, & palatū. Cum ergo essent quadam tempestate multi, capitibus excrementosi, quod nyctalopia indicabat, primum incipiebant copiose mingere, pituitosis & aquosis descendentibus. Verum hæc per urinam expurgatio non satis producebatur, sed ea cohibita intèpestiuè, eueniebat deinde exiguum quiddam mingere, minus etiam quam alioqui solet, quod recursum humorum in superna declarabat. Eo ergo defluxu intercepto, neque cerebro degrauato, necesse erat aliquid alia via erumpere, ciebatur ergo destillatio in pulmonem, quare cessante copiosa mictione, tussiculosi fiebant. Verum cum pro magnitudine prioris, exigua euacuatio ea esset, quæ inculcata erat in cerebro, multitudine putrescente, febris superueniebat, à qua, cerebri facultate expultrice abscessum faciente, septima, aut etià quibusdam octaua febris die, post aures tubercula nascebantur. Nō dicit quid deinde factū, meritò tamen credas, quosdam liberatos à cerebri passione & à nyctalopia, quosdam non, aut non omnino. Nā ut euacuationū decre-

decretoriarum, ita abscessuum est dispar conditio. Ij præcipuè liberauerint, qui septima eruperint, illi minus, qui octaua. Non enim solum in euacuationibus interest multum quo die fiant, sed & in abscessibus. Nam vt nuper ipsum Hippocrati dictum est, habenda ratio est circuituum, in quibus iudicantia, tumentia, cruenta, & non.

319 **E** Mmyris filius febricitabat, & ex aure fluebat purulentum, circa octauam non satis scio.

INFLAMMATIONE pori auditorij censendum est puerum hunc laborasse, cui coniuncta est continua febris, si simul etiam habuit eius partis dolorem (fortasse autem habuit, & doloris non meminit Hippocrates quòd puer infans esset, vt dolorem non posset declarare) in talibus enim ex febre continua & magna, cui puris eruptio superuenit, intelligimus affectionem esse auris inflammationem. Est verò morbus pueris satis frequens, & qui in illis plurimum latet, quia neq; qua parte doleant possunt dicere, neque si delirent, vt quibus magna est ea inflammatio, agnoscere possis. Atqui ego multos infantium, qui post acutam febrem conuelluntur, hoc malo perire suspicor, coniectas id, ex ijs qui euadunt, post febrem eiusmodi, pure ex aure effuso. Ij enim ipsi, nisi ad suppurationem res venisset, in cognita affectione periissent. Proinde inter ea quæ puerulis febricitantibus acutè, tentando agenda sunt, consultum putò, aliquid mitigatorium, & concoctorium auribus infundere, vt, primum quidem, rosaceum, deinde verò chamenalinum, aut ex dulcibus amygdalis. Quid enim mali inde fiet? Euenit (si res ita habuit) huic puero, iuxta id quod capite. 19. prognostici dicitur, vbi ita scriptum est.

> Auris acutus dolor cum febre continua & vehementi, graue est: periculum enim ne homo desipiat & moriatur. Cum
 > ergo fallax hic locus sit, celeriter oportet animum aduertere omnibus signis à primo die. Moriuntur verò ex tali
 > morbo iuniores homines septimo die, aut citius, seniores
 > verò multò tardius. Febres enim & deliria minus ipsis accidunt, atque ideo aures possunt suppurari. Verum his ætatibus, recidivæ morbi accidentes, plurimos interrimunt.

Iu-

Juniores verò antequam auris suppuret moriuntur. Si autē
 fluit pus album iuniori ex aure, spes est cum superuicturū,
 si aliud etiam optimum signum ipsi accidat. Hæc Hippo-
 crates ex quibus constat, vt in commentario eius loci ex-
 plicuimus, iunioribus periculosum adeo esse hunc mor-
 bum, vt sæpe moriantur ante tempus suppurandi, aliquan-
 do tamen etiam suppurare: idque cum fit, intra septimum
 fieri, & salubriter, si pus fiat album. Hic filius Emmyris
 exemplo est iuniorum quibus suppuratio fit, quandoqui-
 dem autem contigit Hippocrati videre id, die octaua fe-
 bris, & rarum est vltra septimum in iuniore produci puris
 ex aure eruptionem, miratus est: &, quia fieri potuit, vt,
 etsi id Hippocrates non animaduernerit, die septima cœpe-
 rit, dicit, fluebat purulentum circa octauam, non satis scio,
 sci licet, an tunc primum, an antea cœperit. Sin autem nul-
 lus auris dolor huic puero fuit (fieri verò etiam ita po-
 tuit) coniectandum est, febrem ex putrescentibus in capi-
 te succis pependisse, & euacuationē hanc circa diem octa-
 uam, aut fortasse etiam septimam (non enim satis certus
 Hippocrates est) tentasse naturam, vt per capiti non parum
 familiare emunctorium. Itaque fuerit non suppuratio in
 aure ipsa facta, sed abscessus ex capite, eius generis, de quo
 aphor. 10. part. 6. ita est scriptum. Caput dolenti & circum-
 dolenti, pus, aut aqua, aut sanguis fluens per nares, aut os,
 aut aures, soluit morbum. Velut quibusdam alijs in dentes
 factos fuisse mox dicit.

Quibusdam autem etiam dens fuit corrous, præci-
 pue tertius ex supernis. Præ omnibus autem
 hic reperitur corrous, in hunc dolor, & quibusdam etiam
 circum suppuratio. Quibus autem in aures, fortiter tus-
 sientes magis quam illi.

DICTVM antea est in hoc ipso quarto libro, quod
 parte prima huius orationis dicitur, puta tertium dentem
 superiorum, omnium maximè solere pati dolorem, corro-
 sionem, & suppurationem, dictaque est eius rei causa. Nūc
 quod addit oportet explicemus. Cur scilicet ij quibus in
 aures puris abscessus fit, solent fortiter tussire, magisquam
 illi

illi quibus in dentes. Mihi sanè videntur aures maiorem rectitudinem habere cum partibus interni cerebri quàm dentes, & hos cum externis quàm aures. Internæ autem cerebri redundantix videntur in laryngem & asperam arteriam, atque adeo pulmonem incumbere, externæ autem in maxillas, dentes, & buccas potius. Ergo aurium suppurationes, seu potius puris per aures eruptiones, internæ cerebri redundantix signa sunt, velut corrosio aut dolor dentium, aut buccarum tumores, externæ. Quare magis tussis mouebitur, quibus aures pus effundent, quàm quibus dentes laborabunt. Vnde etiam licet colligere deterioris grauedinis capitis esse, tussire ob destillationem, quam secundum maxillas, buccas, dentes, aut etiam nares, pati aliquid.

121 **Q**uibus autem in suppurationem cum febris, liberat septima.

Cum acutis febris intelligit, cum febris dicens. Quibus ergo ad suppurationem, id est puris per aurem excretionem venit, laborantibus acuta febre, eos septima liberat. Nam cum acuta febre pus generari, inflammationem significat, inflammationis autè in quavis parte capitis, cum acuta febre coniunctæ constitutio longissima, prorogetur vsque ad septimam, præcipuè verò in iunioribus natu, ut Hippo. in prognostico nuper citato dicebat. Meritò ergo quibus febricitantibus acutè, res venit ad suppurationem, ijs septima die erumpit pus, & soluitur febris. Adeo ut cù Emmyris filio circa octauam videretur pus fluere, non satis id crediderit Hippo. sed suspicatus à septima cœpisse, dixit, circa octauam, non satis scio.

122 **P**ostquam exacerbatum est hypochondrium, non est solutus; emollito autem erant exigua subuiscosa, compacta, non bona. Vrina colore sanguinis. Spuebat spumosum.

Hæc verba haud dubiè aliunde decissa sunt, non enim continent integram narrationem, sed ægroto cuidam (cuius fortasse

forasse nomen hinc vetustas substulit) contigisse inter alia quiddam narratur, quod scitu dignum est, puta exacerbatum esse ei hypochondrium, hoc est duritiæ & dolore correptum, & ex quo exacerbatum est, non esse hominem solum. hoc est suppressas esse ei euacuationes consuetas, vsq; dum emollito rursus hypochondrio, cœpit deijcere ex aluo exigua, subuiscosa, compacta, non bona: & vrina facta est coloris sanguinis, & spuebat spumosum. Hic euentus haud dubiè significat sanguineos & pituitosos succos sese ob morbi vim, & partiū debilitatem in hypochondriū collegisse, indeq; rursus, remittente malo, & facultatis niru demissa, hæc & illa cœpisse esfluere. Est verò per acutas febres grauissimum, exacerbato hypochondrio euacuationes consuetas sisti, quia significat ut humores omnes eo vi inflammationis trahi: rursus, cum totum hypochondriū, aut altera eius pars tumet, euacuationibus plus solito exētibis, hypochondrium emolliri, bonum est. Nam vt Hipp. ipse in aphorismo dicit, splenicis dysenteria accedens, bonum. Eadem autem ratione iecorarijs, deiectio & mixtio prodest. Illa enim caua, hæc gibbam eius partem vacuat. Intum etiam spumosum fieri potest, regurgitantibus in pulmonē, quæ ex hypochondrio erumpunt. Verum ea euacuatione non est probanda, vt priores, non enim per conuenientem regionem, vt illæ, agitur. Sed quales deiectiones habuerit, oportet explicemus. Exigua, inquit, subuiscosa, compacta. Constat has deiectiones fuisse ex crudis, crassis, & lentis, quæ ab oppilationibus exirent: quod vt innueret, addidit, non bona: id est non per concoctionem, vt solent compactæ, sed, quòd ex crassis crudisque essent, & pituitosis. Sanguis etiam crudior, qui impactus hærebat, cœpit loco solutus, in vrinæ vias deriuari, & vrina coloris sanguinis fieri, & regurgitante etiam sursum humore, atque carnem pulmonis occupante, cœpit spumosum spui.

Ille ad quem Cynicus me induxit, septima exacerbatus est, circa quatuordecimam autem iudicatus est, bordeacea prava, purus faucibus pauca, lata, cocta spuit, ex naribus parum exijt. Caput grauatum est. Manuum & crurum resolutio. Alius soluta profuit. Pedes

des semper calidi . Somni huic erant . Et iuxta aures non est factum quicquam, quia concocta spuit .

H V N C laborasse febre acuta, vel dies qua iudicatus est indicat . Acuti enim quatuordecim diebus iudicantur, exacerbatus verò est illi morbus die septima, iuxta legem constitutionis legitimæ, iuxta quam dimidiato totius constitutionis tempore, solent incipere morborum incrementa. In hoc præcipuè laborabat caput succorum putrescentium multitudine. Nam ob hoc caput grauatum ei erat, & parum sanguinis è naribus destillauit. Et somni ei aderam, quod non solum indicat capitis passionem, sed & succo faciem. Non enim is erat summè biliosus, alioqui delirium ac peruigilium fecisset, potiusquam grauitatem, & somnos. Erat ergo biliosus nonnihil (nam ab hac specie nunquam omnino absunt acutæ febres) cum sanguine crasso & pituitosiori. Cum ergo multum ac multiforme in capite redundaret, factum est, vt fluxio, in partes cum eorundem habentes, deriu retur, in pectus scilicet & spinalem medullam: vnde euenit vt ex thorace, praua prima, deinde cocta spuerentur, & ob medullam spinæ, manus & crura resolverentur. Sanguis è naribus fluens, non potuit hominem liberare, quia fluxit parum. Quare vt signum quoddam prauus fuerit, vt causa verò, inutilis. Profuit verò aliquid soluta, eadem scilicet ratione, qua solet soluere surditatem. Expectabatur tuberculum huic secundum aures, quia in febribus laboriosis, & quas lassitudo comitatur, expectantur abscessus ad articulos, ita & in febricitantibus cum capitis grauitate expectantur tubercula ad aures, à quibus præseruare poterat fluxus copiosus ex naribus: verum quia huic factus fuerat exiguus, expectabatur meritò tuberculum: quod non est factum, quia spuit concocta. Per modum decursum, potionem paratam ex hordeacea farina, excreta praua, hoc est excrementa prauis & varijs, colore & substantia prædita, quæ circa fauces herebant. Deinde verò puris iam faucibus, ex pulmone extulit, pauca, lata, concocta hoc est crassa. nam quæ verè concocta sunt, non sunt aut rotunda, aut lata, sed crassa sine lentore, neque tam compacta. Rotunda verò, aut lata (quæ etiam ob crassitudinem concocta.

cocta, aliquando Hipp. vocat) sunt vi febris siccatis excrementis. Verum quando excreatio concoctorum, & liberavit cū alui fluxione à febre, & præferuavit ab abscessu, suspicor, post dicta, ad morbi finem bene concocta & multa spuisse. Multitudinem ergo fluxiliorum per aluum deiecit, crassa verò, & quæ nõ longè à parte potuerint fluere, excreauit. Ad quam rem acomodatissimæ sunt potiones, & eligmata, quæ parantur ex hordeacea. Extergent enim optimè, & sputum cogunt, quæ per febres sanè, omnibus quæ ex melle parantur, meritò præferuntur, ob frigidam & humidam naturam. Pedes calidos semper fuisse, febrem assiduam, & quæ neq; rigore, neque in rebricitatione interrumperetur significat. Porrò eum qui Hipp. induxit, cynicum proprio nomine vocari intellige, nõ ex professione, quia nondum nata erat cynicorum schola.

124 **D**emarati vxor, pedes etiam in horroribus calidi, siue in suppurationem siue non, mortua est.

OCULTAE suppurationis suspicionem habuit Hipp. in hac ægrotâ, non tamen certo cognouit. Ocultam suppurationem voco internâ, ea verò est, vt ipsemet libro de morbis dicit, in superiori ventre, hoc est in thorace, ad quæ pertinent, pulmo, & ipsa latera (cor enim non sustinet eâ passionem) aut in inferiori, ad quem pertinet omnia quæ sub septo trãuerso sunt inter inguina & alas. Fiunt verò hæc ex tumoribus præter naturam, vt ex pleuritide, aut inflammatione intestini, renis, aut vteri: vel ex vlcere, vt ex emoptoica passione, aut etiam nonnunquàm citra hæc, ex pituita non expurgata, ac propterea putrescente, velut ex catarrhis aliquando, non quidem prius factò phlegmone, aut exulcerato pulmone (tamen id quoq; fieri solet) sed aliquando herente solùm ea, quæ destillat, pituita, lateribus, & ibi putrescente, vt Hipp. loco citato autor est. Vt cūque, vbi pus continetur, putredinalis calor partes corripit, qui etiam per totum corpus deducitur, arterijs fuligines putridas recipientibus, & ob hunc tam fixum, vt quis dicat, calorem, colliquescunt carnes & corpora tabescunt. Fientis suppurationis signa scribit Hippo. in prognostico, dicens,

Considerare autem oportet, principium suppurationis fo-

Qd

re,

re, colligentem à die quo primùm homo febricitauit, aut quo primùm illum rigor præhendit, et si dixerit pro dolore pondus ipsi fieri, in loco quo dolebat. Hæc enim in principijs suppurationum fiunt. Suppuratorum iam signa scribens, mox subiunxit, Suppuratos omnes agnoscere oportet his signis, primùm quidem si febris non intermittit, sed per diem mitis est, per noctem maior & sudores multi superueniunt, & tussis fortis fit, & excreant nihil mentione dignum, & oculi caui fiunt, & maxillæ sunt rubentes, & ungues manuum curuantur, digiti autem calent, & maxime extremi. Dicta mihi est in commentatione huius loci, causa qua digiti extremi calent suppuratis. Ea est, quam paulo ante tetigi. Deferunt scilicet venæ & arteriæ fulgines peccidas, quæ extremis artubus expirant. Cum ergo hæc mulier longum laboraret & hæret assiduam calorem pedum, etiam in horroribus, suspicatus est Hipp. in suppurationem abire, quia horrores inordinati, ad suppurationem euntis mordeant, & calor extremorum pedum, suppurati. Verum cum fortasse alia signa viderentur desiderari, in suspicionem coniectus est, & suspicionis causam insinuans dicit, pedes etiam in horroribus, calidi, siue in suppurationem siue non, mortui est. Merito autem dubitauit, nisi alia multa adfuerunt signa. Non solum suppuratis, sed alijs etiam solet hoc accidere, morituris, ijs scilicet, quibus malignus venenatusve humor intra corpus collectus, aut venenum etiam haustum est. Talibus enim, etiam mortuis, calor putredinalis solet per extremas corporis partes expirare. Itaque constat, aut ex suppuratione, aut maligna febre, quam mali moris vocant, mortuam esse hanc mulierem.

125 **T**enebatur senex, qui mortuus est simul cum sua vxore læguida, cui occultum maniacum quid inerat. Postquam autem exeunte lumbrico subcrasso, & pauco cibo, statim sedatus est, & dormiuit, & sanus erat senex hic. Et corporis cutis circumtatio, extrema frigida, tremulus in inijs, & labijs, & manibus, & voce. Mortuus est mente moderate. Hiabat non valde. Difficulter spirabat et erat diebus, non noui quot ultra viginti, mortuus est.

¶ X. serbat

ἐξουθεν idest teneri, & *εχόμενον* seu detentum, solet dicere Hipp. eū qui morbo tenetur non leuiter, velut in aphorismo dicit *ὑπὸ πυρετοῦ ἐχόμενον* idest ei qui à febre tenetur, & rursum *ὑπὸ κτύσου ἐχόμενον*, idest à febre ardente occupato. Ita nunc dicit *εἶχε προσβύτης* idest tenebatur senex, quasi dicat tenebatur morbo, & grauius ægrotabat. Hic senex vt ex ipsa narratione constat, habebat vxorem quandam debilem, & nonnihil maniacam, etsi non adeo, vt manifestum id esset, sed vt multis euenit, quod dissimulari poterat, ac celari. contigit hunc senem simul cum sua vxore ægrotare, ac mori. qui euentus, vtpote rarus, memoriæ hæsit, quo factum est, vt Hipp. quæ seni acutè ægrotanti euenierunt volens narrare, hæc perscripserit. Senex qui mortuus est simul cum vxore sua, debili, languida, cui oculum maniacum quid inerat: ille inquam senex, tenebatur, id est grauius ægrotabat. Persequitur, his dictis, narrationem morbi, in qua haud dubie quædam desiderantur. Nam intercissam esse dictionem, & quædam verba sublata esse, constat legenti. Dicit enim primum, postquam teneretur, exeunte lumbrico, subcrasso, & paucio cibo, statim sedatū esse morbum, & dormiuisse senem, & sanum factum esse. Videtur autem nimis ex abrupto dixisse illud, postquam exeunte lumbrico. Cum non dixerit antea vt ægrotaret, an febricitaret, an non, an parte aliqua doleret, siti aut fastidio vrgeretur, aut peruigilio, aut tali aliquo, vt narrare solet. Sed cum tantum dixisset, tenebatur, adiecit modum quo sedatus est. Sed permittamus vt illo verbo tenebatur, significetur graui morbo teneri, & febre magna, & inquietum vigilemque esse dici per insinuationem, quia adijcitur, sedatus est, & dormiuit. Verum illud ferendum non videtur, dici, sanus erat senex hic, & corporis cutis circumtentio, extrema frigida, tenuis, tremulus. An simul sanus erat, & habebat hæc? Non sanè fieri potest. Sed constat hunc exeunte lumbrico cum paucio cibo, quieuisse, dormiisse & liberatum esse a febre, aut omnino, aut ita sanè, vt sanus factus esse videretur, deinde vero post dies aliquot (non enim dicit quot) factam esse ei recidiam priori morbo longè grauiorem, à qua mortuus est cū his signis quæ apponit, cutis inquam circumtentione, extremorum frigore, extenuatione, tremoribus. mentis alienatione, hiatu, & difficili respiratione.

ratione. Hæc enim omnia in febribus continuis lethali
 esse, pluries in prognostico & aphorismis, & alibi dicit
 Hippocrates. haud dubie ergo vetustas substulit verba alia
 quot inter illa, sanus erat senex hic, & illa, & corporis
 cutis circumtentio, quibus significaretur factam esse reci-
 diuam. Quasi ita diceret, dormiuit & sanus erat senex hic,
 deinde rursus febricitauit, acciditque ei inquietudo, per-
 uigilium & corporis cutis circumtentio. Hæc inquam au-
 alia his similia desunt. Quæ enim ea fuerint non possumus
 diuinare. Sed in tota hac narratione hæc duo sunt nota-
 tu digna: liberatum esse hunc ægrotum à tanto malo pri-
 mum, exeunte solum lumbrico crassiusculo, cum paucis
 cibo, hoc est cum paucis fecibus cibi non satis coacti (ita
 enim solemus vulgo dicere, modicum cibum excretum esse)
 deinde mortuum esse cum his quæ narrantur sympto-
 matis. Nam si liberatus hic est primum, iuxta id quod in
 prognostico dicitur, expediens etiam lumbricos rotundos
 descendere cum excretionem, morbo eunte in iudicationem,
 qui potuit deinde intra fines acuti morbi mori? Si
 enim ibat iam malum in iudicationem, & cum coctionis
 signis, celeritatem iudicij, & securitatem significari oportebat.
 Non poterat ergo ex eodem morbo tam cito mori.
 Quod si non ibat iam malum in iudicationem, certe
 symptomatica, vermis, & fecis, excretio fuit, symptomatica
 verò & exigua, non poterat tantæ utilitatis esse, ut inde
 diceretur homo sedatus quieuisse, & videri factus sanus.
 Quid ergo est quod ex hac narratione videtur probabilis-
 sime colligi posse? Certe senem hunc laborasse à princi-
 pio morbo ætati suæ parum congruente (puerili enim) fe-
 bre acuta ex crudorum putrescentia, atque proinde habuisse
 eam febrem in suis symptomatis, ut longè grauissimis,
 multum vermium prouentum. Nam si rectè perpendas,
 & autores omnes de hac re consulas, videas plerumque sym-
 ptomata quæ narrantur, esse quæ vermium in ventre abun-
 dantiam sequi solent. Paulus cap. 57. lib. 4. ita de vermium
 signis scripsit. Accidit plerumque cunctis lumbricos ter-
 res habentibus, vellicatio intestinorum, & ventris, & ruffus
 non magnæ, aridæ, & irritantes: quibusdam verò etiam
 gultus, somnique cum tremore, & irrationabilibus, stultici-
 que ex somno resurrectionibus. Non nulli enim vociferantur
 ratione

ratione exurgunt, & profiliunt: sed rursus deijciuntur, & in soporem prosteruntur. Pulsus inordinati, & augentur febres, nullo ordine errantes, cum magno articulorum algore, quæ per tertiam quartamve, diei noctisque partem, hominem temere inuadunt puerulis verò & grandioribus natu, cum prominente lingua ex hausta, stridor fit dētium. Oculi coniuuent, silentium amant, & excitantibus indignantur, stomachantur, oculique apparent, & suffunduntur malæ rubore, atque rursus mutato colore liuescunt. Breui verò hæc, & ex interuallis fiunt, quorundam verò stomachum petentes, nauſearum & vellicationum autores sunt: cibum adhæc, laborantes auerſantur, coacti verò, nauſeantes vix deglutunt, oblatumque ac sumptum alimentum euomunt: non paucis verò venter etiam deijcitur cum esculentorum corruptione, atque tympani instar inflatur, reliquum verò corpus præter rationem liqueſcit, & tabeſcit, neque fame præſcripta, neque vlla euacuatione immoderata admiſſa. Cæterum non in omnibus prædicta sunt ſingulatim inquirenda inditia: ſed quæ principatum tenent: aliquando verò plurima. Hæc Paulus, qui & ſi multa ſigna amplexus eſt, quædam tamen omiſit, quæ alij addunt. Aetius dictis ſignis fere ex Diocle recenſitis, hæc addit. Alij inſtar delirantium aliena loquuntur in ſomnis. Alij decubitus tranſmutant continuè dormientes, angoreque vexantur, ex locoque ad locum ſeſe viciſſim proiectant. Verum paucos omnino ex ipſis morſum conſiteri conſtat. Plerique enim in mentis inopiae taciturnitate degunt. Porro qui à rotundis lumbricis infeſtantur, etiam cibum auerſantur, & ſiquid acceperint, reuomunt, aut nauſeabundi vix deglutire poſſunt: febres in eos, cum vehementi extremarum partium refrigeratione, irruunt. Hæc Aetius, tametſi igitur huic ſeni multa ſigna eorum quæ vermium eſſe dicuntur non adfuerint, ſi tamen omnia quæ adfuerunt vermes ſignificare poterant, cum anteceſſet illud, quod in horum cognitione maximi momēti eſt, putà vermem reiectum eſſe. merito coniectemus toto morbo vermibus vexatum eſſe. Nam vt dicebat Paulus, non omnia hæc omnibus ita affectis ad eſſe neceſſe eſt: ſed aut quædam præcipua, aut pleraque. Noſſe verò etiam oportet, eum his ſignis intelligi debere, &

Q 9 3

quæ

quæ cum illis ob eandem ipsam causam coniungi possunt. Si enim vehemens fit morbus ventriculi, deliquij animi, & conuulsuorum motuum, ob naturalem cōsensum cerebri & cordis cum ventriculi ore, periculum est: si magna nauſea adest, & hiatus quidam oris adfit necesse est: ac ob eandem causam, difficultas aliqua respirationis. Nam hiante ore non facillè mouetur thorax. Iam verò vomitum instantem tremor inferioris labij protendere solet, & ob eandem causam tremula vox. Si tabescunt, fiunt graciles ac tenues, & cutis fiet circumtensa. Frigus verò extremorum, deliquij animi est. Delirium in signis vermium ponebatur, scilicet per compassionem cerebri. Quamquam ergo non omnia signa vermium dicitur hic habuisse, vermes tamen illi innatos fuisse dicta causa suspicor. Neque sanè mirum ex hoc morbo mortuum esse, cuius ætati esset tam aduersus, cum plurimi moriantur pueri, quorum ætati est congruens. Cum igitur vermes qui in homine quopiam generantur inæquali magnitudine sint, neque eam qua sunt eodem tempore conquirant, sed alij ante alios auſcunt, & qui grandiores sunt, sæuiores afferant symptomata, pulli verò exigua, fieri potuit, vt huic homini vnus quidam vermis plurimum præ alijs auſtus, anxietatem & inquietudine afferret, adeo vt eò expulso sedatus dormiuisset, factusque sanus videretur, vsque dum auſtus reliquis grauiora mala excitata sunt, ex quibus etiam est mortuus. Itaque lumbricus ille, etsi eius excretio tantopere iuuisset videretur, non vt concoctionis signum, neque decretorie, sed symptomaticè excretus est, iuuisset tamè tantopere dictam ob causam, neque in morbo tali, re vt diximus habente, excretio vana non exigui vermii, exigua debet censerì.

126 **Q**uibus hypochondria, & alius, deijciunt compacta, tepor, non cum crepitu, vt in *Abderis*, lactent formam referentia.

DIJECTIONES duræ & compactæ, rarò exeunt cum crepitu, nam calor qui crassitudinem eis præbet, hæc insensibiliter absumit. Porro fæces compactæ, quæ sine summa siccitate sunt (siccitas enim in exigua frustula commi-
nuit

nuit) longè sunt, & ipsa intestina, in quibus sunt densata, figura referunt. Proinde, quæ compacta, longa, & crassa sunt, in crassis intestinis compactionem recepisse significant: quæ compacta, longa, & gracilia, lacertulis similia, ab intestinis tenuibus compacta veniunt. Non solent autem fæces soliditatem, ante intestina crassa recipere, nisi cum aliquanto maior solito, toto ventre calor est, non tamen si maior sit multò, hanc eandem formam recipient, sed exigua, dura, sterco capræ imitantia, sient. Quæ ergo compacta, sine crepitu, lacertæ formam referentia, deijciuntur, ab intestinis gracilibus veniunt, & teporem, hoc est calorem mediocri paulo maiorem, indicant. Quia ergo ab intestinis gracilibus hæc veniunt, dicit Hipp. quibus hypochondria & alius deijciunt compacta: alioqui enim non solet dicere, nisi quibus alius deijcit. Verum hypochondria est suprema alui pars, in qua gracilia intestina sita sunt.

127 **Q**uod est primum dierum decretoriorum, in antecedenti.

DIES decretorij decurrunt per quaternarios intra fines acutorum. Nam ut in prognostico dicitur. Primus impetus ad quartum definit, secundus ad septimum produci-
tur, tertius ad undecimum, quartus ad decimum quartum, quintus ad decimum septimum, sextus ad vigesimum. Hi ipsi dies sunt morborum iudicatorij, & aliorum indices. Nam in aphorismo dicitur, septenorum quartus est index. Itaque eisdem diebus fiunt iudicationes & indicationes, & si non simul, neque eorundem morborum. Sed indicatio antecedit iudicationem. Primum itaque in iudicationibus est indicatio, postremum ipsa iudicatio. Indicatio verò fit in antecedenti die, computatione facta per quaternarios, ut diximus, quartus enim septimum, hic undecimum, hic quatuordecimum, hic decimumseptimum, hic postremo vigesimum indicat. Merito ergo dicit Hippocrates quod est primum dierum decretoriorum, hoc est indicatio, fit in die antecedenti, in antecedenti scilicet diem in quo agitur iudicatio. Qua ratione indicentur iudicationes, alijs locis dictum est satis.

27 **E**T mala & bona signa fiunt, diebus quibus superexacerbati producuntur, & quibus desinemes remorantur.

ETIASEM diebus fiunt obseruanturque in ægrotis signa bona & mala, nam & moriuntur eisdem diebus quibus salui fiunt, vt in prognostico dicitur: diebus nempe decretorijs vocatis: atque adeo bona signa in his meliora, mala deteriora sunt quàm in alijs diebus. Omnes itaque mutationes morborum diebus decretorijs, potiusquàm alijs: præsentiri possunt. Siue breui finiendi, siue in longum producendi, siue bonum siue malum exitum habituri sint. In hanc sententiam dicit nunc Hippocrates & mala & bona signa sunt diebus, quibus superexacerbati producuntur, & quibus desinemes remorantur. Sed videtur idẽ esse morbos produci, & remorari *χρονίζον & βραδύεν*. Quo pacto autem si idẽ est *ἐπιπαροξύσμοι*, id est superexacerbati, & *ἄνωγει* hoc est desinemes, aut cessantes, vtrique producuntur, aut remorantur? Nam *ἀίροντες* contrarij esse videntur *ἐπιπαροξύσμοις* quo pacto autem à contrarijs significetur. Atqui fortasse non vtrumque horum: sed neutrum potius, videtur significare morbi productionem. Nam desinemes seu cessantes potius videntur finiri quàm remorari: exacerbati vero diebus decretorijs, non facit ad productionem; sed ad contractionem morbi. Nam exacerbationes crebræ, celeritatem motus significant, celeritas vero cæteris paribus contrahit cuiusque motus tempus. Neutrum ergo horum significat productionem morbi, tam longè abest vt vtrūque. Sed animaduertendū est Hippocratem nō dixisse *παροξύσμοι*, id est exacerbati: sed *ἐπιπαροξύσμοι*, i. superexacerbati. Exacerbationes autē sunt, quæ legitimam naturalemque tēpus durant secundū cuiusque morbi naturā & sua hora remittuntur, superexacerbationes autē quæ producuntur adeo, vt occupent etiam id tēpus, quo iam erant desituræ, velut & superpurgationes vocantur Hipp. quæ procedūt vltra quā par est. Exacerbationes ergo crebras fieri, & nullum diem decretoriū intermittere, quo non aliquid natura circa morbum moliat, celeritatis est, ac proinde cōtrahit morbum has nō fieri, sed desinere, nō etiā febre desinente, lenti morbi & tardius finiendi est. Quia quod lentè mouetur, tardius quiescit.

quiescit. Verum non item superexacerbationes significat morbum futurum breuem. Nam significant maximam succorum multitudinem; hæc verò cum debili facultate significat mortem, cum forti, morbi longitudinem. Salutares ergo morbos, futuros chronicos, significant superexacerbationes. Euenit ergo quod Hipp. hoc loco animaduertit, & superexacerbationes, & exacerbationes desinentes, quæquam sint longè contraria significare eandem rem, putat morbi longitudinem: non eodem modo: sed alterum ob materię multitudinem, alterum ob motus tarditatem.

118 **E**T quedam non fideliter alleuabant, & quedam per se ipsa exacerbabantur.

NON fideliter alleuare haud dubie dicuntur, ea, quibus non oportet fidere, ea verò sunt, vt aphorismo. 27. sectionis secundæ dicitur, quæ non secundum rationem leuant. Secundum rationem verò leuant, quæ cum signis concoctionis, & per iudicatoriam euacuationem, humoris multitudinem respondentem. Cur autem fidendum non sit ijs quæ leuant aliter, ipsemet dicit eodem aphorismo dicens, pleraque enim talium inconstantia sunt, & non valde permanere solent. Itaque non fideliter alleuant, ea quibus postea accidunt recidiuæ, quæ plerumque primis morbis sunt grauiores. Quod sane ægrotis eius tempestatis, qua hæc scripta sunt, accidisse sequentibus insinuat. Et quedam per se ipsa exacerbabatur, scilicet priora exacerbabantur, non per se ipsa: sed per recidiuas. Itaque dicit Hippocrates quedam non fideliter alleuabant, quia succedentibus grauioribus reciduis exacerbabatur, & quedam exacerbabatur per se ipsa, hoc est sine vllis alleuationibus, à principio ad finem vsque.

119 **S**puta perineumoniceis quibusdam biliosa, cum desinere volunt. Valde flaua breuia sunt. Quæ qualia in principijs erant talia apparent, non valde puto hæc coqui: sed iudicare, vt illi qui iuxta præceptorem, & vt aliàs quoque vidi.

SCRIPTO mandabat Hippoc. quedam vt frequentia & legitima, quedam etiam vt rara & illegitima, in hoc præcipue

cipue opere, quod non selectissimis regulis, & ratione, mul-
 tisque experimentis, confirmatis dicatum est, ut liber apho-
 rismorum: sed obseruationibus. Experimenta vero captan-
 tibus, non solum mos est notare legitima: sed etiam, atque
 adeo nonnunquam multo magis, ijs contraria, & rara, ve-
 lut nunc facit. Nam legitimum est, morbos solui coactis
 excrementis, deiectionibus inquam, vrinis, aut sputis, qui-
 busuis horum iudicentur (nam eadem ratio est) euenit ve-
 ro nonnunquam, ut materia non coquatur, soluat tamen
 morbus, beneficio facultatis expultricis. Neque mirum est,
 facultatem ad expulsionem eius conuerti, quod non possit
 coquere. Nam & cum legitime operatur, pellit ob irrita-
 tionem. Verum est has solutiones non esse solere tutas, &
 ab eis reciduas merito timeri, non tamen proinde non
 possit fieri aliquando, ut etiam sine recidiuis fiant. Neque
 enim ratione contraria probatur necessarium aliquid: sed
 ut consuetum naturae, & frequens. Itaque etsi iudicatio-
 nes optimae post concocta excrementa fiant, & his non co-
 ctis exigua fides iudicationibus esse possit, tamen nonnullis
 euenit iudicari citra concoctionem. Vt forte euenit illi qui
 iuxta praecceptorem habitabat, & alias quoque aliquando
 factum vidit Hippo. Sed cur incipimus ab enarratione vl-
 timae partis huius dictionis? Certè quia tota haec oratio ad
 eandem scientiam pertinet, eam scilicet quam diximus. Ut
 vrinae & alui deiectiones ad febres putridas considerari
 debent, ita ad perineumoniam, pleuritidem, & alios partem
 circa thoracem morbos, sputa. Nam illa in illis, haec in his
 propriam morborum materiam indicant. Sputa biliosa in
 crudis, valde flaua etiam in pessimis poni censuit Hippo in
 prognostico. Quare secundum communem morborum ra-
 tionem, longè abest ut haec appareant perineumonicis, cum
 desinere volunt, tunc enim cocta esse oportet, alba scilicet
 leuia, crassa sine lentore, & quae facile excreentur. Verum
 quia aliquibus id factum vidit, scripsit biliosa quibusdam
 perineumonicis, cum desinere volunt. Sane eadem ratione
 possis expectare, deiectiones aut vrinas biliosas in febrili-
 bus, cum desinere volunt. Constat verò haec non esse con-
 cocta, quia à talibus solent biliosi morbi incipere, quae ve-
 rò apparent qualia in principiis morborum erant, constat
 ea non valde coqui: sed aut nihil aut omnino exiguum
 Nam.

Nam principium morbi tempus cruditatis est, ex crudis autem ut cocta fiant, necesse est substantiæ modum mutant. Hæc ergo cum apparent qualia à principio cœperant, non coquitur morbus, atque si quo modo soluetur, certe eueniet iudicari, ut ille qui iuxta præceptorem, sine signis scilicet concoctionis. Neque certe mirum. Nam velut curationes quæ arte fiunt, quædam sunt legitimæ, quædam illegitimæ, ita & quæ sponte. Sponte factas morborum curationes voco, concoctiones & iudicationes, ut arte factas, missiones sanguinis, & expurgationes, & quorundam admotiones. Ut ergo artificii aliquando quibusdam occasionibus, regulis & methodo excedere licet, ita natura quibusdam causis familiari ordine cogitur desistere. Interiecit illa verba Hippocrates, valde flaua breuia sunt, quæ quia sententiolam aliorum nonnihil deflectunt transiimus, nunc necesse est ad ea reuertamur. Biliosa sunt quæcumque flaua sunt (is enim est bilis color) verum ea amplam habent eius coloris differentiam. Nam & quæ pallida, & quæ rufa, & quæ peculiariter flaua, & quæ quodcumque horum remissæ, aut admodum sunt, in flauis ponuntur. Hippocrates enim, ut antea etiam me dixisse meminimus, omnibus his nominibus, utitur generatim: intentionem vero coloris oratione explicat. Cum ergo dixisset biliosa sputa fieri quibusdam perineumoniacis, cum desinere volunt, dixit valde flaua breuia fieri, quasi diceret, inter biliosa breuissimi morbi signa esse, quæ admodum flaua. Non dixit autem optima: sed breuissima. Nam deterrima sunt, vel hoc ipso nomine quod cum sint lethalia, sunt breuissima. Nam ut salutaria tanto meliora quanto breuiora, ita lethalia tanto peiora. Ergo valde flaua lethalia sunt, quia sincera, breuia autem quia acerrimi & tenuissimi succi soboles. Non dicit hic quem exitum portendant valde biliosa: sed tantum breuia esse quemcumque habitura sint. Atque ita est profecto, aut moriuntur cito ex perineumonia, aut tabescunt, cito atque ita etiam moriuntur satis breui, quia pessima talis tabescentia est. Aut si forte talia biliosa, aliquando cum iam soluentur morbi sunt (quamquam hoc sit longe rarissimum) soluentur etiam breui, bile affatim vacuanda.

Niciphus

130 **N**icippus in febris semē effudit somnians, & non venit in deterius, & hoc idem illi sæpe fiebat, & nihil læsus est. Prædictum illi est fore ut cessaret, cum febres iudicarentur, & factum est ita.

SEXTO epidemiarum, parte quinta cont. 23. dicitur ipsi Hippocrati Venerem morbis à pituita remedio esse, causa est ut Gal dicit in cōmentario, quia ficcat partes, atque ita humida excrementa absūmit. Constat vero eadem ratione posse ita affectos iuvari seminis effusione, & si cum mulieribus non congregiātur Porro possunt citra cōgressum fundere, volētes, ut Diogenes, aut nolētes, idq; aut excitati, quòd laborent gonorrhœa, aut dormientes. Vigilantes excernere præter voluntatē, maioris noxæ est, quàm dormientes: hos enim sæpe instigant insomnia. Vtrisque vero id euenit, aut ob redundantiam, aut ob prauam seminis qualitatem, aut ob debilitatem retentricis, diurnitate morbi comparatam. Quibus ob debilitatem fit, nulla ratione potest esse ea excretio utilis, exanimat enim, & tabefacit. Verum quibus ob redundantiam, raro non est utilis, & curandū illud solum est, ne plus satis duret, & ne partium assidua tumescencia, arteriarum ora pateant, ut plurimū etiam spiritus effundatur. Ita enim fieri potest, ut cum redundantia semine abeat spiritus necessarius, fiatque inde plus mali, quàm boni. Alioqui excretio multi aut vitiosa, utilis est. Quia eius succi suppressio adeo est noxia, ut cum sæuissimis symptomatis cruciet, viscera omnia vitiet, melancholicas passiones pariat, aliquando etiā repentinam mortē, velut ex epoto veneno. Quin etiam eum morbum quem gallicum hoc seculo vocat, siquid habet proprium, & quo ab alijs malignis cacochymijs discrepet, id certè est, ex maligna seminis putrescentia nasci. Computrescit enim mox cum semine per corpus totum, proprium solidarum partium alimentum, quod semen etiam, & si infecundum, est. Hinc tot solidarum partium corruptiones, hinc illa penitissimè latens cacochymia, raro nisi vehemētissimæ exsudationi, & excitationi cedens. Argumento est, hoc illius esse principium, quod vix vnquam nisi ex congressu cum sordida muliere nascitur. Tamen si ex multo etiam congressu cum non sordidis,

didis, nasci posse existimo. Si igitur tantarum noxarum feminis redundantia, aut vitium, causa est, merito fit ut multi ægroti venere iuventur. Præterquam quod, ut dictum est, ipsa Venus humiditates alias ficcans, morbos ex humidis sanat. Ut non putem ratione carere, quod de gallico morbo laborantibus nonnulli affirmant, fieri aliquando ut congressu cum mulieribus non sordidis, qui ita affecti sunt faneant, & illæ inficiantur. Nimirum illi deponunt propriam morbi materiam, illæ recipiunt inquinamenti principium. Itaque venerem causam salutarem aliquando esse, etsi Epicurei aliter putarent, ita indicatum sit. Quid Nicippo euenerit perpendamus, nunquid Nicippus febricitabat ex semine? Non arbitror. Fortasse enim ex eo succo, non febricitatur nisi hæcticè, eius verò febris iudicatio citò expectabatur futura. Febricitabat ergo ex alia causa (sive fortasse ex pituita) excernebaturque simul semen redundans. Cur ergo prædicebatur ei fore ut cum febris iudicaretur, cessaret ea excretio? Si enim ex diuersis succis passiones illæ pendebant, quid prohibebat manere vtrius altera sublata? Certè, quia antequam febricitaret, nihil tale patiebatur, coniectauerit Hippocrates fore ut & cum febricitare desineret, cessaret excretio: videritque non ob solam multitudinem, aut corruptelam feminis fieri, sed quòd calore febrili calidius, acrius, & mordentius fieret. Neesse ergo erat cum virtus illi constaret, interim prodesse, excreto redundantis & mordaci succo, pariterque corpore ficcato, desinere verò, cum febris solueretur. Et factum est ita.

Critias in febribus ab insomnijs vexabatur, à quibus scimus, sedatus est etiam hic simul cum crisi.

LIBELLO de insomnijs multa ad hunc locum pertinentia scripta reperies. Ex quibus facillè intelliges, insomnia multa, & perturbantia, magnæ perturbationis in corpore, præcipuè verò in capite, aut per se, aut per cōsensum cum toto corpore significationem præstare. Cum enim agitatissimis succis & vaporibus, agitentur animales spiritus, & cum eis conceptæ rerum species, fiunt varia, multaque spectra, vnde

unde multa insomnia aut allegorica quapiam ratione, morbum, affectum locum, aut internam causam, aut ægrotandi occasionem, indicantia: aut morbi exitum præmonstrantia (vt alibi dixi) aut nihil certi: sed perturbatè multa contentia, ipsa solum perturbatione, perturbationem humorum indicantia. Hinc fit, vt plus solito somnare, præcipuè cum tumultu ac perturbatione, in sanis prænuntiet morbos, in ægrotis raptum humorum in caput, timere iubeat, aut iudicationem expectare. Raptum sanè, quia agitaci facile efferuntur: iudicationem verò, quia decretoriam euacuationem antecedere consuevit agitatio. Ergo de insomnijs perturbatis per febres, vt de multis alijs censendum est. Si iudicationum indicatio anteceffit, & opportunitas instat, decretorium haberi debet, putandumque fore vt definat simul cum febre, vt Criticæ euenit: sin minus, phreniticum est. Capiti ergo prospiciendum.

32 **A**lcippus habens hæmorrhoydas, prohibebatur curari. Curatus insaniuit. Febre acuta superueniente cessauit.

Tantopere reformidat Hippocrates hæmorrhoydum curationem, vt dicat, apho. 12. sectionis sextæ, hæmorrhoydas sananti diurnas, si non vna seruata fuerit, periculum est hydropem, aut tabem accedere. Et sanè meritò timet. Nam in omni euacuatione consueta suppressenda, periculum est redundantix, eius quod solebat euacuari: hac verò solet euacuari deterrimus, & fæculentus sanguis, maximè ergo periculum erit, vtpote ex pessimæ materiæ detetione. Preinde prohibebatur Alcippus curari, ille vero morbi tedio compulsus, curari se fecit, curatus vero non in hydropem aut tabem, vt alij solent, incidit: sed mania correptus est. Quod merito etiam est factum. Illa enim mala cuiusque causæ euacuationis suppressione nata sunt fieri, à quibus ea euacuatio liberabat. Dicitur autè apho. 21. eiusdè sectionis Maniacis varicibus, aut hæmorrhoydibus accedentibus, insanix solutio fit. Hac itaque causa maniacus est factus: quia febre acuta superueniente, à mania est liberatus. Dupli ratione fit, vt morbus acutus superueniens à diurnis liberet:

beret: nam, aut ipso igneo calore absumente excrementa, aut crassis excrementis simul cū materia propria acuti morbi in eius iudicatione radicitus euacuatis. Illud fit in passionibus ex pituitosa & crudis, vt resolutione, & cōuulsione, & lentis febribus, & catarrhis: hoc in melancholicis. Aquea enim igne absumentur, terrea non item: sed crasse sunt exusta. Alcippo ergo secundo modo consentaneum est solutam esse maniam. Nam mihi etiam ita ardentissima illa febris cū agerem vigesimū octauum ætatis annum, subtulit passiones melancholicas.

33 **I**n acutis febribus siticulosi, à medicis priuati potu, aut etiam à se ipsis, videntur posse bibere multum. Aqua frigida data vt vomant prodest. Biliosa enim aderunt.

MULTIS differit Galenus de potu aquæ frigidæ in febribus, lib. 9. meth. cap. 5. vbi proximum missioni sanguinis auxilium in continētibz febribus esse dicit: sed & in omni maxima febre, intelliges ex ijs quæ ibi dicit, magnum remedium esse, si tempestiuè cui exhibeatur, quia habitus corporis refrigeratur, & hinc euenit facultatem recreari, & alium solui supernè aut infernè, aut sudorem copiosum erumpere, & ita febres solui. Vnum horū est quod Hippo. nunc iubet procurari, aqua frigida data, nimirū vt vomant. Ergo, inquit, qui in acutis febribus (acutam febrem vocat Hippoc. exurentem calorem) siticulosi sunt, & à medicis priuantur potu, aut ipsi per sese abstinēt, videntur posse bibere multum, id est multum bibere poterunt si quis offerat (nisi fortè sint *βραχυσπύρτοι*, qui cum delirio fiunt) adeo vt videantur sibi, neque congio satis recreandi. Illis ergo frigidæ potu vomitum mouere vtile fit. Nam cum tā multum sibi bibere posse videantur, auidismè capient quātum volēs, bibentque vsque ad vomitionem, plus scilicet quam ventriculus possit continere, vnde fiet vt vomant (nam valde sitienti, si frigidæ modicum des, non vomet) bilis verò aderit præsto, vt vomatur. Nam fortis ille æstus ac, sitis, significabat redūdantiam bilis circa viscera. Cieri ergo poterit biliosus vomitus frigidæ potu ita affectis, eritque vtilissimus,

utilissimus, quia pariter eodem auxilio materia euacuabitur, & intemperies extinguetur. Ad sententiam hanc explicandam hæc erant satis, verum ipsius rei gratia, & ne quem verba Hippocratis decipiant, opus sit explicare, que sit opportunitas frigidam exhibendi. Nam ut est auxiliium optimum & iucundissimum, ita etiam & periculosissimum, & maxime positum in occasione. Non enim utcumque febris urat & ægrotus sitiatur, ac multum sibi posse bibere videatur, offerenda est frigida. Multis enim hæc habentibus oblata, primum quidem iuuare visa est ob intemperiem quam extinxit, deinde vero, ut denuo excitaretur alia febris, & maior & contumacior priori, causa fuit, quod cum adhuc materia morbi esset cruda, oblata, eius & concoctionem & discussionem prohibuerit: aliis etiam incurabilibus passionibus, & pro inflammationibus breui resoluendis, indissolubiles tumores manere fecit. Alios vna aliqua parte læsos, reliquam vitæ fecit misere transigere: quosdam etiam vita repente priuauit naturali simul cum igneo calore extincto. Neque igitur phlegmonem quempiam internam habentibus, neque nisi cocta materia, neque nisi robustis, & secundum partes omnes internas, præcipue nobiles abundantibus naturali calore, offerenda est. Ego proinde cum febricitantes ad copiosum frigide potum cogo: sed cum adhuc materia, aut phlegmone vitæ obsidente, addere iubeo, quantum citra periculum tabescentiæ potest: materia vero coquenda, aut phlegmone inclinante, eius potus quo per morbum vitur, plus sensim indulgeo, si frigidam pro decocto (si decocto forte vitur) eflagitat, aut ut stillatitias aquas, aut serapia valde diluta, affatim offerre. Sunt enim horum quædam à quibus attemperacionem expectare possis, & incommoda frigida aqua non timere. Nihilominus non nego quod Hippo. Galenusque dicunt utilissimum esse: sed cautè admodum fieri suadeo.

134 **Q**uod nerui ipsi in seipsos trahunt, signum est. Si autem ipsi nerui in superna manus parte fuerint percisi, deorsum nutabit manus, à neruis qui infra sunt, & contra: si verò contra, aliter.

SVPERNAM

SUPERNAM manus partem vocat hic haud dubie,
 quam nos diceremus externam: infernam verò quam in-
 ternam, eam scilicet versus quam flectitur. Nam si secun-
 dum longitudinem brachij intelligat supernâ & infernam
 manus partem, falsum sit manum deorsum nutare quòd
 nerui in superna parte sint præcisi, aut contra: non enim
 ita oppositi sunt nerui motorij: sed secundum motuum na-
 turalium differentiam, interni externis, & dextri sinistris.
 Et manus, seu eleuatio, seu exporrectio aliquibus horum
 fit. Itaque dicit neruos motus in seiplos trahere, partes sci-
 licet quas mouent. Sed quo pacto? Certè contrahentes ipsi
 sese in se ipsos. Ita enim fit, vt eorum contractiones partes
 quibus inserti sunt, sequantur. Hoc quod hac dictiuncula
 Hippoc. insinuat, est argumentum totius operis, quod de
 motu musculorum scripsit Gal. verum Galen. exactius rem-
 tractauit, proprium voluntarij motus instrumētum distin-
 ctius indicans. Nam re vera instrumenta eius motus non
 sunt nerui: sed musculi, verum mouendi facultatem acci-
 piunt à cerebro per neruos. Hi verò partim subeunt in mu-
 sculos coalescentes cum ligamentis, factique tendones,
 rursum emergunt ex musculis per eorum caudas: partim
 impermissi prætereunt. Hi facultatem præstant, non tamen
 etiam alligant musculos ossibus, & distenduntur contra-
 hunturq; cum illis, atq; tētionem eis præbent: illi verò, præ-
 terquã quod & facultatem aliquã deferunt, qua nerui sunt
 participes, per sese etiam firmant, & alligant musculos os-
 sibus, & ijs qui citra, & ijs qui vltra articulos sunt. Vtrius
 ergo nerui, siue inquam ij qui tantum sunt nerui, faculta-
 tem vero mouendi deferunt, siue qui vocantur tendones,
 præscindatur, atque siue ante capita, siue post caudas mu-
 sculorum, necesse est musculos ipsos motu priuari, & mē-
 brum in contrariam partem cadere. Quia deerit musculo
 virtus, aut partium similitudo, & continuatio. Verum si &
 hæc, & alia omnia necessaria, rectè habent, mouentur par-
 tes hæc & illac, multis musculis vicissitudine operantibus,
 singulis verò habentibus vnicum motum, contractionis
 scilicet in sese. Siue versus suam radicem, siue versus suum
 ventrem dixeris, nihil refert (quamquam voluit contra-
 dicendi Galeno ansam inde Vesalius accipere) nam si illi
 sese in suos ventres cōtrahunt, necesse est mēbra quæ ab eis

R r mouentur

mouentur versus eorum radices eueri, ac cum eis ipsos musculos. Laborare ergo an in suos ventres se contrahant, an versus suas radices, inane est. Nam vtrumque euenit. Aequi à contractione versus suos ventres rem incipere Gale. optimè intellexit, qui masculorum motus explicans sexto meth. dicit, necesse est vbi figura mutatur, alios musculorum tendi, ac veluti contractos rotundari. Constat enim musculos non aliter rotundari posse, quàm in ventres suos contractos. Res ergo ita habet. Musculi ipsi in se ipsos trahunt. Hippoc. vero dicit neruos, intelligens tēdones, quia hi musculorum ipsorum partes sunt. Constant enim musculi propria carne, & tendonum fibris, quæ in eam infunduntur.

135 **T**ussium siccum qui testes habent affectos, & ex tussibus in testem soluuntur secta vena, & phlegmone laborantes tussium, qui in febribus in bubonibus super tussium.

Nihil ferè noui continet sententiola hæc Nam lib. 2. parte prima dixit, tusses diurnæ, vbi testis intumuit, cessant, & testis tumor à tussi cessat. Et paulò post dixit, testis à tussi, & testis ipse à se ipso. Rursum parte quinta eiusdem libri, dixit, quibus tussis sicca est, his non soluitur nisi dolor fortis ad coxas, aut ad crura, aut ad testem irruat. Hoc idem dicit modo: nimirum tusses siccas fieri à testiculorū tumoribus, & à ficcis tussibus tumores testiculorum, ob communionem scilicet vitaliū cum genitalibus, vt primo loco ex citatis dixit. Certè quod sicca tusses ita finiuntur potiusquam humidæ, causa est quia hæc soluuntur per se excreatione. Sed cur ex tumoribus testium fient sicca tantum tusses? Certè & humidæ fieri poterunt, verum illæ etiā incipient à ficcis. Non enim excreantur antequam coquiditatis, & sicca tussis. Sed quod hoc loco addit, secta vena, est consideratione dignum. Videtur enim dicere tusses finire in tumorem testium non sponte: sed cum secatur vena, locis vero citatis nulla sectionis venæ mentio facta est. Ferri sanè potest vt citra venæ seissionem hunc abscessum cura

tura moliatur, sæpe tamen etiam fiet, ut quem multitudine circa partem affectam obruta, non poterat facere, de onerata scissione venæ faciat. Non solum autem cum testibus ipsis dicit habere hanc communionem partes spirituales, sed & cum partibus omnibus genitalibus, & qui, illas circumstant, adenibus. Quæ propter & ob phlegmonas inguinum dicit corripit tussis quosdam, quibus febricitantibus ex bubonibus tussis superueniunt, ob dictam scilicet communionem.

Liber quintus.

PROOEMIUM.



TAMETSI Gal. 3. de difficultate respirationis, & in initio primi commentarij libelli de humoribus, dicit, quintum & septimum libros Epidemion indignos esse Hippoc. auctore, adeo ut neque Thesalo, aut Polybo, aut alicui è probatissimis Hippo. discipulis, adscribendos putet, ac proinde sine commentarijs eos reliquerit, mihi tamen non ita placet facere: sed integritatis gratia, totum opus hoc, quod septem libris constat, commentarijs proseguere, neque curare cuiusquam censuram: sed res singulas perpendere, & ex quibus aliquid fructus capi poterit, animaduertere, quæ prorsus erunt inutiles, aut indignæ, monere, & hoc ipsum indicare. Interim lectores, si quæ in libro hoc continentur, nolent ut Hippo. accipere, tamen quæ dicentur

Rr 2 in

in commentarijs, accipient vt mea. Hoc etiam consilio, & quartum sum commentatus, quamquã & de eo libro dubitauerunt veteres, an Hipp. esset, tamẽ scio non pauca scitu dignissima, eius cõmentarium continuisse. Itaque & hunc quintum percurramus. Habet enim illud peculiare, quod in alijs multi desiderant, historias ferè omnes, modos quibus curati ægroti sunt, vt hac ratione fieri possit, vt vtilior quam alij omnes, euadat hic liber, quia practicæ medicinæ habet multò plus.

IN *Helide Olitoris vxor. Febris corripuit ipsam continua, & pharmaca bibens nihil iuuabatur. In ventre autem infra vmbilicum erat durum, & sublimius altero. Et dolores exhibebat fortes. Hoc digitis cum oleo fortiter tractatum, & compressum est. Et post hoc sanguis frequens deorsum processit, & superfuit sana, & viuebat.*

RARÒ solet Hipp. dicere quæ erga ægrotum acta sunt, sed ea solum quæ patiebatur, nunc verò quæ patiebatur, & quæ acta sunt, & quæ inde euenerunt: non certè ea dicès vt imitanda, quasi rectè acta sint: sed vt rectum quiddam ab errore. Nam temeraria prorsus curatio erat, inflammationem in ventrem pharmacis expurgantibus (hæc enim vocat pharmaca) laceffere, moxque bis nihil iuuantibus, partem inflammatam fortiter atrectare, ac velut subiciendo, oleo tentare emollire. Nam laborasse hanc mulierem inflammatione in hypogastrio, constat, siquidem habebat ea in parte tumorem satis magnum pro reliquo ventre, & dolores fortes, cum febre continua. Non expedit autem cum hypochondria, aut venter inflammatus est, pharmacis expurgantibus vti, saltem non ante inclinationem, neque tunc quidem nisi leuibus, quia alioqui excrementa conuocantur.

cantur ad affectam partem, & per ventrem laborantem adstricta passione (talis enim est inflammatio) malè demittuntur. Meritò ergo factum est, vt pharmaca bibens iuuaretur nihil: sed neque digitis fortiter comprimendo subigere iubet ars, sed blandius fouere, ne irritatione crescat inflammatio. Verùm huic ex temeraria hac curatione vtile quiddam euenit, vt solueretur inflammatio iudicatione, per fluxum sanguinis frequentem ex aluo. Suspicio inflammationem hanc pertinuisse præcipuè ad venas mesenterij, quæ ea in parte sunt, nam quia naturaliter plenæ sunt sanguine crudiori, quem ipsemet gignunt ex chylo, quem ex aluo deducunt in hepar, & aliquando etiam ex eodem hepate recipiunt sanguinem confectiorem qui in eo redundat, fit vt cum copiosus in eas sanguis influit, inflammatio in tunicis & earum osculis oriatur, & sibi ipsi exitum obturans illas plurimum distendat, & vt inflammatio sanguinem cohibeat, & is cohibitus inflammationem foueat. Quamuis ergo durior illa palpatio inflammationem ipsam nihil leniret, potuit tamen vix vi sanguinem exprimere, a quo deonerari cœptæ venæ, potuerint reliquum sanguinem eijcere, illis laxatis faciliè discutitur inflammatio. Oleum verò quo intincti digiti compressionem faciebant, ad discussionem valere posset. Sed si hæc ratio curationis non est imitanda, quid huic mulieri agendum fuisset? Certè mittendus sanguis ex mal-leolis, & laxantia blandè admouenda: expurgandum verò non ante mali remissionem.

IN Helide Timocrates plurimum, bibit, insaniens autem ab atra bile bibit pharmacum. Hic purgatus est. Purgatio multam pituitam & bilem nigram egerebat per diem, & ad vesperam cessauit à purgatione, & dolore doluit in purgatione multò, & cum polentam bibisset, somnus ipsum corripuit, & tenuit per noctem, donec sol oriretur. In somno autem non videbatur ijs qui aderant respirare quicquam: sed mortuus esse, & neque sentiebat quicquam, neque verbum, neque opus vllum, ex-

tentum autem fuit corpus & rigidum, verum vivebat,
& excitatus est.

Hic Timocrates à largo vini potu (non enim profecto aquæ) infania correptus est, ob quam purgatus, cum in media purgatione cibum accepisset, & ad somnum se conuertisset, pro somno apoplexiâ illi facta est, à qua, forti alioqui, liberatus est, ob expurgatam (arbitror) magnâ copiam partem. Sed hoc esse quod præscripta verba continent, & singulorum causas explicemus. In Helide (inquit) Timocrates plurimum bibit. Si hinc hydrops, aut passio aliqua huic similis, esset facta, suspicaremur aquæ bibisse multum, at verò quia exustis succis fecit maniam, constat eum potum fuisse vini, & eius meracioris. Vixisse verò potius succos, genuisseque multum atræ bilis, non obscure insinuat, siquidem narrata causa procatartica ægrotandi, subiungit, insaniens ab atra bile. Sed quid fecit? bibit (inquit) pharmacum, nempe melancholagogum. Hic (inquit) purgatus est. Hoc videtur dixisse ob vxorem Olitoris, de qua dixerat, pharmaca bibens nihil iuuabatur. Quasi nunc diceret, hic purgatus est, non vt vxor Olitoris, quæ cum acciperet pharmaca, non expurgabatur. Itaque & si proxima historia non explicuit cur non iuuaretur mulier illa, nunc licet tibi intelligere, quod non expurgaretur, et si pharmaca biberet. Sed quo pacto fit hic expurgatus audiamus. Per diem (accepit pharmacum diluculo vt fieri cõsuevit) egerat multam pituitam, & bilem nigram. Bene sanè, nam hæc erant qualia euacuari oportebat, nam in melancholicis duplicem hunc succum euacuare maximè optamus, nigrum quidem vt propriam morbi materiam, crudum verò vt per debilitatem naturalis caloris congestum. Sed quid mali habuit? Non est perfecta purgatio, quia cum egerat (quod imperfectam actionem significat) repente ad vesperam cessauit à purgatione. Sed neque per ipsam expurgationem, conferentiam præ se ferebat res. Non enim facile fiebat & citra cruciatus, sed dolore doluit in purgatione multo, qui certè dolor malignitatem humorum, & copiam maiorem quam pro magnitudine euacuationis, indicauit. Cum ergo videretur iam cessare purgatio, et tamen esse imperfecta, polentam bibit, & ad somnum se conuertit.

conuertit. Facta verò est pro somno apoplexia fortis, quæ durauit per totam noctem & orto iam sole, est soluta. Nam non videbatur ijs qui aderant respirare: sed mortuus esse, neque sentiebat quicquam quod diceretur aut fieret: sed extentum erat corpus, & rigidum. Necessè est fuisse hanc passionem apoplecticam: quæ autem fuerit, non est dictu facile. Nam carus non sustulisset respirationem, catocho laborantes solent videre & audire quæ fiunt & dicuntur, & apertis esse oculis: apoplectici non solent habere corpora rigida: sed demissa, & resoluta: accedit quòd apoplexia fortis videtur non posse solui, cathocus vero solui potest. Quòd ergo habuit corpus rigidum, & excitatus est, me aduenit: ut catochum dicam: quòd vero neque videbat neque audiebat quicquam, ut apoplexiam. Proinde apoplecticam passionem, ex apoplexia & catocho mixtam (miscetur enim sæpe) fuisse suspicor. Facta quidem fuerit hæc passio excrementis sese colligentibus in caput, ob debilitatem quam ei attulerit vinum. Quòd vero ex nocte post tam copiosam crassorum euacuationem, venerit, admirationem parit, & me quidem suspicari res cogit, clam medico, eum ea nocte post polentam rursùm bibisse vinum. Nam ille erat eius cupidus, ex cuiusque verò moribus sæpe iubent Hipp. & Gal. morborum causas suspicari. Et euentus hanc suspicionem auget. Nam repente obmutuit, & vox redijt cum crapulæ solui solent. Atqui si hoc factum est, tollitur admiratio. Nam apoplexia ex vino quantumuis fortis, crebro soluitur, cum ipsa scilicet crapula: tametsi hæc quoque non rarò interimit, præcipuè senes, & eos qui diutina ebriitate cerebrum excrementis impleuerunt, sin autem non bibit ea nocte vinum, certe quia imperfecta fuerit euacuatio, quæ commota non exierint, fuerint in caput rapta: sed ob bonam copix partem succorum effusam, potuerit malum alioqui insuperabile, solui. Interim tamen lubet considerare modum cibi exhibendi, quo in purgationibus veteres utebantur, ob omnes ferè nostri seculi medicos, quibus persuadere non possum, ne purgatione in media contra Hipp. præceptum & rationem, cibos debet, sed potius abstinere faciant, donec euacuatio conquiescat: nisi forte ægrotus is sit qui sustinere non possit, vel in re ipsa, quæ, in sperata debilitas, intercurrat. Per diem (inquit) maltum

egerebat, ad vesperam cessauit à purgatione, & cum polentam bibisset somnus illum corripuit. Itaque non antequam cessaret à purgatione cibum accepit, neque tunc nisi polentam. Quod certè Hippocraticum esse, ex ijs quæ de ratione victus in acutis scripsit, constat. Non est autem cur tam timidi hoc seculo omnes medici sint, ut nullum ægrotum putent posse sine cibo solido totum diem transigere, cum multi me, id, in omnibus fere quibus expurgans medicamentum do, videant facere. Concedo certè ad meridiem potionem iusculi, ac quibusdam etiam prima, ne id quidem facturus, nisi ob inueteratam iam Hispanorù consuetudinem prandendi lautius, quam cœnent, contra ac antiqui: dari ergo aliquid cibi leuissimi ad meridiem etiam non perfectà purgatione consuetudini hominum, non est præter artem, siquidem maxima est indicatio consuëtitudinis: dari vero cibos crassos in purgatione media, nulla alia re minus noxium est.

3 *Scomphus in Oeniadis pleuritide correptus, mortuus est septima delirus. Pharmacum autem bibit deorsum purgans, die autem priori mentis erat compos, & purgatus est non multum, purgatus autem delirauit.*

NEQUE mortuum esse, neque septima die id esse factum ex pleuritide, mirum est, quando quidem morbus est è lethali genere, & semper acutus, non rarò autem etià, præcipuè cum error aliquis in curatione committitur, acutissimus. Sed reliqua perpendamus. Ex pleuritide non admodum solent homines delirare, neque certè cum pleura habet cerebrum magnam consensionem: sed plerique ex pleuritide obeuntes, ad extremum vsque sapiunt, qui inquam ex sola pleuritide. Nam ij quibus septim transuersum inflammatum est, semper delirant, & per pneumonicis crebro superuenit delirium, pleuritis verò sæpe parit perineumoniam, ac nonnunquam etiam septi inflammationem, ea quæ in membrana lateris est serpente in partes proximas. Huic fortasse horum quippiam factum est, sin minus succi malignitas, & debilitas cerebri fuerint in causa, vt per consensum in pleuritide deliraretur. Dicit purgatum

nem esse hunc pharmaco deorsum deijciente, & cum an-
 tea non deliraret, purgatum delirasse. Non dicit purga-
 tionem attulisse delirium, verum narrat quod actum est,
 ut tu coniectes an attulerit. Videtur suspicionem hanc au-
 gere, quod purgatus est non multum. Nam a pharmacis
 non omnino leuibus, cum expurgatio non procedit, meri-
 to timetur, ne commota excrementa & non exeunria, in
 partem aliquam nobilem ferantur, vbi deteriorem aliquã
 passionem faciant. Certè in pleuritide non est multi vsus
 expurgatio: nam vel in ijs quæ pertinet ad inferiores co-
 stas, & ad hypochondrium finiuntur, in quibus Hippoc.
 secundo de ratione victus in acutis iubet pharmaco vti, vi-
 detur Galen. id esse periculis multis plenum ac proinde,
 quoad fieri possit, agendum sola sanguinis missione. Non
 tamen proinde nunquam est expurgandum. Nam in incli-
 natione, remittente iam inflammatione, cum corpus to-
 tum malo aliquo succo abundat, magnum expurgationis
 thoracis compendium, affert expurgatio totius corporis.
 Sed & antequam fluxio in parte firmata sit aliquando (etsi
 rarius) ob dictas inflammationes, vtile est, reuulsoria vti
 expurgatione. Id quod ne temere facias: sed cum febris
 non sit omnino magna, & missus sit sanguis satis, & succi à
 sanguinis natura degenerent, & nihilominus facultas for-
 tis in ad ferendam alui fluxionem, & ad inflammationis
 tempus legitimum transigendum, & natura propria homi-
 nis non repugnet, sed is sit qui facile expurgetur. Tantæ
 difficultatis est, pleuriticum nondum inclinante morbo
 expurgare. Læduntur enim mille modis, aut aucta febre &
 inflammatione, ab ipsis medicamentis, aut debilitata vir-
 tute, & morbo nihil minuto, quod non euacuatur quod
 oportet, neque vnde oportet, aut quod commoueantur
 multa, euacuentur vero pauciora, velut huic euenisse est
 probabile: qui, quantum suspicor, nisi accepisset pharma-
 cum, aut non obiisset, aut non tam cito, sed vndecima, aut
 quatuordecima, tuncque fortasse sine delirio aut delirium
 multo posterius accidisset.

Henici in Oeniadis, & Andrea fratribus, altera gena
 intumuit & labrū quod ante genā & oculū, & neque
 interina

nota

interius spectanti quicquam apparebat, neque forinsecus suppurabat, sed tumens putrescebat arida putredine, & mortuus est. Et alter eadem perpeffus. Mortuus est autem hic septima die, & bibit pharmacum, & nihil profuit. Phænici verò circulus Putridus exfectus, & vlcus purgatum est magna ex parte, antequam moreretur. Mortuus autem est etiam hic plus temporis viuens.

PUTREDINEM aridam appellat partis cuiuspiam putrescentiam citra resolutionem in succum vllam, vt putrescentia humida sit suppuratio, per quam, & partes molles, & succi quo repletæ tument, mutantur in eum succum, quem pus vocamus. Itaque arida putrescentia est, vt cum vlceris labia foetent ac liuent, & pars quæcumque gangræna corripitur, aut vlcere esthyomeno, seu corrosiuo. Et ergo hi duo fratres inflammatione secundum alteram genam correpti sunt, & secundum labium superius eiusdem lateris (hoc enim significat dicens, labium quod ante genam & oculum) nimirum superius quod sub eadem genâ & neque intro spectabat tumor, neque exterius suppurabat, sed in gangrænam abibat vtrique. Sed quod in hac historia est notatu dignissimum, eodem modo affecti, non eodem modo curati, non sunt mortui totidem diebus, sed & si ambo mortui, qui purgatus est non vltra septimum diem vixit: cui circulo exfecta est pars emortua, & vlcus maxima ex parte expurgatum, diutius durauit. Vt hinc intelligas si superabile fuisset hoc malum, hunc potius seruandum fuisse, quàm illum. Quod quidem nos monet non obscure, in malignis inflammationibus, & gangrænis, non esse expectandum seruum auxilium, ex solis remedijs vniuersalibus vocatis (tamen hæc debent topica antecessorie) sed citissimè veniendum esse ad sectionem, vstionem & siccationem maximam. Quinetiam considerandum an materia venenosa sit, tuncque a pharmacis, quæ corrosius trahere possunt, abstinendum, nisi toto in corpore purissimum redundet, & missione sanguinis quâ ita affecti possint tolerare, vtendum, & diaphoreticis, idest per halitus discutientibus, quæ simul sint alexipharmaca, vtendū, modo que

que in ipsa parte ferreo, igne, & siccissimis medicamentis, conandum putrescentiam extirpare. Nam hac ratione in pestilentibus constitutionibus seruantur plurimi.

Euridamus in Oeniadis in perineumoniâ decima die cepit delirare, curatus autem redijt ad mentem, & sputa fiebant puriora, & morbus ad melius procedens, & somno multo perfusus est. Et oculi icterici fiebant, & mortuus est ad viginti dies.

OMNES morbi acuti alijs acutis superuenientes lethales sunt, quia exhaustis iam à magno malo viribus, alius etiam magnus superueniens, non potest tolerari. Hanc ob causam in aphorismis rectè dicitur, A pleuritide perineumonia malum, & à perineumonia phrenitis malum. Vocare verò cõsuevit Hipp. phrenitidem, morbum omnem cui delirium perpetuum coniunctum est, ut phrenitis sit, & quod cum comate est perpetuum delirium. Crebrius succedit perineumoniæ lethargus quam phrenitis, quia pituitosum malum est, crebrius quam biliosum. Proinde phrenitis superueniens significat deteriorem perineumoniam, quia biliosam. Verum vtrunque superuenit cum periculo, dictam ob causam. Huic Euridamo vtrunque superuenit, phrenitis decima die, deinde cum hæc auxilijs idoneis sisteretur, & pulmo videretur melius habere (nimirum ob aliò fientem succi permutationem) & sputa fierent puriora (hoc est neque cruenta, neque biliosa, neque spumosa, sed concoctis similia) postremo factus est lethargicus (decimasepta fortasse die, quia per pares moueri cõperat) & oculi icterici fiebant (bile arbitror abscedente ab interno cerebro, quod pituita occupauit) & mortuus est ad viginti dies, iuxta legitimam sanè constitutionem, quia decima cõcepit malum per lethalia procedere.

In Oeniadis vir morbo tenebatur, cum sine cibo esset, fortiter sugebat in ipsius ventre & dolebat, & cum comedisset, & cibi contriti essent, & tempus superueniret post esum cibi, non valde postea, hoc idem patiebatur, & tabescebat

tabescebat corpus, & consumebatur, & non accedebat ei alimentum à cibus cum comedisset, & subducebatur cibus prauus & combustus. Cum verò recens cibatus esset, hoc ipso tempore minimè sugebat, neque dolor tenebat ipsum. Hic pharmaca bibens omnigena, & sursum & deorsum, nihil iuuabatur. Secta autè vena in vtraq; manu, vsq; ad exanguis redderetur, deinde iuuatus, et à malo liberat⁹ est.

— **A**VDACTER sane tentata est copiosa missio sanguinis tabescente, & alimentum ex cibus non capiente homine, & foelicissimè successit. Quotus enim quisque medicus abstinuisset ab omni sectione venæ, ob virium imbecillitatem quæ adesse videbatur, & ob penuriam alimenti, & reliqua symptomata? Neque tamen temere, factum id hinc ægroto est, sed prudenter. Nam fortis suctus in ventriculo, & dolor, nisi cum recenti cibo madet, fieri potest, vel ob melancholici succi circa hypochondria redundantiam, vel ob maximam toto corpore fientem dissipationem. Melancholicus enim succus corrugans os ventriculi, suctus speciem facit, nisi dum recens cibus temperat eius accretio dissipatio verò maxima facit, vt partes fortiter semper ligant à ventriculo, qui suctus tunc temporis sentitur, & dolorem facit, cum non est in eo quod sugatur. Tunc enim præsius fugitur & pars magis vellicatur, vt certè in vacuam vberem. Melanchimia non faceret tantam facum erosionem, & duritiem, neque tam citam ciborum concupiscentiam, nisi esset atra bilis admodum exusta, qualis etiam in pyloro solet esse. Sed neque si talis esset, faceret vt corpus totum tabesceret, & partes alimentum non sentirent, nisi aut illi deessent cibi quos caperet, aut atra bilis toto corpore redundaret, atque ita totum corpus siccaret, dissiparetque. Accedit, quòd si à melancholia hypochondria nasceretur malum, necesse erat pharmacis hunc succum extrahentibus iuuari. Tales enim melancholici nulla extraherent magis præsentaneum auxilium sentire, quàm expurgatione. Cum igitur hæc haberet omnia, & nihil pharmaca iuuaretur, necesse erat fieri ob maximam dissipationem alimentum toto corpore, ob calidam & siccam intemperiem, quæ atram humorem esset in ipsis carnibus: aut quòd calidissimo in

guine vterentur. Qua in affectione, expurgantia medicamenta, tam longè abest ut iuuarent, ut etiã morbum auerent, etiã si atrabiliaris sanguis nutrirer totum corpus, & melancholagoga præberentur. Quia ut Hippocrates libro de expurgantibus medicamentis scripsit, Cum carnes calidæ sunt distrahunt ipsum medicamentum, quanto magis necesse erat distrahi in hoc homine, in quo continenter à vetriculo fugebatur. Cum ergo expurgantia medicamenta calida & sicca sint, intemperie auerent, ac proinde omnia symptomata. Vnde ergo potius expectari auxiliũ poterat, quam à refrigerando corpore? Ut extincto calore cessaret dissipatio, & hac cessante, suctus? Ad refrigerandum autem corpus nullum maius remedium excogitatum antiquis est, quam missio sanguinis usque; dum linquatur animo, aut exanguis corpus fiat. Proximũ huic est potus aquæ frigidissimæ, & balneum subfrigidum. Nihil ergo citius poterat huic homini malum tollere, quam eo usque; sanguinem mittere. Verum qui curationem aliquanto tardiores, sed aliquanto tutiores, optaret, mitteret sanguinem aliquanto parcius, & cibaret crassis & lētis cibis, & vteretur potu gelido, & balneo subfrigido.

E Polemus in Oeniadis dolebat coxam dextram, & inguen, & proximũ congressum ad coxam ab inguine, & coxæ anteriore partem. Huic sanguis detractus est à talo, valde multus, & niger, et crassus, & pharmacum bibit elaterium, & purgatus est multum, & melius quidem habuit. Dolores autem non deficiebant, sed suppurata habebat & coxam, & coxarum ad sedem commissuram; & quod circa inguen, que dolebat etiã plus. Pus autem fiebat versus os magis quam circa carnem, in profundo, & cõtemnebat, per tempus ita habes, donec valde debilis fiebat, deinde iniuste sunt puscula valde multa, & magna facta sunt, & proxima inuicem, & pus fluebat multum & crassum, & mortuus est paucis diebus post hæc, & à magnitudine vlcera & multitudine, & debilitate corporis. Hic sanè videtur si sectus fuisset vnã sectionem facile fluentem, & per sectionem exisset pus, ac si expediret alteram etiam sectionem sectus esset facile fluens.

*è fluentem, hæc patiens opportunè, videtur sanè futurus
fuisse sanus.*

COXA dicitur, & articulus ille omnium maximus quo os femoris coarticulatur, & os illud magnum cum quo coarticulatur. Quod os dicitur, aut coxa, aut os coxæ est magnum, varias prominentias habens, & perforationes. Quod quidem cum osse sacro coniungitur per symphysim. Huius suprema pars quæ à lateribus tendit in partem anteriorem, & est superior pudendis, ea in regione quæ dicitur ile, vocatur os ilium, pars media & quæ habet magnam excavationem, qua recipit os femoris caput, dicitur coxa, aut coxæ os peculiariter: quod quidem à regione pudendorum est, & per partem internam & imam habet processum acuminatum, tendentem sub pudendis, quasi utrinque venientes productiones sint in interfœmineo cõgressuræ: propius autem accedunt ad sese in viris quam in fœminis: in neutris verò vniuntur. Ab huius ossis suprema parte producitur in anteriorem corporis partem supra pudenda os quod in medio vnitur cum processu alterius partis, cartilagine, & mox deorsum redit à latere pudendi in imam partem coxæ, & finit ita per forationem facis magnam, quam hoc os habet, vocatur hæc ossis productio, os pubis. Itaque os ilium, & coxæ, & pubis, idem os est, verum prægrande, & quod tribus in partibus, tria nomina accipere potuit. Hoc os coarticulatur cum femore, atque ita in eo voluntur crura: coalescensque cum osse sacro, & dictam magnitudinem, figuram, & positum habens, simul cum osse coccyxis munit, & commodum locum parat pudendis, & podici. Nam pudenda erumpunt inter os pubis, & internos illos processus coxæ, & podex inter hos processus & os coccyxis. Sæpe tentatur dolore, & articulus ille magnus, & ipsum coxæ os, & illi hærentes carnes: articulus quidem, quia maximus profundissimusque est, & asperitatem etiam quandam habet, & interius quasi in centro ligamentum quoddam, quod fluxionem, quam ob magnitudinem articulus recipit, imbibit. Os verò ipsum (ut ossa deponere possunt) & caro, ac reliquæ partes quæ illi hærent, quæ posita sunt in ipso fordium confluxu. Nam per id os, &

vrinz

urinae & faecum, viæ decurrunt, & genitales: & illi proximi
 sunt venæ hæmorrhoides, præter venas & arterias satis ma-
 gnas, quæ in crura deferuntur. Has ob causas solet hæc pars
 recipere multas variasque fluxiones, & ab omni fluxionis
 genere cruciari, nunc in articulo, nunc etiam extra, iuxta
 os, aut ad anteriorem partem versus inguem, aut ad imam
 ad interfoemineum, aut ad posticam ad nates: sæpeque flu-
 xio ipsa in pus abit, quod nisi tempestiue educitur, sponte
 erumpens extra, fistulas eo loci facit, aut interius manens
 acerbius cruciat. Suppurationes, cum a cute non absunt
 plurimum, facile deprehenduntur vel ipso chyrurgi tactu,
 cum vero in alto latitant, maiori arte est ad cognoscendū
 opus. Eas quæ in thorace aut magno alio ventre sunt sup-
 purationes, aut parte cordi vicina, necessario febres ante-
 cedunt, exque cum pus conficitur crescunt, fiuntque horri-
 dæ, & cum rumpuntur nouos rigores cient, & iam inde fa-
 ciunt pro dolore pondus, atque adeo fluctuationes in con-
 uersionibus, durantque deinde febricula remissiores, sed
 ex quibus, nisi citò liberentur, tabescunt homines. Verum
 fieri euenit suppurationes quibusdam in locis, in quibus
 non possis hæc expectare. Nam in brachio, aut parte alia
 longe sita a corde, potest fieri in alto latens iuxta ipsum os,
 pus citra febrem: non quidem erit multum, neque ex in-
 flammatione magna, sed exiguum, & ex corrosione parti-
 cularum iuxta os, aut etiam ossis tunicam factum. Sed &
 quibusdam in partibus inter inguina & alas fieri potest vt
 pus lateat, cum neque febris maxima antecesserit, neque
 sensus ponderis, neque fluctuatio subsequuta sit: febris qui-
 dem magna, quod longè etiam sit pars a corde, & non ex
 magna aliqua inflammatione in suppurationem affatim
 abeunte processerit malum, sed ex fluxione aliqua, paula-
 tim putrescente, & corrodeute fluctuatio aut pondus, quod
 non habeat pars ventrem aut vomicam insignem, sed inter
 musculos & periostum, aut hoc & ossa interfluat, velut im-
 bibitum partibus pus. Velut huic, factum est pus in coxa,
 inter os ipsum & periostum, periosto ipso, arbitror, corro-
 so. Quæ ergo signa in talibus expectanda sunt? Certè fe-
 bricula non potest abesse, vbiunque pus notatu dignum
 quod sectione dico aut vltione extrahi possit) inter in-
 guina & alas, non sub cute, sed ad interiora expectans, sit.

Nam

Nam ubique ita fit, aut tenet arterias aliquas magnas, aut illis proximum est pus, per quas fuligines putridas in cor necesse est transmittat. Quo fit ut quibus incautus interna aliqua suppuratio est, lente, ignarique quid patiantur, tabescant, cum quibusdam febriculis, quas neque ansebres vocent, satis certo sciunt vulgares medici. Et hoc quidem commune est omnibus internis suppurationibus, magis vero accidit ijs quæ sunt in ventribus, in quibus eodem dolor tunc cessat cum pus erupit, & pro eo fit solum pondus: in ijs vero quæ iuxta ossa, aut inter ipsa carnesque proximas factæ sunt, febris non adeo apparet, sed quanto puris generatio magis procedit, tanto magis dolores ipsi ingrauescunt, quia tanto magis procedit peritonæ & partium aliarum sentientium corruptio, & exhaustio. Cur ergo os aliquod, aut partes illi hærentes dolor cruciat, & vacuato expurgatoque corpore, & adhibitis idoneis medicamentis, quamquam reliquo corpore videatur habere melius, & secundum ipsam adeo partem iuuatus, ac si quid tumoris carnei aut inflammationis erat sublatum, dolores tamen durant, ac rursus augentur, & corpus debilitatur, quod vel ob dictam causam cum febricula fit, vel etiam sine ea (ut erit pars) ob assiduum dolorem, merito chyrurgus suspicetur corruptionem subesse & pus, parietque auxilia ad eam affectionem necessaria. Et porro, ut ex Hippocrate innumeris in locis accepimus, præcipue libello de internis affectionibus, sunt duo, ustio & sectio. Nam medicamenta sola, raro sunt in his latis. Ustio præterea est duplex, aut enim est penetrans, ut ad ipsum pus, ut simul sit ustio & scisio, velut si cullelo, aut stillo ferreo ignito pungas, aut feces: aut est inustio. Hoc est ustio vulnerans superpositam cutem, & crustam agnens, non penetrans tamen. Priori ustione non magis quam sectione educitur affatim pus, in ustione non ita. Ulcuscula sunt, ut per ea natura demittat, quæ ad internam partem colligebantur, aut etiam quæ collecta erant, paulatim trudat, interna expurgans. Pro sunt etiam in ustione siccando ac firmando partes, cum sunt humidæ & laxæ, & intercludendo viam fluxionibus. Nimirum cicatrice educuntur constringunturque partes. Hinc fit ut cum educitur pus quod in alto est volumus, sectione uti debeamus.

pus malignum sit, & pars putredini oportuna, solo incisio-
rio: sin autem sit, ferro candente, quia ignis cohibet, & ex-
tirpat putrescētiam: inustione verò, tunc solum debeamus
esse contenti, cum fluxio nondum in pus mutata subest, aut
mucroses & laxitates partium, velut ligamentorum in do-
lore coxæ, & alijs articularibus. Nisi forte cum sectionem
non audemus facere, & si alioqui eam petat morbus. Ve-
lut suppuratis intra thoracem, iubet Hippocrates sectio-
nem, dicto libello, penetrantē qua pus effluat, facere (nimi-
rum id consulens quod morbus petit) alij tamen inustio-
nibus in spatijs intercostalibus contenti sunt, qui scilicet
magnitudinem auxiliij, & difficultatē, in debili iam ægroto
reformidant. Huic igitur Eupolemo dolebat coxa, os scili-
cet coxæ, & inguen (inguen dicitur is flexuræ locus, quo
suprema femoris pars adducitur ad pudenda, qua parte
sunt glandulæ copiosæ) quare cū addit & proximum con-
gressum ab inguine ad coxam, illud, &, est declaratiuū. Cō-
gressum enim ab inguine ad coxam vocat illam adductio-
nem, aut locum quo adducitur coxa, quæ est articulata cū
supremo femore ad inguen. Declarans etiam quæ coxæ
pars doleret, addit & coxæ partem anteriorem. Itaque la-
borabat dolore partis anterioris coxæ qua expectat ad in-
guen, & ipsum inguen. Huic sanguis detractus est ex
talo. Certè vnde maximè educi debuit, iuxta legem
restitutionis, quam in mittendo sanguinem, quoad fieri
potest semper seruare oportet. Nam ob partes hypo-
chondrijs humiliores, ex crure eiusdem lateris euacua-
re oportet, velut ob superiores ex brachio. Itaque &
ob nephritin & ob schyadem, & ob inflammatas hæmor-
rhoidas, & bubonum tumores, oportet ex crure affecti la-
teris sanguinem mitti. Exijt verò etiam quantum & qua-
le oportuit. Nam valde multus, & niger & crassus. Mul-
tum enim exigebat magnitudo affectus, nigrum & cras-
sum conditio loci. Nam ad has humiles partes, sem-
per reperit sanguis melancholicus, proinde que post missio-
nem sanguinis, pharmacum etiam desiderant, datumque
huic est pharmacum Elaterium. Itā vocat Hippocra-
tes familiare sibi pharmacum ex succo cucumeris syl-
uestris paratum. Docet modum parandi Dioscorides
libro 4. Commendat illud Mesue insigniter ad ischiadi

eos dolores. Sed & Hippocrates lib. bis iam citato de internis affectionibus. Huic (inquit) qui sic habuerit (loquitur de schiadicis) elaterium bibendum dato. Itaque venæ sectio & expurgatio rectè acta sunt, & purgatus est multum, & melius habuit. Dolores autem non deficiebant, quia non pendebat malum ex sola redundantia succi cuiuspiam circa eam partem, sed suppuratam iam bibebat, & coxam, & coxarum ad sedem commissuram (ἡσχίαν vocant Græci eam partem, quæ in interfoemineo, inter pedenda inquam & podicem fere coniunguntur, in viris præcipuè, duo illi coxarum processus, quos diximus) & quod circa inguen, quæ (inquit) dolebant etiam plus. Sed dices, si dolebant hæ partes etiam plus quam antea, quò pacto dicitur habuisse melius? Nam dolor harum partium erat præcipuum malum, quo homo laborabat? Certè recens misso sanguine & facta expurgatione, necesse fuit laxatis circa partem venis dolores minui, verum cum in parte pus maneret, necesse etiam citò crescere demum succrescente putrescentia, & in maiores etiam abire quam essent prius. Pus verò fiebat non iuxta cutem, sed in profundo versus os magis quam circa carnem. Quod quidem duplicis mali erat causa, & quod dolores essent grauiores, & quod multo magis falleret, nequè cognosceretur affectio. Vt sanè factum est. Nam non intelligens quid mali haberet, per tempus satis multum, contemnebat ita habens, hoc est quamuis ita haberet, non magni faciebat, neque se curandum medicis tradebat, putans se leuiori aliqua de causa dolere, & expectans, ita vt sit, auxilium temporis: donec valde debilis fiebat. Tunc tandem intellexit curatione aliqua maiori esse opus, & iniustæ sunt pustulæ valde multæ, & illæ quidem exeuntibus scharis, vt in combustis fieri solet, factæ sunt magnæ & proximæ inuicem. Quæ in curatione duobus modis peccatum est, & quia sero iam est adhibita, ægroto iam præ debilitate non potente ferre, & quod maior quam pro facultate adeo debili. Nam multæ maiores & propinquiore inuicem factæ sunt, non arbitrator quam morbus peteret, sed quam facultas ferre posset. Non est autem faciendum quantum morbus petat, sed quod & facultas permittat. Ita factum est vt pus fluere multum & crassum, morbo scilicet tantam curationem, pe-

f. lan.

rulante, homo tamen moreretur, magnitudinem & multi-
 tudinem vlcera faculrate præ imbecillitate non sustinen-
 te. Si igitur huic non fuisset adhibita curatio tarda, sed
 opportunè (ante scilicet quàm debilitaretur) factum es-
 set quod expediret, verisimile est seruari potuisse, quando
 quidem coeperat subleuari euacuationibus vniuersalibus,
 & alioqui affectio non est incurabilis. Atque tunc non
 opus fuisset inuentionibus, neque sectionibus tam multis.
 Nam cum pars non admodum coepisset putrescere, neque
 virus malignum, sed pus bonum esset, non oportebat igni
 to instrumento secare, sed incisorio solum. Nam vt in
 quibusdam aphorismis reperitur scriptum. Ignis sanare
 debet quos non potest ferrum, & hoc, quos non potest
 medicamentum. Frustra verò atque adeo malè tentatur au-
 xilium maius, vbi minus potest conferre. Porro cum pars
 nondum esset diuturnitate facta admodum sinuosa, nõ opus
 esset tam multis vlcibus, sed satis esset vna aut altera scil-
 cio, bene fluens. *τομὴν ἔυρον*, id est sectionem facillè fluen-
 tem vocat Hippo. non solum amplam, vt Cornarius intel-
 ligit, sed accommodatissimam ad expurgationem sinus. Ta-
 lis est quæ alta aut ampla est quantum oportet, & decli-
 uis, ita scilicet facta, vt sponte pus effluat, si fieri potest, sin-
 minus, saltem vt minimo negotio extrahatur. Ergo dupli-
 ci ratione expectare posses hunc seruandum fuisse, si tem-
 pestiuè esset curatus, & quia minus auxilium fuisset satis,
 & quia quodcumque facultas tulisset melius. Proinde di-
 cit, videri sibi seruandum hunc fuisse, si tempestiuè passus
 esset, vnam, aut alteram sectionem *ἔυρον*. Vtilissima pro-
 fectò est hæc lectio, sit cuius cumque lubet, qua non tantum
 narratur quid factum sit, sed quid faciendū fuerit, doce-
 tur.

3 **L**icon in Oeniadis cæteris quidem eadem patiebatur,
 dolores autem, & in crus non valde procedebant, &
 non est factus suppuratus, sanus autem multo tempore.
 Pharmaca autem bibebat, & adhibebat cucurbitulas, &
 venæ sectione utebatur, & videbatur melius habere hæc
 patiens.

LICON laborabat etiam ischyade vt Eupolemus, era-
 verò huic magis circumscriptus dolor in coxæ articulo,
 neque carnes proximas adeo occupans, nequè ad crus se
 effundens, vt coxæ dolorem, plerunque soluere Paulus ani-
 maduertit . Proinde non est suppuratus, vt prior, vt po-
 te carnibus non tentatis phlegmone, sed humore occupa-
 te articulum . Erant dolores magni, & ob altitudinem
 articuli, non nisi multo tempore sanus est factus. Diutius
 enim est hic morbus, præcipuè cum pituitosus est, & senio-
 ribus accidit. Tunc enim vt libro. 2. prædictionum dicitur
 non solet finiri ante annum, & veris æstatisquè opem espe-
 rat: sed & cum iunioribus fit estque breuissimus, non an-
 te quadragesimum diem soluitur . Ac plerunque quæ-
 dem non soluitur tunc perfecte, sed mitescunt dolores,
 qui priorum obliuisci non sinunt diutius durant: quin eti-
 per vicissitudines, vt mutationes accidunt, aut aeris, aut
 victus, aliquando exacerbantur, aliquando mitescunt
 & ita etiam curantur . Primis enim quadraginta die-
 bus cum malum vrget, instatur euacuationibus, &
 alijs auxilijs magnis . Deinde leui aliqua, & quam diutius
 possit ferre ægrotus, curatione agitur, aliquandoque ex
 quibusdam interuallis, vt malum exacerbatur, aut corpus
 repletur, aut ob aliam occasionem videtur medico, recu-
 ritur ad maiora auxilia . Sed quæ sunt ea? Venæ sectio in
 crure, & expurgatio, siue per elaterium, siue per quoddam
 aliud efficax, & crassos succos extrahens medicamentum,
 & cucurbitularum super ipsa coxa admotio, siue cum sca-
 rificatione, siue etiam sine ea, & inunctiones . His enim qua-
 tuor auxiliorum generibus præcipuè ad hanc affectionem
 utebatur Hippocra. missione quidem sanguinis, ad vacuan-
 dum, & corpus totum, & proximas venas affectæ parti. Et
 qui vt proximæ venæ vacuentur, rectitudo venæ secanda
 facit, quæ quidem dicta in vena maximè est: expurgatio
 ne autem ad expurgandum totum corpus, ac non nihil
 etiam extrahendum ex affecta parte. Maximè autem extre-
 hent ex ipsissimo articulo in extimam cutem cucurbitula,
 quæ profectò maximi vsus in omni profundo dolore, in
 hoc verò præcipuè, sunt . Nam qua ratione (vt medic-
 mentorum etiam meminerim) vitari iubet Gall. 10. in
 compos. med. sec. loc. cap. 2. in hac affectione repercutiendū
 &

& vti in initijs solis anodinis, deinceps ex alto trahentibus, eadem adducimur, vt cucurbitulis crebrius quam in alia affectione articulari vtamur. Nā quid aliud est cucurbitula, quam potenter extrahens auxilium? Si igitur admotā cucurbitula cutem valde rubram reddiderit, scarificabimus, sin minus, scarificatione dimissa, super carne quam cucurbita traxerit, medicamentum trahens imponemus. Inuisiones quibus libro de internis affectionibus vtitur (mirabiles quosdam vstionis modos reperies apud Aetium ex Archigene. 1. cap. 12. libri) partim hac ipsa ratione profiunt, partim, quod, vt in hystoria proxima dicebatur, siccant mucos, qui sunt in ligamentis articularum & firmāt partes. Quod Hippocr. vltimis sextæ partis aphorismis apertè docet Merito ergo hic missiones sanguinis, expurgatione, & cucurbitulis melius habebat, & his repetitis per sanari potuit. Quandoquidem dicit pharmaca bibebat, adhibebat cucurbitulas, sectione venæ vtebatur; im perfecti præteriti verbis vtens, innuit non semel eum vsum his esse, neque vno aliquo tempore citra intermissionem, sed aliquoties ex interuallis. Quibusdam fortasse non probabitur quod diximus, missionem sanguinis debere fieri ex crure, quia. 6. epid. sect. 5. dicit, in fluxionibus ad coxam venas retro aures secato. Et Gal. loco citato ex. 2. de comp. med. dicit a cubito primum sanguinis detractionem faciendam, ac vomitorijs vtendum, cui subscribunt Paulus & Aetius proprijs capitibus de ischiade. Porrò quidam alij exigunt, vt dicamus, non tantum in crure secandam esse venā sed & quæ vena, quæ in interna, an quæ in externa parte tali. Verum his vtrisque respondet Gale. in com. aphor. 36. particulæ sextæ dicens, Affirmare venas in cubito secandas esse ob ischiadem, neque verum esse neque consentaneum. Hippocr. velle autem ipsas malleoli venas distinguere, esse inane. Videmus siquidem (inquit) ipsum in omnibus libris suis, in partibus quæ supra hepar sunt è manibus sanguinem mittere, in inferioribus verò, venas quæ in poplite vel malleolo sunt secari iubere. Siquis vero de his (hoc est de venis malleoli) ipsum dixisse arbitretur, secare autem interiores; hoc dictum paruum vim habet. Ab vna enim ambæ nascuntur, quæ in poplite trifariam diuiditur. Quoniam & vna vena ad hoc peruenit

membrum, non sicuti ad manum due. Hæc Gale. quibus affirmat in malleolo nihil interesse quas venas feces verum secandas esse in cubito ob ischyadem falsum esse, & minime Hippocraticum. Quod vero Gale. alibi faciendum dicit, quod hic dicit esse falsum, intellige non eodem modo esse utrobique dictum, sed in aphorismo curari firmaciam iam in parte ischyadem alijs locis imminentem & iam partim minantem, quo etiam tempore vomitiones quam deiectionis purgationes meliores sunt, contra quam iam firmato malo. Sed de hac rescriptum mihi satis est in controuersijs capi. de rectitudine. De sectione venarum retro aures & de distinctione venarum in crure iterum suo loco dicetur. 957.

- 9 **A**thenis homo pruritu tenebatur toto corpore, praeque autem testibus & fronte: tenebatur autem admodum vehementer, & cutis crassa erat secundum totum corpus, & velut lepram habens aspectu. Et nulla ex parte potuisset apprehendere cutem præ crassitudine. Hunc nemo iuuare potuit. Transgressus autem ad Melam ubi sunt calidæ balneæ: pruritus quidem sedatus est, & cutis crassitudo. Factus autem hydropicus, mortuus est.

Hic affectus non tam melancholicus erat, quam lepra se solet, sed magis expituita falsa, quia erat admodum vehementer pruriens. Verum constat melancholiam etiam admixtionem habuisse, quando quidem erat aspectu velut lepram habens. Atqui profectò erat lepræ proximum malum & ut ego dixerim, lepra quædam. Erat ex melancholia, & falsa pituita, fiebat pruritus ex falsa & acido, ut si quis lepræ dilaniatæ cuti affricet salem cum aceto. Erat vero dura, ac velut crustosa cutis, congestionem crassorum & siccitium excrementorum. Hic cum medicamentis parum iuuaretur, confugit ad balnea aquæ dulcis & calidæ. Veri simile est autem hunc expertum iam morbi contumaciam, quæ nullis medicamentis cessisset, usum fuisse immoderatissimè balneis, à quibus merito pruritus sedatus est, & cutis crassities, balneo dulcedinem afferente salis & acidis, & relictæ.

nente succos, & emolliente cutem: tam ob immoderatum
 usum factus est hydropicus. Nam vt Galen docet cap. 8. pri
 mi de simpl. med. facult. Balneum calidum refrigerat cor
 pora, quia corpus rarefactum, transpirante immoderatus
 calore natiuo, frigidius efficitur. Admonemur itaq; hac hi
 storia, ne balneis calidis immoderatus vti sinamus, etiam si
 quis ad eas affectiones, quarum gratia ad ea venit, vtilitatē
 videatur inde capere.

Athenis virum cholera corripuit. Vomebatque, &
 deorsum deieciat, & dolebat, & neque vomitus,
 neque deiectio sisti poterat. Et vox deficiebat, & moueri
 ex lecto non poterat, & oculi caliginosi, & caui erant.
 Et conuulsiones tenebant; ab aluo & intestino singultus.
 Deiectio autem multo maior erat, quam vomitus. Hic bi
 bit elleborum in lentium succo, & superbibit lentium aliū
 succum, quantum potuit, & deinde vomuit, & coacta sūt
 & consisterunt ei ambo. Frigidus vero factus est, & laua
 tus est inferne valde multa vsque ad pudenda, vsque dum
 & superna incaluerunt, & vinebat. Postea autem die po
 lentam tenuem bibit ex aqua.

Cholera, *αχολία*, hoc est à bile vt multi volunt, an
αχολία δαυ, hoc est ab intestinis, vt Trallianus, morbus est
 acutissimus pariter & periculosissimus. Plerūq; primo qua
 ternario finitur rarissimè superat septimanam, ac fortasse
 nunquam, si legitimus morbus is sit. Est morbus per quem
 simul euertitur supernus & infernus venter, neque contine
 re se possunt aegroti, quin simul deiciāt & vomant. Con
 stat ergo hoc symptoma pertinere ad retētricem, & expul
 tricem, esseque alterius motum nimium, alterius impoten
 tiam. Hæc fit aut in essentia debilitata facultate retentricem,
 per intemperiem propriam ventris, aut ob malignam qua
 litatem, redundantiamue immodicam alicuius excremen
 ti, plurimum irritata expultrice, aut, (quod plerūq; fit mul
 tarum enim causarum congressum desiderant affecta gran
 diora) his omnibus simul accidentibus, debilitate inquam

retentricis, & magna copia maligni excrementi. Hinc fit ut magnus præceptus; lapsus virium hunc morbum citò sequatur, ac proinde vocis defectus, mouèdi impotentia, caligo & excavatio oculorum, & frigus extremorum. Quia scilicet non robore, sed impotentia facultatis agitur euacuatio, cum tali verò æque funduntur spiritus & excrementa. Accedit loci natura, ventriculi inquam oris, cum quo cor & cerebrum facillimè patiuntur, ac per hanc compassionem, tentantur èt, cum procedit malum, conuulsione: singule vero, quia est ventriculi conuulsius motus. In morbis huiusmodi, quibus euacuationes præter naturam coniectæ sunt frustra, neque sine maiori periculo, tentatur adstrictio, antequam copia excrementi vacuata sit. Cùm ergo euacuationes videntur procedere satis copiose, & neque virtus adhuc labascit plurimùm (ferendæ enim sunt aliquæ debilitatis notæ, propter symptomata) neque cohibendum neque prouocandum est, sed occurrendum solum alijs symptomatis: si autem iam videtur processisse plusquàm pro excrementorum in corpore abundantia, aut plusquàm pro virtute facultatis, subdum mox: si autem irritatio, dolor & anxietas, sit maior quam pro magnitudine euacuationis, & euacuatio minor quam pro multitudine excrementorum expurgandum est, ut copia affatim vacuata vacet symptomati, quod in nimis expulsionem est, occurrere. Quæ regula & in cholera & in dysenteria pariter obseruanda est. Verùm quia symptoma vel à principio vrget, & irritatio nunquam per hunc morbum omnino tollitur, neque cum expurgamus symptoma neglige, neque cum cohibemus, irritantis succi obliuisci, debemus, sed expurgantibus debemus admiscere aliquid adstringens, & adstringentibus aliquid extergens, aut aliquid mordacitatè hebetas, aut alternatè eis uti. Hanc ob causam dedit helleborum in succo lentium, & superbibit lentium alium succum quantum potuit. Ut scilicet, post medicamentum expurgans ebibitum, consulit secundo de ratione victus in acutis, ptissanam protinus dare sorbendam non insigniter minore quam consuetum est quæritate: ita huic superbibendum dedit succum lentium. Intelligendum autem est succum expressum cum iure bis coctarum. Talis enim, ut Dioscoridi & Galeno placet, adstringendi vim habet, & ad choleram & dysenteriam utilis est. Itaque miscuit helleborum cum suc-

succo lentium, vt expurgans adstrictorium faceret: eodem consilio quo hodie in his passionibus dantur myrobalani tostii, aut etiam tostum rhabarbarum, aut aloe, non sanè, vt mihi videtur, præter rationem, sed iuxta hanc quam secutus Hippocrates est. Sed cur dedit helleborum, quo ad supernas purgationes solebat vti, vt ex aphorismo. 4. particulè constat, potius quam deiectorium aliquod? Certè quia deiectio multo maior erat quam vomitus. Cum enim intestina magis affecta essent quam ventriculus, vomitoria expurgatione, & totius corporis euacuatio, & à præcipue affecta reuulsio fiebat. Id enim est quod in ventris affectionibus maxime timemus, non posse expurgari corpus nisi p affectam partè: vitandum ergo est id quam maxime potest atq; si ventris partes non æque laborant, per eam mouendum quæ laborat minus. Multo ergo magis in dysenteria (vt hoc dicatur obiter) vomitorijs vtendum est. Itaque accepit dictum pharmacum & enomuit, & ita (euacuato scilicet succo qui irritabat) coacta sunt, & constiterunt ei ambo. Frigidus verò factus est, debilitato ob effusos spiritus calore naturali, & eo qui supererat intra cor ob dolores & anxietatem recepto, vsque dum his solutis renocaretur, reuocatusque sese in totum corpus effunderet, & a suffocatione, qua coactus constipatusq; periclitabatur, liberaretur. Vltus proinde est aqua calida infernè valde multa, faciens ægrotum in eam descendere vsq; ad pudenda, manereque ibi, vsq; dum calefceret totus. Fieri etiam potest hæc caloris reuocatio linteolis calidis, admotis brachijs & cruribus. Deinde cibus est polenta tenui ex aqua, cibo sane tenui, vt à debili etiam facultate cõmutari posset: & lento & dulci, vt lentore hæreret, retinereturque, & alia retineri faceret & si quid reclusum, aut excoriatum maneret, obturaret & obliniret: dulcedine verò siquid superesset irritans, obtunderet. In hunc vsum nos vtimur amylo ex iure pulli aut gallinæ. Considera hic antiquorum prudentiam circa vitum debilitatorum, qui recens expurgatis, aut aliòquì spòte exhaustis, tenuis cibi exiguum exhibebant, adeo vt hic auctor polentam ex aqua, non nisi tenuem, hoc est constantem pauca farina dare ausus sit. Contra ac vulgares medici faciunt, tribuentes multos bene crassos cibos cum vino. Quasi quod multis diebus ex haustum sit, vna sint repositura

reposituri. Non esset præter rem huic ægroto cataplasmata secundum totum ventrem admouere, citra insignem calorem aut frigus, roborantia, & ventri naturaliter grata. Cuiusmodi sunt quæ parantur ex carne citoniorum, aut palmarum, cum idoneis oleis, aut vino, aut alijs succis, & farinis: aut alijs huiusmodi. Verùm Hippocrati non erat institutum dicere omnia quæ agi possent, sed quæ acta sunt, neque meum sanè omnia addere, sed quæ sunt præcipua. Celsus Aurelianus libro 3. acutorum morborum cap. 21. carpit Hippocratem quod vomitum curauerit vomitu, cum cohibere potius opus esset. Verùm erat Methodicus, & in solam adstrictionem, aut laxitatem, oculos intendens, & eorum quæ ex accidenti fiunt, ignarus. Nos verò vomitum vomitu solui. 6. libro docebit ipsemet Hippoc.

IN larissa vxori Gorgiæ menses suppressi erant per annos quatuor, præter valde paucos, in vtero autem quoquo versus conuerteretur pulsus exhibebant & pondus. Hæc mulier concepit & peperit, & puella viua non mense edita est, vlcus habens in coxa, & secundæ consequentes, & sanguinis fluxus valde multus successerunt, & postridie, & tertia die & quarta etiam grumi sanguinis concreti, & febris eam tenebat vsque ad decem primos dies, & effluxit deinceps illi sanguis ruber, & intumescebat facies fortiter, & tibiæ, & ambo pedes, & alterum femur, & cibos non capiebat, sitim autem habebat fortem, & frigidissima aqua conferebat, vinum autem nullo modo. At venter post primum fætum modicè emollitus est, valde autem non confidit: sed durior erat. Dolor verò nõ aderat. Quadragesima autem die à prima excidit superfætatio, caro, & venter confidit, & omnes tumores, & fluxio tenuis, & sanguis olens, & sana facta est.

HÆC Gorgiæ vxor habebat vterum scirrhosum, quod significabat pondus & pulsatio, quæ sentiebantur, in quamcunque partem mulier conuerteretur. Duratus enim vterus,

rus, velut aliènum pondus, fertur quocunq; conuertitur corpus, & arteriæ quæ comprimuntur, nitentes sese efferre, sentiuntur pulsare. Hic affectus genitus fuerit ob suppressionem menstruorum, & rursum ob hunc affectû non fluxerint. Ita suppressi erant menses per annos quatuor præter valde paucos menses, qui illis quatuor annis fluxerunt. Nihilominus concepit, & superfoetavit. Vnde constat duritiem non occupasse vterum vsque ad os eius, alioquin non posset concipere. Concepit verò foemellâ, & cum iam instaret tempus partus, superfoetavit. Causam superfoetandi dicit Hippocrates, libello de superfoetatione, esse quòd os vteri exactè clausum non sit. Verisimile ergo est affectionem illam diuturnam, etsi omnino prohibere non potuit oris adductionem, prohibuisse tamen exactam, vt concipere quidem potuerit, sed & superfoetauerit. Aut fortasse, non ob affectionem pristinam, sed ob instantem iam partum superfoetatio contigit. Incipit enim natura eo tempore os vteri iam recludere, ac proinde maius periculum superfoetationis est prope partum, quàm superiori prægnatione. Factam autem esse iuxta partum, constat, quia abortus cõtingit quadragesima die à partu, & caro informis edita. Si enim vel viginti dies ante partum esset concepta, plus aliquid, ac melius formatû quàm caro, editum esset. Porrò constat superfoetatione etiam conceptam esse foemellam, masculis enim quadraginta dies sunt satis ad figuram, neq; vnquam videntur esse caro. Non mirum autem impurum matris corpus, concepisse foeminas. Et cum secunda foetura adeo exigua esset, non potuit expellere priorem, ipsa verò corrupta est, prioris partu, intra quadraginta dies. Et partus quidem, coepit, abortus autem succedens, perfecit iudicationem morbi veteris, ita scilicet vt solet. Cum enim per partum tam copiosa euacuatio fiat, euenit multos muliebrium morborum partu iudicari. Itaque inquit, mulier concepit & peperit, hoc est concipere potuit, & ad perfectionem foetum perducere, & puella viua nouo mense edita est, non tamen sana, sed vlcus habens in coxa, ob prauum (arbitror) alimentum quo in vtero utebatur, factum. Et secundæ consequutæ sunt exeuntem foetû (vt oportuit) & sanguinis fluxus valde multus (statim scilicet in ipso loco, in quo selqui cotylam oportere euacuari, Hippocrates dicit)

dicit) sed & postridie etiam & tertia die & quarta exierunt grumi sanguinis concreti. Non tamen sine febre transegit (vt quædam solent) neque quarta die eam reliquit (vt plerasque earum quæ rite purgantur solet) sed febris eam tenebat fortis vsque ad decem primos dies. Scilicet euacuatio primi quaternarij cessauit, ac proinde producta febris est vsque ad decem dies, quibus exire cœpit sanguis ruber. Non enim oportet cessare. Ita enim dicit Hippocrates 1. de morbis muliebribus. Si verò purgatio puerperij primis tribus aut quatuor diebus processerit, verum postea repente euanescit, easdem affectiones patitur quas prior. Itaque post decem dies cessauit febris fluente sanguine rubro, cœpit verò, motus magnitudine fortè diuulsa, putrescere secunda foetura, & proinde mulier habere ea quæ Hippocrates initio de superfætatione familiaria esse huic affectioni dicit, his verbis. Si verò non statim secedat superfætatio (statim inquam ac deciditur aut putrescere incipit) dolores exhibet, & fluxum fœtidum, ac febrem, & facies intumescit, tibiæ ac pedes, atque si pereat, cibum auersatur donec exciderit. Quandoquidem ergo superfætatio cum rumpi incipit, febrem solet facere, consentaneum est hanc non fuisse omnino sine febre à decima ad quadragesimam diem, sed sine acuta & vehementi. Omnino autem fuisse aliquam, sitis illa fortis quam habuit, indicauit. Sed qua causa his intumescunt facies, pedes & tibiæ, atque huic, alterum femur? Certè per compassionem cum vtero debilitato hepate, ac gignente sanguinem serosiorè, qui in corpus distribuitur. Cur ergo hæc potu aque frigidissimæ iuuabatur, & vini nequaquam? Certè ob scirrhus vteri, qui cum tunc essent phlegmonosi, vino exacerbabantur, frigidissimæ autem occurru, attemperatio quædam & solatium sentiebatur. Non tamen potus frigidissimæ posset persanare affectionem, neque persanata esset, nisi alia, eaque magna superuenisset euacuatio ex abortu. Primus enim partus affectiones veteres minuit, secundus sustulit. Nam venter (inquit) post primum fœtum modicè emollitus est, valde autem non confidit, sed durior erat. Sed quo pacto durior erat, si emollitus est? Certè scirrhusi tumores minores facti sunt, atq; ita vter ea regione qua situs est vterus, durties habebat minores prioribus,

ribus, qua causa emollitus dicitur, non tamē adeo minores
 v̄ non satis sentirētur, atque ita dicitur non valde conse-
 disse, sed esse durior, non quā̄m antea: sed quam pro natura.
 Ita etiam dicit, dolor non aderat, non arbitror quōd omni
 no nullus adesset, siquidem superfoetationis corruptiones
 dolores exhibere dicit Hippocrates libello de superfoeta-
 tione, sed non qualis antea. Nimirum phlegmosum mo-
 dum deposuerant magna ex parte scirrhi, quadragesima
 autem die (inquit) à prima (ea scilicet qua peperit) exci-
 dit superfoetatio, caro. Et venter confidit & omnes tumo-
 res, & fluxio tenuis, & sanguis olens, quæ scilicet congesta
 erant putrescentia superfoetationis.

Mulier in Pheris caput circum circa dolebat multo
 tempore, & nullus poterat quicquam opis ferre, ne-
 que cūm caput purgaretur. Melius autem habebat, cūm
 menses illi facillè prodibant. Hæc cūm caput circum dole-
 bat, subdititijs bene olentibus ad vterum appositis, iuva-
 batur, & expurgabatur modicum quiddam, & cūm con-
 cepisset, reliquerunt caput dolores.

Cum caput doleret ob suppressionem menstruorum,
 merito fiebat vt non nisi fluentibus illis facillè, aut in vtero
 concipiente muliere tolleretur. Nam perinde est quod ad
 quantitatem attinet vtero gerere & menses fluere, quia fe-
 tus attrahit ad sese sanguinem, & in sua nutritione consu-
 mit. Hanc ob causam prægnatione soluantur dolores, qui
 ex suppressione menstruorum fiunt: quāquā̄m quibusdam
 etiam prægnatio hos ipsos dolores affert, quibus antea nō
 erant. Quia quibus menstrua bene ac facillè fluebant, præ-
 gnatione detinentur intra vterum. Minus autem dolere
 possunt partes ex vtero facillè fluentibus menstruis, quam
 ad vterum tractis, sicut etiam minus ad vterum tractis,
 quam neque tractis neque exeuntibus. Proinde prægnatio
 dolores tales habentibus tollit: non habentibus, affert. Por-
 rō suppositoria odorata, aut suffitus, vterum laxare, &
 vias eius aperire & fluxiliores facere, ac proinde vterinas
 passiones, quæ ex adstrictione aut suppressione sunt, sol-
 nere, Hippocrati est celebratissimū, & vulgo notissimum.

Causa

Causa verò est in tenuitate & calore vaporum. Quod verò hæc ipsa naribus hausta præfocationes yteri augeat, quod etiam mulieribus est experimento cognitum, causa est iucunditas, quam cerebrum recipiens, & proinde otium agens, desinit à concussione, qua yterum iuuare solet, & præfocationem discutere, non aliter ac epilepsiam.

13 **M**ulier Larissæ prægnans. Decimo mēse sanguis exijt illi multus quatuordecim dies, plurimum verò tres ante pueri corruptionem. Quatuordecima excidit ex utero puer mortuus, habens dextrum brachium adnatum lateri, & secundina tertia die, eadem noctis hora, qua puer, & alba: deinde post hæc tres dies & noctes multa moderate prodierunt. Post hoc autem febris apprehendit duos dies & duas noctes, & doluit totum ventrem, & coxas, maxime verò pectinem.

QVASI prægnatio affectus sit decem mensium, dicitur decimo mēse sanguis exijt illi multus quatuordecim dies, cum tamen dictum sit. 2. huius operis sectione 3. nonem mensium græcorum esse. Neque sanè ad id quod modo dicitur, satis est quod eo loco notauimus, puta nomen menses græcos continere partem decimi mensis lunaris, atque ita naturales & communes partus fieri nouem mensibus græcis, & decem lunaribus: neque quod ex libro de caribus diximus, nouem mensibus græcis, & decem diebus legitimum partum fieri. Non inquam satis est putare hic intelligi menses lunares. Nam dicit decimo mense exijt illi multus sanguis quatuordecim dies, at verò nouem menses græci, non capiunt decimi lunaris nisi nouem dies, aut qui minimū plus aut minus, quo pacto ergo nouem decem diebus exierit sanguis dies quatuordecim? Certè nō potest sed intelligere necesse est, huic productam esse prægnationem ultra nouem græcos (multas enim decem græcis perfectis parere, illo loco diximus, confirmauimusq; testimonij Hippocratis & Aristotelis) videtur sanè imperfecta esse narratio, in qua de re non adeo frequenti, quasi frequens sit agitur, neque id ipsum narratur, oportuit enim
primum

primū omnium dici, huic productum esse partum ultra
 ducētos septuaginta dies, quibus nouem menses græci con-
 stant. Non tamen hoc mirum est, imperfectam enim esse
 hanc narrationem, atq; adeo vt ego suspicor, vetustate mu-
 tilatam, alia ex parte intelliges. Nam cum peperisset partu
 omni ratione præter naturam, tempore scilicet, quia neque
 nouem, neque decem perfectis mensibus, & causa, quia ob
 fluxum sanguinis præter naturam (præter naturam enim
 fuit in partu ante foetus editum) & ipso foetu: quia mon-
 struosus aliquatenus erat, cum haberet brachium adnatum
 lateri, cum inquam adeo præter naturam peperisset, vt ne-
 cesse esset multos dies post partum laborare, & multum
 periclitari, tamen narratio solum continet, quæ primi se-
 ptem diebus à partu passa est: neque de exitu morbi quic-
 quam dicitur. Imperfecta itaque est narratio. Nos tamen
 notemus quæ acta sunt, ne fieri ita posse nos lateat. Itaque
 hæc cum prægnans excessisset nouem menses græcos, iam
 decimum ingressa, cœpit fluxu sanguinis laborare, qui flu-
 xit dies quatuordecim, maximè autem vltimo illorū qua-
 ternario: nam tribus diebus ante corruptionem foetus: cor-
 ruptio verò contigit quatuordecima, qua excidit ex utero
 puer mortuus, habens brachium adnatum lateri. Itaque
 ab vndecima ad quatuordecimam (qui vltimus quaterna-
 rius est) copiosius fluxit sanguis. Quatuordecima nocte
 excidit puer mortuus, tertia die eadem noctis hora qua
 puer exciderat, exciderunt secundinæ & alba excrementa.
 Expletis ergo à partus hora duobus diebus naturalibus ex-
 cidit secundina. Quod etiam difficilis partus fuit, in natu-
 ralibus enim & facilibus, secundina mox subsequitur ex-
 euntem foetum. Post hæc tres dies, & noctes multa prodie-
 runt moderatè, erant itaque insumpti iam quinque dies na-
 turales, mox apprehendit eam febris duos dies & duas
 noctes, & doluit totum ventrem, & coxas, maximè verò
 pectinem. Non est consentaneum his septem diebus fini-
 tum esse morbum, sed mutilatam hic narrationem.

IN Larissa Hippostenes peripneumonia videbatur me-
 dicis deprehensus esse, non erat autem. Principio qui-
 dem luctans in duro loco cecidit supinus, & insiluit in
 ipsam,

ipsum, & lauatus est frigida, & dormiuit, & grauari videbatur. Sequenti autem die febricitauit, & tussis tenebat eum sicciior, & spiritus densus. Quinta die cruentum excreauit non multum, & cœpit delirare, cum tussiebat tunc dolebant pectoris partes & dorsum, sexta autem die sanguis effluxit ex naribus, cum sternutasset, circiter cotylas quatuor. Ad vesperam neque loquebatur neque sentiebat, quæ quispiam faceret, aut diceret. Undecima autem mortuus est. Quinque autem dies nunc sapiebat, nunc non, & fiebat sine febre. Sputum autem nullum excreauit, neque stertorem habebat. Neque enim erat sputum.

Hippothenes mortuus est ex casu, videbatur verò medicis quibusdam pulmonis inflammationem contraxisse, quia febricitabat cum tussi & denso spiritu, tamen reuera non contraxerat, quod exitus aperte indicauit, cum ad extremum vsque, neque excreauerit, neque stertorem habuerit. Sed qua ratione fuerit læsus, ex ijs quæ narrantur, oportet coniectemus. Principio luctans in duro loco, cecidit in occiput & dorsum, & aduersarius insiluit in pectus illius. Cumque oporteret mox sanguinem mitti, & frigida potum offerri, & pannis inuolui, ne sanguis ad contusas partes affatim accurreret, & ut is qui conturbatus effusisset esset, extenuatus discuteretur, nihil tale fecit sed lauit sese frigida, & dormiuit, itaque cætē densauit, & sanguinem intro repulit, eò etiam sponte ob somnum confluentem. Quam ob causam merito grauari videbatur. Et sequenti die febricitauit, putrescente iam succo in partibus quibus erat inculcatus, & tussis sicciior tenebat ipsum, & spiritus densus ob multos affectus phlegmonosos instrumentorum respirationis in thorace. Constat vero talem spiritum fuisse etiam paruum, cum crebrum & paruum faciant affectus dolorosi earum partium. Quinta die excreauit cruentum non multum, ruptis iam (arbitror) in lateribus venulis, & cœpit delirare. Poterat sanè hoc fieri ob affectum phlegmonosum septi transversæ, verum ob rapinam sanguinis,

sanguinis, qui conturbatus ferebatur in caput, factū esse, in
 dicauerunt quæ subsequuta sunt. Nam sexta die sternutauit,
 & mox sanguis effluxit ex naribus circiter cotylas quatuor.
 Ad vesperam, eadem die, neque loquebatur, neque sentie-
 bat, quæ quispiam faceret, aut diceret. Quod aut ob eua-
 cuationis magnitudinem linquente animo, aut occupato
 toto cerebro apoplectico modo, fieri poterat. Nam vide-
 tur autem tantum fuisse sanguinis effusum, vt ob hoc ani-
 mo linqueretur, nisi forte homo erat per sese debilissimus,
 proinde in alteram coniecturam magis feror, vel ob quin-
 que sequētes dies, quibus nunc sapiebat nunc delirabat, &
 fiebat aliquādo sine febre. Nam quia delirabat, videtur ce-
 rebrum affectum, quia vero aliquando & delirio & febre
 liberabatur, constat nō phlegmone, sed obstructione labo-
 rasse. Sæpe. n. vidimus apoplecticos, per quædam interualla
 ad sese redire, loqui, & sapere, vt viderētur circumstantibus
 liberati, ac denuo occupari, idq; bis aut ter: vsq; dum tandē
 non valentes reuocari, moriuntur. Quod coniectauimus fie-
 ri, expultricis facultatis cerebri opera. Hæc enim si valida
 est longe pellit, & hominem liberat, si debilis admodū, ne
 mouet quidē, & tunc vno perpetuo paroxysmo moritur
 homo: sin autē est inter hæc mediocriter debilis, non pel-
 lit longe, facit tamē succos abscedere, cum vero nō satis re-
 nitatur pars quæ expulit, irruunt in ipsam rursus. Velut in
 hoc homine qui cū sexto die apoplecticus esset factus, &
 per quinque dies, qui sunt à sexto ad vndecimū denuo occu-
 patus, mortuus est. Quod vero eo interuallo nunc delira-
 uit, nunc non, succus etiā ille qui cerebrū obfidebat, fuerit
 in causa. Eius enim agitatio, nunc plus, nunc minus cere-
 brū perturbaret, atq; ob eandē causam cor, nunc plus nunc
 minus, in compassionē traheretur, & angeretur, ac proinde
 homo nunc febricitaret, nunc nō. Sputum nullū excreauit,
 quia scilicet nihil coctū est in pulmone, neq; habuit sterto-
 rē vocat stertorē sonitū illū qui fit cū feruet succus aliquis
 in gutture. Nā addit: neq; erat enim sputū, hoc est nō erat
 succus in aspera arteria, qui eum sonitum faceret, vt in mul-
 tis moribundis solet. Verum hæc historiam nos monet, ne ca-
 sus, aut ictus fortes contemnamus, sed diligenter quænu-
 per huic fuisse faciendā diximus, facientes, multos dies in
 bono victu homines contineamus.

25 **S**camander in Larissa, & coxæ sphacellum habuit, & os diu luxatum. Hic sectus est sectionem magnam, & ad os vsque pertinentem, & deinde vsus est. Tunc die duodecima post sectionem spasmus cæpit, & tenuit multum. Contrahebatur autem crus hoc vsque ad costas, transiliebat autem & in alteram partem conuulsio: contrahebatur autem crus & extendebatur, & alia membra mouebat. Et maxillæ adducebantur. Hic mortuus est conuulsus octaua post inuasionem conuulsionis. Curabatur ventrefactorijs vtriculis, & fomentis erui totum corpus, & infusus est clyster, & exijt parum veteris stercoris, & pharmacum biliosum bibit, & superbibit, & exijt quiddam nihil autem à potione iuuatus est. Et somnus exiguus venit, & rursus bibens valde biliosum pharmacum, forte vesperi occidente solus mortuus est. Videbatur autem plures temporis sustinere potuisse, nisi ob vim pharmaci.

Exemplum est hoc eorum, qui non curati diu viuere, & curati citius moriuntur. Mortuum enim est hunc non ex veteri morbo, sed ex curatione constat, quæ vigesima die à sectione est mortuus: sed & ex modo moriendi. Mortuus enim est conuulsus, vt solent scilicet qui moriuntur ex vulneribus circa articulos. Certè hic non poterat alia ratione curari quam sectione, & vitione, cum corruptionem iam ossis pateretur, satius tamen fuisset omnino non curare. Nihil enim refert curare vt morbus possit conuelli die duodecima post sectionem & vitionem, non leuiter, sed conuulsione magna quæ illum multum tenuit hoc est continenter afflixit. Contrahebatur enim crus vsque ad costas, per musculos scilicet mouentes femora qui veniunt à lumbis iuxta finem costarum. Non mirum autem, inde etiam ad ipsas costas dolorem effundi per communes furculos neruulorum. Et aliquando etiam in altera parte conuulsio velut transiliebat, itaque alterum crurum præcipuè ac maximè conuellebatur, sed nonnunquam etiam vtrum-

utrumque, atque alternate, hoc & illud. Non erat autem
 conuulsio facta iam, per quam contractum crus esset citra
 distentionem vllam, sed conuulsius motus per quem con-
 trahebatur, & extendebatur. Et alia etiam membra moue-
 bat homo conuulsio modo, brachia videlicet & caput, ac
 denique partes alias, quæ liberum motum habent. Labo-
 rabant præcipuè maxillæ, quæ per conuulsionem musculo-
 rum claudentium os adducebantur, vt non possent separa-
 ri. Cum adeo obtineret conuulsio, non mirum mortuum
 esse hunc octaua die post conuulsionem, quæ erat vigesima
 à sectione, Finitum enim est malum intra fines acutorum,
 & motum per pares. Sed cur hic qui mutationem in de-
 terius accepit duodecima, mortuus est octaua ab ea muta-
 tione, ac nõ potius vigesimam quartam saltem expectauit?
 Cum iuxta legem constitutionis legitimæ tantum tempo-
 ris superesse ab exacto principio, quantum antecesserit,
 oporteat? Ob id fortasse, ac etiam ob vires quas satis con-
 stare animaduernerit, dicit Hippocrates videri sibi huc po-
 tuisse plus temporis morbum sustinere, si nihil in curatio-
 ne esset peccatum. Verum proteruè admodum expurga-
 tus, adeo vt solis octo diebus bis aut ter pharmacum val-
 de biliosum acceperit, vi pharmaci extinctus est. Qua in re
 multis nominibus peccauit medicus, primum quod conuul-
 sionem ex vulnere pharmaco forti curare tentauit, deinde
 quod cum tentasset, & nihil proficeret, nesciuit à purgatio-
 ne desistere, quin potius lædi ægrotum non intelligens, bis
 aut etiam ter dedit. Certè conuulsiones, quæ citra phlegmo-
 nem vllum internum, aut vlcus, ex redundantia succorum
 fiunt, pharmacis solui possunt, verum quæ post ardentem
 febrem, aut phrenitidem, aut euacuationem vllam copio-
 sam, aut inflammationem internam, aut ex vlcibus fiunt,
 nulla re magis læduntur: nam euacuatione siccant nervos, &
 mala qualitate irritat pharmacum. Ex febre autem arden-
 te, aut euacuatione, sunt sicci nerui, à vulneribus qui con-
 uelluntur, sunt velut phlegmone tumentes. Phlegmone au-
 tem crudi læduntur ea agitatione, quam pharmaca cient,
 & euacuationibus non cedunt. Memini certè cuiusdam,
 qui cum à phrenitide conuulsus iam motibus tentaretur,
 me inuito, suasu alterius pharmacum accepit, & paulo post
 nulla subsequuta vacuatione, mortuus est. Sed multo grauius

Tt a peccauit

LIBROS
 DEL DR.
 L. MARCO

peccauit hic, quòd iam vidisset ægrotum pharmaco non iuari. Necessè est autem, vt magna si non iuant, lædant. Bibit autem ægrotus pharmacum valde biliosum, hoc est admodum synceram bilem extrahēs, & superbibit. Quod duobus modis videtur posse intelligi, aut superbibit pharmacum idem, aut simpliciter superbibit. Est autem superbibere pharmacum, antequam motus quem ciuit sedatus sit, rursus idem pharmacum bibere. Superbibere autem simpliciter sit quiduis post pharmacum bibere. Solebant autem antiqui, vt ex Hippocrate 2. de rat. vict. in acut. accipimus, mox ab accepto pharmaco ptisanam dare sorbendam, aut forte aliud quippiam huiusmodi. Aut ergo huic ægrotò datum est pharmacum valde biliosum eadem die bis, aut datum quidem semel legitime, & iuxta consuetudinem accepta à pharmaco potione. Cum præstantur pharmacà leuia, aut etiam mediocria, nonnunquam vtiliter superbibitur pharmacum, gratia acuedi segnem motum verum cum valde biliosa, nunquam licet id facere. Sed vnicuique huic actum fit, constare facile poterat pharmaco hominem lædi, quare abstinendum fuisset ab alterius exhibitione, nam exijt quidem, nihil autem iuuatus est à potione, & somnus exiguus venit. Euacuationes verò quæ conferentia & tolerantia carent, malæ sunt. Non mirum ergo iterum accepti, valde biliosi pharmaci potione, motuum hominem esse.

¹⁶ **H**ippocomus Palamedis in Larissa vndecim annorum, percussus est in fronte supra oculū dextrum ab equo, & videbatur os non esse sanum, & exiliebat ex ipso exitum sanguinis. Hic sectus est multum vsque ad diploem. Et curabatur ita habens os, quod & antè statim os peperit in viginti. Tumor iuxta aurem incepit, & febris & rigor. Et diu magis tumescebat & dolebat tumor. Et febricitauit, incipiens ex rigore, & oculi tumebant, & frons, & tota facies. Patiebatur autem hæc in dextro præcipue capitis. Perueniebat autem & ad sinistra tumorem. Nihil igitur hoc læsit. Tandem febris continuabat

nebat. Minus erat hæc vsque ad dies octo. Vixit autem
 vsus, & purgatus per catapotium, & cataplasmate tu-
 mori imposito. Vlcus autem malorum causa nulla erat.

QUANDO QUIDEM percussus est hic ab equo, vide-
 tur consentaneum fuisse vere hippocomum, idest equo-
 rum cultorem. Hi enim ab equis frequenter solent percu-
 ti, sed quia vndecim annorum erat, vix possum adduci vt
 credam, curam equi esse ei demandatam, sed fuisse hunc
 Palamedis filium, aut seruum, forte vocatum hippocomū,
 & ab equo percussum esse, vt narratur. Hoc habeat vtrum-
 que, nihil refert, modo eorum quæ ad rem faciunt, nihil
 omittatur. Hæc sunt, fuisse vndecim annorum, & ab equo
 percussum fuisse, & in fronte, & reliqua quæ narrantur,
 partim pertinentia ad vlcus magnitudinem, partim ad ea
 quæ euenerunt. Referre enim, scire, an puer sit qui vulne-
 ratus est, constat ex eodem Hippocrate libro de vulne-
 ribus capitis vbi dicit. At verò puerorum ossa, & tenuio-
 ra & molliora sunt, ea de causa quòd sanguinolentiora,
 & caua, & neque antrosa, neque densa, neque solida, & à
 telis æqualibus ac debilioribus, si similiter ac minus fue-
 rint vulnerati, iunioris pueri vulnus, & magis & citius
 suppuratur, & si alias ex vulnere moriturus est, iunior
 seniore citius perit. Porro à quo percussus quis sit, & quo
 telo interrogare iubet Hippocrates in initio eiusdem li-
 bri dicens. Primum igitur capite vulnerato interrogare
 oportet, per quid vulneratum sit. Itaque & ab equo
 vulneratum fuisse, dici referebat. Sed & in fronte fuisse.
 Nam dictis mox addit, Postea qua parte vulnus inflictum
 sit. Et non multo post addit. Cerebrum enim citissimè
 & maximè iuxta synciput sentit mala, quæ & in carne &
 in osse fiunt, subtenuissimo enim osse, ac modica carne
 cerebrum est hac parte. Cæterum est reliquis ossibus, id
 quod circa tempora est, debilissimum est. Omni verò ca-
 pitis osse robustius est os verticis, & quod est retro aures,
 robustius est quàm totum quod in anteriori parte est, &
 sanè his ita se habentibus, si quis & vulneribus & telis, om-
 nibus æqualibus ac similibus, & maioribus ac minoribus,
 similiter sit vulneratus, & magis: hac capitis parte os

minus rumpitur, & contunditur, & si homo alias moriturus est ex vulnere, si in posteriori capitis parte vulnus habet, diutius durans, morietur. Itaque graue fuit vulnerari ab equo, fortiter enim contundit equus calcitrans. Graue etiam vulnerari in fronte, quamquam grauius fuisset in temporibus, aut syncipite. Fuisse verò puerum qui vulneraretur periculum minuebat, facilius enim sanescunt eorum vitæ. Sed veniamus ad ipsum vulnus. Rupta est cutis frontis, & carnosæ membrana quæ illi substernitur, & detectum os. Quin etiam os ipsum videbatur non esse sanum. Nam exiliebat ex ipso osse exiguum sanguinis, quod sanè non fieret, nisi fisuram haberet. Quid ergo actum est illi? Certe quod Hippocrates ipse consulit libro citato his verbis, Ceterum si os nudatum carne fuerit, animaduersione habenda conari oportet cognoscere, si oculis videre ac noscere non datur, an ruptum sit os, & an contusum, an solum contusum, an adfit contusio, aut fisura, aut ambo. Et si quid horum os passum fuerit, detracto sanguine, paruo terebello modicè & cum cautione, os terebrare oportet. Et paulò post dicit, mori ægrotos, quibus os fractum, ruptum, aut contusum, nisi quis raserit, aut perforauerit. Ita factum est hoc, quia habebat fracturam in prima lamina, sectus est multò usque ad diploëdem, seu secundam laminam. Terebro licet, aut cyclisco. Et curabatur os ita habens, detectum scilicet, & derasum satis, ac leuigatum. Et bene sanè res processit. Nam os statim peperit os anterius in viginti, hoc est, intra viginti dies producta est anterior ossis pars, & quæ cyclisco, aut terebra exarsa erat. Ad hanc rem plurimum contulit ætas. In pueris enim adeo viget naturalis facultas, ut ossium etiam partes facillè pullulant. Quamquam ne in hoc quidem autumo mox fuisse verum os quod producebatur, sed callum ab osse quam minimum diuersum, ob facultatis commutatricis robur. Itaque hæctenus bene actum est cum puero. Nihilominus vigesima tumor iuxta aurem incepit & febris, & rigor, & oculi tumebant, & frons, & tota facies, etiam si non æquè secundum totam faciem, sed in dextris præcipue capitis partibus hæc patiebatur, quamquam perueniebat etiam ad sinistra tumor. Hoc sanè factum est ex fluxione, quæ vndique in exulceratam partem perueniebat, quæque proinde, cum supra oculum dextram

vulnus

vulnus esset, dextras partes capitis, secundum rectitudinē
 scilicet lateris, occupavit. Et sanè multo minus periculo-
 sum fuit hoc, quàm si occupasset sinistras. Nam vt ab Hip-
 pocrate lib. citato dicitur bis, Notam esse morituri, ex vul-
 nere in dextra capitis parte, sinistra: & ex vulnere in fini-
 stra, dextra conuelli. Eadem ratione, & tumore, & dolore
 corripit, contraria parte periculosius est, quam eadem, vel
 hac solum causa, quod magis præter rationem est. Nam
 quamquam Vidouidius putat hoc falsum esse, & omni ra-
 tione carere (quòd ipse nullam assequatur) tamen re ve-
 ra non caret, sed qua ratione dicitur in aphorismo sectio-
 nis quintæ. Si in vulneribus fortibus ac prauis tumor non
 appareat, magnum malum, eadem si non appareat quo la-
 tere est vlcus, sed contrario, magnum malum est. Nam illud
 quidem fit fluxione ad vlcus concitata, retrocedente verò
 aliorum, eo quod à vulnerata non recipiatur. Est vero ma-
 gnum periculum in hoc erratico motu retrocedendi, & ip-
 sa causa, qua non recipitur, grauis est. Nam & si Gal. id di-
 cit fieri, quòd medici repercutientibus nimis vtantur, ego
 & citra hanc occasionem fieri puto, cum partis facultas
 emoriatur, & alimentum non recipit. Contrahitur enim, ac
 proinde, neque redundantem succum potest recipere. Ita-
 que contraria parte conuelli, ac tumore & dolore affici,
 graue esset, eadem vero parte non admodum. Nam vt alio
 aphorismo dicto proximo dicitur, Quibus tumores in vl-
 ceribus apparent, non valde conuelluntur, neque infantiunt.
 Proinde factum est, vt nihil hoc læderet, id est nihil homo
 ab hoc periclitaretur. Sed resumens sermonem dicamus,
 qualia fuerint hæc mala. Tumor post aurem incepit, & fe-
 bris & rigor. Febricitauit scilicet primum incipiens à rigo-
 re. Constat itaque quod intermittente. Nam quibus quo-
 tidie rigores sunt, quotidie febres soluuntur. Tumbant
 etiam oculi, & frons, & tota facies. Ambo hæc & tumor &
 febris fiebant a fluxione, quæ versus vlceratam partem mo-
 uebatur. Constat verò hanc moueri non continenter, &
 toto tempore æqualiter, sed per partes ex quibusdam in-
 teruallis. Nam & febris fiebat intermittens, & tumor & do-
 lor quotidie, interdium magis crescebat, & noctu hæc remit-
 tebantur. Nimirum pars recipiēs, erat pars ea capitis & fa-
 ciei. Recipiebat verò quotidie denuo, & quotidie in ea

resoluebatur quod veniebat. Quare constare poterat, fe-
 brem etiam interdium quotidie crescere. Itaque tota fluxio
 erat quotidiana, ac proinde & intumescencia, & febris.
 Sed si quotidiana erat ad pituitosam vergeret fluxio, quo
 pacto ergo à rigore inciperetur, biliosarum enim est hoc.
 Præterea qui fieri poterat, ut febris intermitteret, cum tu-
 mor, & si incrementa alternatè reciperet, nunquam solue-
 retur? Certè fluxionem illam sanguineam bilis & pituitæ
 participem fuisse non mirum, imo verò consentaneum,
 cum non ob succi alicuius redundantiam, sed ob vlcus ex-
 citata sit. Habuerit ergo pituitæ quædam, ut motum,
 quædam etiam bilis, ut rigorem. Febris vero intermitte-
 ret, quòd non posset à tumore seruari, nisi cum esset tan-
 tus, is tamen etsi perpetuo esset, non perpetuo tantus. Ne-
 que sane febris intermittens ad extremum vsque fuit, sed
 tandem, continua febris tenebat. Quo die ab accepto vul-
 nere hæc fieri cœperint non dicit exactè, sed minus, inquit,
 erant hæc vsque ad octauum diem, scilicet septimo cœpe-
 rint dolor & tumor, & octauo iam fuerint conspicua. Non
 dicit quandiu durauerint, fortassè quia medicamentorum
 vi extirpata sunt, magis quàm naturæ. Vixit enim vltus,
 & purgatus, per catapotium, & cataplasmate idoneo tu-
 mori imposito. Quanti vsus fuerit Hippocrati vltio, se-
 pe iam animaduertimus. Ego quoque in parotydis quæ
 ex morbis alijs, non leuibus, fiunt, cito, vel nulla expectata
 suppuratione, vltione vtor in ipso tumore. Nulla enim
 ratione melius prouidetur ne tumor recurat, sed mate-
 ria, per ipsum vlcus quod infligitur, expurgetur. Sed quo
 pacto concludit narrationem dicens, vlcus autem malor-
 rum causa nulla erat? Nunquid si hic vulneratus non esset,
 tumorem eum contraxisset? Non arbitror, neque febrem.
 Nam vel relictudo, quam tumor cum vlcere seruauit, &
 dies quo contigit, qui erat septimus ab vlcere, id indi-
 cant. Sed dicitur nulla malorum causa fuisse vlcus, id est
 nullam malignam causam. Sed vlcus ea mala non attulit
 se, quòd malignum esset (non enim erat) sed ob corporis
 apparatus. Velut sæpe mortuo iam homine, iurant chy-
 rurgi, non interiisse ex vlcere, qui tamen si non fuisset vi-
 ceratus non interiisset. Id verò dicunt, significantes, vlcus
 per se non fuisse lethale. Ita quidem huic vlcus nul-
 la causa

la causa malorum fuit, id enim erat salutaris speciem præ se ferens, & carne leuiorem, & osse bene habens, tumores vero hi superuenerint ob redundantiam succorum in corpore, aut fortasse, quod recenter vulneratus, non satis vacuatus sit. Merito ergo huic utilissimum fuerit, medicamentum expurgans deorsum, iuxta id quod lib. sæpe iam citato scriptum est his verbis. Cum vero in vulnere in capite homine terebello perforato, aut non perforato, osse autem denudato, tumor rubicundus erysipelatosus accesserit in facie, & in oculis vtrisque, aut altero, & si quis tumorem contingat, doleat: & febris corripiat ac rigor, & vlcus ipsum tum quod ad carnem attinet, tum quod ad os, bene habeat ad aspectum, & ambientes vlcus partes bene habeant, excepto tumore, qui in facie existit: & aliud peccatum nullum tumor habeat, quod ad reliquam victus rationem attinet, huius infernam aluuiam deorsum purgare oportet, medicamento quod bilem ducit, & vbi sic purgatus fuerit, & febris dimittit, & tumor sedatur, & sanus euadit. Constat hunc locum maximè congruere cum ijs quæ facta sunt Hippocrate.

IN Larissa Theophorbi filius, vesicam scabiosam habebat, & viscosam vrinam mingebat, & dolebat, cum & inciperet mingere, & cum desineret, & confricabat partem anteriorem. Hic cum bibisset diureticum vehemens, in vesicam quidem nihil processit. Vomuit autem confertim puri simile, & bilem. Et infernè alia huiusmodi egerebat, & dolebat ventrem, & vrebatur interius. Reliquum verò corpus frigidum fiebat. Et dissoluebatur totus, & accipere nihil volebat. Huic exulcerata est aluius fortiter, à magna pharmaci vehementia. Mortuus est autem tertia die post potionem.

NUNQUAM est agendū diureticis, præcipuè vehementibus, in passionibus renum aut vesicæ, ex multo succo pendentibus, antequam purgatum totum corpus sit, reuulsumque vomitu quoad possit, & ad intestina deriuatū, idque faciendum

ciendum pharmacis mitibus, & malignæ qualitatis exper-
tibus (non eatenus vt tractoriæ nihil habeant) quia quæ
vehementer expurgantia sunt, yrinam etiam mouent, & me-
struas purgationes, & vel hac ratione abortus faciunt, vt
merito videbatur Auerroo. Nam si pleno adhuc corpore
malis succis diureticum detur, idque debile, aut moder-
tum fit, certè confluere faciet in affectas vias excrementa,
& congeri oppilarique, ac proinde minus exire. Sin autem
detur vehemens, vt hanc etiam oppilationem possit dissi-
pere, habebit etiam hoc facultatem exulcerandi, qua ven-
triculum, & intestina exulcerabit, antequam affectum lo-
cum attingat, irritabitque ita supernum infernumque ven-
trem pariter, & dolore excrementa ad ventrem conuoc-
bit, fietque, quod, vt diureticum dabatur, per accidens vo-
mitorium, & deiectorium: sed cum magno hominis malo,
cum non facultate tractoria purget, sed exulceratoria, cor-
rumpat. Quid ergo agendum? Certè vacuandum totum
corpus prius, reuellendumque & deriuandum, mediocri-
bus, & vomitorijs & deiectorijs, deinde medicamentis que
peculiariter respiciant vesicam vtendum. Hæc verò erunt
qualia passio desiderabit. Si enim ardor, aut vlcus malum
sit, nunquam diureticis est opus, nisi exiguis, quæ cum alijs
medicamentis deducendi ea solum, causa, admisceantur.
Vlcera enim petunt siccantia, ardor, temperantia, vtraque
vero horum deducuntur à quibusdam diureticis. Si ve-
ro morbus sit cacochymia earum partium citra dicta duo
mala, aut inflammationem nondum incipientem, diure-
ticis est agendum. Suffecerint verò vacuato expurgato-
que iam corpore, minora exulcerantibus. Huic igitur ve-
sicam laborare scabiæ ob cacochymiam partim pituito-
sam & saliam, partim biliosam & acrem, indicabant sym-
ptomata, & exeuntia. Scabiem enim indicabant, prur-
tus qui ad pudendum quoque pertingebat, & dolor quem
cum inciperet, & cum desineret mingere, sentiebat: fuisse
verò causam pituitam saliam, quod viscosam yrinam ming-
gebat, & puri simile euomit. Quod sanè pus non fuisse
constat (quæ enim suppuratio in ventre rumpetur?) Sed
crudum succum candore & crassitie puri similem. Itaque pi-
tuita erat, hanc saliam esse ipsa yrinæ computrescentia
faceret, indicaret verò mordicatio: quæ etiam bilem re-
ferebat,

ferebat, præterquam quòd copioso etiam vomitu est reiecta. Dolere verò, incipiente & desinente mictu, omnis exulcerationis aut corrosionis viarum vrinæ, commune est. Dolores enim non cientur, cum sentientes partes succo mordente plenæ sunt, sed cum primum perfunduntur, vt incipiente mictu, neque cum quietæ sunt, sed cum mouentur, vt desinente mictu, quia sese exprimunt. Vtrunque enim dolendi occasio est, primus occurfus, incipiente, & expressio, desinente mictione. Huic, cum quiduis agendum esset potius, datum est diureticum vehemens (cantharides arbitror, aut aliud quippiam tale) vnde euenit ob medicamenti malignam vim, & corporis magnam cacochymiam exulcerari ventrem maligo vlcere, & vri, ac proinde viribus dissolutis, & toto corpore refrigerato, & accipere nihil, neque cibi neque potus (hoc enim euenit ita affectis, etiam si vrantur) volentem, mori.

VXor antimachi in Larissa prægnans erat circiter quinquaginta, & reliquo tempore, præ fastidio à cibo abstinebat, & septem dies dolebat locellos, & dolebat eor. Et febris ipsam surripuit. Non deiecit hoc tempore. Huic datum potu est elaterium vehementius quam oportebat. Et euomuit bilem combustam, & à cibi abstinentia & à febre. Etenim neque potu utebatur vlllo. Paucæ autem & violenter vomuit, & grumosa. Ac deinde commota est, & emisit ipsam, & videbatur debilitata, & nolebat epota aqua euomere. Post hoc autem dolor corripuit illam fortis infra in aluo. Exulcerata enim est à pharmaco, & deiectum illi statim est, post, stercus, subcrue tum ramentosum. Semper autem plus fiebat, & debilitas, & cibi fastidium, & purgationis erant quinque cotyle. Sistebatur autem aluus aqua multa infusa per ventrem. Aliud autem nihil poterat conferre. Mortua est circa mediam noctem. Videbatur autem posse viuere, si posset bibere aquã, & vomere statim, antequam deglutisset.

MULIER hæc cum utero gereret fere iam dies quinquaginta, correpta est dolore uteri, & oris ventriculi. (Nā hanc partem vocabant veteres cor, & hæc plurimum ad compassionem cum utero trahitur) & febre: quæ septem dies ipsam tenuerunt. Erant verò illi hæc symptomata: præfastidio vix quicquam capere poterat (quod non illis solum septem diebus, sed reliquo etiam prægnationis tempore contigit) & eo tempore (quo febricitabat scilicet) nihil deiecit. Huic datum est pharmacum expurgans vehementius quam oportebat. Oñtaua arbitror die. Nam mortua est mulier eadem die qua accepit pharmacum, laboravit autem septem dies. Aut ergo septima ipsa accepto pharmacum mortua est, aut quod est magis consentaneum, exiit septem diebus febris, datum est, pharmacum oñtaua. Nam non erat rationi consonum, ipsa septima, non expectata mutatione, si quam dies afferret, pharmacum dari. Datum ergo est die oñtaua, & euenit, vt euomeret bilem combustam. Combusta enim fuerat & à cibi abstinentia, & à febre. Non mirum autem adeo exustam esse. Nam non solum abstinebat à cibo, sed neque potu utebatur villo. Quoniam autem cibus & potus bilis feruorem temperant, consistat eorum abstinentia, exuri, acrioremque fieri, præcipue cedente febre. Vt hinc constet, non admodum arcentur ab aqua esse, eos qui ex syncera bile febricitant. Eius enim succi, vt alio loco monstrauius, alteratio, vstio est, potiusquam putrescentia. Quare cum concoctio contraria non sit vstioni, vt putrescentiæ, in talibus ab attemperacione expectandum auxilium sit, potius quam à concoctione. Quare aqua largius vtendum. Hæc ergo mulier, cum neque potu utebatur villo, non mirum exustam illi fuisse bilem. Euomuit ergo violenter paucam bilem, & in grumos coactam (crassescit enim vstione etiam bilis, fitque vitellis oorum similis) deinde verò (hoc est post difficilem illam partem bilis vomitionem) commota est iterum, & conturbata, & emisit ipsam copiosius. Non tamen subleuata est, ut que melius habere cœpit sed videbatur debilitata. Et cum daretur ei aqua tepida, vt facilius euomeret, & siquid malignum, aut medicamenti, aut humoris ventriculo hærentem reijceret, nolebat accipere. Quia arbitror non poterat, ad magnam ventriculi & gulæ corruptionem. Deinde descendente

dente pharmaco, corripuit illam dolor fortis in aluo; exulcerata enim est à pharmaco, & vt par erat exulceratis intestinis, deiecit post stercus (hoc enim omnium primū exit in purgationibus) subcruentum, & ramentosum, ex frustulis, scilicet intestinorum, quæ excidebantur. Crescebat vero malum, & semper plus fiebat, dolor scilicet maior & debilitas, & cibi fastidium. Non quidem hæc ob magnitudinem vacuationis, erant enim expurgationis præter ster-
cus quinque cotylæ, sed ob ingentem vltionem, & magnā, malignamque exulcerationem. Quod quidem a iuuantibus & nocentibus cognosci poterat. Nam sistebatur aluus, & mitescebant dolores aqua multa infusa per ventrem, & nihil aliud poterat conferre. Nimirum conquiescebat feruor occursum aquæ frigidæ, non potuit tamen affectionem ipsam curare, neque mortiferam pharmaci vim extinguere, sed mortua est circa mediam noctem. Mirum sane est hanc non abortisse dato pharmaco vehementi, cum ne expurgans quidem vllum, nisi in maximo discrimine dari debeat, secundo prægnationis mense. Sed id fortasse factum est, quia præuenit mori, alioqui non potuisset non corrumpere foetum. Videbatur (inquit) posse viuere, si posset bibere aquam & vomere, antequam deglutisset, non quidem antequam vlllo modo deglutisset. Nam qui posset vomere, quod non esset deglutitum? Sed antequam aqua in fundo ventriculi resedisset. Maximum profecto remedium vbi vehementius quam oporteat medicamentum datum esse sentitur. Id vero fieri deberet in hac, atque adeo in alijs omnibus, antequam pharmacum ad intestina descenderet, postea enim clysteribus attemperantibus & extergentibus instandum fuisset potius, vt in dysenteria, atque interim infusione aquæ frigidæ. Sed considera Hippoc. non dicere videri posse viuere si bibisset aquam & vomuisset, sed si potuisset bibere. Nam etiam si coacta arte quapiam, aquam in ventrem recepisset, atque ita vomuisset, non posset, quantum suspicor, tantopere iam læso ventriculo, liberari. Verum si posset bibere, ventriculus multo minus læsus esset, atque ita posset viuere. Itaque aquam bibere, & vomere, remedio fuisset, posse bibere fuisset minoris noxæ signum, vt non posse, fuit perniciosum.

19 **F** Amula Onesidemi in Larissa ulcerata est ventrem, & intestinum, a bile sponte commota, & prodibat sursum ac deorsum bilis, & sanguis. Et febris tenebat. Huic debili datum est pharmacum deorsum purgans, debile, potabile, aquosum, & paucum. Et vomuit ab eo multum, & deorsum subiit plus, & vesperi redijt. Postridie febris erat, sed debilis. Venter autem ulcerabatur, & adhuc egerat eadem. Tertia autem mortua est vesperi. cum febris ipsam corripuisset valde fortis. Hæc autem videbatur omnino moritura, minimè verò quod aquam frigidam bibisset, vsque dum vomitus tenebat. Postquam autem refrigeratus est venter superior, purgatus per aquam, succo frigido postea epoto, ita infusum per clysterem est.

MIRA morbi celeritas, & mira etiam diligentia medicorum, qui tribus diebus tam multa circa ægrotantem facere. Qui & si morbum superare non potuerint, quod esset omnino insuperabilis, tamen hac causa commendandi sunt quòd morbi impetum agnoscentes, pari celeritate properarunt auxilijs instare. Passa est hæc citra vllam extremam occasionem, quod postremis diebus vxor Anziani chi à pharmaco. Nimirum bile pernitiola commota sponte & influente in ventriculum, & intestina, ea omnia ulcerata sunt adeo, vt sursum ac deorsum prodirent bilis & sanguis. Fuit itaque hic cholera morbus, verum cum febris eaque tertiana continua. Solis enim tribus diebus licet eam figuram animaduertere, cum prima die febris ipsa tenuerit, quæ postridie debilis facta est, tertia autem rursus corripuit valde fortis. Figura febris sequuta est communem conditionem bilis, sed exulceratio tanta reperita facta, illius qualitatem deleteriam. Estque hoc magnum quoddam exemplum venorum, quæ in nostris corporibus sponte gigni solent. Sed quæ acta sunt consideremus, ut enim raræ vehementiæ fuit morbus, ita raro quodam modo delæ genere est curatus. Huic mox in ipsa prima die datum est pharmacum deorsum purgans, non sanè vehementer vt

vxori Antimachi, sed debile, quia & ipsa erat debilis. Datum verò non solidum, ne forte partibus hæeret, sed portabile & aquosum, hoc est in aqua dissolutum, vt facile elaboretur. Paucum autem, quod multum non videretur posse sustinere. Vomuit ab eo multum, & deorsum subijt plus, proindeque, vt fieri solet, cessauit aliquantisper vacuatio. Quoniam verò exulceratæ fuerant internæ partes, non potuit cessare fluxio, atque ob id vesperi eadem die redijt vomitus, & deiectio. Postridie febris erat, sed debilis, venter autem adhuc vicerabatur, & egerebat eadem, puta bilem & sanguinem. Tertia die febris ipsam corripuit valde fortis, à qua ea die mortua est. Hæc (inquit) videbatur omnino moritura. Hoc est nulla ratione videtur seruari potuisse, sed fuisse morbum omnino insuperabilem. Minimè verò quod aquam frigidam bibisset, hoc est minimè verò videbatur moritura, quod aquam frigidam bibit, atque omnino refrigerantibus via est. Imò verò si seruari potuisset, hac maxime ratione esset seruata, quia fuit curatio accommodatissima, in tanto bilis feruore, curatione adeo refrigeranti vti. Continet igitur hic modus dicendi commendationem curationis, & hanc argumentationem. Morbus hic erat insuperabilis, quia non est mortua ægra ob curationem quæ adhibita est, imò vero hac esset seruata, si seruari posset. Sed quæ fuerit hæc curationis ratio explicemus. Datus est illi potus copiosissimus aquæ frigidæ, adeo vt non bene ventriculo caperetur, & ob id euomeretur, & postquam ita est refrigeratus superior venter, & per aquam purgatus, rursus quantitate minori datus est, vt retineretur succus frigidus, vt gelida aqua, aut succus aliquis refrigerans, vt plantaginis, aut rosarum, aut vix acerbæ. Et idem succus per clysterem infusus est. Hæc omnia merito fiebant, vt, si posset, tam ardenti bili æquali refrigeratione occurreretur. Acta verò fuerint hæc, secunda & tertia die, prima enim non possent simul cum expurgatione. Curatum ergo imprimis est succi copiam minuere, mox currere eius qualitati. Verum fecit humor morbum incurabilem, antequam possent medici arte repugnare. Vide quam diuersa fuerit ratio curandi hanc famulam Onesidemi, & virum illum quem Athenis cholera corripuit, cum eodem laborarent morbo. Vt intelligas quan-

to me-

to melius doceatur medica praxis per exempla, quam per capita morborum.

EVdemus in Larissa hæmorrhoidas habens fortes valde, & diurnas, cum exanguis existeret, bilis commota est, sed cum corpore mitius egit, & aluus inferior turbata est, excrevit biliosa, & hæmorrhoides intumescébant. Pharmacum deorsum magis deiectorium bibens, purgatus est bene, & mox superbibit succum, & magis perturbatus est, & dolor circa hypochondria consistebat. Huic manus admota est hæmorrhoidibus, cum adhuc aluum non bene haberet, sed indigeret curatione, & vomuit, deinde autem accedente cancro febris corripuit, & non dimisit donec occideret. Quandoque etiam cum rigor subreperit dimississet, febris venit & prodijt ipsi bilis & flatus, & partim prodibat, partim intus erat. Et dolor in ventre. Hæmorrhoides vero erant extra intestinum rectum, quæ alio tempore à purgationibus inceperant. Et flatus per ipsas prodibat in principio,

Hic mortuus est ab hæmorrhoidibus, intempestive curatis per chyrurgiam. Quia cum bilis in corpore aliquo cacochymo agitata esset, primum sponte ac perinde etiam pharmaco deorsum expurgante, & non esset perfecta purgatio, sed adhuc aluus curatione indigeret, tentata est curatio chyrurgica hæmorrhoidum, cum oporteret prius purgari corpus, & bilis motum sedari, & aluum liberari à noxa, si quam bilis intulerat. Euenit ergo, ut excissæ hæmorrhoides, aut vstæ, cancro tentarentur. Cum illæ non essent intra ipsum intestinum, sed in podice exterius, ut quædam etiam solent, tamen fistulis perexiguas cum intestino communicabant. Quo factum est, ut flatus per ipsas hæmorrhoidas exiret. Quod quidem primum sentiebatur sternutando (quia) commouentur concutiunturque sternutatione omnia) deinde verò etiam citra hunc motum.

Ex casu.

Ex cancro eius partis excitata est febris ac febre & corruptione procedentibus, mortuus homo est. Hippocrates libello de hæmorrhoidibus docuit duas rationes chyrgicas curandi hæmorrhoydas, alteram quidem vstione non violenta, sed ita vt sustineri possit siccante, ferro candente non tangente hæmorrhoydas, sed propè posito: alterã excissione. Hic non dicit qua harum vsus Eudemus sit, neutra sanè vti debuit, antequam reliqua vètris mala, & bilis purgatio conquiescerent, verifimiliùs autem est, scissione esse curatũ, quia vsta quam scissa, minus tentantur cancro. Accedit quòd erant hæmorrhoydes externæ, & quæ facillè poterant curari ferro, vt non esset igne opus. Verũ præsentì historia admonemur, ne temerè permittamus hæmorrhoydas curari (periculosè enim tractantur ferro aut igne) ac nunquã prorsus, non perpurgato corpore. Sed enarremus literam. Eudemus in Larissa hæmorrhoydas habens fortes valde & diurnas (non sanè cæcas sed fluentes multum, siquidem exanguè ipsum fecerant) cũ exanguis existeret, bilis commota est. Hæc verba plurimũ videntur spectare, ad illud quod Auicena dicit, sanguinem esse frenum bilis, siquidem velut causam reddens, dicit, cũ exanguis existeret, bilis commota est. Quod certè, hæctenus verum est, q̄ cũ sanguis sit succorum moderatissimus, alios omnes temperat, atque in illius penuria, alij omnes synceri fiunt, & ob exorbitantes qualitates, naturæ magis molesti. Velut in hoc, quia erat hæmorrhoydibus factus exanguis, bilis molesta esse cœpit, natura partium, ac proinde commota est. Sed cum corpore mitius egit, hoc est reliquũ corpus parũ læsit, sed in aluũ decubuit, atque ita aluus inferior turbata est, & excreuit biliosa, & hæmorrhoydes qualitate bilis exeuntis exacerbata sunt, & naturæ nixu, intumescebant. Bibens pharmacũ, deorsum magis deiectoriũ, id est expurgas per inferna (ponitur enim comparatiuũ pro positivo) purgatus est bene satis. Et mox superbibit succum. Non dicit quem succũ. Suspicio huic datum esse, cũ putaretur iam bene expurgatus, succum aliquem frigidum, vt fieri solet, atque vt famulæ Onesidemi factum est, attèperandi gratia (is fuerit cremor ptissanæ) & magis perturbatus est, vt pote nõ perpurgatus. Et dolor cõsistebat circa hypochondria, qđ multos succos in medio fluxu cõstitisse, atq; hæsisse cir-

ca hypochondria, significabat. Huic manus admota est hæmorrhoidibus, hoc est chyrurgica curatio hæmorrhoidum adhibita est, cum nondum aluum bene haberet, sed adhuc indigeret curatione corporis totius & alui. Et vomuit, in ipsa arbitror chyrurgica curatione, præ anxietate, & perturbatione. Quod iam hinc significabat difficultatem eius curationis, & malam tolerantiam, atque adeo intestina læsa esse per consensum cum podice, & ventriculū per consensum cum illis. Quæ sanè omnia inde nata sunt, quòd aluo adhuc male habente, curatio illa laboriosa, tentata est. Sed quod omnium fuit grauissimum, deinde accedente cancro in parte qua excissæ sunt hæmorrhoides, febris hominem corripuit, & non dimisit donec occideret. Quod factum est bile atra & maligna, quæ in corpore adhuc cacochymo abundabat, ob dolorem & exulcerationem, eo accurrente, & faciente vlcus cancrorum, & proximas partes exedente. Sunt verò ibi partes, quarum exesione citò quis mori possit. Nam intestinum, & vesicæ ceruix. Non tamè hæc tam citò exesa sunt, neque homo tam breui mortuus, quin aliquot dies durarit cum febre & cancro. Quibus diebus etiam tenebatur dolore ventris, ex bile & flatu, quæ partim exhibant, partim intus manebant, vtraque ratione cruciantia. Bilis verò ob cacochymiam corporis influebat in intestina, flatūs ob debilitatem naturalis caloris gignebatur, quandoque verò, hoc est aliquibus diebus inordinatè intercurrerebat rigor, & eo cessante febris veniebat: velut paroxysmi febrium erraticarum per febrè continuam inter currentes. Cuius causa, & in bile esse poterat, & in cancro, in bile quidem cum inordinatè aliqua eius portio maior solito, & acrior moueretur, quæ mordicatione primū faceret rigorem, putrescentia deinde febrè. In cancro verò, cum contingeret particulam aliquam acrioris sensus exedi. Dicit deinde quales essent hæmorrhoides, & qua ex causa fieri illi homini incepissent, & quousque essent progressæ. Accidit hæmorrhoidibus esse magnis, aut paruis, multis, aut paucis recentibus, aut inueteratis, internis aut externis, cæcis aut fluentibus. Tot cum sint hæmorrhoidum differentiarum, has dixit, iam fuisse magnas, & diurnas, & fluentes, nunc dicit, fuisse extra intestinum rectum. Quot fuerint non dicit, non tamè adeo refert

fert sciri. Constat fuisse plures vna. Alioqui dixisset hæmorrhoydam. Dicit has alio tempore à purgationibus incepisse, hoc est causam procatarticam à qua cæperint fuisse, quòd quondam, ob alias affectiones, purgationibus assiduus, aut clysteribus, aut glandibus vteretur. Vt scias, merito multos horum vsum refugere, metu hæmorrhoydũ. Primum quidem igitur ex hac occasione incepserunt, deinde verò vetustis factis, euenit, quod multis solet, ex hæmorrhoydibus ad intestinũ fistulas fieri, quod inde cõstare poterat, quòd flatus per ipsas prodibat. Constat vero fuisse fistulas tenuissimas, & vt euenire solet, inuisibiles, quia flatus tantum prodibat (alioquin exirent & fæces) ac multo magis in principio, hoc est cum primum fistulæ fieri cæperunt. Tunc enim nõ nisi per sternutamentũ prodibat, iuuante flatus impulsu, illa cõcussione. Postea verò etiam sine sternutamẽto, fistulis scilicet factis aliquantulũ maioribus.

²¹ **I**N Larissa vir vulneratus est cominũs ex manu hasta posterioriũ, & summum eius penetravit infra vmbilicum, liuidum & tumidum, & percurrit multum spacium. Postquam autem vulneratus est, deinde dolor tenuit primum fortis, & intumuit venter. Huic datum est postridie pharmacum deorsum purgans & egressit modicum cruentum, & mortuus est. Videbantur huius intestina non esse sana, & aluus esse plena sanguine.

CERTE luce clarius erat, huic homini transfixa esse intestina, ac venas multas dirruptas, effusumq; interiũs sanguinem, & ex loco quo transfixus est, & ex teli magnitudine, & ex liuore & tumore qui sub vmbilico per bonam partẽ hypogastrij decurrens conspiciebatur, & ex dolore ingenti, & vetris tumore. Quapropter ille merito mortuus est postridie, & expurgatio temerẽ tentata est, cum fuisset potius nihil agendũ, vt in manifestẽ morituro homine. Ego vero, vt in initio huius libri quinti dixi, nihil minus putò, quam omnia quæ hic narratur facta, Hipp. fecisse, sed quædam ipsum, quædam alios, eum vero omnia, quæ in eius notitiã peruenerint, experimẽti causa, notasse, & rerũ euẽtus.

22 **A** Pelleus Lariffæ habebat ætatem ferè triginta annorum, aut parum deerat. Tenebatur autem morbo. Corripiebatur autè magis noctu quam diu, in somno. Egrotavit autem ferè duos annos ante mortem. Vomebat autè bilem rufam, aliquando cum excitaretur. Vomebat autem etiam nigram. Hic à capite, purgatione fortè valde, & in multum tempus purgatus, & cum pharmacū bis bibisset, sex menses ipsum præteriuit. Erat autem multiuorus. Habens verò corpus biliosum, luctatus multū, valde riguit, & febris ipsum corripuit, & morbus in noctem. Sequenti autè die videbatur sanus esse, & rursus altera die. Sequenti verò nocte, morbus eum inuasit cœnatum post primum somnum, & tenuit eum noctè & diè vsque ad horam cœnæ. Mortuus est antequàm resipisceret. Cœuellebatur circa dexteras partes primū, & faciem, & reliquum corpus, deinde in sinistris: & cum videretur esse quietus comate tenebatur, & stertebat, & rursus succedebat morbus.

Hic iuuenilem ætatem agens, morbo comitiali ex bile & melancholia, per consensum arbitror cū ventriculo, correptus est, quo per duos annos ægrotavit, vsque dum mortuus est. Nimirum morbus comitalis, inter alios, familiaris est iuuenili ætati, vt in aphorismo tertix particulæ dicitur, præcipue verò qui ex bile vsta sit. Non enim quia nō conuellebatur mox toto corpore, sed circa dexteras partes primum, & faciè & reliquum corpus (secundum idem scilicet latus) deinde in sinistris putandū est, non fuisse morbum comitiale. Qui enim alius esset, cum esset passio apoplectica cum tanta partium conuulsione? Certè sæpe occurrunt multi tum pueruli, tum grandiores, quos epilepsia laborare medici omnes dicunt, quòd secundū alterum latus, aut secundum partes quasdā, non autem toto corpore conuellantur. Neque immerito, vt enim febris quodcumque genus, & alius quicumque morbus, potest esse exquisitus, aut non exquisitus, ita passio quæcumq; apoplectica, tunc dicitur esse exquisita, quū eius definitio exactè ei cōgruit, cum verò

verò aliquid deficit, non exquisita : ea tamen esse dicitur, cuius rationē maximè assequitur. Velut siqui sine sensu & motu libero cadit, toto corpore concutitur, exquisita epilepsia laborat: si verò altero tantū latere cōuellitur, epilepsia etiā laborat, non tamen exquisita. Dicitur tamen meritò epilepsia quòd sit apoplectica passio cū cōuulsione. Atqui fortasse, vt omni epilepsix cōgrueret, esset potior definitio hæc, passio apoplectica cum conuulsione, quam conuulsio vniuersalis. Eueniebat huic quod in multis epilepticis fieri vidimus, conuulsiuū motum non esse perpetuū toto paroxysmo, sed interrumpi quadam quiete, nihilo meliori ipso concussione motu. Iacent enim plurimi illorū vt mortui, sine sensu & motu, & ex quibusdā interuallis concutiuntur, vt quodāmodo vnus paroxysmus fit, quodāmodo multi, & repetentes. Nam obstructio ita iacentibus soluta non est, alioqui redirent ad sensum, conuelluntur autem ex interuallis. Huic ita eueniebat. Corripiebatur autē magis in somno noctu, quā diu & vigilans. Quod sanè leuioris passionis erat, quā si cōtra fieret. Nam cum somnus fiat obstructio quadā cerebri, & apoplecticæ omnes passiones maiores obstructiones illius sint, certè ipse somnus, alioqui paratos, ad ipsas passiones potest trahere, vsq; adeo enim cū illis habet analogam naturam, vt ipse somnus factus profundior, & solutu difficilior, in apoplecticā passionem abeat, & incubus à catocho hoc solum discrepet, quod dormientium solū sit. Quæcumque ergo apoplectica passio inuadit vigilantes, vehementior ob hanc causam est, quā quæ dormientes. Hic igitur cum ad cerebri obstructiones paratus esset, somno profundo capiebatur, & ob hanc causam conuulsione quæ cum interquiescebat, somnus profundus cum stertore supererat, qui & ipse apoplectica passio, ab exquisita apoplexia quā minimum distans erat, & rursus redibat conuulsio. Fuisse hunc morbum per consensus cum ore ventriculi, & ex bile vsta, illud declarat, quòd cum excitaretur, simulque liberaretur à morbo, vomebat aliquando bilem rufam, aliquando etiam nigram.

3 Hic purgatus est à capite medicamento forti valde, & in multum tempus, & pharmacum bis accepit. Hoc est purgatus est bis pharmaco valde forti, & ex capite peculiariter educente, & purgatio durauit per aliquot dies;

vt fieri solet cum vehementius pharmacum est acceptum, & his actis, sex menses ipsum præteriuit morbus. Hoc est sex mensibus non est correptus à morbo, cum superioribus decem & octo mensibus crebro corripere. Dices, quorsum datum est pharmacum cephalicum, homini, per consensum cum ventriculo laboranti? Aut rursus dices, nõ laborasse per consensum cum ventriculo, quando quidem pharmaco cephalico adeo adiutus est. Sed scire oportet, partes quæ grauiter per consensum cum alijs, ob succum aliquem aut vaporem qui transmittatur, laborant, per sese non esse sanas (nam alioqui non compaterentur) sed habere in sese morbosum apparatus ob quem facile in compassionem trahuntur: præcipuè autem cum morbus iam inueterauit. Omnis enim sympathia diurnitate transit in idiopathiam. Ob hæc ergo causam capitis expurgatio huic profuit. Verum cum prima morbi radix non esset extirpata, recurrit malignius. Fuisse verò morbum huic in cerebro per consensum cum ventriculo, & in hoc per consensum cum toto corpore, constat ex ijs quæ subdit, narrans causas quibus morbus lethaliter redijt dicens, erat autem multiuorus, habens verò corpus biliosum, luctatus multum valde riguit. Itaque quia erat multiuorus ventriculo patiebatur, & quia erat corpus valde biliosum, confluebat in illum bilis, & cum ob voracitatem, & ob malam corporis naturam multa excrementa collegisset, luctatus vehementer, rigore, & post eum febre correptus est, agitatione & putrescentia excrementorum, & morbus comitialis redijt in noctem. Sequenti autem die, & rursus altera die, videbatur sanus esse & sine febre, sequenti verò nocte cœnauit lautè, & inuasit eum cœnatum morbus, tertia scilicet nocte (vt erat biliosus) post primum somnum & tenuit eum vigintiquatuor horas, noctem & diem, vsque ad horam cœnæ, & mortuus est antequam resipisceret, hoc est cum expectetur fore vt tunc resipisceret, vt qui ab apoplecticis passionibus euadunt, solent, mortuus est. Hic certè ab exercitatione, & ab intempestiuis cœnis, læsus magnopere est.

23 **E** *Umelus Larissa, rigida habuit crura, & manus & maxillas, & non poterat extendere aut flectere, nisi*
alius

alius flecteret, aut extenderet, neque maxillas diducere, nisi alius diduceret. Aliud autem nihil poterat, neque comedebat, nisi mazam, & mulsam bibebat. Vigesima die sedens cecidit supinus, & caput fortiter ad lapidem allisit. Et ipsi vertigo offusa est. Et paulò post resurgens. sanus erat, & soluta sunt omnia, præterquam quòd post somnum, cum excitabatur exiguum quiddam ligati erant articuli. Anni autem erant duodecim, aut tredecim, ægrotauit autem tres, aut quatuor menses.

Sæpissimè euenit vt palsiones quædam tardæ, & solutu difficiles, superueniente aliqua alia acuta & graui soluantur, sitque acuta passio tardarum iudicatio, cito scilicet insumpta materia, quæ antea lentè molesta erat, & noxia. Vt huic puero euenit, qui cum tres iam aut quatuor menses malè haberet secundum articulos, & difficilè moueretur, postremo cæpit malum ingrauescere, adeo vt haberet crura rigida, & manus & maxillas, ita scilicet vt non posset extendere, aut contrahere, nisi alius contraheret, aut extenderet, neque posset os aperire, aut manducare, deducens maxillas, nisi alius diduceret, ac proinde vteretur solum maza, pulcicula scilicet ex polenta & aqua, & mulsam biberet. Vigesima die ex quo cæpit rigidas habere partes, cû federet. vertigo ipsi offusa est, vaporibus crassis qui distentos tendones musculorum in artubus & maxillis tenebant, caput occupantibus, & cecidit in occiput, & caput fortiter ad lapidem allisit. Et sine sensu a cmotu, vertigine prope accedente ad apoplecticas passiones, tantillum fuit, sed mox cerebro, vt est membrum nobile, & proinde forte, discutiente flatus, surrexit, & sanus erat. Hoc est mox sanum se sensit, non solum ab hoc paroxysmo, sed & à priori malo. Soluta enim sunt omnia, præterquam quòd deinceps recens excitatus à somno, exiguum quiddam videbantur esse articuli ligati. Nimirum contraxerant huius articuli debilitatem, somnus verò vaporum effluuia cohibet, quos imbibentia ligamento, faciebant articulos videri ligatos, vsque dum vigilia vapores absumeret, & articulos laxaret. Tristis sane abscessus est, qui in membrum adeo prin-

ceps fit, fit tamen etiam hic sæpe vtiliter. Atque adeo in omnium morborum paroxysmis, eorum materia copiosius absumitur, Nam & in febribus nox quæ paroxysmum antecedit grauis est, quæ verò subsequitur magna (ex parte leuior existit, & epilepticos etiam vidi sæpe, aliquot diebus antequam paroxysmo corripentur, ex grauitate quadam corporis, & displicentia, suum malum præsentire, sequentibus verò hilariorese, ac velut absincumbente pidere liberatos. Hoc idem euenit huic ægroto, qui cū duodecim annorum esset, puerilibus adhuc morbis erat opportunus, in quibus sunt omnes qui ad cerebrum spectant, qui in adolescentia solui solent ætatis mutatione.

24 **I**N Larissa virgo quæ sanguinem vomuit non multum, suppurata facta, febribus superuenientibus, non liberatur, vsque dum tandem mortua est tertio mense, ante mortem autem obsurduerunt ei aures & non audiebat, nisi quis valde clamasset. Verùm ante sanguinis vomitum debilis erat.

Aphorismo. 37. sectionis septimæ ita est scriptum. Quicumque euomunt sanguinem, si sine febre quidem salutare, si verò cum febre malum. Galen. in commentatione dicit, febres cum sanguinis vomitu significare inflammationem ventriculi, non qualemcunque, sed magnam & semper au-gescentem: scimus verò inflammationes maximas, suppurari solere, maximeque in suprema parte ventris consistit. Nam vt in prognostico dicitur. Tumores qui in hypochondrio sunt magis faciunt abscessum, quam qui in ventre, minime vero qui infra vmbilicum. Quia vt sexto huius operis dicitur. Suppurationum vmbilicus terminus. Hæc sane mulier sine febre cœpit sanguinem vomere, & vomuit non multum, ac febris superuenit continua, quod aperit indicat, & si inflammatus ventriculus non esset, cum cœpit vomitus, tamen mox, accurrente pluri quam euacuetur sanguine, superuenisse inflammationem magnam ventriculi, quæ dictas ob causas facta est suppurata. Merito ergo non liberabatur à febre, neque sane liberata est vsque dum

dum tertio mense obiit, hectica arbitrò facta, ut solèt qui suppurati moriuntur. Nam primum quod suppuratis accidit, ut in prognostico dicitur, est, febrem non dimittere. Ante mortem obsurdierunt huic aures, quod humoris in caput raptum significat, estque lethale, cum non est instantis fluxus sanguinis ex naribus, aut parotydum. Hæc verò fiunt cum facultas est robusta, qualis sanè huic non fuit, quia & ante sanguinis vomitum, ex multo tempore ià erat debilis. Atqui fortasse ob hæc ipsam causam ex suppuratio ne in ventriculo mortua est, cù alioqui soleant qui bona ætate sunt vomitione puri, & subductione liberari.

25 **I**N Larissa famula Dyseridis adhuc iuuenula, cum venere vteretur, dolebat circum circa fortiter, alioqui verò sine dolore erat. Concepit autem nunquam, facta autem annorum sexaginta dolebat post meridiem, ut vehementer dolens. Cum autem ante meridiem porrum edisset multum & dolor fortissimus omnium qui antea ipsam corripuisset, exurgens asperum quiddam reperit in ore vteri. Deinde iam ipsa exanimis, altera mulier immittens manum extraxit lapidis quantum verticulum fusi asperum. Et sana iam inde erat tunc & postea.

OPTIMUM exemplum eorum quæ in nostris corporibus generantur præter naturam, miraculis similia. Gigni enim in renibus, aut vesica lapidem non est rarum, sed morbus eorum naturæ congruens, adeo ut Galenus primo de locis affectis dicat, ab ijs quæ præter naturam in partibus generantur argumentando, si lapis est, affectionem pertinere, ad renes aut vesicam, quasi in nulla alia parte possit generari: verum generari in vtero rarum est, non tamen impossibile, siquidem & in colo gigni alij affirmant, & ex recto intestino magnum lapidem se extraxisse, mihi quidam narrauit. Atqui profecto in solis vrinæ vijs gigni posse nulla euidenti ratione monstrari potest. Quare huic mulieri in vtero gigni potuisse non negauerim. Miror multo magis pondus hoc alienum tandiu eius partis naturam sustinuisse, ac post modum muliere iam facta sene, potuisse pellere. Verum
quæ

quæ rara sunt non admodum communes rationes sequi possunt. Huic ut alijs solet in vesica, in utero, congestione crassorum succorum genitus lapis est. Qui, cum iuuentula adhuc venere vteretur, motu impulsiveque vteri in ceruicem trudebatur, & magnum dolorem circumcirca os vteri faciebat, utero enim turgescente, & lapide durities & asperitate partes internas ceruicis collidente, necesse erat in ambitu, & partibus quibus cum alligatur, dolores sentiri. Alioqui verò, lapide in interno laxoque vteri spatio existente, sine dolore erat mulier. Nam & ijs qui in vesica habent lapidem, perinde euenit: Dolore crutiantur inter mingendum, alioqui sine dolore sunt, nisi lapis sit magnus, atque tunc quoque ponderis solum habent sensum. Huic verò iuuentulæ adhuc non fuerit lapis magnus, postea enim tam multis annis magna ei accretio fuerit facta. Hæc nunquam concepit, neque immerito. Nam ille lapis incidens in os, semen in uterum recipi prohiberet, & si quid receptum esset, pelliceretur, velut siquid præter naturam in ventriculo est, cibos potusque naturales facit euomi. Cum itaque adhuc esset iuuentula, sine dolore erat, nisi cum venere vteretur, facta autem sexaginta annorum, dolebat quotidie post meridiem, ut vehementer dolens, scilicet, quasi pareret. Neque certè absurdum erat. Fiebant enim illi dolores haud dubie, ut in parietibus, nixu facultatis expultricis vteri, ad extrudendum lapidem. Causa verò huius noui nixus fuerit magnitudo, & durities lapidis noua, & debilitas maior retentricis, & vteri ariditas ac contractio, quæ senectutem fuerit sequuta. Nam vterus corrugatus minus iam capere, & debilis minus retinere potuerit. Constat verò debilitatem retentricis, & maiorem quam antea molestiam, maioris motus expultricis esse causam. Fieri autem potest, ut facultas debilior (debilior enim etiam erat expultrix) cum maiori conatu plus efficiat, quam fortior cum minori. Accessit medicamentosa porri vis. Cum enim quadam die ante meridiem multum porrum comedisset, post meridiem, cum ingenti dolore omnibusque qui antecesserant maiori, excreuit lapidem, siue casu, siue medico quopiã ita consulente porrum comedit, certè non præter porri facultatè fuit, quod subsequutum est. Nã Dioscorides, de porro hæc dicit, vrinam ciet, menses pellit, venerem stimulat. Ob

hæc

hæc omnia, vim iuuandi facultatem vteri habet. Cum igitur (inquit) dolor fortissimus omnium qui antea ipsam corripuisset, qualis scilicet esse solet, cum iam foetus erumpit, exurgens præ dolore asperum quoddam reperit, id est tunc primum sensit in ore vteri, & exanimis facta est præ dolore, & ipsa iacente, alia mulier manu extraxit lapidem asperum, magnitudinis verticuli eius quem, extremo fusi, quo nent, mulieres affigunt, ad firmandum motum fusi, & vt quietius circumuoluatur. Res est nota. Magnitudo eius quanta nucis, figura rotunda & plana, Mihi quidem hoc non contigit videre, certior tamen factus sum, non multis ante annis, idem duabus mulieribus accidisse, altera erat virgo monacalis, altera, vt accepi vidua, quæ quia venere non utebatur, habebant antea solum dolorem grauante vt ex lapide in renibus. Excreuerunt verò postea haud dubie ex vtero, si vera narrata sunt, vt famulæ Dyseridis.

29 **M** Alius. Currus in ipsum incidit pondus habens, supra costas, & confregit costas, & tempus quoddam sublitit pus ipsi infra costas, sub splenem vltus, vulnus linteis religatum ad decem menses peruenit. Resecta verò cute, cauerna apparuit vtrinque, vsque ad omentum pertingens, & vsque ad renem, & vsque ad ossa pertingebat putrida. Huius habitum corporis latuit biliosum esse. Et in corpore putredo sicca omenti multum, & aliarum carniū quas oportebat statim proijcere, si quis posset sicco pharmaco dum robur aliquod homo habebat. Nam ab humidis nihil remittebat, sed putrescebant, à linamentis autem arefcente humore rigor corripiebat, & febris & putrescebant magis. Affluebat autem isthic putridum quiddam subnigrum, graue olens. Ante curationis autem aggressionem, quotidie multum foras exibat, erat autem non bene fluens. Agnitum est naturam morbi longius esse, quam sub cute, verum omnia recte patiens, non tamen videbatur liberandus, etiam si ipsum diarrhœa corripuisset.

Mulca

MULTA huiusmodi consentaneum est accidere, ijs, qui cum ex alto ceciderint, aut re aliqua dura, aut graui incidente collisi sint, primum quidem contēnentes, deinde exactis multis diebus, tabescunt, aut etiam sine tabe incautē moriuntur. Nimirum læpe rupturæ, aut collisiones manent interius sub sana cute, latenterque suppurationes, aut etiam malignæ partium putrescentiæ fiunt, vnde multis post diebus euenit mori. Velut huic Malico, in quem cum onustus currus incidisset supra costas, neque omnino contriuisset, & exanimasset (mirum profecto hoc est, euenit autem nonnunquam, ob rapidam celeremq; currus transgressionem) sed costas confregisset, & mox (vt est verisimile) fractura curata, factaq; repositione, & agglutinatione, vt solet, ad decem peruenit menses, ab eo tempore quo collisus est, & ijs exactis obiit. Quid tamen interim actum sit, & vt malum processerit, est notatu dignum. Post aliquot dies ex quo lesus homo est, pus sentiebatur ipsi subsistere, & interius latere, non intra thoracem, sed infra costas, ad lienis scilicet regionem, inter septum transuersum, & coxã in sinistro latere. Non est autem mirum alia in parte ictum esse receptum, & alia esse pus collectum, cum præcipuè, ea que pus recipit, cum ea que læsa est, habet rectitudinem, & ac comodatum positum ad recipiendum inde. Quare consentaneum est huic sinistro latere fractas esse costas, inde enim succus qui ad dolentem partem conflueret, non magna naturæ opera, detruderetur in inferiorem & debiliore & secundum rectitudinem positam partem. Cum hanc ob causam puris collectio ea regione sentiretur, sub splenem vltus est non quidem altè imprimis, quantum intelligo, sed iniustus, vt ex pustulis paulatim expurgaretur pus. Et conseruabat vulnus quod iniustionibus fecerat, linteis & ligaturis. Atque cum diu ita permansisset, & res procedere indeterius videretur, tandem, serius quàm oportuit, ad refectionem altam cutis chyrurgi peruenerunt. Qua re secta cauernosum & putridum vlcus, exesis iam, putrefactisque interius multis partibus, apparuit. Præcipuè verò apparuit ab vlceris ore duplex cauerna, per vtranque partem penetrans musculos abdominis, & peritonæum, & pertingens omentum. Neque certè in omento consistebat cauerna, sed demisso per eam specillo perueniebatur vsque ad renem, &

& vsque ad ossa, coxæ aut etiam spinæ. Peruenit hic homo ad tantam corruptionem, quia latuit eius corporis habitus esse biliosum, & cum id medici non intellexissent, neglexerunt primis diebus expurgatione uti. Cacochymia ergo effecit tantam putrescentiam, ut esset intra corpus multa putredo sicca omenti, & aliarum carniū, musculorum scilicet abdominis. Putredinem siccam diximus iam antea vocari ab Hippocrate putrescentiam partium ipsarum, non resolutarum in sanie, sed liuescentium, & foetentium. Eas ergo partes oportuisset, si quis posset, statim, ante scilicet quam eatenus processisset malum, & dum adhuc homo robur aliquod habebat (nam cum seclusus homo est nullus curationi locus iam fuit & ob morbi magnitudinem & debilitatem) proijcere sicco pharmaco. Nam ab humidis nihil remittebat malū, sed putrescebat magis partes. Hic ego intelligo vocari sicco pharmacu ferrum aut ignem, aut causticum. (Quibus enim alijs fit partium proiectio?) Humida verò vocari, non oleum solum aut pinguedinem (quis enim his in tanta putredine vteretur?) sed pulcillas omnes, & cataplasmata, & cerata, quæ & si sicca facultate essent, vehemētissime id facere non possent. Nullo autem ita sicco vsi sunt neque putrescentium partium proiectione, sed ceratis, aut pulcillis humidis, & linamentis ad siccandam partem, extergendumque pus. Ab humidis vero magis putrescebant linamentis verò, arescente humore, hoc est cum utebantur linamentis ad siccandam sanie rigor corripiebat, & febris, & putrescebant magis partes. Rigor sanè quia particulae aliquae sentientes irritabantur, febris, quia calidum rigore in cor fugatum, emergere volens, corpus totum inflammabat (ita enim fit sæpe ut febris succedat rigori, & si rigor non à succis putrescentibus, sed quacunque occasione coeperit) calor vero præter naturam auctus putrescentiæ maioris causa fiebat. Itaque omnibus quæ fiebant videbatur malum ingrauesceret. Affluebat autem circa ora vulneris putridus quidam succus, subniger, graueolens, significans scilicet malignam putrescentiam. Dices fortasse, quomodo ergo erat sicca putrescētia, si sanies affluebat? Certè in alto erat omēti sicca putrescētia, circa ora erat sanies ex carniū alimēto genita. Et ob id ante curatiōis aggressiōem, hoc est antequam inciperet chyrurgus curare, quotidie exhibebat

bat multum eius fanici, quia scilicet vlcus valde humidum erat & lōge; aberat à sano, erat vero mal e fluēs, hoc est non habens figuram idoneam neque accomodatam ad saniei expugationem. Et agnitum (inquit) est, naturam morbi longius esse quam sub cute. Naturam morbi non video quid aliud significare possit, quàm ipsum vlceris principium & causam, ac velut fundamentum, quo morbus ipse nascitur, & fulcitur. Velut si quis ob cruris imbecillitatem, aut vehemētē motū, aut calorē in eo exulceret aut phlegmonē cōtrahat ei? certe vlceris aut phlegmonis natura, seu ortus principii, in ipsomet crure sit: si vero crure nihil dictorū habente insigniter in sese, ob hepatis vitiū id malū fiat, dicitur merito habere alibi quā in crure naturam. Itaque quod nunc dicitur est, id vlcus altius habere causam & principium quo fieret, & seruaretur, quàm in ipsa cute discissa: nimirum in toto corporis habitu qui erat biliosus. Ac proinde nulla cura, quæ circa solum ipsum vulnus adhiberetur curari poterat, sed opus fuisset ab initio corpus expurgare sanis, ac dinceps partes quæ putrescere cōpissent, tēpestiue abigere. Verum (inquit) omnia rectē patiens, hoc est, etiam si omnia rectē ac secundum artem circa agrotum essent acta, tamen non videbatur liberandus, etiam si ipsum diarrhœa corripuisset. His verbis insinuat, visum sibi esse morbum adeo insuperabilem, & ob vitiosum corporis habitum, & ob vlceris malignitatem, vt & si omnia rectē essent ab a medico, atque etiam diarrhœa, quæ maximè videbatur posse cacochymiam tollere, superuenisset, superari non posset. Nimirum quidam morbi sunt per se insuperabiles, quorum tumis medicus arte repugnet.

27 **A** Vtonomus in Omilo ex capitis vulnere mortuus est decima sexta die, astatem media lapide percussus ex manu secundum commissuras in medio syncipite. Huic me latuit sectione opus habere, deceperunt autem me syncipite, habentes in se ipsis iaculi lesionem, postea enim per spicuum fiebat. Primum quidem in claviculam, postea autem in latus dolor fortis valde, & conuulsio in ambas manus venit. In medio enim capitis & syncipitis habebat vul-

cus. Sectus autem est quindecima, & pus prodijt non multum. Menynx autem imputrida apparebat.

RECTE quidem Hippocrates animaduertit qua parte, & quo telo percussus homo sit. Nam secundum commissuras in medio syncipite, loco omnium, quæ in capite sunt, periculosissimo, & lapide ex manu. Consideranda enim esse hæc, monet lib. de vulneribus capitis, quo etiam libro docet, ubi percusso capite, os fractum esse suspitio est, secundam esse cutem, dilatandumque vlcus, & nudandû os, ut quo modo id habeat, liquido constet. Suspiciamur verò fractum os esse, præter alia multa signa, cum demisso per vlcus specillo vsque ad illud, asperum esse sentimus etiam. Hinc fit, ut aliquando nos commissuræ decipiant, ut nunc Hippocratem. Cùm enim Autonomus haberet secundum commissuras læsionem à iaculo, id est a iacto lapide, putauit Hippocrates asperitatem quam fractum os faciebat, naturalem esse commissurarum. Qui quidem dolus postea patuit, cum Hippocrates symptomatum sæuitie compulsus, sero iam secuit. Nam quindecima secuit eum, qui decimasexta mortuus est. Satius arbitror, iam fuisset insectû relinquere, ne sectionis labore citius moreretur. Hic inflammationis magnitudine cerebri & membranarum, potius quam putrescentia mortuus est. Nam mortuus est conuulsus, conuulsione ex repletione neruorum. Membrana verò quæ decimaquinta, vlcere secto, & exemptis comminutis ossiculis comparuit, imputrida esse videbatur, & pus prodijt exiguum, velut ex inflammatis partibus redundans, nõ tamen ut ex putrefactis affluenter exiens. Conuulsio vero venit in ambas manus æque, quia in medio capitis & syncipitis habebat vlcus homo. Alioqui, si in altero latere haberet, contrario conuelleretur, ut fieri solere, antea, quarto libro in historia pueri Metrophanti, dictum est. Antecesserunt conuulsionem ut par erat, notæ repletionis, dolor scilicet fortis primum in clauiculam, postea in latus vtrunque, aut alterum, quodcunque contigit esse debilius. Non enim explicat. Hi dolores haud dubie, multo succo sursum è visceribus ad caput ascendente, facti sunt, qui caput iam occupans conuulsionem attulit, & conuulsione ac inflammationis magnitudine, febrem quoque. Cõmendat Celsus

cap. 4.

cap. 4. lib. 8. candorem & simplicitatem Hippoc. qui suum errorem tam aperte confitetur, contra ac imperiti, qui nihil se fatentur ignorare. Sunt verò eius hæc verba. A futuris se deceptum esse Hippocrates memoriæ prodidit, more scilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam leuia ingenia, quia nihil habent nihil sibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habitu, conuenit etiam simplex veri erroris confessio præcipueque in eo ministerio, quod utilitatis causa posteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus sit. Sed hæc quidem alioquin memoria magni professoris, vti interponeremus, effecit. Dicitis his explicat Celsus qua ratione soleat futura fallere, & qua ratione cauere oporteat ne fallamur, dicens, Potest autem futura eo nomine fallere qua æquè aspera est, vt aliquis hanc esse etiam si rima est, existimet eo loco, quo subesse hæc verisimile est. Ergo eo nomine decipi non oportet, sed os aperire tutissimum est. Nam neque vtique certa sedes, vt supra posuimus turarum est, & potest idem & naturaliter commissum, & ictu fissum esse, iuxta vt aliquid fissum habere. Quin aliqui etiã, vbi ictus fuerit vehementior quamuis specillo nihil inuenitur, tamen aperire commodius est. Hæc Celsus & multo plura ad hanc rem pertinentia, eo capite docet, quæ licet cuius inde petere. Interim tamen animaduerte Celsum non dubitasse, librum hunc quintum Hippoc. esse. Quod si illo seculo ipsius esse putabatur, cur nunc, tanto posterius, veritatur in dubium. Quin & Gal. ipse, qui nescio quo consilio alicubi negat, sæpe alibi sub Hippoc. nomine multa ex his libris citat.

28 **F** Amula in Omilo ex capiti s vulnere, duodecim annos nata, moritur, in media æstate decima quarta die. Ictum nuam quidam ipsi impegerat, & os contuderat, ac ruperat Sutura verò in vlcere erant. Hoc cognitum est recte sectione opus habere. Secta est autem non velut oportebat, sed quantum relictum est. pus in ipso factum est. Octaua rigor, febris inuasit: habebat autem non velut oportebat, quantum etiam prioribus diebus, quando febris non tenebat.

bat. Nona verò die reliquum sectum est & valde modicum pus cum sanguine subtus apparuit: & membrana cerebri pura erat: & somnus quidem occupabat febris autè non dimittebat. Conuulsio vero manum sinistram inuadebat. Nam in dextris magis habebat vlcus.

Hic casus proximo cætera similis est, præterquàm quòd muliercula erat duodecim annorum (quod vt in liberandis facit ad citiorem salutem, ita & in morituris ad citiorem mortem, præcipuè in ætate media) quodq; huic in dextram capitis partem vulnus magis inclinabat, proinde sinistra soluni manu conuulsa est, & quòd hæc tæpestiuè est secta. Tãetsi enim ad futuras etiã hæc est vulnerata, rectè tamè cognitum est sectione opus habere. Curauerant fortasse chyrurgi prius Autonomum, & successu admoniti, intellexerunt. Sed neq; in hac bene actum est quod oportuit, secta enim est tæpestiuè, non tamè velut oportebat. angustius enim est aperta cutis quàm, vt quicquid læsum erat in conspectum veniret, vt fieri oportere Celsus citato capite docet. Forte enim, cum ianux impulsu percussa sit, læsio late patuit. Quantum ergo relictum sub cute est, cõputruit, & pus contraxit, generatio vero puris (ita vt solet) octaua rigorem fecit & febrè. Habebat autè ea die, non minus, quidem puris, vt oportebat, cum pus febre absumeretur, sed quantum prioribus diebus, cum non febreret. Calore scilicet præter naturam, tantum putrefaciente, quantum absumeret, proinde nona die, quod ex prima sectione fuerat reliquum, sectum est. Bene sanè fecerunt, quod primo deliquerant, emendantes, fecissent tamè multo melius, quantum oporteret, prima sectione detegentes. Valde modicum pus cum sanguine subtus apparuit, & membrana cerebri pura erat, internis, vt in Autonomo, affectis, præterquam quod somnus eam semper occupabat (febrè enim continuam Autonomum etiam postremis diebus habuisse certo certius est) quod duplicem causam habere poterat, aut pituitæ cum sanguine mixtionem, aut cari aliquid cum conuulsione, ob concussionem quam cerebrum receperat ab impulsu ianua primum, deinde etiã fortasse a chyrurgicis instrumentis. Videndum enim chyrurgis etiam est, ne durius feramentis tractantes cerebrum, aut multum concutiant, aut comprimant, earum alioqui sola hac causa facturis.

29 **C**yrenius in Omilo suppuratus factus, infernum ventrem vsus, triginta diebus tardius quam oportebat. Moderatè se habebat, & resiccatum est pus in ventre. Verum in calidissimo tempore edens fructus horarios, & alios cibos non conferentes, à febre correptus & diarrhœa, mortuus est.

Ad omnes suppuratos, siue in thorace, siue in alui regione pus collegissent, utebatur Hippoc. vsitione. Atque cum inustiones non erant satis, ad sectionem penetrantem veniebat. Et sanè mihi persuadeo, hanc curationem futuram multis utilissimam, si tempestiuè administraretur: nunc verò paucis, aut vix vllis est auxilio, quia aut non fit, aut omnino tardius multo quàm oportet, partim quia ipsi medici quasi magna hæc sint, reformidant. partim quia ægroti nolunt obedire, nisi cum se mori apertè iam vident, tunc verò sero obediunt. Tempestiuus verò vsus horum est, cū ad huc sunt ægroto vires, quæ ferant. Inustiones ergo fieri debent, mox ac fientis suppurationis se exhibent signa: sectio autem mox ac effusum pus sentitur inundare. Quid enim à expectes, vbi hæc adsunt? An vt debilitetur vires? Huic ægroto vsio facta est triginta diebus, postea quam medicis suppurationem fieri ex signis agnouit. Non quidem fortasse triginta ab eo die quo fieri cœpit, non enim tam exactè agnosceretur, sed ab eo quo peritus medicus cœpit agnoscere. Proinde, etsi iuuatus, non perfanatus est, quamquā fuisset hic quoque fortasse, si multo tempore (ita scilicet vt oportet, eos qui ex longo & difficili morbo euadunt) se in bono victu continuisset. At verò nō fecit, sed fructibus horarijs intemperanter vsus, & cibis alijs prauis, vt fortasse oleribus, & leguminibus, correptus febre & diarrhœa, mortuus est. Dicit verò in calidissimo tempore edens fructus horarios. Quasi grauius sit in calidissimo tempore quàm in alio edi. Quod rectè dici non videtur. Nam horarij fructus sunt, fugaces illi fructus qui in æstate proueniunt vt cerasa, pruna, mora, duracini, ficus, vux, & eiusmodi qui afferuari citra corruptionem non possunt (aut passim, quo sane modo nihil minus sunt quam horarij) quare neque in alio edi tempore, quàm quo proueniunt, puta in æstate. Præterea
cum

cum hi fructus crudos & aquosos gignant succos, & facile corrumpantur, hacque causa noxius eorum usus, nisi satis moderatus, esse censeatur, si qua tamen proffunt certe ad sedandam sitim & appetentiam ciborum concitandam, & laxandam aluum, atque ita libem per sedem deponendam: qui sanè usus nullo potius tempore utilis sit, quàm calidissimo, quo fastidio, siti & ardore, ac bile laboratur. Atqui, profectò nihil probabilius quàm eo tempore esse utiles quo huc cum præcipuè in aliud tales seruari non possint, siquidè natura est in causis, quæ alicuius gratia operantur, & finis in bono semper est. Igitur multos fructus horarios, in calidissimo tempore edere, nihilo deterius erat. At qui profectò ego ita censeo. Innui verò quiddam aliud illis verbis, usum scilicet esse illum multis fructibus horarijs, ut intemperanter, ita negligenter in calidissimo tempore, hoc est in æstate media, atque in meridie, atque quoniam negligenter eo tempore, usum esse fructibus calidissimis, quales scilicet domum è foro illis horis deportatur, quo nihil est in victu nocentius. Nā cū fructus utiles sint ad attemperandū æstium feruorem, ut dictum est, noxij verò & periculosi ob facile corruptionē, accipi debent refrigerati, quātum possint cū corruptio agatur ab externo calore, refrigerati citra putrescentiā persistēt, donec commutentur, & attemperabunt multo magis, calidi contra attemperationem nullam præstabunt & in pituitam salsam, aut serotam quandam bile facile abibunt. Quo fit, ut qui calidis vtuntur fructibus, omnes fere in tertianas aut grauiore alias febres incidant, ac non pauci in choleras morbos. multi vero ob refrigeratos fructus à febribus liberentur, & si alioqui negotijs & exercitationibus sint implicati. Refrigerandi ergo fructus horarios ad mota niue, nullus arbitror, possit consuetudinem, non magnopere commendare, nam si quis ex fructuum frigore noxam sentit in ventriculo, is certò sciat se illis non indigere neque consulendum illi est ut vtatur calidis, sed ut paucissimis, aut nullis. Potus alia ratio est, multi enim læduntur frigido, qui nihilominus uti debent gelido. Vnde constat, multo magis esse necessariam niuem ob horarios fructus, quàm ob potum, tametsi ob huc, quoq; per æstatem & bonam autumnij partē, plerisque utilis est alijs tēporibus nulli, nisi iucunda, multis vero noxia. Qua propter ego vellem niuera

cum horarijs fructibus incipere ac desinere: atque interim fructus refrigerari quam plurimum, & accipere quencunque quantis indigeat iuxta naturam eum totius hominis, tum solius ventris, quæ calida sit & sicca, vel frigida & humida, vel inter has mediocrium aliqua, & iuxta consuetudinem, & experientiam quam quisque habeat proprii corporis. Potum vero non omnibus æque, sed suo cuique modo secundum eosdem scopos facta consideratione, essent enim ita, quæ nunc plurimi vituperant, vtilia. Hic vero cuius narratur historia, cum debilis ex suppuratione nondum sanata esset, comedit multos fructus horarios negligenter, atque adeo actu calidos, quales in calidissimo tempore sunt, & insuper alios cibos mali succi, vnde euenit, vt febre & diarrhoea correptus moreretur. Neque mirum, quid enim periculosius alui profluuium insuppurato.

30 **H**ECASON in Omilo, vt ille etiam alter, serius vltus est: similiter autem est exiccatus, præter exiguum quiddam, venter. Dysenteria autem surripuit, & ipsam effugiens, comedit quiduis, vsque dum totus intumuit: & erupit ipsi pus deorsum: & diarrhoea. Mortuus est.

HECASON in Omilo ab expurgationis defectu, & praua purgatione, in coxam decubuit illi dolor acutus: & hic quidem decessit, febres autem ipsum surripuerunt, & multum tempus in lecto decubuit, neque bibens quicquã, neque sitiens, debilisque existens, & rigens. Huic commode quidem ablatus est morbus, vt oportebat. Iuuabatur autem corpus ab ijs quæ offerebantur. Tandem erupit morbus deorsum, & totus secessit præ multa bile, & mente motus, & mortuus est: videbatur autem euasurus esse. Dubitare hoc loco euenit, an duo hi ægroti, casu eodem fuerint nomine, & in eodem oppido, an errore librariorum factum sit, vt alterius in alterum nomen transferretur, an idem ægrotus sit, atque in Hippo. chartis duplex narratio eiusdem morbi inueniretur, & qui compilauerunt nequid detraherent, ambas simul scripserint. Atqui ego in hanc victimam suspicionem feror, quia germana esse quæ narratur vtrobique, & in eundem hominem rectè incidere posse.

se, videntur. Est tamen secunda narratio amplior, & magis ab initio rem attingens, quamquam nō omnino ab initio, nō enim à primo morbo, sed ab abscessu. Nimirū hic ægrotavit morbo putri, quicumq; is fuerit, & cū neq; natura neq; arte, recte expurgaretur, abscessum habuit ad coxam, dolorem scilicet acutum. Hic dolor evanuit, neque dissipata, neque euacuata materia: atque proinde febres ipsum surripuerunt: ob quas multum tempus in lecto decubuit, laborans abundantia pituitæ. Nam siti omnino carebat, & debilis fiebat, & rigoribus inordinatis tentabatur: quæ quidem euenerunt ipso suppurationem contrahente in aluo. Nam in febribus quæ prorogantur languescente hominæ, & quosdam tales habente rigores, internam puris generationem fieri, suspicari oportet: quæ quidem ex interna aliqua inflammatione procedat, aliquando autem & ex alijs tuberculis non adeo calidis: quin & citra tumores præter naturam, fieri potest, ex succis crassis parti alicui hærentibus, ibique putrefactis. Ita hic agnitus est suppurationem habere: sed fortasse agnitus est serius, quod inflammationis notæ non antecessissent, atque ob id vltus etiam serius est, quam oportuit, vt Cyrenius. Similiter etiam vt illi, exsiccatus est vëter, vt totum pus, præter exiguum quiddam, consumptum fuerit: & corripuit ipsum dysenteria, & liberatus ab ea est: & morbus commode ablatu, vt oportebat, videbaturque iam sanus. Nam iuuabatur corpus ab ijs quæ offerebantur, & reficiebatur. Quo factum est, vt ille negligentius viueret, & nondum satis roboratus, comedit quiduis, & denuo ægrotare cœpit, grauiusque quam prius, intumuitque totus, debilitato certè hepate à prauis, multisq; cibis, & potibus. Tandē illi morbus deorsum erupit: erupitq; ille pus, & multa bilis deorsum, secessitque (inquit) illi totus morbus præ multa bile: hoc est, adeo multū bilis cū pure secessit, vt tota morbi materia secessisse recte putaretur. tamē sustinere homo iā debilissimus, nō potuit, & mēte motus, mortuus est præ diarrhœæ magnitudine. Mēte sanè moueri hos, qui moriūtur exhausti, euenit paulo ante mortē, vacillante mēte ob debilitatē. Vides vt hæc oīa eidem ægroto rectè cōgruant, eādēq; occasione fuisse, censere melius sit. Cætera sane narrationis huius, in alijs ante hanc explicuimus. Illud vnum velim modo consi-

deres, quantopere sibi cauere debeant conualescentes, etiam si rectè soluci esse morbi videantur, quia debiles cū sint, a leuibus erroribus grauissimè nonnunquam offenduntur. Id verò præcipuè timeri debet, in ijs, qui ob internas aliquas affectiones, periclitati sunt, habitualibus intemperiebus corripiti. Quo in genere sunt omnes interius, vbi vbi, suppurati, & qui ob inflammationes, aut erysipelata interna cœperunt marcescere. Cum enim horum debilitas esse in essentia, non potest eorum facultas nisi diutissimè reparari. Sæpe ergo, quibusdam quæ vigeant mitescentibus, incipiunt velut reuirescere. Cum vero eorum virtus non sit confirmata breui, ob erratum aliquod, non grauissimū, denuo præcipitatur. Itaque hi lentè reficiantur & diu sibi caueant, atque adeo omnes quibus ob malignitatem morbi, aut affectæ partis naturam, facultas videatur esse corrupta magis quam pro morbi longitudine, pluri tempore reficiantur, quam extenuati sint. Respicientibus nobis non quanto tempore, sed quantum sint debilitati quaque in essentia.

31 **I** M Salamine, qui in anchoram incidit, in ventre percussus est, & circumdolebat. Pharmacum autem bibit: & neque infra deiecit: neque reuomuit.

T O T U M hoc opus, obseruationis gratia, & captandi experimenta, potius quam docendi, scriptum esse, dictum mihi iam sæpe est. Atqui quoniam non vnum, sed plurima sunt quæ a medicis debent obseruari (nam & signa varia quæ superuenire solent in morbis: & varij exitus: & vires dierum decretoriorum: & auxiliorum medicinalium utilitates aut noxæ, ac denique vires ægrotantium) cumq; pharmaci expurgantis vsus tam sit insignis in hac arte, ac peculiariter ei fuerit tam familiaris: meritò illius vires peculiariter obseruauit Hippo. Quandoquidem idem pharmacum quosdam morbo liberat, quosdā euacuatione lædit, quosdam ne mouet quidem: idque ob diuersum cuiusque apparatus, vel naturale, vel præter naturam. Id ipsum voluit Hippoc. obseruare, atque quasdam historias videtur scripsisse, vt animaduerteret ægrotos læsos esse expurgatione,
alias

alias vt adiutos: quasdā etiam in hoc solum, vt animaduerteter dato pharmaco, nullam esse subsecutam purgationē: atque id quidem aliquando narrat simpliciter: aliquando insinuans causam, ob quam quis purgari non potuerit: aliquando narrans exitum, quem ea res habuit. Nimirum eorum qui à pharmaco non purgantur, quidam non læduntur multum, quibus scilicet nihil aliud actum est, quam quod pharmacum, aut multum confectum, cum alimentis est distributum, nutriens illud quoque: aut non satis ad actum deductum, deorsum exijt: quidam læduntur valde, vt quibus excrementa ad partem aliquam interius affectam tracta sint, aut toto corpore commota, conturbataque. Hic non narrat qui fuerit morbi exitus, qua causa autem nō fuerit expurgatus homo, probabiliter possis ex hijs quæ narrantur, coniectare. Nam cum in ventre percussus, circumcirca partem percussam doleret, consentaneum est, conuocatum eò esse sanguinem, & factam inflammationem: cum vero inflatio partem aliquam ventris tenet, nihil est magis pernitiosum, quàm pharmacum, quia nihil finit inflammatio euacuari, sed quicquid à pharmaco mouetur, ad sese alliciens. mirum in modum augetur. Nihil ergo deijcere hunc a pharmaco, neque reuomere lethalis affectionis, perito medico timorem faceret.

32 **M**ulier qua se ipsam iugulauit, suffocabatur, & data est ipsi multo post potio purgatoria, & exijt ipsi.

OBSCURA sanè narratio est. Vix enim intelligas, an se, postquam hæc omnia acta sint, mulier iugulauerit, antea autem quam daretur pharmacum, suffocatione solum laboraret, an malum cœperit à iugulatione, dicaturq; se iugulasse, non quod se repente iuguli sectione interfecerit, sed quòd sibi vulnus inflixerit, quòd deinde medici curare, tētauerint, & vulneri successerit suffocatio, ob eāq; pharmacum datū sit. Porro illud iugulari græcè *οψιλησις* quauis præcipuè dicatur de colli scissione, atque ea pars dicatur iugulum, transfertur tamen & ad omne genus necis, & se iugulasse dici possit, etiam si in ventre sibi vulnus inflixerit, quin etiam si citra vulnus, sibi alia ratione mortem consci-

uerit. Porro ubi nos vertimus exijt ipſi, Hippocrates dicit, ἐξέχωρσεν αὐτῆν Ianus Cornarius vertit, per ſeceſſum ſibi exijt. Alijs videtur, ſi id Hippocrates vellet dicturus ὑποξώρσεν, vt ſolet, aut vt in proxima hiſtoria dixerat διεξώρσεν καὶ τῶ, ac proinde intelligunt illud ἐξέχωρσεν energiã quãdam aliam habere, ac ſignificare, inde exire, ex vulnere ſcilicet, atque ita vertunt, exijt ipſi ex vulnere, quaſi ſcilicet ille dicat ἐξέχωρσεν ἐκ τοῦ θλκυσ. ἢ ἐκ τῆς τῶ ματος. Certe primo modo leue quiddam eſt, quod narratur. Nimirum huic non eſſe fruſtra datũ pharmacũ, vt mulieri in Salamine, ſed ſubſequutã eſſe expurgationẽ: ſecundo vero maius quiddam, & admiratione dignius narratur, ſcilicet pharmacum, multo poſt quã mulier vulnerata eſt, datũ, eruppiſſe per ipſum vulnus. Niſi enim deciffa erãt, gula, ventriculus, aut inteſtinũ, qui poterat per vulnus exire, quod per os erat ingeſtum? Sin autem erant, qui factum eſt, vt antea, neque cibus neque potus exiret? Certẽ deciffam fuiſſe dictarũ partium aliquã atque adeo gulam, ſi modo ſecundã ceruicem ſe vulnerauerat, conſtat, latuiſſe autẽ antea, quod exigua ſciſſio eam attingiſſet, & tunc demum vi pharmaci irritata vehementius expultrice, exiguam aliõquũ, ſciſſionem eſſe proditam, ac fortãſſe etiam, vehementi motu partem laceratã amplius. Hęc mulier mortua fanẽ fuerit. Nam hęc partes deciffæ, vt in aphoriſmo dicitur, non coaleſcunt, & quia niſi fuiſſet mortua, iugulatã fuiſſe, nõ diceret.

- 33 **A** Doleſcens qui ex Euboia venit, purgatus deorſum multũ intermiſſione facta quietus febricitauit. Deinde cum videretur per ſuperna indigere, bibit radicẽ purgatoriam debilem, & poſt potionem quarta die mortuus eſt, nihil purgatus, ſed ſomnus habebat, & non poterat ſedari ſitis.

H V I C poſt purgationẽ primã, quã præcautionis gratia, antequam aperte febricitaret, ſuſceptã eſſe coniecto, contigit febricitare, quia arbitror & ſi multũ expurgatus eſt per inferna, non tamen perpurgatus. Proinde intermiſſa purgatione, quietus id eſt, non deijciẽs iam febricitauit.

Deinde

deinde visus est per superna indigere purgatione, & res pessimè successit. Quid medicos deceperit iudicantes cū tali purgatione indigere, non possumus diuinare, cum Hippocrates non narret qua causā visum eis ita sit, tamen non rectè esse tentaram eā expurgationē, euētus ipse indicauit: nam mortuus est, ex morbo, qui non videbatur alioqui lethalis. Mortuum verò esse ob pharmacū constat, quia mortuus est quarto die à pharmaco, & ab eo suscepto somnus grauis ipsum tenuit, & sitis nō poterat extinguī, quasi ab eo coeperit homo laborare acutissimè, & lethaliter. Meritò autem duo hæc symptomata cōsequuta sunt pharmaci potionē, à qua nihil est expurgatū. Nam nihil experimento magis cognitū, quàm solere à pharmaco homines somno premiti vsque dum euacuatio incipit procedere, agitatorū excrementorū vaporibus vndique in caput ascendētibus, vsque dū cum ipsis excrementis per aluum detruduntur. Cū ergo, agitata quidē, euacuata autē nunquam sunt, meritò id symptomata perseuerauit. Sitis verò maxima excitatur, vbi pharmacū, cum excremeatis quæ traxerit, non tēpestiuè descendit, exustis ab eis gula, & ore ventriculi. Vnde constat, & si nullus possit esse satis purgatus, vsq; dum sitiat; saepe tamen a pharmaco sitim pessimam esse. Vbi Hippocrates dicit radicem; quidā volunt intelligi veratri, quod eius radicis esset ei crebrior vsus, nescio tamē qua ratione veratri radix possit esse debilis. Fortasse debilē dicens, innuit aliā quam veratri: nisi forte radicē debilem vocauit, quasi debilem potionē ex radice: fueritq; ex radice non debili parata potio debilis, ob exiguā quantitātē, & multarū rerū, a quibus eius vis deprimeretur, mixturā. Vtcumq; hoc habeat, est consideratione dignū, an fieri posset, vt hic qui à potione debili extinctus est, potionē vehementiorē hauriens liberaretur. Fortasse enim si, quæ cōmota sunt excrementa, fuissent etiā euacuata, euasisset. Neque a pharmaci vehementia, tam esset, quam ab agitatis, retentisq; excrementis, vna cum ipso pharmaco non exeunte, periclitatus.

34 **E**A serua cui d catapotio sursum quidem exhibant pauca, & suffocabant, deorsum autem multa, nocte mortua est. Erat autem barbara.

C A.

CATAPOTIA vocari Hippocrati quæ accipiuntur deglutiendo citra masticationem, antea dictum est. Vnde datum est id nomen pilulis, quia deglutiuntur, ut quæ potantur, non commansa. Exemplum quoddam aliud, sibi ipsi scripserat Hippocrates hæc mandans memoriæ, pravi exitus expurgationis. Quoniam verò neque affectionis speciem, nec dandi occasionem narrat, nihil hic possumus accipere aliud, quod nobis ex usu sit, quam non esse nobis temere purgationes tentandas, quasi non sint periculosissimæ, sed potius circumspiciendum esse, cui homini, quo morbo affecto, & qua occasione detur. Rectè enim Plato dixisse videtur, medicam purgationem, quæ pharmacis agitur, tunc solum esse utilem, cum summa vrget necessitas, aliter autem, nullo modo sanæ mentis homini suscipiendâ. Sed illud, Erat autem barbarâ, nunquid memoriæ gratia solam adiectum est? An illis etiam verbis aliquid utile indicatur? Mihi sane videtur. Scimus enim barbaros & eos qui longè aliunde, siue in Græciam, siue in Italiâ, siue etiam Hispaniam translati sint, ob magnam soli & patriæ temperiei mutationem, debiles fieri, & curationes vehementer minus sustinere posse. Quod ego, in æthiopibus expertus sum. Fortasse ergo ea serua ex expurgatione, per superna quidem difficili, quia exhibant pauca & suffocabatur: per inferna copiosa, mortua est, quia barbarâ, alioqui melius toleratura. Quare nos oportet æthiopes, & Indos, ac denique barbaros omnes qui longissimè asportantur, curare cautiùs, & magnis euacuationibus nunquam uti, medicis rarius, plerunque media pro euacuationibus esse contentos, quia hanc melius sustinent, quam nostrates.

35 **H**omo Euboëus, cum bibisset pharmacum expurgans, tres dies purgabatur, & mortuus est. Habebat verò manum suppuratam vsque ad cubitum.

Hic euacuationis magnitudine mortuus est. Oportet ergo virium rationem habere cum datur pharmacum, & si quid ea in re peccatum sit, tempestiuè occurrere. Occurratur vero cibo, quiete, clysteribus, & somniferis medicamentis: atque omnium, optimè, theriaca recentis. Et
desi.

desit, antiqua cum tertia parte philonij. Plerisque do the-
riacæ scrupulum vnum, Philonij scrupulum semis.

36 **S**ymmachi filius à bile suffocabatur nocte cum dormi-
ret, & febris ipsum teneret. Pharmacum autem bibēs
non continuit, neque purgatus est diebus sex, neque ante-
quam moreretur.

Hic mihi videtur ob nimiam bilis redundantiam, &
in superiora lationem purgari non potuisse, & hanc ipsam
fuisse mortis causam, quod scilicet caput, & cor, bilis affa-
tim occupauerit, & locus remedio non fuerit. Sed qui fieri
possit, vt redundantia expurgationem impediat: nimias
enim euacuationes videtur nata facere? Certè prohibens
pharmacū retineri. Cum hic igitur multitudine bilis, dor-
miens suffocaretur, quod multam in caput ferri, & supernis
partibus quæ circa thoracem caputque sunt, redundare in-
dicabat, & pharmacum bibens non retinuerit, ac ne pur-
gatus quidem sit, consentaneum est putare, bilis in superna
ventriculi parte, quæ supra septum transuersum est, redun-
dantiam retineri prohibuisse: sublata verò retentione &
tractione, expurgationem sublatam esse. Quid ergo hoc
casu agendum fuerit medico? non certè fidendum vni for-
ti pharmaco, sed paulatim vacuandum, crebrò repetita
vomitione.

37 **Q**ui apud Dromum habitabat, nocte sanguinem vo-
mens, postridie mortuus est, sanguinem vomens
multum, & suffocatus. In splenem autem & infra cruen-
tum ipsi exijt.

Hic ex vomitu sanguinis nimio mortuus est, postridie
ac vomere cœpit. Suffocauit autē illum ipsa, concreti iam
in ventriculo sanguinis, copia. Incepit illi malum à lienis
redundantia. Vt enim splenis eleuatio eruptiones è nari-
bus solet facere (dictum est hoc libro 2. huius operis plu-
ries) ita huic fecit sanguinis eruptionem per ventriculum,
dirrupta aliqua in eo vena, earum quæ ex liene procedunt.

Hanc

Hanc autem fuisse partem quæ miserit, indicat illud aliud quod euenit: quod scilicet cruentum illi exijt multum in splenem & infra. Nam hic illud verbum *ἐξ ὧ πῶς* non significat, vt in historia mulieris quæ se iugulauerat, è corpore euacuari (nam qui posset per splenē? Aut quæ ibi via est?) Sed ad cutē exire, atque apparere, seu efflorescere, & cruentum multum, significat cruenta exanthemata. Quare hoc, cruentū exire, est quod aliis locis vocat *τὸ ἀπὸ τοῦ σπλῆνος*, seu sanguinem manifestum. Exierunt itaque illi exanthemata perrubra multa aut vibices, aut denique maculæ ad lienem, & infra, in inani parte eiusdem lateris, secundum rectitudinem, quæ haud dubi è redundantiam sanguinis in subiecto viscere significabant. Cum igitur ibi sanguinis redundantia esse eo signo agnosceretur, consentaneum est, inde in ventriculum regurgitare. Nulla enim, mittendi in aliam partem, esse potest potior causa, quam redūdantia. Oportuit ergo huius curationem aggredi, secta vena lienis, aut interna in cubito sinistro, & refrigerantibus, & adstringentibus potioribus vti vt in aphorismo dicitur.

38 **P** *Ver à mulo vulneratus ventrem & hepar, mortuus est die quarta, spiritum autem densum habebat, & non intelligebat, & febris tenebat ipsum.*

Periculosissimus sanè locus est inter hepar & ventriculum, vt vehementer percutiatur. Ibi enim si vena caua dirumpitur, effulo toto sanguine, siue extrorsum, si vulnus homo acceperit, siue introrsum sub peritonæo, si contusa pars citra cutis vulnus sit, velut iugulatus, mox moritur homo: si minus, ob sanguinis abundantiam quæ eo loco est maxima, inflamatio magna mox oritur & in hepate & in ventriculo, atq; mirum sit, nisi etiam in tanta vicinia occupet septentrāuersum. Quod malum, quacūq; earum partium seorsum teneret, esset acutissimum, nedum omnes afficiēs. Tale quiddam huic factū est: qui quarto die est mortuus, vt ab acutissimo exactè morbo, ingēti scilicet inflammatione partium internarum. Habuit verò spiritum densum, quia habebat affectionem dolorificam partium, quæ cum thorace mouentur. Spiritus enim densus, vt dicitur in prognostico,

gnostico, significat dolorem Tenebat etiam ipsum febris, quæ ab interna inflammatione non poterat abesse Non intelligebat, quia erat, arbitror, mente alienatus (non enim tenebatur apoplectica passione) quod septi transuersi, simul cum alijs inflammati, significationem præbebat. Quamquam & per se, ventriculi & hepatis inflammatio, si maxima est, aut maligna, desipientiam solet facere: multo ergo magis, si omnia tenebantur. Atque ita etiam magis spiritus esset densus, quia septum transuersum præcipuum respirationis instrumentum est. Curari ergo oportebat, vt inflammatione earum partium occupatum. Alioqui nullus erat remedio locus.

39 **H**ermophili filius ægrotauit vndecim dies, febris autem tenebat ipsum, & non descendebant cibi, & primum quidem delirauit, nocte verò cessauit, sequenti autem die sine voce iacebat stertens, distortos habens oculos, febricitans. Penna verò immissa vomuit bilem atrā, & clystere immisso, stercus multum subiit.

PVERVLIS morbus est hic, creberrimusque eorum qui pueros solent affligere. Quanquam aliquando etiam natu grandiores fatigat: nimirum est ventris satietas, à qua febricitare eos euenit acutè, ob cibos computrescentes in aluo, & putidas fuligines copiosè in cor delatas. Eueniunt etiam deliria, & conuulsiones, & apoplecticae passionis, per compassionem cerebri cum ventriculo, à quibus aliquando intereunt: nonnunquam verò cum magna expectantium admiratione, liberantur, euacuatibus copiosè ex ventie facibus crassis, aut lentis, & ex superiori ventriculo, succis corruptis. Iuuantur itaque plurimum vomitibus & deiectionibus, & dum hæc non fiunt, ingrauescunt eis mala. Quòd vero immissa penna bilem atram vomuit, ne mireris, corruptione enim praua ciborum in ventre, multi pessimique colores fiunt, ac nonnunquam, multitudine corrupti cibi laborare incipiente ventre, occurrunt in illū succi prauis, quacunque parte corporis sunt,

&

& inde, ob partis naturam, grauissima cient mala, & cor & cerebrum in magnas compassiones trahunt. Ad hanc curationem accurrunt gregatim medicæ, atque vt sunt officiosæ sæpe conferunt, manibus oleo intinctis ventrem subigentes, admouentes cataplasmata laxantia, & vtentes crebro clysteribus, & glandulis, deglutire cogentes, semen hormini aut psyllij, quæ curatio non est noxia, nisi procedatur (quòd illæ nonnunquam faciunt) ad venenosa, vt haustam cerussam, aut argentum viuum. Hæc vitet medicus, simulque capiti & neruis moderatis inunctionibus, & idoneis suffitibus prospiciat.

- 40 **A**ristionis serua pes sponte sphacellatus est secundum medium pedis interius obliquè, & ossa pntrida facta absceperunt, & paulatim exhibant fistulosa, & diarrhœa successit, mortua est.

Sphacellus est ossium corruptio sponte facta, hoc est sine occasione aliqua externa: significat in corpore pessimū apparatus. Talem ergo cum hæc mulier haberet, mortua est: non sane ob pedis corruptionem (facilis enim est vel totius pedis iactura) sed diarrhœa facta est, malignis succis ad interna conuersis: ac fortassis etiam huic diarrhœæ ex malignis succis dysenteria successit, quæ ab atra bile lethalis est.

- 41 **M**ulier quæ sana erat, & crassa, à catapotio concipiendi gratia accepto, dolorem habebat ventris, & tormen in intestina, & intumuit, spiritus autem sistebatur, & perplexitas cum dolore, & sanguinem vomuit non multum, & exanimata est quinquies, vt mortua esse videretur, & neque vomitu facto ab aqua frigida laxabatur, neque dolor præsens neque spiratio. Superfusa autem illi super corpus sunt aquæ frigidæ amphoræ circiter triginta, & sane videbatur hoc solum prodesse: & postea deorsum exiit bilis copiosa; cum autem dolor eam teneret, nihil poterat secedere, & vixit.

QUAE crassæ sunt nimis, esse solēt ad conceptū ineptæ,
 vt dicitur aphorismo. 46. quinta, quia omentum illis os
 vteri comprimit. Mulier ergo hæc de qua historia narra-
 tur, talis cum esset, curationem suæ sterilitatis requirebat,
 atque cum extenuante victus ratione vti deberet, vt gracile-
 sceret, medicamentum expurgans accepit, quasi ob ca-
 cochymia concipere non posset. atq; ita non potuit res be-
 ne cedere. Tamen nõ mortua est. Cum enim sana simul es-
 set & crassa, difficulter tulit purgationem. Quia sana qui-
 dem, iuxta aphorismos. 36. & 37. secundæ sectionis: quia
 crassa, multò magis. Crassa enim admodum corpora non
 possunt esse fluida. Vtraque ergo causa euenit difficilis ex-
 purgatio. Solent verò vt dictis aphorismis dicitur, talia
 corpora colliquescere, & ob id extenuari, angi, ac debilita-
 ri, & tormina intestinorū pati, ipsis medicamentis, & praua
 bile quæ colliquescentia gignitur mordentibus intestina,
 Hæc euenerunt huic, ac præterea ob angustiam viarū circa
 vterum, & compressionem oris eius, maxima strangulatio
 ex vtero, accurrentibus succis ad partes cui ca vterum, & tu-
 mescentibus ibi consistentia vasa. Vnde euenit spiritum
 fisti, & intumescere, cum ab ipsis succis liquatis, neque fa-
 cilè exeuntibus, tum vel maximè, à flatibus qui vterinam
 affectionem mox sequuntur. Et perplexitas cum dolore
 (hanc enim perplexitatem parit anxietas, & anxietatem
 debilitas) & exanimata est quinquies vt mortua esse vide-
 retur, vt scilicet solent sæpe mulieres ex vtero. Accidit
 etiam sanguinem vomere: quod sanè corpori sano pharma-
 cum expurgans accipienti, non sine causa euenit. Nam, vt
 Galenus in cōmentario eius aphorismi, cuius bis facta iam
 mentio est, dicit, medicamentum proprium succū trahere
 appetens, bilem nēpe flauam, vel atram, vel pituitam, vel
 aquosam superfluitatem, quia isti non adsunt, sanguinem
 colliquat, colliquare vero non potest quin calfaciat, com-
 moueat, & exagitet. Hinc ergo eueniet euomi, aut per al-
 ium rejci: nam & insuper purgationibus solet post alios
 succos excerni. Purgatio vero in corpore sano, a princi-
 pio est, quasi superpurgatio, cum inutiles succi non adsint.
 Passio ergo hæc difficillima, has habebat causas. Curatio
 verò etiam fuit notatu dignissima. Data est ei aqua (ita vt
 sit cum deuorato pharmaco timemus) ad vomendum. Hip-
 pocrates

pocrates sane dabat in hunc vsum frigidam, sed plurimam
 vt vix toto ventre capi posset: nos tutius putamus dare pau-
 ciores, sed tepidam. Vomebat ergo ab aqua, sed neque
 laxabatur dolor praesens. Id est qui instanter vrgebat, neq;
 spiratio. hoc est difficultas respirationis. Nō (arbitror) quod
 vomitus non esset utilis (nam quidni) sed quod esset minus
 debiliusque auxilium quam pro tanto malo. Superfusz
 autem sunt illi super corpus aquae frigidae, amphorae circi-
 ter triginta. Res mirabilis, & quae nisi a generosissimo me-
 dico, tentata nunquam fuisset. Capit enim amphora con-
 gios octo, & congius sextarios sex, sextarius uncias vigin-
 ti. Tantam ergo aquae copiam in praefocatum ex vtero,
 quis nisi Hippocrates, aut alius nobilissimus medicus, in-
 fundisset? Iuuit, arbitror, medici ausus, quod hoc solū pro-
 desse videbatur. Sed dices, quo pacto prodesse poterat,
 cum vterina praefocatio passio frigida sit, Galeno auctore
 nono de compositione secundum genera? Certe ob cau-
 sam: velut febris nonnunquam calidis auxiliis, causam tol-
 lentibus, curatur. Quamquam ergo vteri praefocatio calo-
 rem naturalē extinguat, aliquando tamē a nimio aestu suc-
 cos colliquante incipit, fluxione scilicet ita in vterum, vt
 in partes alias solet, concitata. Ita vidimus plurimas in
 aestate media vi aestus praefocationem vteri pati, ex colli-
 quatione succorum vt coniectauimus. Ita huic ex colliqua-
 tione, caloris vi factum est malum. Talibus verō contra
 refrigeratione succurrendum esse. Calfactio enim collique-
 scentiam auget, atque ita & praefocationem. vnde con-
 stat, non vnicam esse rationem succurrendi hysteris, ne-
 que indistincte calorificis esse succurrendū eis, vt vulgari
 praxis fert, sed adhiberi debere in considerationem causae
 speciem, vt in alijs omnibus affectionibus, quae ex succo
 pendunt. Huic itaque commodē infundebatur frigida, &
 ad prohibendam colliquefactionem & ad reuocandum aui-
 mum (vt solet ijs qui animo linquntur) & ad sistendum
 sanguinis motum. Ita enim iuuare solet eos qui fluxu san-
 guinis vndecumque laborant. Res ergo optimē successit,
 refrigeratione est recreata facultas, & aluus soluta, & bilis
 quae vagabatur in aluū collecta, & inde excreta facile (nam
 cum dolor ipsam teneret nihil poterat secedere, & quia
 dolor trahens ad se, detinebat, & quia partes refriguit
 dolor res.

dolorem, non sese constringebat satis, vt expellerent) sed datus ergo dolor, & expulsa bilis est & vixit. Quam periculosa fuerit expurgatio hæc, satis indicat, dicens vixit. Dicit enim velut insperatum quiddam. Quapropter admonendæ acriter mulieres sunt, ne desiderio prolis quiduis facientes, se ipsas perdant, aut morientes cito, quæ fortasse postea peperissent, aut nouatis plurimis morbis, misere uiuant. Est enim hæc plurimarum perniciēs, Neque tamen proinde nego, esse talium idoneam aliquam curationem (dicaui enim ei Hippocrates opus proprium, cui de sterilibus titulus est) sed ne quidpiam faciant sine consilio dicti cuiuspiam medici, & viri boni, consulo. Quæ res profecto ab animi moderatione debet incipere, vt scilicet illa ita se comparent, vt parere non plus satis exoptent, sed intra rectæ rationis fines. Medicus causarum, quæ multæ ac variæ sunt, facta diligenti dignotione, nihil consulat, nisi quod magnopere non possit obesse. Hæc vero requirat ab Hippocrate. Sed & ego alibi, in hoc ipso opere de causis & pro curatione steriliū, egi compendiariè.

Antander à catapotio cætera sanus erat, circa vesicam verò videbatur dolorem habere. Purgata illi est acute magna purgatione, & à meridie dolor tenebat magnus, & in postèram diem strangulatio, & perplexitas, & iactatio, & vomebat, & nihil egerebat, & nocte male habebat, & somnus non accedebat: postridie verò egerebat multum, & postea sanguinem, & mortuus est.

Eccè aliud exemplum purgationis difficilis, non parū priori simile. Verū hic mortuus est, quia colliquatio ad ipsas vsque partes citissimè processit, & ita inemendabiliter læse sunt plurimæ partium internarum, primum quidem vesica, deinde ventriculus, tandem totus venter, quin etiam fortasse hepar. Euenit verò illud pessimum in hac expurgatione, quod nihil fecit tardius, quàm illud cuius gratia suscepta est. Nimirum primo mouit vrinam, deinde vomitum, postremo deiectionem, cum conuulsa oportuisset. Fiunt vero huiusmodi præpostera opera,

Yy

cūm

cum natura non vitur medicamentis, sed ipsa, corrumpendo, contra naturam quicquam faciunt. Antander ergo ab accepta portione purgatoria, cætera nihil mali sentiebat, circa vesicam verò videbatur habere dolorem. Purgata mox illi est vesica acute, magna purgatione: hoc est excrevit inde multum quiddam & crassum, quod haud dubie erat ramentum vesicæ, quod apertè indicabat, in partes ipsas procedere colliquescentiam, & à meridie dolor magnus ipsum tenebat, secundum exulceratam scilicet vesicam, & in posteram diem strangulatio, & perplexitas, & iactatio ab anxietatem, & vomebat, & nihil egerebat. Quoniam verò vomebat & nihil egerebat, constat strangulationem & anxietatem ex ventriculo esse. Et nocte male habebat, & somnus non accedebat. Nam qui posset dormire cum tanto dolore, debilitate, & anxietate? Postridie iam egerebat multum, procedente malo in intestina, & postea sanguinem etiam, hepate arbitror iam debilitato, & deponente sanguinem. Vitiatis ergo iam tam multis internarum partium, mortuus est.

43 **A** Thenadæ puero masculino phagedena laboranti, doluit à sinistris dens infernus, à dextris supernus: bovis auris dextera suppurata est, cum iam non doleret.

NON narrat qua parte haberet puer hic phagedenam, hoc est vlcus exedens: quacumque autem parte haberet, prauo succo vti inde significabatur. Qui vero ita affecti sunt, facile multis fluxionibus laborant, & multis partibus dolent. Hic doluit dentibus, superno à dextra parte, & inferno à sinistra, liberatus est deinde a dolore, permutatione facta humoris in aurem dextram, qua suppurauit, cum iam cessasset dolor dentium. Certe à dentibus ad aurem, & ab aure ad dentes, crebram permutationem, & facilem compassionem esse experimento quotidiano constat: causam esse suspicor, in communibus nervis. Portio enim quintæ coniugationis, eorum qui ex cerebro oriuntur, quæ in porum auditorium se inserit, miscetur, quæ maxilla dearticulatur, cum portione tertix coniugationis, quæ inseritur in radices dentium, & gingiuas. Fiunt tamen abscessus,

abscessus, ut dicebatur libro 2. sectione prima, per venas, aut ossa, aut nervos. Quod autem in sola dextra aure facta fit suppuratio, significat dolorem dentis dextri, & superni, ex maiori fluxione pependisse, quam finistri & inferni: & hunc discussione, illum, non sine abscessu, solui potuisse.

⁴⁴ **S** Vtor soleas veteramentarias suens, pupugit se ipsum supra genu in femur, & ferme digitum immerfit. Huic quidem nullus sanguis effluxit. Ulcus verò citò clausum est: femur autem totum in tumorem eleuabatur, & tumor intendebatur vsque ad inguem, & inanem partem. Hic tertia die mortuus est.

VLICERA omnia iuxta articulos præcipuè grandiores, ut genu, & cubitum sunt periculosa, & vlcèrum omnium puncturæ maximè, & ex quibus recentibus sanguis non effluit. Quæ omnia misero huic homini accidere. Afferunt verò hæc omnia idem periculum, conuulsionis scilicet, quia ad articulos multi nervi & tendines sunt, qui vulnerentur. Et punctura icti facilius inflammantur, & minus expurgantur, quam icti aliter. Et cum sanguis non effluit ex ulcere, cum necessario ad vlcèratam partem conuoceatur, necesse est phlegmonem fieri. Hæc vero neruum occupantia, mox afferunt conuulsionem: præcipuè cum nervus aliquis insignis magnitudinis pungitur altius. Tunc enim per continuatas fibras, necesse est, inflammationem, & tentiorem produci vsque ad nervi exortum, indeque & vsque ad cerebrum: vnde communis corporis totius conuulsio, & per conuulsionem citò mors venit. Velut huic, cui nervus altius fuerit punctus, cum ferme longum digitum, immerferit in crus acum. Sunt vero illic plurimi nervi, insignis magnitudinis omnes, præcipuè is qui ab anatomicis dicitur quartus mouentium crura, qui maximus est omnium nostri corporis, & conflatu ex quatuor serie procedentibus, vigesimo quinto, sexto, & septimo, & octavo, eorum qui ex medulla spinæ nascuntur. Hic decurrit iuxta genu, inclinans ad partem posteriorem. Hic potuit

pungi, & sanè alte fatis. Quod factum esse, & ob dolorem phlegmonosum esse affectum neruum vsque ad eius radicem, dolor ille qui per totum femur, & inguem, & inanem partem, attingit, vsque ad spinalem medullam, declarauit. vnde malo translato ad cerebrum, contigit conuulsium mori tertia die: miraberis quòd tam cito, tamen & tetanù esse morbum quatuor dierum Hippocrates docet. Hic habuerit magnum apparatus quem maximam mali cau sam fuisse, suspicor. Videns nullo sanguine exeunte puncturæ osculum mox obturari, vulgaris homo contempsit, neque venam mox secuit, neque vlcus dilatari sibi poposcit, vt oportuisset.

45 **Q**uidam iuxta inguem sagitta percussus, quem nos vidimus maxime præter opinionem seruatus est. Neque enim cuspis exempta est (erat enim admodum in profundo) neque hæmorrhagia vlla fiebat mētione digna: neque phlegmone; neque claudicauit. Nos autem cuspidem inuenientes exemimus, cum sex iam essent anni, ex quo percussus erat. Suspectio autem erat hæc, inter neruos occultatam fuisse cuspidem, nullamque venam, aut arteriam dissectam esse.

RES est certè hæc admiratione digna, & in qua nature vim maximè possis laudare quæ cuspidæ sagittæ, aut spherula plumbea in alio manente, vlcus obducit cicatrice ad cutem, & circum circa ipsam cuspidem, aut spherulam facit etiam carnem sanescere, vt sine corrosione, aut putrescentia, aut phlegmone, multis etiam annis, ac totâ vitam persistat. Tamen non est tam rarû ac mirabile. Sæpe enim euenit. Causam verò quo admirationem deponas, Hippocrates reddit dicens, fieri id, cum euenit inter neruos, & venas, & arterias, delitescere, vt nihil illorum dirrumpat. Caro enim sola decissa facile sanescit. Profectò multo minus inopinabile est, telo aliquo tali interius concluso, sanescere vlcus, quàm si quid olei aut pinguedinis aut quæ fordities maneret. Illa enim sicca sunt, & putrescere incerta, ac proinde, neque curationem admodum impediunt, neque

neque computrescunt. Neque tamen solet natura alienum illud pondus contemnere, sed semper pellens extrorsum, ad cutim facit paulatim abscedere, hancque procedente tempore tantopere extenuat, vt minimo negotio excidatur, extrahaturque ita cuspis, aut spherula. Quinetiam fortasse si dimittatur, ipsa sibi autem exulcerabit, ac exhibit: vt factum sæpe videmus, cum quid decissi ossis sub sana cute relictum est. Habuit hic euentus peculiarem admirationem, quod altius iuxta inguem percussus sit homo. Est enim proximus articulus maximus, & magnus congressus venarum, arteriarum, & neruorum, in crus subeuntium, vt satis peritus videatur futurus dissector, qui manu, illis omnibus illæsis, cuspidem in alto collocauerit. Verum nonnunquam affert casus, quæ vix afferre posset prouidentia. In spatula sanè aut medio femore, aut clune, aut etiam medio brachio supra cubitum expectare quis posset hanc fœlicitatem, verum in ceruice, aut inguine rarissimè, ac proinde maximè præter opinionem, non solum vulgarium, sed & medicorum. An Hippocrates hunc viderit recens percussum, ipsumque etiam, vt alios chyrgos, latuerit cuspis, quam ipsemet post sex annos exemerit, an solum cum multo iam tempore cuspidem interius continuisset, ipse accesserit, non satis constat ex narratione. Suspico eum dixisse, quem nos vidimus, vt insinuaret se plurima huiusmodi audisse, vidisse hoc solum. Omnibus enim nobis ita euenit, atque ita est natura comparatum, vt harum rerum quæ admirationis gratia narrantur, audiantur plurimæ, videantur paucæ.

46 **Q**ui iaculo acuto percussus est, posterius paulò infra seruicem vulnus accepit, aspectu quidem, non dignum mentione, non enim in alto fiebat, non autem multo tempore post, extracto telo, tetano correptus est, in posteriora tractus, vt opisthotonici, & maxillæ ligatæ sunt, atque si quid humidum in os acciperet, & id conaretur bibere, rursus relidebatur ad naves: & reliqua statim peiora fiebant, & die secunda mortuus est.

Hic percussus est inter spatulas, paulò infra ceruicem, iuxta ipsam spinam. Constat ergo transfixos esse in suo exortu duos, eosque maximos musculos, mouentes caput retrorsum. Oriuntur enim illi à quinque primis vertebrais dorfi, & duabus vltimis ceruicis, & implantantur in occiput. Meritò ergo illi telo acuto transfixi, conuulsi sunt, si, vt est verisimile, corpus erat plenum & immundum: atq; illis conuulsis, necesse fuit caput & ceruicem retrorsum trahi, fierique hominem opisthotonicum secundum eas partes: conuulsione verò serpente in partes proximas, ligatae sunt maxilla, vt non possent aperiri, conuulsis musculis claudentibus maxillam inferiorem (superior enim immobilis est per se) reflexa vero retrorsum ceruice cum capite, necesse erat impediri deglutionem. Comprimitur enim eo modo gula. Vnde fiebat (velut quibuscunque impedita est deglutio) vt siquid conaretur bibere, relideretur in nares, & ob eum laborem, reliqua omnia peiora fierent: homine scilicet hinc strangulationis periculum tubeunte, & sanguine in caput magis accurrente. Hic vero die secunda ab ulcere mortuus est. Neque immerito, cum valde lethalia signa prima die acciderint. Velut enim si quarta fierent, septima timeremus ægroto: ita cum prima fiunt, altera, aut etiam eadem die merito timemus. Nam superuenientia signa, siue salutaria siue lethalia, si cito apparent, morbum contrahunt, si tardius, producant. Itaque dicens non multo tempore post extracto telo tetano correptus est, eadem die intelligit. Neque vero quia extractum est telum, conuulsus est homo, sed quia percussus. Neq; enim vulnus erat, ex quo sanguinis, aut spiritus copiosum aliquod profluum fieri posset, & ipsomet telo quod infixum esset, cohiberetur. Non enim vulnus in alto fiebat, & in ventrem aliquem penetrabat, sed exiguum erat, & externum. Factum est autem adeo lethale, ob locum, & apparatus, quem in corpore esse contigit.

- 47 **A** Dolefcens qui cucurrerat viam asperam, doluit cal-
 caneum maxime inferna parte. Abscessum autem
 locus non recepit, vt humorum conuocans, sed quarta die
 pars tota nigra reddita est, vsque ad vocatum talum, &

cauum quod est è regione pectoris pedis, & quod nigrum erat non effluxit, sed prius interiit. Dies autem omnes à cursu vixit viginti.

QVAM periculosus sit malus corporis apparatus, & cacochymia in corpore latitans, hinc disces apertissimè. Vnde enim, qui mediocritatem bonorum succorum haberet, nihil contraxisset mali, præter exiguum fortasse dolorem, sola quiete solvendum, qui vero multitudinem bonorum, aut etiam non omnino malorum, podagricum aliquem dolorem, aut tumorem non malignum, hic quod malignos succos congessisset (neque enim poterat aliter fieri) contraxit mortificationem, die quarta à cursu (quod magis mirere) nullo prægresso tumore, vt videretur succus ad partem conuocatus: Vnde quid coniectes aliud, quam hominem, non tam multitudine, quam maligna qualitate laborasse? Habuisseque interius intra viscera latitans virus aliquod veneno proximum, quod in eam particulam (dolore præstante motus initium) depositum est? Nō expulsam autem inde, veneficam vim in cor reffudit intra viginti dies. Hoc quoque est euidenti argumento (quod Galenus vltimo de locis affectis multis confirmat) posse, atque adeo solere, intra nostra corpora gigni veneno similia excrementa, atque posse alicubi multo tempore latere, vsque dum aliqua occasione commota, repentinis afferant casus. Vnde qui sapit maximè cauebit prauis succis cibis vt, neque confidet, quod nihil mox sibi sentiat mali accidere. Si enim venenum latere potest, quanto magis succus aliquis prauus? Quin potius à talibus solent homines occultius lædi. Quæ enim sunt coctu difficilia, aut tardè descendentia, aut flatuosa, aut impensæ calida aut frigida, hæc statim lædunt, quæ vero citra hæc omnia, sunt mali succi, statim nihil videntur facere, paulatim vero malis replent, & in periculoso statu corpora constituunt. Die- rum decretoriorum vires, etiam in hoc ægroto obseruari possunt, siquidem quarto coepit denigratio, & mors vigesimo. Verum perpende vigesimum notasse Hippocratem à cursu, quia quodcunque malum ab externa aliqua, & vehementi causa incipit, inde accipere principium motus

est consentaneum, & inde computatio debet incipere, ut à partu ab ulcere à casu à dolore. Quod si utriusque computationis rationem haberi vis, mortuus est vigesima à cursu, decimaseptima à denigratione.

Qui oculo percussus est, percussus quidem secundum palpebram, cum acus altè penetrasset. Gena vero tumebat: secta palpebra sedata sunt omnia: nihil malum. Oculus permansit: & sanus factus est facile. Sanguis autem exijt largiter & multum.

Puncturæ profundæ nulla ratione melius curari possunt, quam discissâ parte, ut pro punctura ulcus longum, patensque fiat. Porro in ulceribus recentibus nihil magis est ex usu, quam ut sanguis effluat: sanguine enim fluente, ut lib. de ulceribus dicitur, gracilescentia fiunt, ac minora: hoc est, minus inflammantur, & citius sanescunt. Hæc punctura fuerit haud dubie in palpebra inferiori deorsum, cuius causa gena è regione puncturæ intumuerit. Verùm oculus ipse nulla parte ictus est, sed extorsum ac deorsum punctura decucurrit, & curatus est ut oportuit, secta secundum longitudinem puncturæ palpebra, & ex sectione, ac fortasse ex recens accepta punctura, sanguis exijt largiter, ac multum. Quantum verò momentum habeat hoc, ad salutem, inde intelliges, quod hic oculo altè punctus, facile sanitati restitutus est. Sutor vero soleas veteramentarias suens, qui se ipsum pupugerat supra genu, cui nullus sanguis effluxit, mortuus est die tertia.

49 Virgo illa pulchra Nerei, quæ quidem erat viginti annorū, à muliercula amica ludente, lata manu percussa est secundū sinciput, & tunc quidem vertigine tenebrosa correpta est, & respiratione priuata, & cum in domū venit, statim febris eam tenuit, & doluit caput, & rubra circa faciem erat. Cùm autē septima iam esset dies, per aurem dextram pus exijt, fætidum subrubrum, plus cyatho: & videbatur melius habere, & subleuata est.

Rursus

Rursus intendebatur febris & deferebatur in somnum, & loqui non poterat, & dextra faciei pars trahebatur, & respirationem habebat difficilem, & conuulsionem, & tremebat, & lingua tenebatur, & oculus stupidus. Nonā mortua est.

DEBILISSIMAM partem capitis esse synciput, Hippocrates dicit libello de vulneribus capitis, cerebrum dicēs & citissimè, & maximè, iuxta synciput sentit mala, quæ & in carne, & in osse fiunt, sub tenuissimo enim osse, ac modica carne cerebrum est hac parte: & plurimum cerebrū sub syncipite iacet. Exemplo certè euidenti est hæc virgo, quæ nona die obiit ex ictu quem lata manu accepit: quod secundum synciput accepit. Porro euenit, quibusdam plus, quibusdam minus, esse hanc partem debilem. Huic certè putandum est fuisse natura debilissimā. Concussum enim & compressum est cerebrum. Vnde compressione attingente neruos opticos (& si sub lobis anterioribus cerebri perreptant) & concussionem ventriculos cerebri, repente priuata est visu cum cerebri perturbatione (quam vertiginem tenebrosam appellant) & ob spirituum in cerebri ventriculis interceptionem, respiratione priuata est, velut cautocho correpta: non tamen ea passio diu durauit, sed (ut fieri solet) ad se reuersa, in domum iuit. Quo cum venisset, statim febre correpta est cum capitis dolore, & faciei rubore, quæ signa erant inflammationis in capite. Quam suspicionem euentus veram esse indicauit. Siquidem suppuratio tanta subsequuta est ut septima die exierit per aurem dextrā puris plus cyatho (hoc est sesquintia) nā dolorem, quem ictus fecit, conuocasse multū sanguinis rubor faciei declarabat: subsequuta verò est suppuratio, neq; ea quidem bona, sed maligna, si quidē exijt foetidum, & subrubrum, quale est quod aphorismo. 44. sectionis septimæ vituperatur, & fieri solet partibus quæ contusæ aut inflāmatæ sunt, simul cum humore malignè putrescentibus. Exeunte verò pure, visa sibi est mulier melius habere, deposita scilicet ea materiæ malignè putrescentis portione. Verum partes non manebant integræ, neque naturaliter dispositæ, sed putrescentes, & dolentes, & conuocantes fluxionē nouam.

Vnde

Vnde merito euenit, vt cito febris intenderetur denuo, & longè grauiora symptomata quam prius, vt morti iam proximæ superuenirent: nimirū delatio in somnum, & conuulsio dextræ partis faciei, & tremores (hoc est motus conuulsui) & aponia, & dyspnœa, & oculi etiam dextri stupor, seu immobilitas seu rigor, vt cunque lubet dicere. Certè hoc etiam erat eius oculi conuulsio. Hæc omnia pessimè iam affecti cerebri, & egrotæ moribundæ esse cõstat, ei qui vel tantillum prognosticæ artis caluerit. Conuulsionem su peruenisse morienti ea cerebri affectione, admodum erat consentaneum, cum cerebrum radix sit neruorum. Delationem illam in somnum ego quidem in tam extremo cõstitutis, per facultatis impotentiam fieri iam suspicor. Què enim pituitæ motum oportet iam causari, cum somnus remissio quædam sit actionum cerebri, cuius virtus iam labascit? Linguam quoq; teneri, erat conuulsionis. Dyspnœa, huius etiam, & debilitatis. Facultate enim debili, & instrumentis veluti alligatis, aut reuulsis, necesse erat difficultatem magnam oriri, ac necessitate cogente vix vi respirare. Quod conuulsio retinuerit dextram partem, ex affecta parte ortum est. Nam dextram partem capitis huic præcipuè affectam esse, & doluisse, exiens etiam indicauit è dextra aure pus. Id factum fuerit, quòd casu, percutiētis manus, in dextram partem grauius incubuerit, vel quòd eam partem mulier habuerit paratiorem. Sed miretur quispiam meritò quo pacto fieri potuerit, vt hæc non deliraret: aut si delirauit, vt id Hippocrates tacuerit. Ego sanè non possum mihi persuadere, cum iam in extremis constituta erat, eam mulierem mente constitisse. Verum fortasse id latuit per delationem in somnum, & aphoniam. Primis verò diebus & si teneretur inflammatione cerebri, & partium circuncirca consistentium, existimo fieri posse, vt non deliraret. Nam quâquam phrenitidis essentia à Galeno in cerebri & membranarum eius inflammatione ponitur, atque adeo plurimi phrenitidem in membranas reijciunt magis, scimus tamen non semper delirari his inflammatis. Vidimus enim in capitis fracturis membranas, præcipue duram inflammarî conspicuè, atque adeo suppurari, postea & frustratim extrahi, homine non delirante. Vnde mihi persuasi, non quancunque cerebri aut membranarum inflammationem esse phrenitidem,

nitidem, sed eam per quam penitissimæ partes cerebri, in quibus mentis sedes est, sunt malo succo imbutæ. Vt liceat nobis hic, Hippocraticam phrasym vsurpantes dicere, succos etiam facientes phlegmonas in cerebro, vergere nunc ad animam: ad corpus quidem, cum exteriores potius tumant partes: ad animam; cum interiores sunt imbutæ. Huc respiciens Paulus, seorsum scribit de phrenitide, & de cerebri inflammatione. Quasi hæc sine phrenitide fieri possit, tanta, vt cerebri tumor faciat dehiscere commissuras. Hæc itaque mulier vna carum fuerit, quibus ad corpus vergit malum, ac proinde conuulsiones, quæ corporalia sunt symptomata, habuerit, potius quam deliria, quæ animalia vt ita dicatur. Quid fuerit huic factum, non narrat. Timeo ne non fuerit missus sanguis quantum oportuit.

50 **C**leomenis puer hyeme incipiens, cibum capere nō poterat, sine febre. Vexabatur, & vomebat cibos & pituitam. Duos menses fastidium durauit.

Non videtur hæc narratio perfecta, sed lacera, & mutila. Neque vlla ratio esse potest, supplendi quod deest. Proinde id quod est solum viderimus quam habuerit causam. Certè & à pueri, & ab hyemis natura satis alienum est fastidium, quin & à pituitosa dispositione. Hæc enim cibi capiendi necessitatem, cupiditatem verò non solet tollere. Quin potius solent pituitosæ dispositiones facere, vt appetatur plusquam coqui possit. Et fames quædam canina ita fieri consuevit, refrigerato ventriculo. Cæterum & si horum singula, puerilis scilicet natura, quæ vorax est, & hyems per quam plurimum solet capi alimenti, & morbus pituitosus ventriculi, augere soleant appetitum, omnia simul eandem augmentia intemperiem, merito ipsum etiam appetitum corruerint. Omnis enim immoderantia nimia, tollere potest actionem quamcunque. Nam & ex ipsa nimia fame, crescente eadem affectione, fit bulimia, per quam iam ne appetitur quidem. Pueri & si natura calidi sunt, tamen ob humiditatem naturalem, & ob voracitatem, sunt passionibus pituitosis opportuni. Hyems augere solet calorem ventris, frigidis verò valde, siue naturaliter, siue

sue præternaturâ , auget frigus. Verisimile est ergo , hunc natura non admodum calidum, victu prauo factum esse frigidum , & ab hyeme auctam eatenus esse passionem frigidam, vt non solum retinere, sed neque appetere posset. Fuit verò puero ipsummet symptoma morbi curatio. Nimirù euacuata per vomitum multa pituita , moderatior est facta intemperies, & cœpit appetere.

¶ **C**oco in spina gibbositas ex phrenitide facta est. Huic nulla potio pharmaci conferebat. Vinum autem nigrum & esus panis , à balneis abstinere , & fricari leniter, foveriq; non cum multo fomento, sed mansuete .

GIBBOSITATES fiunt ex quibusuis morbis, acutis, abscessu factò in ligamēta vertebrarum spinæ , vt scilicet in alios articulos fieri solent: ex phrenitide autem fieri, peculiarem habet quandam causam : quia spina rectitudinē habet cum capite, cuius phrenitis est morbus. Itaq; ex phrenitide gibbositatem superuisse non habet magnam admirationem: aliquanto autem maiorem habere videtur ratio curandi quam Hippocra. docet. Si enim verum est, vt Gal. docet c. 5. 4. de locis affectis, gibbositates luxatione vertebrarum fieri: luxationis verò earum tantum duas esse causas, ictum casumve (denique causam externam) aut tubercula in earum ligamentis orta : cum huic citra causam externam sit facta gibbositas , fuerit sanè ex tuberculis. Hæc vero cur iuuaretur vino nigro, & esu panis, cibis sanè crassifucci ? cur recusatet balnea, & copiosa fomēta? Certè mihi vidētur gibbositates nō eas solū causas habere posse , quas Gal. dixit, sed omnes quas luxationes. Constat verò aliorū ossium luxationes fieri, nō solum exuulsis suis locis ossibus ob contractionē ligamentorū , sed etiam ipsis articulis factis laxioribus , ligamentorū emollicione. Velut enim succus qui in nervos incidit, nunc conuulsionē facit, nunc paralyfim, ita qui in ligamenta, nunc contrahit, nunc laxat. Alterum quidem auellit, alterum facit loco excidere ossa. Vtrūuis horū fiat in ligamentis vertebrarū, necesse est gibbositates superuenire. Hunc curatio indicat laborasse mollietie, & laxitate ligamentorū, adiutus enim est victu solidiori, panis & vini nigri (scilicet moderate sumptorū) & cura
tione

tione ficciori, frictione scilicet sine balneo, & fomēto non copioso: ne copia molliret, sed qualitate resolveret ac siccarer. Panis certē est cibus qualitate omnium moderatissimus, si ex optimo sit tritico, tamē firmus & solidus, ac proinde non resoluens. Vinum quoq; nigrū nutrit solidius, & nervos tētat minus, vtpote minus penetrās, & fluxiones minus ciet, vt minus tenue. Quod verò dicunt vulgo, esse humidius, falsum est, si cū albo tenui oligophoroq; cōferatur, ac nisi cū acri: verum est, solere esse minus siticulosum quod nigrū, quā quod albū. Id verò fit, quia est crassius, & eius humor magis manet. Velut ptisana sitim magis sedat, etsi humidior quā aqua non est. Itaq; vbi partes adstringere, & formare opus est, nigrū quā albū est cōmodius. Nā & laxata aluū firmari ab eo sentimus. Frictio resoluit, siccās etiā partes: balneum resoluit succos non minus, ipsas tamē interim partes emollit. Proinde huic optimē consultū est, frictione sine balneo. Fomentū quoq; quod resoluēdi succos gratia, & laxādi partes admouetur, copiosum sit: tamē quod gratia siccādi, facultate possit, plusquā copia. Sed dices præter rationē esse, vt pharmaci nulla potio cōferret, cū id vitiū, ex prauo succo ligamēta occupāte, pēderet. Nō quia Hippo. dicit hūc nulla pharmaci potione adiutū esse oportet intelligere, ad has pāsiones inutilia esse pharmaca: non enim hoc dicit Hippo. sed narrat hūc non esse adiutū, quāquam iuuari alij quā plurimi ita affectorū solent. Cōsiderari ergo oportet, cur quidā nō iuuetur, cū soleat pharmacū in ea affectione esse vtile. Qui morbis quarūdā partū, ex materia vitiosa pendentibus, laborāt, iuuantur pharmacis, tunc maxime, cum cacochymia totius corporis fouet affectiones, quæ sunt in parte: cū verò iam succi in parte firmati sunt, & reliquum corpus purum, particularibus auxilijs, & bono victu, & tēporis beneficio, fidendū potius est. Corpora enim talium, vtpote sana, male ferunt purgationes. Quod impactū in parte est, non cedit: quo fit, vt multi horum lædantur pharmacis, quod facultas debilitetur, & morbus non remittat. Tale quidam est consentaneum huic coco accidisse: cū laborasset phrenitide, & vt in ea dispositione solet, corpus missione sanguinis, & expurgatione, aut iudicatorijs excretionibus vacuatum esset, & ita redditum purum, reliquias vitiosi succi sola ligamenta

ligamenta vertebrarum occupasse, & factum esse gibbifum, ac proinde tulisse male expurgationes: tutum vero fuisse corpus nutrire pane & vino, quod corpus non simul ægrotaret, sed, ut est verisimile excretiones fierent similes sanis. Hæc eadem historia repetitur lib. 7. & ubi hic dicitur fricari leniter, dicitur illic, inungi, & inunctum fricari. Ego eandem rem censeo utrobique dici. Quia inunctio facit frictionem lenem: sicca enim aspera etiam est. Ne igitur asperitas frictionis fluxiones vllas commoueret, satius fuit fieri lenem atque ut lenis fieret, præire inunctionem.

52 **E** I quæ vigesimum ætatis annum agebat, & pharmaco-
cum corruptorium biberat, accidit labor. Vomitus biliosorum multorum, pallidorum, & porraceorum. Cum bibisset, conuulsio tenebat, linguam mandebat cum ad quam ventret: & ipsa lingua erat magna, nigra, oculorum autem alba rubra, in somnis. Quarta die mortua est noctem.

IVREIVRANDO astringebat Hippo. suos discipulos, ne cui darent medicamentum subditium ad perdendum foetum. Longè cum maiori periculo dabitur pharmacum. Proinde quæ qualia ve sint hæc, dicere non licet, siquidem neque eis vnquam uti. Illud vnum dicam, (quod deterre-
re potius quam allicere potest) omnia quæ vere ac proprie sunt corruptiua, venenosa esse, utcumque autem faciat foetum eijs, esse vehementissima, & periculossima: quo potius corporis apparatu, non dicam, ne incauto modum vtenditalibus doceam. Quantum periculi in eis sit, vel hæc puella indicat, quæ cum viginti esset annorum, sustinere non potuit, sed quarta die, cum symptomatis quasi accedenti veneni, periit. Libro septimo narratur rursum hæc eadem historia, & est illic aliquanto copiosior narratio, quæ narratur vomuisse cum potaret, non solum porracea, sed etiam nigra. Narratur etiam conuulsionem die tertia accidisse. In quibusdam codicibus post hanc historiam scripta occurrunt hæc verba: organum potum oculis malum, & dentibus: in quibusdam verò nihil est tale.) Quare cõstat, aut

aut ab aliquo esse præter rem interiectum, aut ab alijs quæ si huius loci non sit, expunctum. Vrcunque hoc habeat; si quis expungit, rectè mihi videtur fecisse. Nam neque verū est quod dicitur, neque si esset, haberet hic locum. Repetitur occurret libro septimo.

53 **P** *Vella quæ à rupe ceciderat voce est priuata: iactabat sese: & vomuit ad noctem multum sanguinis: cum secundum sinistra cecidisset, copiosius effluxit. Melicratū difficulter bibebat. Stertor, spiritus densus, vt morientiuū. Venæ circa faciem intentæ. Decubitus supinus. Pedes tepidi. Febris debilis: vocis interceptio. Septima vocem rupit. Calores tenuiores tenebant. Superstes fuit.*

R *RARVM* quiddam, & miraculo simile est, hanc euasisse puellam. Quia symptomata, quæ subsecuta sunt casum, læsa esse membra, partim principia, partim ad vitam necessaria, videbantur indicare. Siquidem vocis interceptio repentina post casum: & à casu, & vocis interceptione, vomitus, læsionem insignem cerebri, videbantur indicare. Copiosus sanguinis ex naribus, & ex ea parte in quam ceciderat copiosior fluxus, rupturam aliquam venarum: difficilis deglutio & stertor, tuberculum aliquod obortum ad gulam & laryngem, quod strangularet. Venæ circa faciem intentæ, inflammationem firmatam in capite: spiritus morientium, decubitus supinus, pedes tepidi, & febris debilis, quid aliud quàm debilitatem extremam, aut maximam viscerum inflammationem significare poterant? Si quid igitur mortuam dixisset, neque miraremur, neque causam inuestigantes laboraremus, sed cum dicat fuisse superstitem, vt fieri potuerit, oportet dicamus. Si hæc symptomata citra vllam manifestam apparuissent, meritò medicus de salute desperaret, quamquam ne sic quidem valde confidere poterat, in tanta grauissimorum symptomatum concursione, nisi fortè quæ non est conuulsionem passa. Hoc enim solum videtur mihi defuisse ad certissimam mortis præensionem. Verum si ob solam internam causam, vt sanguinis raptum in caput sponte factum voce priuaretur, & stertet,

teret, neque posset deglutire, & venas circa faciem haberet intentas, quis non aliquam apoplecticarum passionum tenere mulierem iudicaret? Atqui apoplexiam fortē, quæ citra causam externam fiat, curari non posse, inter medicos omnes conuenit. Galenus verò in fortibus ponit eam, quæ aphoniam habet cum stertore. Apoplexiam verò quæ fit ob externam causam, etiam si cætera videatur esse fortis, solui aliquando posse, indicat aponia ex ebrietate, quæ si symptomata spectes, grauissima videatur apoplexia, soluitur tamen nonnunquam, qua hora solent solui crapulæ. Nimirum quod pendet ex causa externa, soluitur cum ipsius externæ causæ motus solui solet. Vt quæ ex ebrietate, cum solent solui crapulæ, & hæc quæ ex casu, cum solent solui, aut remittere labores ex plagis, aut contusionibus: plerumque, vna septimana. Itaq; consentaneum est censere, huic nullam partium præcipuarum, neque necessariarum, dirruptam, aut laceratam, cõcussas plurimas, & sanguinem icctum & dolore, exagitatam, magis verò secundum sinistram partem, secundum quam magis iccta est, affatim sese sursum collegisse: qui ob multitudinem exijt è naribus copiose, & ex sinistra magis. Solutis vero doloribus & tentationibus partium ita laborantium, septima die loqui cœpisse, & melius spirare, ac cætera melius exequi. Vt si ob pedis contusionē in celsu priuata, tunc remittente labore incedere inciperet, miraremur quidem minus affectionem, utpote externam intuiti, esset tamen ratio eadem. Verum satius fuerit singulorum causas coniectando percurrere. Repente quidem priuata fuerit voce ex casu, ob concussionem cerebri interceptis animalibus spiritibus, & ob contusionem vocalium instrumentorum, ut musculorum linguæ, aut neruorum recurrentium, aut vtrorumque: & hæc omnia seruauerit, auxeritque redundantia sanguinis, in partibus, tumidas eas & male flexiles faciens: vomitus concusso & contuso ventriculo: stertor & difficilis deglutio, ob angustiam hælophagi & viarum spiritus, quas tumidæ etiam venæ facerēt, & motum difficilem musculorum gulæ, & eorum qui descendunt in thoracem: decubitus supinus ob debilitatem, non in facultatis essentia, sed quod facultatis animalis esset exigua distributio in partes. Ita & frigus pedum, & febris debilis, quòd sanguis non æquè effusus in partes, sed sursum

sum collectus esset affatim . Laxatis intra septem dies partibus, à lassitudine, vt ita dicam remittente, septima (inquit) vocem rupit, quod non sine magna dictionis energia dicit: quasi enim modo aliquo tenerentur instrumenta aut vinculus quibusdam nixu facultatis ruptis loqui cœperit dicit, vocem rupisse. Calores, inquit, tenuiores tenebant ne intellige tenuiores quàm prius (erant enim antea pedes tepidi, & febris tenuis) sed calores tenuiores, idest tenues, quasi diceret, iã inde febribus laborabat manifestis, nondũ tamen magnis. Et superstes euasit. Nimirum solutis laboribus supernarum partium, & calore ac sanguine æquè effusis, calere cœperit corpus, & ob obstructions non potuerint integri perdurare succi, quare putuerint, & febres acciderint, ac febris quidem non omnino magna (maxima enim per sese esset periculosa) iuuerit, quia ipsa suam causã confecerit, ac ita superstes fuerit. Puto autem nunquam futuram fuisse superstitem, nisi fluxisset ei sanguis tam copiose, & solum melicratum deglutisset: atque (vt fieri sæpe solet) vnde qui aderant vulgares, maximè timerent, ea fuerit mulieri salutis causa.

54 **P**ythocles agrotantibus lac multa aqua miscens dabat .
 Perniones dissoluere, tepesacere pedes hoc modo, precipue calefacere igne & aqua. Oculis quam maximè malum lenticula. Fructus horarij dulces, & olera . Dolentibus verò secundũ lumbos, crura, & coxam, ex laboribus, marina & aceto calidis aspergere, & spongiã plenã admo-
 uere: deligare verò lanis succidis, & agnims pellibus .

Hæc quoque videntur interiecta, & nullo ordine positam tamen non prætereunda censui, quia in omnibus codicibus scripta reperi. Neque sanè est quod admodũ in hoc libro quo per pauca præceptiones, sed obseruationes vt occurrerent Hippoc scriptæ sunt, ordinè requiras. Quãquã videt ex loquendi modo, illud solũ quod de diluto lacte dicit esse Pythoclis, cætera dici ex Hip. sentetia, ego quidẽ suspicor, oēs has curationes esse Pythoclis. Fere enim pleraque cõsuerunt græci, precipue qui breuiloquio studet, verbis

infinitiui narrare . Itaque perinde intelligo , ac si diceret ,
 dissoluebat , tepesfaciebat , calfaciebat , aspergebat , admoue-
 bat , delirabat . Non dicit quibus ægrotantibus daret Py-
 thocles lac multa aqua dilutum , insinuare videtur , crebrū
 eius vsū homini fuisse in plærisque morbis . Fortasse vte-
 batur hoc pro visū . Nam libro septimo repetuntur hæ cu-
 rationes Pythoclis , ibique ita legitur lac multa aqua mi-
 scens dabat , & renutriebat . Quibus verbis insinuat , pro
 alimento dari : tamen si ab Hippoc. didiceris noxas lactis ,
 quas ferè vno aphorismo collegit sexagesimo quarto quin-
 tæ sectionis , videas per paucis morbis congruere posse . Nā
 vel tabescentibus , ad quos maximè cōmendatur , non con-
 uenit valde dilutum , sed aliter præparatum , vt minus aliū
 moueat , & minus acelcat . Ego de lacte diluto non habeo
 aliud quod dicam , quàm me eo vti solere ad gagarismata ,
 & oris collutiones in febribus , ijs præcipuè , quæ fauces sic-
 cant , & exasperant . Perniones cutis refrigeratione , & den-
 satione fiunt , proinde calfactione , & laxatione curantur .
 Nulla re facilius calefieri possunt manus aut pedes , quàm
 igne . Verum ignis calor non adeo laxat , quin potius , si plu-
 rimum quis ignem sustineat , vt exuri incipiat cutis , etiam
 corrugatur , & adstringitur . Proinde meritò Pythocles cal-
 faciebat alternatè , igne & aqua calida . Calida enim aqua
 laxat simul & humectat . Quare igne calefaciente , & aqua
 laxante , ac vsionem prohibente , dissoluetur materia , laxa-
 bitur cutis , & temperabitur pars . Nec sanè sola aqua tepida
 agetur commodius (quamquam ea videatur vtrumq; præ-
 stare posse) quia cum ea valde molliat , nisi emollitio ignis
 ficcitate corrigatur , manebit pars noxæ ab ambiente aere
 peropportuna , & occurrens ille , mox findetur , & afficietur
 grauius : quin & vtenti alternatè aqua & igne , etsi minus ,
 non nihil periculi inde est , ac propterea qui curatur , nun-
 quam debet , manicis duplicibus , & mollibus , manus ex-
 uere . Itaque pernionum curatio hæc mihi valde probatur .
 Oculis malum esse vt lenticula , & fructibus dulcibus ho-
 rarijs , & oleribus , consonum etiam est rationi : siquidē om-
 nium horū sunt vapores crassi , & dissolutu difficiles . Dul-
 cia enim crassarum partium sunt . Olera verò , aqua & terra
 leuiter permistis , consistentiam habent . Lenticulam acient
 visus obtundere Dioscorides affirmat proprio capite , *cras-*
sam

fam enim & flatuosam substantiam habet, vt alia fere omnia legumina, & plus etiam quam illorum plurima. Curare vero dolorem lumborum, crurum, & coxæ ex laboribus, hoc est, cum dolor ex labore, ac defatigatione ortus est, aspersione marinæ & aceti, & admota spongia illis plena, ac deligatis lanis succidis, & agninis pellibus, non semper probo, sed tunc solum, cum frigida humidaque intemperies cum succo est: aut, etsi ea intemperies in parte non sit, talis humor in partem influxit. Nam marina calfacit & siccatur. Lanæ etiam succidæ, & pelles agninae calfaciunt & digerunt. Acetum siccatur, & facit marinam penetrare. Qua facultate, ad coxam præcipuè, maximè est opus. Itaque est hoc vnum quoddam eorum auxiliorum, quæ ad dolorem coxæ, lumborum, ac crurum, commendari meritò possint, nullum tamen est omnino, quod ei morbo curando, vnicum possit esse satis. Nam neque vlli alio, nisi adhibeatur distinctio causæ & naturæ hominis.

55 *Nulloni inguina tumescabant, durà & sine dolore, & circa pubem, & in ceruice similia magna. Febris primum quidem lenta tertio mense, quarto venter distentus est. Febres superueniebant. Lingua sicca, sitis, deiectiones per inferna difficiles. Mortuus est.*

Hic ob prauum fortasse victum congestis multos succos frigidos, quorum redundantia debilitato naturali calore factus est hydropicus, & ex hydrope interiit. Frigidorum redundantiam facillè indicabant multi scirri, & magni, in partibus adenosæ totius corporis, vt in inguinibus, in pube, in ceruice, exorti: fiunt enim aut à melancholia, aut à crassa pituita: quod est duplex genus frigidorum & crassorum. His putrescentibus, primum quidem tertio mense facta est febris lenta, quales scilicet ex crassis & frigidis fieri solent: mense quarto venter iam distentus est, & lingua reddita sicca, & facta magna sitis, vt scilicet in hydropicis fieri cõsueuerunt. Febres etiam superueniebant, id est, præter eam febriculam, quæ hydropicis quibus est siccitas linguæ,

& fitis, adest, superueniebant aliquando erratico modo febres, aut ob erratū in victu, aut ob casu exagitatas aliquas crassorum succorum partes. Accidit difficultas egerendi: quod hydropicis quidem superueniens, malum signū est: significat enim humiditas omnes, potus, cibiq; partes, in vētris illam cauitatem, aut in venas arteriasq; transfusi, & ob id fæces arefcere. Quod cum fit necesse est hydropem augeri, vsque dum septi transuersi prohibeat motum, aut calorem intoto corpore extingnat: velut contra, cum hydropicis superuenit alui profluum, aqua à venis in ventrem confluente, solutio fit, vt dicitur. 14. aphorismo sectionis sextæ. Ob id igitur hic mortuus est. Quæ historia nos admonet, vt cum multa sparsim per corpus (magna præcipuè) videmus oriri, cacochymiam citò conemur emendare. Nā hæc quæ ita pulullant, in internis laterè humorum magnū vitium, significant. Quæ nisi euacuari præueniant, maioris alicuius morbi causa fiet.

56 **C** *Vi Caput lapide percussum est à Macedone, cecidit. Tertia sine voce erat. Anxietas: febris tenuis: non valde in temporibus erat pulsus: nihil audiebat omnino, neque capiebat: non sine tremore: sed quarta mouebatur. Humiditas circa frontem, & sub naso, & vsque ad mentū & mortuus est.*

NON dicit qua parte capitis percussus fuerit. Quod (vt in historia virginis Nerei diximus) non parum refert ad magnitudinem periculi. Verum nulla parte capitis contentū dum vlcus est, nisi sola cutis sit cultello incisa, ne dum cū lapide est contusa, & dissecta. Mox ac accepit vulnus, cepit lethalia signa habere hic: nam cecidit: hoc verò ponit Hippoc. lib. de vulneribus capitis in signis fracti cranei, & lesionis quæ interna capitis attigerit. Itaq; haud dubiè huic cōtusum craneū est, ad interna vsq;. Vnde inflamatio in internis cerebri cōtracta est. Manifestè autem non statim, sed tertia die, aut quarta, vt dicitur lib. de fracturis, vulnera pleuraq; ingrauescant, vt quæ ad inflammationem procedunt, & quæ ad febres. Tunc ergo, cœpit hic esse sine voce
&

& nihil audiebat omnino, nec sapiebat: scilicet etsi loqui non posset, ex nutibus constabat nihil audire, neq; intelligere: nec sine tremore erat, sed quarta (qua etiam mortuus est) mouebatur: conuulsuè scilicet. Dictū enim sæpe mihi iā est, apud Hippo. nomē tremoris significare omnē motū tremori similem: quare & conuulsium. Hæc inflammatio nem magnam in alto cerebro ortam indicabant: per tantā verò affectionem tam principis mēbri, necesse erat anxietatem fieri: nam & cor ad magnam compassionem trahe- retur: atq; (etsi id nō dicat) difficilis fieret respiratio. Febris vero apparebat tenuis, & pulsus in tēporibus nō valde in- erat. Quod affectio interna esset, & per internas arterias & venas, potius quam per externas fluxio reciperetur, cōtra ac in virgine Nerei factum esse dicebamus. Quod huic iā exhalanti animam sudor exiguus, ac guttatim, quem humi- ditatem vocat, factus sit per faciem, a fronte ad mentū, cō- sonum est, eis quæ de sudore in prognostico dixit Hippo. quorum causas ego in eius loci commentarijs reddidi.

57 **E** Niates proprio iaculo percussus à tergo, lateris sini-
stra parte, vlcus quidem non dolebat. Tertia vero
gravis dolor ventris: non excernebat. Abluto autem per
clysterem, sterco ad noctem. Non intermittens labore,
sedebat in scrotum. Quarta vero pubem & aluum dolor
tenebat. Viuens sine tremore esse non poterat. Biliosa vo-
mebat syncera. Oculi velut eorum qui animo linquuntur.
Post quinque autem finiuit. Dolor quidam tenuis inerat.

SI V E hic se suo iaculo spōte traiecit, siue casu in illud
incidit, siue ab alio quoppiam suo ipsius iaculo percussus
est, nihil refert. Qua parte, & quousq; videatur fuisse læsus,
oportet dicamus. Latere sinistro à tergo est percussus. Nō
narrat an ad costas supernas, quas & legitimas vocant, an
ad infernas, quas nothas: verum quoniam læsio præcipuè
videtur pertinuisse ad ventrem infernum, vel vsq; ad pubē
& scrotum, constat non esse illatum vulnus superna thora-
cis parte. Si enim inde descendisset iaculum in imum,
dirrupisset pulmonem, & septum transuersum, ac mi-

rum ni attigisset cor, aut aortam arteriam: quare repente accidisset mortuus: superest fuisse vlcus postrema & ima parte thoracis, iuxta septum transversum, inferius tamen. Inde verò iaculum deorsum versus intestina, non fursum versus thoracem confedisse, eadem ratio declarat. Cæterum quia, primum quidem non excernebat, deinde vero tertia die, ablutis clystere, merum stercus, sine cruore aut sanguine, eiecit, constat non penetrasse vulnus in interna intestina, eorum tunicis laceratis, sed constitisse inter ea & peritonæum: præcipuè cum labor, seu grauis dolos, seu velut pederis sensus (nam hæc significat νόσος ad scrotum descenderit. Quod quidem fit ex ipsomet peritonæo productione quadam. His ita statutis, quo pacto accidisse hæc omnia fit consentaneum, enarremus. Iaculo, quomodo, & qua parte, diximus, traiectus, vlcus quidem non dolebat, quia inflammationem non valde contraxerat, ob magnam fortasse sanguinis effusionem: quam, quia factam non narrat, suspicor factam introrsum, sanguine in ventrem effuso: quæ cum necesse esset corrumpi, & malignas qualitates contrahere, factum est, vt tertia die dolor grauis ventris fieret, copia grumorum sanguinis grauante, & præmente, & qualitate maligna mordente extrinsecus intestina. Tamen non excernebat, quia mordentis, & maligni, nihil erat intra intestina. Et cum ob hanc molestiam, & excernendi difficultatem, clystere esset ablutus, excreuit exiguum stercoris, ob cuius excretionem, labor non intermittebat (neque enim inde nascebatur) sed non intermittens, velut residebat in scrotum, grumis sanguinis eo iam pondere delapsis. Quarta iam die, auctis copia & malignitate, morsum patientibus testiculorum ligamētis, & ceruice vesicæ, & quæcunque eo loco sita sunt, & totis intestinis, pubem & alium dolor tenebat: & quousque mortuus est, sine tremore esse non poterat: quem tremorem consentaneum est fuisse rigorem, ob mordicationem intestinorum, & ventriculi. Tæcti enim telum ventriculum non attigerit, venenosa tamen qualitas grumorum putrescentium, eo vsque transmiserit. Accesserint etiam rigori conuulsui motus per consensum nervosi generis cum ore ventriculi, & ob vtrumque non potuerit esse sine tremore, hoc est sine vitioso partium motu, & præter naturam. Vomitus synceræ bilis, ob compassio-

nem

nem ventriculi cum ventre inferno, fieret. Oculi erant postremis iam diebus, veluti eorum qui animo languuntur, excavati scilicet, tristes, ac velut maridi, & sine fulgore. Tales enim fiunt ijs, quos iam deficit virtus vitalis. Post quinque dies. Extrema scilicet quintæ parte, aut sexta die, finiuit vitam. Calor (inquit) tenuis inerat, idest febrem habebat exiguam. Quales scilicet apparere solent, quæ sunt malignæ, velut hæc quæ malignæ putrescentiæ grumorum succedebat.

58 **E** I qui hepar percussus est iaculo, statim color qualis mortuorum, diffusus est, oculi caui, anxietas, difficilis tolerantia: mortuus est antequam contio solueretur, eadē die percussus.

QUANTO cum periculo hepar vulneretur, Gal. docet comm. 18. sextæ particulæ aphorismorum, quia funditur inde multus sanguis, & hominem exanimat, & curationē prohibet. Quam ob causam nugari censet eos, qui affirmant, vel ab alto hepatis ulcere, vel abscisso hepatis lobo, sanatum esse quemquam. Quia scilicet nisi ad extremitatē vlcus constiterit, non possunt non dirrumpi venæ, è quibus sanguinis effusio fiat. Vnde manifestum sit, si exulceratio venam cauam laceret in exortu, necesse esse vt homo moriatur repenti, vtpote iugulatus: vt huic euenit, qui cum iaculo esset vulneratus, merito, ab ipso telo coniectura accepta, putaretur accepisse altum vulnus. Vnde sanguine effuso repente fuerit mortuus. Repente enim mori dicas eū, qui quatuor aut quinque horis exhalauerit animam. Constat verò in moriente homine colorem mortuorum, excitationem oculorum, anxietatem indicibilem, & difficilem tolerantiam, merito fieri. Hic mihi videtur iaculi extractione citius moriturus, vtpote cui iaculum ipsum posset vlcus obturare, & sanguinis fluxum cohibere. An extractum mox fuerit, non narrat.

59 **V**Xori Polemarchi hyeme anginosa tumor sub bronchio: multa febris. Vena ei secta est. Cessauit suffocatio

tio ex faucibus. Febris comitabatur. Circa quintam genu dolor: tumor sinistri: & circa cor videbatur ipsi aliquid colligi, & respirabat ut qui ex summersione respirant: & ex pectore substrepebat, ut qui vocantur ἔγγρασσιμοδοι tale quiddam accidebat. Circa septimam autem, aut nonam, ad noctem alius fluxit humida multa, quæ mala existimantur. Ea verò sine voce mortua est.

BRONCHIVM vocat laryngem, seu caput asperæ arteriæ, quia constat cartilaginibus, quæ in tota aspera arteria appellantur bronchia. Ortus itaq; est huic laboranti angina, tumor infra laryngem, externus quidem (cõspicua enim narrat) qui quidem per se malum signum non erat (nam, ut in aphorismo dicitur, in angina tumorem apparere bonum est) verum quia pendebat malum ex multis & crassis, quæ huiusmodi colliguntur, non fuit id satis ad salutem. Nimirum tumor externus non tam factus est humore extra conuerso, quam interius & externis redundante. Accedit igitur quod solet, ijs qui ab angina liberati, nihilominus moriuntur: quod & in aphorismo quintæ dicitur his verbis, Qui anginam effugiunt, his ad pulmonem vertitur, & septem diebus moriuntur, si verò hos effugerint, fiunt suppurati. Hæc manifesta signa habuit delapsus succorum in pulmonem, à cuius affectionibus, ut & totius thoracis, alii deiectiones inutiliter, ac nonnunquam exitialiter succedunt. Mortua itaque est hæc breui, quia post decubitum in pulmone alui fluxio successit: quæ si non successisset, incidisset in suppurationem. Cum itaque angina, simul cum tumore sub larynge suffocaretur, & esset multa febris, ut plerumque in angina solet, vena ei secta est, & cessavit suffocatio ex faucibus (addidit ex faucibus, quia ex pulmone & asperæ arteriæ inferna parte, parum abest: quando fuerit suffocata) febris tamen non est soluta, quod scilicet non tam soluto, quam permutato morbo fuerit solutio suffocationis. Circa quintam genu dolor, & tumor sinistri. Videtur his verbis significari, dextri genu fuisse dolorem, & sinistri tumorem, ut alterum genu dolore sine tumore, alterum tumore sine dolore laborauerit. Potest autem etiam intelligi

telligi, vtrumque doluisse, alterum solum intumuisse. Vt-
 cumque hoc habuerit, significatur humores deorsum de-
 scendisse, & quidem hic abscessus bonus fuisse (nam deor-
 sum in ignobiles partes, & longè à primario affecta) verù
 non fuit satis pro tanto morbo, neque adeò multum succi
 eo deriuatum est, sed maxima pars constitit in thorace.
 Nam circa cor videbatur ipsi aliquid colligi: nimirum pul-
 mo repletus comprimeret pericardion. Et respirabat vt
 qui ex summerfione respirant, vt scilicet qui periclitantur
 suffocari ex longa spiritus cohibitione, & ex pectore sub-
 strepebat, vt qui vocantur *εγασπίμωνι* Galen. lib. de ab-
 soletis Hippocra. vocibus dicit, ita vocari eos: qui clauso
 ore loquuntur *ὄρατό δακείν φθέγγεν ενυδέρως*, quod ex
 ventre loqui videantur. Hoc significato oportet nos nunc
 hoc nomen accipere: quamquam alij aliter eo vtantur. In-
 decretis canonicis dicuntur hoc nomine quidam, qui ex
 pelui vel alio vasis genere vaticinantur *αγύσων* quod est
 vasis quoddam genus. Sed qui loquerentur ex ventre, non
 satis scio, qui essent. Cælius Rodiginus dicit ita appellatos,
 quosdam quibus in ventre dæmon esset aliquis, interrogan-
 tibus responsa tribuens, qui dicebantur pythoem habere
 in ventre. Fortasse citra dæmonem, sint, qui mugitu quem
 clauso ore reddant, voces quasdam, non sanè distinctas,
 imitentur: vt cumque hoc habeat, quod hic dicitur est, stre-
 pitum quendam in huius mulieris ventre sentiri, quod qui-
 dem fecerit aer, qui intra asperas arterias ab humore coer-
 cebatur. Hæc cum ita haberet, circa septimam aut nonam
 ad noctem alius fluxit, & excreuit multa humida, qua-
 lia quæ putantur esse mala: vt hac ratione viderentur exire
 qualia oportebat: mulier vero tam longe abest vt habue-
 rit melius, vt etiam priuata voce, fuerit mortua. Nimi-
 rum euenit, quod in pectoris & pulmonis morbis ple-
 runque solet, vt tenuia trancolentur in ventrem, crassa in-
 tra thoracem hæreant, & facultate soluta, morbo non
 soluto, mors fiat. Quia à thorace in ventrem expedita via
 non est, & ea pars debilitatem, omnium minime, potest
 sustinere, quia indiget motu vehementi: & ob alterum non
 purgatur, ob alterum, facultate cito destituitur. Dicit circa
 septimam aut nonam, vt qui non satis recordaretur qua
 die. Septima solere fieri dicitur in aphorismo, non mirum
 tamen

tamen quod septima fieri solet, vsque ad nonam produci.
Non enim sunt hi fines a deo ineuitabiles.

60 *S*ubpurgare ventres oportet in morbis, cum concocti fuerint, alios quidem deorsum cum confedisse videris. Signum, si neque anxij, aut capite grauati fuerint, & cum febres mitissimæ, aut cum cessauerint post paroxysmos. Alios autem sursum in paroxysmis, tunc enim sua sponte subleuantur, cum anxij, & capite grauati fuerint, & se iactarint.

ὑποκαθαίρειν, id est subpurgare, videtur significare purgationem exiguam, aut deorsum factam. Hæc enim significat *ὑπο* in compositione. Hic vero neutrum horum est, sed quod *καθαίρειν*, purgare scilicet utcūque. Addit enim, alios deorsum, alios sursum. Docet itaque hæc sententia, qui sint purgandi, & qua via. Purgare, inquit, oportet in morbis cum concocti fuerint: nimirum, ut in aphorismo dicitur, non sunt mouenda cruda, nisi turgeant, qualia sanè sunt per pauca. Qui verò expurgandi, alios quidem deorsum expurgare oportet deiectione, alios sursum vomitu, ut scilicet humores ipsi sua sponte sursum aut deorsum vergunt, quia quo vergit natura per loca conferentia, eo oportet ducere. Signa verò quæ indicant confedisse humores, quòd anxietas & capitis grauitas cessauerit, & febres mitissimæ sint, aut cessauerint post paroxysmos, hoc est cum sint febres mites, & paroxysmis carentes, nisi forte exiguis: aut si habuerint paroxysmos, minimè mites tamen cessauerint iam. Alios autem oportet purgare sursum, cum sunt in paroxysmis, cum anxij, capite grauati, & loco consistere non potentes. Reddit horum causam dicens, tunc enim sua sponte subleuantur. Hoc est, cum morbus fertur difficillimè, & anxij, inquieti, ac grauati capite sunt, significatur succorum sursum latio: cum nihil tale est, aut cessauerunt hæc omnia, significatur succos non esse elatos, aut confedisse. Sed videri possint hæc amethode dicta, & hæc definitiones incertæ. Nam dicere grauatos capite non esse expurgandos per inferna, videtur falsum, cum in vertigine cephalica.

cephalea, cephalalgia, epilepsia, & alijs omnibus morbis capitis, non sit qui non consulat pharmaco deiectorio uti Galenus certè hieram aliquam ex colochyntide mox exhibet. Quin potius in capitis grauitate, videtur merito vitanda vomitio, ne laborare cogatur par affecta, & sursum versus commotio fiat. Præterea, præter artem videtur, in ipsis paroxysmis vlla purgatione uti. Quia, ut in aphorismis dicitur, cum morbi vigent, & ea quæ sunt præter naturam sunt fortiora, melius est quietem agere. Accedit quòd anxietas, inquietudo, & capitis grauitas, sæpe sunt decretoria, prænunciantia vomitum, aut fluxum sanguinis ex naribus præcipuè, sed & alias euacuationes aliquando imminente autem crisi, nulla vacuatio tentanda est, quia quæ iudicantur aut iudicata sunt, neque mouere, neque nouare oportet, sed sinere. Certè Hippocra. non hæc, quasi exactas, & quæ solæ sufficiant, definitiones expurgationum superiorum & inferiorum, scribit, sed ut vtilis quasdam cõsiderationes. Quibus aliæ omnes artis, sunt adiungendæ. Nec dicit, nullos qui sunt capite grauati, expurgandos esse deorsum, sed eos quibus succi sunt cocti, & alioqui nihil obstat expurgari, si neque anxij fuerint, nec capite grauati, neque febres in exacerbatione, expurgandos esse per inferna: quia significatur succos deorsum confedisse: cū enim superferuntur, ventriculum superiorem, thoracem, & caput, molestia afficientes augent febres, pariunt anxietates, inquietudines, & grauitates capitis. Hæc ergo si adsunt omnia, tamen expurgandum sit, expurgandum erit per superna, quia succi non confident. Tamen, si, etsi hæc adsint, aliud aliquid est, quod purgare corpus prohibeat, ut si iudicatio imminet, aut fit, aut febris est vehementissima, purgandum omnino non est, neque id Hippocrates dicit. Sed si purgandum sursum faciendum. Capitis verò grauitatem solam, non dicit prohibere expurgationem per inferna, sed cum reliquis. Quapropter in cephalæa, & alijs capitis morbis, non prohibet dare deiectorium: sed in his ipsis vtimur vomitione, cum ventriculus sentitur malè habere, aut quòd caput laboret ex ventriculo, aut ventriculus ex capite: vt cunq; scilicet circa ventriculum redundant excrementa, quod cognoscimus anxietate, qualem parit ventriculi morbus, aut nauseabūda laxitas. In paroxysmis, hoc est

est febrium exacerbationibus, quarum expectetur citò futura inclinatio, expurgatio totius corporis non tentatur tuto. Satius est enim expectare remissionem, ne duobus modis laborans facultas, succumbat: verum si exacerbatio ipsa vrgeat, neque alia ratione remissio expectetur, & nihil maioris momenti prohibeat, vomitione est expurgandum: quia expurgandum est omnino, & indicatur, talibus, succos non subsedisse. Qua eadem ratione in paroxysmis intermittentium febrium solent vomitus esse vtilissimi: adeò vt solis his soleant tertianæ curari, & quartanæ libres mitescere.

61 **E**X casu vulnerato cubito in sphacello cubitus suppuratur, maturato iam ichor lentus exprimitur, vt & Cleogenisco, & Demarcho Agartelis filio. Similiter autè & valde ex eisdem pus nullū, velut Aeschili filio cōtigit.

Sphacellus est corruptio & mortificatio partium solidarum, occupans etiam ipsa ossa. Hæ corruptiones aliquando sunt humidæ, aliquando siccæ. Siccas putrescentias vocari Hippoc. eas, quæ morientibus ipsis particulis, citra succi collectionem, aut redundantiam fiūt, non semel iam antea diximus. humidæ ergo sunt, cum partes putrescentes insaniam aliquam resoluuntur. Suntq; quædam suppurationes, deficientes à bonis, quātum a benigna inflammatione, aut contusione differt ipsa mortificatio. Nihilo benignior est mortificatio sicca quam humida, sed, vt ego existimo, etiā malignior, quia extinctio mera videtur esse hæc nati calidit illa velut colliquefcentia à febrili. Quamquam in tam malignis, non est quod eligas. Illud certum est, in corruptionibus humidis non posse esse pus bonū, vt in bonis suppurationibus: quia hæc caloris a naturali non valde deficientis sunt, illæ corruptiui. Proinde vt in his fit pus crassum sine lentore, ita in illis contrarium, tenue scilicet vt ichor, & cum lentore. Quamquam ne hoc quidem talibus multum durat, sed citò supprimitur, sitq; postremò vlcus siccum, vt repetens hanc ipsam sententiam, dicit Hippoc. in septimo libro. Itaq; dicit, quibusdam, qui cubito percussi cū essent, ex casu corruptionē cubiti incurrerūt, duobus quidē exiisse ichores

ichores lentos, alteri nullum pus, atque vtrumque fieri solere. Neq; sanè in cubito solo, sed & in tibia, & brachio & quavis alia parte simili perinde accidet. Verùm hæc forte occurrerant, quæ memoriæ & obseruationis gratia notauit. Constat verò vetustissimam phrasim sapere, quòd, corruptum iam, & resolutum in pus cubitum, maturatum vocat. Nam & in lib. de alimento vocauit cibos coctu faciles, faciliè putrescentes.

62 **S** *Uppuratis autem plurimis, horror & febris superueniebat.*

Hæc eadem verba (vt etiam superiora) occurrent iterum in libro septimo. Illic verò dicitur, febres superueniebant. Non multum interest. Sed si verbo præteriti imperfecti vtitur, de aliqua tempestate, qua multa fuerint suppurata, loqui videtur: forte de ea ipsa tempestate, qua contigit ex casu vulnerari cubito Cleogeniscum, & Demarcum, & Aschilli filium: sin autem verbo præsentis, docet, rigores incertos, & noua febrium incrementa, sientis suppurationis esse signa: quod in prognostico etiam dicitur ab eodem Hippocrate his verbis. Considerare suppurationis principium oportet, suppuratione facta ab ea die, qua primū homo febricitauit, aut si forte primū ipsū rigor apprehēderit. Causā in cōmētatione eius loci reddidimus:

63 **P** *Armenisci filio surditas, conducebat non lauare, purgare autem lana solūm, & infundere oleum, aut netopum, iubere vt ambularet, mane surgeret, vinum album biberet.*

NETOPI nomen occurrit apud Hippocratem scriptū sæpe, præcipuè in libris de morbis mulierum. Quid possit significare, & si de ea re lexica multa, & viros doctos, & græcæ linguæ peritissimos, cōsulerim, reperire non potui. Quod me cogit suspicari, vitiatum esse codicem, legendumq; esse metopiū. Est enim facilis lapsus, cum sint voces adeo similes, aut Hippocratis seculo vocatū esse netopum, quod postea metopiū. Nam metopiū legi congruit plurimum

mum cum instituto. Significatur enim ea voce quod dici-
 mus alio nomine galbanum, & vnguentum quoddam in
 Aegypto parari solitum, quod describit Dioscorides libro
 primo, recipiens galbanum, a quo & nomen accepit. Ac-
 cedit ad coniecturam, quod ubi meminit Hippocrates ne-
 topij, recenset illud inter resinas, & pinguedines, & olei
 genera, denique inter res emollientes cum quadam reso-
 lutione, cuiusmodi est galbanum, & vnguentum illud. Vnde
 ego citra dubium colligo, aut esse id quod dixi: aut, aliquid
 ei facultate simile, quale styrax, bdellium, myrrha, aut thus,
 aut succus sylphij. Quanquam nihil horum, quae modo no-
 minavi, esse constat, quia locis citatis inter ea refertur ab
 Hippocrate, quasi diuersum quiddam. Dico autem esse
 facultate eiusmodi aliquid, magis autem adducor vt suspi-
 cer esse quod dixi. Nam praeter dicta, est illud vnguentum
 atque adeo ipsum galbanum cum aceto & melle feruefa-
 ctum, utile ad grauem auditum, & surditatem, vt licet vi-
 dere apud Galenum libro 3. de compositione medicamen-
 torum secundum locos cap. 1. quo etiam in loco Galenus
 commendat ad eam passionem, deambulationem, & fric-
 tionem capitis, & corporis, ac denique totum victum
 siccum & attenuantem. Quia ea passio a succis multis &
 crassis in capite redundantibus, fit. Quare vt ambulare, erit
 etiam utile, mane surgere, ne somnus multus afferat capitis
 grauitatem, & vt exercitatio tempestiue agatur (non enim
 a cibo fuerit utilis) & vinum bibere album, quia tenuius
 & minus replens quam nigrum, & purgare aures lana (ipsa
 enim expurgatio discutit) & infundere oleum, aut, quod
 est multo efficacius (oleum enim nisi sit vetus, aut ferue-
 factum, aut quod vocatur elychniorum, leue auxilium est)
 galbanum ex aceto & melle: itaque, lauare erit noxium,
 quia humectabit, nisi tamen laues balneo aliquo medica-
 mentoso, vt vino in quo amaracus, aut stoechas, aut alia
 eiusmodi incocta sint. Tunc enim iuuare possis: si tamen
 prius, & corpus totum, & caput vacuaueris per hieram
 diacolocynthidos, aut tale aliquod medicamentum, praer-
 missa (si ea etiam sit opus) missione sanguinis ex vena ca-
 phalica. Expurgationem vero in hac passione princeps esse
 auxilium, consentaneum est, siquidem Hippocrates ipse
 dicit, surditatem fluente aluo solere cessare. Post maiores
 autem

autem euacuationes, errhynis, & gargarizatu, seu etiam masticatorijs, ad extrahendam pituitam, vti contulerit. Cibi autem sint sicci & pauci, & concoctionis facilis, & caput minime replentes. Ob id Hippocrates libro 7. huius operis vbi historiam hanc repetit, & quædam præterea addit pertinentia ad victum, iussit abstinere ab oleribus, vt humidis, vaporosis & grauantibus caput (nam & lactuca, quæ inter olera tenet primas, hæc habet vitia) & vesci pane, & piscibus saxatilibus. Tales enim concoctu faciles, neque mali succi sunt, eorum verò humiditas pane emendatur. Pisces saxatiles dicit Galenus esse scarum, merulam, turdum, iuliam, fucam, percam. quòd in petrosis promontorijs, & vbi saxa sunt delitescunt. Ego verò intellexerim multos alios pisciculos, qui in cœnosis, & lacustribus gignuntur nunquam, sed limpidis aquis, & per petras decurrentibus, veluti salaras, si forte ita vocatæ sunt quæ nobis truchas, & vtcunque veteribus appellarentur, quæ nobis vocantur verme iuelas. Omnibus enim eiusmodi piscibus, est ea laus quam Hippocrates tribuit saxatilibus, nõ solum illis marinis. Dabuntur verò in hac affectione pisces frixi, potius, quam elixati. De vino dubitet aliquis, an vtile sit. Videtur enim tentare caput & fluxiones in illud commouere. Ego quidem non intelligo præferri hoc loco vinum album aquæ, aut alij potioni aquosæ, sed vino nigro. Satius autem fuerit ob partis indicationem vti aqua, nisi tamen inueterata iam passio sit, & hominis consuetudo, aut etiam natura plurimum repugnet. Tunc enim, vt & in alio quouis morbo, faciendum erit satis indicationi maiori.

64 **V** Xori *Aspasis* grauis dolor dentis, & maxilla intumuerunt. Cùm verò castoreo & pipere collueretur, iuuabatur.

DENTES parati sunt dolere, quia fluxionibus sunt valde opportuni. Quiuis enim eorum cum maxillæ osse facit, vt quendam articulum, quo, non, vt in reliquis articulis, alligantur ossa ligamentis durioribus, & sensus expertibus: sed neruulis quos per radices accipiunt, pendent, & velut clauis infixi sunt, comprimentes & compressi. Accipiunt præterea

præterea & venulas & arteriolas, quia ob attritionem necessariam, indiguerunt alimento copioso, & assiduo: quod etiam ipsos facit fluxionibus opportunos. Eisdem enim vijs recipiunt partes succos redundantes, quibus & nutritur. Itaque ob hæc solent dolere dentes, non tamen semper dolent ab eadem causa, sed nunc ab intemperie calida aut frigida dolor incipiens, conuocat fluxionem, à qua deinde seruatur & augetur: nunc fluxio prima dolendi causa est. Atqui ipsa fluxio, siue dolorem antecedit siue sequatur, nunc est calida & acris, nunc frigida, nunc etiam flatuosa. Atqui nonnunquam dolor incipit à gingiuis, & coarctat dentes, nonnunquam à dentibus & reffunditur in gingiuis. Et tumor gingiuarum aliquando crescit cum ipso dolore, quod vtrunque simul fluxio faciat, aliquando tumescitibus gingiuis dolor sedatur, quod fluxio conuertatur ad externa. Nimirum, vt & in alijs omnibus articulorum doloribus solet accidere: qui enim sine tumore coeperunt, superueniente tumore solent mitescere. Ex his quiuis intelliget, nullum esse medicamentum, quo omni dentium dolori æquè occurratur, sed pro dolendi causa, alijs et alijs esse opus. Horum triplex genus esse video. Quædam enim adstringentia parantur, ad arcendas fluxiones, & firmandos dentes: quædam resoluentia, ad absumendum fluxionis & flatus: quædam stupefacientia, ad tollendum dolorem cum sensu. Componuntur hæc multis modis, cum ab eodem medicamento volumus multa præstari. Est verò commune omnibus quæ pro dentibus parantur, indigere aliquo quod in altum deducat, alioqui nihil præstiterint nervorum radicibus, quæ intra ipsa officula sunt. Proinde vino generoso, aut aceto acerrimo plerumque incoquantur. Atqui profecto efficaciora sunt in aceto incocta, quia vinum elixatione deponit vires. Cum igitur hæc castoreo & pipere, medicamentis calidis & siccis, & tenuium partium, iungetur, consentaneum est, ex fluxione frigida, aut flatu calido, dolere coepisse. Collutio vero facta fuerit ex aceto. Hæc eadem historia repetitur libro 7. etsi non omnino eisdem verbis, & quiddam aliud additur, ad eandem pertinens ægrotantem. Ita enim ibi legitur. Vxori Aspasij dentis dolor grauis, & maxillæ (suppleri debet tumor) castoreo & piper colluens, & ore tenens, iuuabatur, & stranguriosâ passio

passio ipsi iuuabatur. Calfacit & farina quæ cum rosaceo .
His verbis intelligi potest stranguriosam passionem mulie-
ris huius, soluti castoreo & pipere potis, ex aqua, & cata-
plasmate ex farina & rosaceo calido: aut hanc curationem
solo cataplasmate agi Vtrumuis intelligas, fit, curationem
stranguriæ calidorum vsu agi, quod quidem non de omni
stranguria verum est, sed de quadam. Ea enim quæ ardore
vrinæ aut obstructione fit, aut vlcere, alia poscit auxilia.
Quæ ex frigore pendet aut flatu, ea poscit calidas potiones
& fomenta.

65 **C** Allimedontis puero contulit ad tuberculum in cerui-
ce existens, durum, magnum, & crudum & dolens
apostasis brachij: & lini cataplasma imponere subactum
vino albo, & oleo oblitum, superligare autem valde co-
ctum, aut cum melicrato coquere erui farinam, aut hor-
dei, aut tritici.

TUBERCULUM durum, crudum, & dolens, haud du-
bie est inflammatio scirrhosa. Nam tumor durus & dolens
est inflammatio. Dicēs autem durum & crudum, duritiem
quandam solito maiorem insinuat, quæ inflammationis est
scirrhosæ. Meritò ergo iuuabatur cataplasmatibus emollien-
tibus, & resoluentibus. Hæc enim vtraque desiderat ta-
lis affectio, aut simul, aut alternatè. Eruum & hordeum sic-
cando resoluunt. Lini semen & oleum resoluunt minus,
mollunt tamen, vt & triticum, quod & suppurandi vim
habet, si huic vellet inflammatio cedere. Vinum resoluen-
tibus cataplasmatibus est liquor idoneus. Vbi dicit *ἀποστασις*
ἐκ τοῦ βραχίου videtur aliquibus significare recessum, deces-
sumve sanguinis, hoc est missionem sanguinis ex brachio.
Videri tamen possit dura interpretatio: occurrit enim a-
pud Hippocratem & Galenum *ἀποστασις* significans quod
ἀποστήμα seu abscessus, & vbi significet sanguinis detra-
ctionem, non occurrit. Quamquam Gale. lib. antiqua-
rum vocum, dicit *ἀποκρίσις* significare apud Hippocra-
tem *ἀποκρίσις*, & *ἀποκρίσις* significatione communi est
idem quod *ἀποστασις*. Et si, vt significetur abscessus, Hip-

pocraticam phrasim non adeo sapit ἀποστασις βραχιόνας ac si diceret εἰς βραχίονα videtur tamen nō adeo esse durum, interpretari, abscessum brachij, id est qui in brachiū, atque in alienam significationem nomen transferre, si modo ea aliena est, etiam apud Hippocratem. Verum est si rē ipsam spectes optimum esse auxilium ad inflammationem in ceruice consistentem, sanguinem mittere ex brachij vena externa, lateris in quod malum inclinet. Cæterum, siue id antea factum fuerit, siue secus potuerit etiam abscessus in brachium factus, sponte liberare. Vt scilicet alia quamplurima ex succis pendentia abscessu soluantur. Est autem abscessus, humorum, in partem aliam ab ea quam primo afficiunt, inclinatio, quæ tumore, aut dolore, aut vtrisque significatur. Itaque vtrumuis hoc loco significet ἀποστασις siue secundum communem vsum, abscessum siue missionem sanguinis, vt apud Hippoc. ἀποστασις secundum rationem eueniret, vt ægrotus ab inflammatione ceruicis subleuaretur, ac proinde, in vtram interpretationem potius inclinem, dubito.

66 **M** Elissandro gingiua crescente, & dolente, & simul vehementer intumescente, apostasis brachij. Alumen in principio sedabat.

HVIC inceperunt, processeruntque simul, dolor & tumor gingiuarum, vnde & dentes accideret condolere. Magnas tumor indicabat copiosam fluxionem. Quare nihil esset potius, quam sanguinem ex brachio detrahere: qua eadem ratione, & si quis in brachium secundum rectitudinem abscessus fieret, conferret necessario. Vtrumuis ergo horum huic quoque nomen ἀποστασις significet, non caret euentus ratione. Alumenis communis est vsus in his, ad oris partium fluxiones, & plurimis stomaticorum medicamentorum vtilissimè miscetur. Nam adstringens firmat dentes: sic cans, resoluit succos: extergens, curat, si quæ sunt, vt solent putria vlcuscula. Verum quia magnam facit adstrictionem vnde & græcum nomen accepit στυψία post quam iam partes plurimum intumuerunt, vtile non est. Quia adstrictio resolutioni obstat: & magna adstrictio partes humidat

das velut contundit, præsius comprimendo. Merito ergo huic alumen lingua in ore versatum, aut ex alumine & vino aut aceto collutio conferebat in principio, antequam vehementer intumisset, postea enim satius esset, cum laxatibus & resoluentibus commutari.

67 **H**ydropicum oportet defatigari, sudare, panem comedere calidum in oleo, bibere non multum, lauari & caput tepidè: vinum autem album & tenue: & somnus auxiliatur.

HYDROPICIS omnibus commune est frigidis & crudis redundare, seu pituita, seu aqua, seu flatu, seu omnibus, aut horum quibusdam, ob naturalis caloris debilitatem in hepate, quæ aut ab ipso inceperit, aut ab alia parte. Indigent ergo omnes curatione, & victu, sicco & calfaciente, plus aut minus, vt febris adest, aut non. Ita enim & materia præter naturam collecta consumitur, & intemperies, quæ eius causa est, tollitur. Merito ergo iubet Hippocrates vt hydropicus defatigetur, hoc est exerceatur plurimum, & laboret. Nihil enim strenuius quam exercitatio naturalem calorem excitat, & succos absumit. Verum cum modo quodam accipi hoc oportet, vt ne magis quam ferre possint, debilitentur: sunt enim etiam valde debiles, & animo linqui parati: exerceatur etiam hora idonea, quæ præcipuè est mane ante cibum. Nam post cibum exercitatio cõtraria profus facit: auget enim obstructions, & cruditates. Proinde Hippocrates libro de internis affectionibus hydropico victum præscribens, iubet, vt quotidie ambulet, & mane exurgat, post cenam vero & serotino tempore dormiat. Nam etiã hic dicit somnum auxiliari. Nam & si somnus in causis humidis sit, atque siccandi gratia vigilandum quam plurimum foret, verum, vt diximus, mouèdum non esse semper, ne ægrotus deficiat, sed quiescendum etiam virtutis gratia, itaneque vigilandum, sed dormiendum etiam, non solum ob virtutem, sed & ob concoctionem. Nam laborat humore ob incoctionem. Procuranda ergo concoctio & siccatio, hæc motu, illa, somno: agendum ergo vtrunque suo tempore Somno hora idonea

Aaa 2 est

LIBROS

Ayuntamiento de Madrid

est post cibum, motui ante eum. Sudare etiam dicit utile esse. His erit sanè utilissimum, si robore facultatis, ac nō potius dissolutione fiat. Nam per sudorem ichores serosi, qualibus præcipuè abundat hydropicus, euacuantur, & vrinæ defectum optimè supplet exsudatio. Verum per sudorem syncopis, dissipatur facultas. Sudores igitur tolerãtia discernes, ac nisi syncopales sint, vtilis esse certò scias. Panem consule comedere calidum in oleo, non quidem calidum & recentem (talis enim dolorem facit capitis, & est magis siticulosus, & ventrem grauat, & tardius descendit, & alioqui corporis habitum minus siccatur, vt. 2. de ratione victus in acutis dictū est) sed, vt ipsemet loco citato ex lib. de internis affectionibus interpretatur, panem antiquū & calidum: quod est, qui iam vetustate duruerit, & testum Hic enim calfaciet, & siccabit magis, & recētis noxas non habebit. Iubet verò et illo loco, vt sit quem vocant autopirum, ex quo nihil surfurum decesserit. Nā talis, præter quā quod siccabit adhuc magis, etiam facilius descendet. Quò respiciens etiam hoc loco iubet dari panem in oleo, hoc est oleo intinctum. Iuuabit etiam oleum panis descensum. bibere inquit non multum. Hoc sanè videtur remisse dictum. Oportet enim accipere potus quā minimum, & quantam possit sitim tollerare, vt humores aquosi insumantur. Potus autem ne sit aqua, nisi fortè teneatur febre maiuscula, atqui ne tunc quidem sit cruda, sed aliqua ex medicatis. Vinum vero bibere iubet Hippocrates & hic, & illo loco: non tamen vtrobique idem, sed hic album & tenue causa mouendi vrinam, illic nigrum crassissimum, reficiendi, arbitror, causa, & replendi concocto sanguine. Curationem illic suscipit eius qui ex colliquescentia fuerit, factus hydropicus, hic verò eius qui aliter, vt ex refrigeratione antecedente, atque ita vtrunque rectè dicitur. Si enim hominem, qui potu aut cibo frigidis, aut otio, aut obstructionibus factus sit hydropicus, cures, dare debes vinum album & tenue, vt fluidius fiat versus quaque corpus: si verò, qui ex febre colliquante cum extrema extenuatione, melius dederis nigrum crassissimum, & maxime austerum. Crassitiem enim debes huic corpori procurare, & euacuationes ex aluo maxime timere. Verum hæc, complicatio iam affectionum esse videtur. Secundum indi-

catio-

cationes hydropis perfe, rectius dicitur album & tenue de
siderari ad hydropas. Quod dicit, lauari & caput tepide,
non tam videtur mihi esse præcipientis vt lauet, quam pro
hibentis ne multum, calida aut frigida lauet: ne caput qui-
dem solum, nedum totum corpus Nam balneum haud du-
bie perfe aduersum est hydropi. Erat verò hominibus
eius tempestatis consuetissimum, cum secundum totum
corpus, tum vel maximè secundum caput. Proinde occur-
rens consuetudini hydropicis futuræ noxiæ, dicit, lauari
etiam caput tepidè. Ego quidem, si liceret, vellem accipi il-
lud *χλιπρῶς* idest tepidè, metaphoricè, pro modicè, ac parū
Sed proprietates non videtur id ferre, sed significari, vt ne-
que calidum neque frigidum balneum sit. Calidum enim
dissoluet vires, frigidum augebit cruditates, & frigidas flu-
xiones. Itaque si lauandum sit, tepidum sit balneum. Ego
vero malle esse nullum. Præter hæc enim, multa & ma-
gna auxilia scripta sunt ad hydropicos, ab omnium secta-
rum auctoribus.

68 **B**ianti pugili, cum natura esset vorax, euenit incidere
in passiones biliosas ex carniū esu, maximè vero
porcinarum, cruentarum, & ebrietate vini odorati, &
placentis, & dulciarijs ex melle & cucumere, pepone, &
lactè, & polenta recenti. In æstate autem biliosa, & fe-
bres intermittentes.

Ex ebrietate vini odorati (quod & calidum est necessa-
rio) & placentis & dulciarijs ex melle, consentaneum est
hominem calidum & exercitatum in biliosas passiones in-
cidisse: verum ex esu carniū porcinarum fluentium san-
guine quales scilicet sunt quæ crudiores, & ex cucumere,
& pepone, & lactè, & polenta recèti, in morbos ex crudis
succis videtur potius casurus fuisse: proinde duorum alte-
rum interpretor; Aut passiones cholericas vocari hic cho-
leram morbum, aut morbos omnes seu febres putridas. Fe-
bres enim ex bile, aut biliosas vocare solet Hippocrates
ex quocunque succo putri, interprete Galeno commenta-
rio aphorismi. 42. septimæ. Atqui fortasse vtrunque pas-

sum fuisse. Biantem insinuare voluit, verbis illis vltimis, in ætate autem biliosa, & febres intermittentes. Fortasse enim passus est biliosas, & vomitiones, & deiectiones, & febres putridas intermittentes multi formes. Nimum voracitas adeo multorum & diuersorum, intempestiue ac citra ordinem ingestorum, non poterat non, & ventriculum vitare corruptione multa chyli, & debilitare vim in eo concoquendi, & retinendi, atque totum corpus vitiosis succis & longè diuersis replere. Quorum illud, choleram morbum, hoc febres putridas inconstantes, natum est facere.

69 **T**imochari hyeme catharrus maximè in nares. *Vtenti Venere siccata sunt omnia, lassitudo, calor, superuenit: caput grauatum sudor à capite multus. Erat autem etiam sanus sudare solitus. Tertia die euasit sanus.*

Exemplum sanè est Timochares eius quod sexto epid. dicitur, vbi ita est scriptum. Coitus morbis à pituita vitilis. Nam hic non habuisset melius à catharro in hyeme, tam breui, nisi Venere esset vsus. Quamquam profecto nõ euasit facilè, sed difficili, & periculosa curatione. Nam superueniente febre cum grauitate capitis, & lassitudine, à quibus multo magis periclitatus est, quam à catharro. Hic enim tardior, sed minus periculosus est, si quis bono victu se continens, à permutationibus in alios morbos, vt ex acutis, in pleuritidem, aut perineumoniam: ex longis, in pthysim, liberetur. Atqui profecto ipsa per se curatio pituitosarum passionum per Venerem, haud est tuta, vt proprio loco indicabimus. Nam debilitat facultatem, & exhaurit spiritus: vnde ex accidenti crudis succis replere, & deliquia animi acersere magis solet. Laborat etiam per venerem & cerebrum, & totum neruorum genus, vnde enervationes, & paralytes, & vertigines, & cephalæ, & capitis grauitates fieri solent. Commouentur exagitanturq; succi toto corpore, vnde lassitudines, & variæ, multas in partes, fluxiones, & obstructions. Calefcunt labore omnia: vnde putrescentiæ, & febres fiunt. Hæc plus aut minus, vt cuiq; est apparatus, hoc est vt cuique est naturale robur, corpus
laxum,

laxum, aut obstructionibus opportunum, boni habitus, aut mali. Nam quibus firmum per sese est totum corpus, & habitus alioqui non mali, si qua pituita nunc abundant, possint Venere moderata liberari, siccata, & dissipata pituita. Quibus verò hæc bona non adeo insunt, si Venere tranrur, grauius afficientur, atque diutius peiusque ægrotabunt: aut si bonus ille, quem descripsimus, apparatus, neque valde adfit, neque omnino desit, permutatione in acutum aliquid, & graue facientes, simul a recenti & veteri passione, breui liberabuntur. Potest enim esse hæc, & si non tuta, compendiaria tamen & breuis curatio, vt Timochari accidit. Quem sanè constat, neque infirmum admodum, neque admodum malè paratum fuisse, siquidema lassitudine & febre tribus diebus se, media hyeme, expediuit. Aestate enim aut diariam habuisset solum, aut fortasse nullam, Sed hæc præfati, quæ habuit, & morbi decursum explicemus. Hyeme habuit catharrum, maximè in nares, qualem scilicet solet vocare coryzam, sed quia addit, maximè, constat aliquid etiam fluxisse in palatum & fauces, vt plerumque in magnis catharris fieri solet. Morbus sanè fuit tempori satis congruens, vsus est Venere ita habens, & siccata sunt omnia. Ne intellige siccitas esse partes, & consumpta excrementa. Non enim febris fieret, cum grauitate capitis, quæ sudore multo à capite solueretur. Nam vbi sudor morbus. In capite ergo mansit morbus. Sed cum ob redundantiam aliquid prius incoctum ex ore & naribus euacuaretur, siccata sunt emittoria omnia, morbusque factus denuo crudior. Nam labore caput repletum denuo est, & calida etiam allexit cum crudis quæ continebat. Vnde velut affectum quendam phlegmonosum contraxit, atque ita siccatum denuo est, cum capitis grauitate & febre: velut cum vlcus quod mediocriter expurgabatur, & occasione aliqua inflammatur, expurgari desinit, ac sæpe febrem facit. Lassitudines febribus ex catharris sunt familiarissimæ, quòd per nervos aliqua pituitæ defluxio fiat. Huic superuenit copiosus sudor à capite, & adeo contulit, vt febrem sustulerit, & caput degrauauerit. Itaque liberatus est homo à febre, & à catharro, magnopere subleuatus, tertia die, à qua cœpit febricitare, qua eadem Venere est vsus. Non enim profectò ter-

tia die à catharro. Quia eius constitutio non est adeo breuis Sed ille quidem procedebat, vt solet, in longum, & intercurrente febre triduana, contractus est.

7^o **P**ost Canem febres fiebant sudorosa, & non perfrigerabantur omnino post sudorem, Rursum autem supercalescebant, & febres erant longæ, & mediocriter sine indicatione, & non valde siticulosa, paucis septem & nouem diebus cessabant, undecimo, & quatuordecimo, decimo septimo, & vigesimo iudicabantur.

DIES caniculares vocati finiuntur cum Arcturus oritur, cuius ortus inchoat autumnum vltimis diebus augusti. Itaque post Canem, autumnum significat: incipientem (arbitror) alioqui dixisset vt solet, autumno, aut sub Arcturo. Huic tempori acuti & periculosi morbi sunt familiares, vt in hoc ipso opere non semel dictum iam antea est. Tale erat febrium quas describit genus. Erant enim continuæ cum magnis exacerbationibus, & sudorosa, hoc est, per quas toto paroxysmo sudabatur. Hoc genus febrium vocabant veteres, febres elodes, id est humidas, & ponebant eas in perniciosas, quia quibus semper sudatur, non decretoriè, sed ignei caloris vi, aut redundantia aut malignitate humoris, fit. Harum itaque genus malignum erat. Hac verò tempestate contigit non esse admodum tales. Iudicabantur enim plurimi, vt dicit. Iudicari verò, solui morbos, est apud Hippocratem. Hinc licet coniectare, multitudine potius humoris quam qualitate, aut colliquescentia, factas esse hac tempestate febres: alioqui perissent plures. Cum enim tres dictæ sint humidarum febrium causa, pessimæ fiunt, quæ colliquescentia, secundo loco, quæ succi qualitate, minus his malæ, quæ multitudine. Post canem itaque, dicit, fiebant sudorosa febres, & non perfrigerabantur omnino post sudorem. Hoc est non veniebant ad integram febris vacuitatem, seu, vt dicunt, infebritationem. Rursum autem supercalescebant. Redeuntibus scilicet paroxysmis. Itaque erant continuæ cum exacerbationibus. Et febres (inquit) erant longæ. Paroxysmos intellige

tellige singulos esse longos. Ipsæ enim continuæ febres, cum vigesimo, aut citius iudicarentur, non poterant longarum appellationem accipere. Paroxysmos verò eadem ratione, qua cum sudore fiebant, verissimile est esse longos, quia scilicet pendebant ex multa materia. Quod dicit mediocriter sine iudicatione, idem est, ac quod prius dixerat, non perfrigerabantur omnino post sudorem. Nam de paroxysmis hoc quoque dicit, de totis enim febribus postea dicit, paucis septem aut novem, plerisque vndecim, quatuordecim, decem & septem, aut viginti iudicatas fuisse. Nullatenus autem est sine iudicatione morbus, qui intra fines acutorum iudicatur sine recidiva: sed iudicationis nomen solutionem significat, est verò solutio ac iudicatio, totius morbi, & cuiusq; paroxysmi per se. Quod ergo prius dixerat non perfrigerabantur omnino post sudorem, dicit nunc mediocriter sine iudicatione, quod est non omnino, non soluebantur, neque omnino soluebantur. Non erant valde siticulosa. Hoc redundantiam humiditatis sequebatur. Siquidem Hippocrates narraret qualis esset eius tempestatis, & superiorum eiusdem anni, temperies, agnosceremus aperte causam, qua morbi facti sunt tales, nunc verò nihil aliud possumus quam coniectare fuisse annum valde humidum, certo scientes, nihil sine causa fieri, & causas omnes, cum ijs quæ ab ipsis fiunt, habere analogiam.

71 **P**olycrati febris superuenit, & quæ ad sudorem attinent qualia scripta sunt. Medicamento subter purgatus est, & febris mitior est facta. Rursum in temporibus sudores exigui, & circa collum post meridiem, deinde in totum, & rursus supercalfactus est. Circa duodecimam autem & quatuordecimam intentionem recepit febris, & deiectiones exiguæ. Sorbitionibus post purgationem usus est. Circa quindecimam autem ventris dolor secundum splenem, & secundum ile sinistrum. Calidorum admotiones minus quàm frigidorum proficiebant. Cum clystere molli usus est, dolor cessavit.

HAB C

HÆC narratio est imperfecta, siquidem ad quindecim solum diem ducta est, cum tamen Polycratis febris non fuerit iudicata ante vigesimam secundam, ut constat ex libro septimo huius operis, in cuius initio narratur longius hæc eadem historia. Quam ob causam visum est, eius cōmentationem in eum locum differre, ut suo loco quiduis explicetur.

72 **M**agna nauis gubernatori anchora digitum indicem & os infernum confregit. Dextra manus: inflammatio successit, & sphacellus, & febris. Subpurgatus est moderatè. Calores mites, & dolores. Digni quiddam decidit, post septem dies exibat sanies moderata. Post hæc dixit se non posse omnia lingua enuntiare. Prædictum est fore opisthotonicum. Confehebant in hoc buccæ confectæ, deinde in ceruicem. Tertia die totus conuellebatur in posteriora cum sudore. Sexta die à prædictione mortuus.

INFERNVM os digiti esse puto, quod manui ipsi proximum est, & velut radix digiti. Nam mediocriter eleuatis manibus, ut plerumque & depinguntur, & operantur homines, illud est quod expectat ad inferna. Accedit, quod illud est longius alijs, & fractioni magis opportunum, & situm inter duos articulos maiores, ut vel ea causa facilius inde homo conuelleretur. Itaque fractus est huic digitus index manus dextræ, in ipso digiti principio, iuxta metacarpium. Fortasse non est principio rectè curatus, neque nudata sunt ossa quantum oportuit, neque ossiculorum fragmenta coalescere inepta, extracta sunt. Fortasse etiam, citra chyrgorum erratum vllum, ob malum corporis apparatus inflammatio successit, & sphacellus, hoc est ossium corruptio, & febris. Subpurgatus est moderatè. Non explicat satis, pharmaco, an sponte: suspicor tamen pharmaco, quia alioqui diceret ut solet, aluus soluta est moderatè. Accedit quod secundum artem fit, ut qui vulnera habent, quacunque ratione magna, aut maligna, expurgentur. Erat verò hoc, ob partem articulis adeo proximam, magnum. Non occurrit hic scriptum qua die, tamen in libro

bro septimo repetitur hæc eadem historia, ibique explicatur, quinto die à læsione factam expurgationem esse. Neque mirum: insumerentur enim quatuor primi in missione sanguinis, & sedandam inflammationem. Calores, hoc est febres, mites facti sunt, & dolores, putrescentia tamen non cessauit, sed particulæ quædam digiti decidebant. Post septimum & exibat sanies moderata, non sanè qualitate, sed quantitate non multa. Post hæc cœpit nõ posse mouere linguam: prædictum est à medico fore ægrotum opisthotonicum. Inuabant hanc coniecturam buccæ quæ inter se erant confertæ, & ad ceruicem retractæ, non potente homine os proferre. Nam linguæ difficilis motus exiguū inditium erat opisthotoni. Conuulsionis quidem inditium erat mediocre, opisthotoni tamen perquam exiguum, nisi accederet, menti & buccarum in ceruicem adductio. Illud enim nihil erat aliud, quàm in posteriorem partem trahi. Tertia die, à qua linguam male mouere cœpit, conuellebatur iam totus in posteriora, cum sudore. Sudor quidem fit his qui conuelluntur, ob anxietatem, quam difficilis motus musculorum facit. Sexta die à prædictione, hoc est ab ea die qua cœpit lingua male moueri, mortuus est eouulsus. Coniecto, quanquam Hippocrates non dicit aperte, fuisse quatuordecimam ab ea qua est percussus. Nam post septem, hoc est octaua, decidebat quiddam digiti, & exibat sanies, post hæc, hoc est nona, cœpit linguam male mouere, tertia ab hac, hoc est vndecima, conuellebatur, & additis alijs tribus, facta est sexta à nona, & quatuordecima à prima, qua mortuus est.

73 **F**ilius Harpali qui ex Telephane liberta, luxationem infra magni digiti accepit. Inflammatus est, & cum dolore, & ubi repositus est, profectus est in agrum, rediens lumbos doluit, lauit: maxilla ad noctem conserebantur, & opisthotonus aderat. Spumosa salina vix per dentes extra exibat. Tertia die mortuus est.

D I C E N S, Magni digiti infra Policem pedis intelligit hic eodem mortis genere obiit quo proximus ægrotus
cum

cum opisthotono scilicet, qui à confertione seu alligatio-
ne maxillarum, inceptit, ex occasione, non omnino eadē
sed simili. Sunt ambo accommodatissima exempla, pericu-
lorum quæ ex articulis nascuntur. Alter enim ex fractura
digiti manus, alter ex luxatione pedis, in opisthotonum in-
ciderunt. Quem morbum tertia die interimere scriptum
est lib. iij. de morbis. Quod his duabus historijs rectè con-
firmatur. Ambo enim sunt mortui die tertia ab ea qua
opisthotonici sunt facti. Hic haud dubie læsus est quamplu-
rimum, quòd recens reposito digito, cum deberet quiesce-
re, etsi quid inflammationis supererat ex repositione, solue-
re, profectus est in agrum. Ex labore enim, excitato nouo
dolore in pede, conuocata est fluxio noua, quæ, rectitudi-
nis gratia, læsit primum neruorum radices in lumbis: sed se-
cundum medullæ spinalis rectitudinem procedente compa-
ssione, conuulsio cœpit à neruorum origine, & factus
est opisthotonicus, maxillis adeo alligatis (ligantur enim
musculis temporarijs qui neruos accipiunt à tertio & quin-
to pari neruorum cerebri) vt vix exiret saliuā per dentes:
Necessè autem erat exire spumofam ob æstum thoracis,
quem difficilis respiratio faceret, vt scilicet est spuma cir-
ca os, ijs qui strangulantur.

74 **T** Rinon Damonis filius, circa tibiæ malleolum vlcus
iuxta neruum iam purum (habebat.) Huic corrosio à
pharmaco, euenit opisthotono mori.

NERVVM iam purum nudatumq; medicamento mor-
daci tangere, non caret periculo conuulsionis, ob acrem
enim sensum, sustinere non potest, & trahit in compassio-
nem neruorum originem, vt huic euenit. Innuit satis locus
Nam iuxta malleolum prætereunt nerui satis multi, vni
præcipuè insignis magnitudinis, qui ex neruis vltimarum
vertebrarum lumborum, & ex primis sacri ossis conflatus
est, ex quo etiam alij, qui iuxta tibiā decurrunt, decissi
sunt. Verum etsi occasionem præstitit locus, & nerui nudi-
tas, & medicamenti mordacitas, suspicor temporis conti-
tutionem vehemèter iuuisse, siebant enim eo tēpore multi
opisthotonici. Vt hinc intelligamus cauenda nobis
esse

esse ea, in quæ tempestatís cōditio videatur inclinare. Leui enim causa in ea incidetur, & quæ salubribus tempestatibus nihil, aut leuiter læsissent, in salubribus faciliè, eas quæ sponte grassantur, inducunt passiones. Velut hac tempestate, aliud quod in agrum exijt, aliud vsu medicamenti acioris, causarum, insalubrium quidem, non tamen perniciosarum, opisthotonici sunt facti, & interierunt.

Certe in omnibus suppurationibus, & ijs quæ circa Oculum, ad noctem labores.

In prognostico ita scriptum est, omnes suppuratos, ex ijs signis cognoscere oportet, primum quidem si febris nõ dimittit, sed per diem quidẽ tenuis est, noctu vero amplior. Hoc est quod nunc dicit, in omnibus suppurationibus ad noctem labores. Huius causam in commentario prognostici reddimus. Quod de oculi affectionibus nũc addit, oportet exploremus. Oculus plærumque patitur recipiens ex cerebro. Cerebrum verò malè affectum, & excrementis redundans, consentaneum est lædi somno. Si quidem somnus causa est similis cerebro, nam frigida & humida. Est etiam cerebri passio, fitque eo obstructo. Obstructio verò, quòd in illud per somnum humores accurrant. Caco-chymix ergo cerebri confluxu nouo accedente, necesse est illud lædi. Quod si somno læditur, & nocte necesse est lædatur. Nam præter quam quòd noctu somni fiunt, ipsa per se nox est analogica causa somno, humida enim est & frigida: & vt luce ac calore succi euocantur & dissipantur, ita tenebris reconduntur, & densescunt. Itaque nocte etiam lædi cerebrum, alioqui malè affectum, & excrementis redundans, est consentaneum. Atque ita fit, vt capitis grauitas, & catarrhi, & conuulsiui motus, quin & deliria, nocte potius crescant. In quam sententiam. 4. de ratione victus, ita habetur. Noctes autem plusquam dies delirij significationem præbeant. Læso verò nocte cerebro, necesse est lædi quæ per compassionem cum eo laborant. Nam, vt apertius in re proposita dicatur, cum cerebrum mittat in oculos ob redundantiam, & nocte plus redundet, facta humorum accessione, tunc quoque plus mittet.

Tusces

76 **T**usses hyemē, maximē in austrinis, crassa et multa alba cum excreassent, febres superueniebant, & quinta die cessabant, tusses autem circa quadraginta, vt Ege-
siptoli.

Non dicit tusses in austrinis, vt docens quod plerumque fiant, quasi magis in austrinis quā in aquilonaribus, fieri soleant (contra enim habet res) sed narrat quod alicubi quadam hyemali cōstitutione fiebat. Nimirum erat hyems austrina, & corripiebantur multi tussi, quæ plerisque durabat quadraginta dies, vt morbus neque omnino diuturnus, neque acutus. Possunt enim homines tussire ob aquilonem & ob austrum, ob illum quidem quia penetrat, mordet & refrigerat spiritales partes, etsi quid succi redundat in capite, veluti exprimit, ob hunc verò, quia caput humet & replet, vnde fluere etiam euenit ob redundantiam. Hinc fit, vt tusses ex aquilone sicciore sint, ex austro humidiores, ac per quas plura exercentur & crassiora, vt scilicet flante austro fluit copiosius. Febres etiam natæ sunt magis fieri ex austrina tussi, vel ob hoc ipsum, quòd ex maiori pendet excrementorum copia, vel quòd ea ipsa quæ redundant calida & humida sunt, vel quòd ipse aer valde est putrefaciens. Sequebantur ergo dictæ tusses conditionem temporis, febres verò erant tussis symptomata (tussim voco eam affectionem capitis & pectoris, quæ tussim facit) quæ superueniebant redundantia: durabant verò minus quā tusses, quia ipsæ suam causam conficiebant. Tusses verò minori causæ copia seruari poterant, quā febres.

77 **E**Vtychides ex cholericis in cruribus in tetanos desijt, simul cum deiectione deorsum impensè flammabilem multam vomebat per tres dies & noctes, & vnde rubram: & impotens erat, & anxius. Nihil autem continere poterat, neque potuum neque ciborū. Et vrinæ multa suppressio, & infernæ vacationis semper. Per vomitū sex mollis venit, & erupit deorsum.

Cho.

CHOLERICA seu choleram morbum vocant medici malum quoddam acutum, in quo simul vomitione & deiectione, cum retinendi impotentia, laborant ægroti. Cur ergo vocat hæc cholericæ, si deiectionis per inferna erat suppressio semper? Porro si hæc suppressio erat semper, quo pacto dicit desisse malum in crurum tetanos simul cum deiectione deorsum, & rursus mollem faciem simul reiectam vomitu, deorsum erupisse? Hæc hæsitatio ex figurata loquutione pendet, quam vt explicauero, narratio euadet apertissima. Imprimis nomen cholerae ei præcipuè tribuitur morbo, per quem euomunt simul, & deiciunt deorsum ægroti, sed etiã cū sine his euacuationibus, a fluxu prauorum humorum, solis irritationibus cruciatur venter superius, vocabatur cholera antiquissimis. Nam. 4. de ratione victus in acutis dicitur, Cholera sicca, per quam nihil euomitur, sed nauseatur tantum. Quanto magis cholera morbus fuerit hæc tametsi à sola vomitione incepit, qui in vtraque simul euacuationes processit? Sed narrationem iam exponamus. Eutychides (inquit) ex cholericis, in cruribus, in tetanos desijt, simul cum deiectione. Hoc est, cum Eutychides cholera morbo laboraret, desijt malum in tetanos crurum, & in deiectiones. Hoc dicit per præoccupationem, narrans primum morbi exitum. Nimirum hic morbus in deiectiones & tetanos finitus est. Post hæc redit ad morbi initium, narratque totius figuram, & decursum, dicens, tres dies & noctes vomebat multam bilem, impense flauam, & valde rubram, & erat debilis, & anxius, & nihil continere poterat, neque potuum nec ciborum, interimque erat vrinae, multa suppressio, & omnis infernae euacuationis. Post hæc, quarta scilicet die, successit vomitio liquidæ facis, simulque coepit eadem feces deorsum deijci, atque cum hac deiectione finitum est malum in crurum tetanos. Hæc est narratio. Euenit autem dubitare, quo pacto vomeret bilem impense flauam & impense rubram. Si enim ambas simul, commixtasque, neutrum poterat esse summè, Quo pacto enim insint eidem rei duo colores, impense ambo? Si verò seorsum vtramque, aut secundum diuersas partes variegatas, qui possit bilis vlla impense rubra esse? Rubrum enim est sanguinis solius, ne dum impense rubrum. Si his nominibus *κατακορες* & *λειον ερυθρον* diuersi colores signi-

significantur, haud dubie exibat seorsum rubrū & flauū, vel secundum diuersas partes male permistum. Atqui quibus placet sententia Auicēnæ, speciem quandam bilis rubræ esse dicentis, interpretabuntur hanc esse quam homo hic euomuerit, vocari verò impensè rubram non simpliciter, neque ad rubrum sanguinem, sed ad bilem, vt quidem fuerit hæc, quam maxime bilis esse potest rubra, fuerit verò omnino subrubra. Sin autem nulla talis est bilis species, sed omnis color ruber ad sanguinem pertinet, fortasse nomen *σπυώρον* capitur improprie pro flauo, aut bilis rubra dicitur quæ cum sanguine mixta sit: atqui fortasse huic, ventriculi vellicatione, venulæ aliquæ ruptæ sunt, & inter alias summe flauas, quædam etiam bilis partes, rubore sanguinis tinctæ exierint. Primis igitur tribus diebus tantus factus est, bilis toto corpore redundantis, impetus in superiorem ventriculum, vt ob eam causam ventriculus nihil posset continere, & vrina ac reliquæ infernæ euacuationes essent suppressæ: nimirum succis sursum latis. Hæc autem cum fierent, necesse erat hominem esse impotentem & anxium, hoc est debilem, nec potentem se vlllo loco continere, sed iactare hac & illac. Nihil est enim quod adeo affligat, atque oris ventriculi lancinatio. Bilis autem quæ in ventriculum effluerat, maxima parte iam euacuata, cœpit probabile facere molli euomi: remittente verò iam hac euacuatione, & naturæ vi in contraria, per lumbos versus crura nitente, neruos qui maximi & ex multis conflati à lumborum vertebra, & osse sacro oris, illac feruntur, occupauit humor, atque ita simul & alius faciem mollem copiose deiecit, & crura tetano sunt correpta. Nimirum, vt libro sectione prima dicebatur. Abscessus aut per venas, aut tonos, aut per ossa, aut neruos, aut cruram, aut alias conuersiones. Hæc eadem historia repetitur, vt multæ aliæ, libro septimo eisdem prorsus verbis, præter quam quòd illic post illa verba, & valde rubram, interiecta sunt hæc (post vomitum bibit) quæ nihil adeo notatu dignum addunt, aut detrahunt sensui. Ego coniecto ob vomitum cruentum dari esse in potionem aliquam refrigerantem & adstringentem, iuxta aphorism. trigésimum septimum sectio. quintæ.

78 **A**ndrophani vocis interceptio, delirium, solutis autem his supererat adhuc multum tempus, & recidiuæ fiebant. Lingua autem permanebat totum tempus sicca, ac nisi collueretur loqui non poterat, & plerunque erat valde amara, aliquando autem & ad cor dolor, quem vena sectio soluebat. Huic aquæ potus, aut aqua mulsa contulit. Helleborum nigrum bibit, nec biliosum produit, nisi paucum, tandem hyeme decumbens motus est mente, & lingue passiones similes. Calor tenuis sine dolore, lingua decolor, vox peripneumonica, destillatio, vestes reiciebat, & educi se iubebat, nihil autem poterat aperte loqui. Ad noxam vitam finiuit.

Huius ægroti morbus narratur aliquanto distinctius in septimo libro, additis non paucis verbis, quæ hic desunt, quapropter lubet eius narrationem in eum locum differre. Occurret illic nomine Androthali, statim post historiam Pherecydæ.

79 **N**icanoris passio cum in potum progredere, timor tibiæ, cum incipiente voce tibiæ, nudiret tibia canere in conuiuio, præ timoribus turbationes, vix se sustinere posse dixit cum nox esset, interdium autem audiens, nihil commouebatur. Talia comitabantur illum multo tempore.

MELANCHOLIA morbo tenebatur hic. Est enim eius passionis proprium immeritò timere, & mœrere. Sunt verò indidicibiles, timoris, qui tales corripit, differetia. Quæ sanè ex differentia insanix (semper enim insanix quædam hos comitatur, tæta si simpliciter insanire non dicuntur, vsq; dū omnibus iam videntur aperte dementes) seu læsionis imaginationis, nascuntur. Non tamè possis singularium proprias causas reddere. Velut nunc, cur timebat sonitum tibiæ, potius quam

quippiam aliud? Porrò quid habeat is fonitus cum potu, ut tunc timeret maximè, & conturbaretur, cum eo potante tibia inciperet sonare? Certè ita erat vitata imaginatio, ut occurrerent illi hæc terribilia quædam spectra. Quòd hæc eadem terrerent potius noctu, quàm interdiu, facillè intelligi potest causa. Ipsa enim nox terribilis est omnibus, qui non longè absunt à timore. Quæcunq; igitur timendi causa interius illis sit, noctu maximè id faciet, præcipuè si timoris talium causa in nigritiem succi, & velut internam spirituum animalium noctem, rejiciatur. Itaque melancholicus erat hic. Nam talia comitabantur illum multo tempore. Metus verò & mœstitia sine causa, longo tempore perseverantes, melancholica sunt. Horum summa curatio est, per inferna vehementius purgare, ut in aphorismo dicitur, adque medicamento nigra extrahente.

50 **D**Amocles qui apud illum erat, cecutire, & dissolutum corpore esse videbatur: & non accederet sane ad præruptum locum, neque in ponte, neque minimam altitudinem scrobis transilire, sed per ipsum scrobem, poterat. His per tempus aliquod illi affuerunt.

Hic melancholicus simul erat & vertiginosus, ea vertiginis specie, quam quidam appellant tenebrosam, seu tenebrosam. Huius enim symptoma est, nò tam videri omnia circumagi, quam cœcutire. Hi etiam, & omnes vertiginosi, sentiunt quandam velut corporis dissolutionem, & præcipuè timent cadere, si in loco aliquo sublimi sint, aut rem fluentem despectent. Proinde cauent accedere ad precipitia, & aquam è pontibus spectare, & foveas transilire. Cum species nigri humoris accedit, quod in his tenebrosis vertiginibus, evenit, accedit timor melancholicus, venientes iam ad aliquam speciem insanæ, ut non solum sublimes pontes præterire, sed neque exiguos omnino scrobes, aut aquæ, lutive riuulos transire, audeant, sed per ipsos scrobes, & medium lutum procedant. Hos quoque oportet purgare, ut priores, medicamento verò, quod præterquam quod sit melancholagogum, & vehemens, respiciat caput, veluti fortasse hiera diacholochyntidos Galeni, aut Archigenis, qui-

quibus, ego vtor secundum syngraphas Aetij. Doque. 3. iiii. Interim continendi sunt in loco obscure quieti, in victu vitanda cacochymia, flatuosa, & caput replētia. Mittitur etiā his aliquando sanguis vtiliter, vt & melancholicis, & eisdem distinctionibus adhibitis.

51 **P**Assio phœnicis ex oculo dextro talis quædam erat. Plerumque velut fulgur elucere videbatur, cum continuisset autem nō multū, dolor in dextrum tēpus instabat, aut spondilum, & tertio, & durities circa dentes, ac deducere tentans distendebatur. Vomitus si quando essent facti prædictos dolores auertebant, aut mitiores faciebant. Verūm & vena sectio conferebat, & potus hellebori educebat omnigena, non minime autem porracea.

Hic laborabat hemicrania, ex bile vsta in atræ bilis naturam incipiente degenerare. Nam dolor oculi dextri, & temporis etiam dextri, & cervicis secundum spondilum, & tentio, & durities circa dentes (quod etsi non dicat, eiusdem lateris intelligi debere, rationi esse consentaneum, intelliges, mox ac causas singulorum apposuerimus) hemicraniæ sunt euidētia inditia. Causæ uero speciem indicabant exeuntia. Nam exhibant porracea, quæ nisi cum in vetriculo ipso ob speciem eduliorum genita sunt, ingentem vstionem significant. Exhibant verò & omnigena. Quod arbitror in aliquam nigritiem etiam vrendo processissent, aliqua etiam fortasse incocta simul cum acribus euacuarētur. Quamquam propriæ materiæ morbi pars non esset. Quoniam verò calidorum succorum redundantia ad hepar plerumque pertinet, vt frigidorum ad ventriculum, aut lienem, merito in hoc quoque mittens pars, ac velut fons, origoq; morbi putetur fuisse hepar calidum, cum præcipue dolentis lateris rectitudo in illud nos ferat. Itaq; ferebantur biliosa affatim ab hepate sursum secundum dextrum lacus, per venas, a quibus refundebantur etiam in arterias. Præueniebant vero repleti arteriæ (ita vt sit ob assiduam dilationem, quam faciunt more follium) fumis biliosis, quos ob calidam naturam fumos potius, quam flatus vocamus.

Fumi igitur illi flauī, obuersantes cum spiritibus visorij, phantasiā faciebant fulgoris. Cum autem homo oculum cominisset aliquantulum, ac conclusisset, vitandi fulgoris gratia, fiebat vt fumi resilirent in venas & arterias proximi temporis (quæ pars ab huiusmodi causis crebro dolet, ob vasorum, quæ ibi sunt, magnitudinē) aut in eas quæ maximæ ac copiosissimæ sunt in cerebri basi, qua exoritur spiritalis medulla, & ita dolor instabat, aut in tempore, aut in ta spondilum, primum scilicet, quo caput spinæ coarticulatur, moueturque & retrorsum, aut etiam iuxta secundum, quod etiam dici solet ab Hippocrate denti forme ob figuram, quo caput circum ducitur. Accidebat etiam huic (dicit) tentio, & durities circa dentes. Explicat verò mori, quid vocet tentionem & duritiem circa dentes, dicens, diducere tentans distendebatur. Itaque diducere non facile poterat, sed hærebant inferiores superioribus, velut cum quadam partium tentione, & immobilitate, atque si vi diduceret dentes, velut distendi partes sentiebat. Hoc sane distendebatur necessario affuturum ob affectionē temporis. Cum enim musculus temporis sit primus maximusque masticatoriorum, & qui maxillam inferiorem adducit ad superiorem, plenis vasis temporis, musculum eum necesse erat tumere, ac inflammari, & ita contrahi, & inferiores dentes adduci, abduci autem violenter. Sed & sanatio indicat, recte, de affectione, & eius causis, coniectatum esse. Nam conferebat venæ sectio, temperando (arbitror) hepar, & laxando vasa, & expurgatio per helleborum, quia euacuabantur qualia euacuari oportebat, omnigena enim, & præcipue porracea. Interim si quando vomitus fiebat, dolores tollerantur, aut minores fiebant. Quia etsi is dolor non inerat per consensum cū ventriculo, tamen non poterat, nō quocumq; redundantia in ventriculo colligeretur, crebra euaporatione capitis noxæ superaddere. Verū considera nō dicere Hipp. sanatum fuisse hunc venæ sectione, & potu hellebori, sed conferebat misio sanguinis & potus hellebori, significantē scilicet ipsa phrasi, hæc non semel esse acta, sed pluries, ex quibusdam interuallis longis, ita vt fit, repetita.

82 **P** Armenisco & prius incidebant tristitia, & decedendi à vita cupiditas; aliquando autem rursum lætitia.
Post.

Post hæc verba, quæ in septimo libro, aut alia quam plurima repetuntur, adiecta est quædam historia morbi, quem in Olintho passus est hic idem Parmeniscus, quâ postquam hæc enarrauerò, ego hoc loco adscribam, & enarrabo, ne quis cogatur, eiusdem ægroti historiâ in duobus locis quærere. Mœstitia & desperatio melancholicorum est, sed his ipsis accedit aliquando, sine vlla occasione lætitiæ suffundi, & ridere. Nimirum cum mente non satis consent, solêt ad insaniam vtrumq; facere, nunc nulla de causa mœrere plurimum, nunc plurimum lætari. Frustra verò videatur peti ratio insanendi, cum non contingat, vt ille dicit, cum ratio ne insanire. Sed in ipsa corporis affectione causam ego dixerim esse hanc, quòd cum neque sterquilinum vllum sit, quod æque semper expiret fœtorem, sed cum agitur commoueturque: atque multò magis & omnes morborum causas, quibusdam temporibus, aut certo quodam ordine, aut erratico modo, agitentur, necesse est, vt melancholici, nigris vaporibus mentis sedem occupantibus, mœreant, & aliquando copiosa effumatione cessante, & succi nigri motu sedato, mœstitia liberentur. Atq; cum nulla lætitiæ maior causa sit, quàm soluenda mœstitia: vt & voluptatis soluendus dolor: necesse est aliquando lætentur sine vlla externa causa plurimum, soluti à plurima mœstitia, quæ sine externa causa inerat, iuxta id quod Socrates dicit in Phædone. cuius hæc sunt verba, Quam mira videtur ò viri hæc res esse, quam nominant homines voluptatem, quamque miro naturaliter se habet modo ad dolorem ipsum, qui ei contrarius esse videtur. Quippe cum simul homini adesse nolint, tamen si quis prosequitur capitque alterum, semper ferme alterum quoque accipere cogitur, quasi ex eodem vertice sint ambo connexa. Post hæc in septimo libro ita scriptum occurret. *In Olintho autem aliquando autumnis tempore, sine voce decubuit quiescens, ita vt parum quiddam saltē loqui conaretur. Iam verò si quid esset locutus, rursus carebat voce. Somni aderat, aliquando verò vigilia, & iactatio cum silentio, & anxietas, & manus ad hypochondria quasi dolorem patienti. Aliquādo verò auersus iacebat quietē agēs. Febris verò semper, & bene spirabat. Postea dixit agnoscare se eos qui ingrediebatur. Bibere verò quādoq; tota die & nocte etiā, cū tribuerēt, nolebat: quādoq; verò vinā repēre arripēs, totam aquā bibebat. Vriva crassa vt subingalis, circa quatuordecimā verò remisit.*

Hic fuit morbus actus. Febris enim perpetua constitutionis dierum quatuordecim, superueniens melancholice diurne. Quo factum est, ut praeter febre, & eius accidentia propria, adessent multa accidentia melancholice. Cuius modi illa, Nunc nimia quies & taciturnitas, nunc nimia iactatio & inquietudo. Nimia est & rapida potatio, & nimia potus auersatio. Et alia omnia, quae insanice, quendam modum praese ferebant, melancholice familiarem. Sed satius fuerit singula percurrere, & quas coniectari possumus causas, adijcere. In Olintho (inquit) aliquando autumnii tempore (quo scilicet maxime urgere melancholici morbi solent) decubuit sine voce quiescens, hoc est taciturnus neque se mouens in lecto. Explicat mox quam esset taciturnus, dicens ita ut parum quiddam saltem loqui conaretur: iam vero si quid esset locutus, rursus carebat voce. His verbis significatur, illum ita iacuisse taciturnum, ut parum quiddam loqueretur, atque id quantumcumque, vix vi videretur posse loqui, aut loqui molestissime ferret, & mox rursus conticesceret. Quod quidem non est referendum ad aliquod instrumenti vitium, sed ad animi affectum. Non enim quod loqui non posset, sed quod ob moerorem nollet, tacebat. Neque dicitur conari loqui, quod lingua corporale aliquid esset impedimentum, sed quia male obsequuntur instrumenta omnia, cum appetitus reuult. Itaque taciturnitas illa, & requies nimia, moesti animi erat. Moerorem vero esse melancholicum accidens, satis constat. Somni (inquit) aderant, aliquando vero vigiliae & iactatio cum silentio. Melancholice familiares sunt vigiliae ob siccam intemperiem, tamen alia ratione etiam hi sunt aliquando veluti comatosi, ob moestitiam scilicet. Videmus enim eos qui tristi & demisso animo sunt, in somnum inuitos ferri qui quidem non tam est somnus, quam vigilandi impotentia. Hic igitur, nunc ob succi naturam vigilabat, nunc concidete animo dormiebat: & nunc vigilabat quiescens, cum succus minus moueretur, nunc iactabatur, cum succus agitatedus instigabat. Semper autem flebat, quod ea incidisset insanice species. Addit, & anxietas, & manus ad hypochondria, quasi dolorem patienti. Hoc quidem melancholicum etiam est. Plurimi enim melancholicorum sunt hypochondriaci. Alijs, raro non consentit ventriculus cum cerebro.

Qua.

Quapropter perpauca eorum sunt, quibus non secundum hypochondria anxietas, alijs quidem maior, alijs quidem minor. Id verò cum fit, naturaliter videntur manus in eam partem ferri. Aliquando verò auersus iacebat quietem agens. Dicitur eum aliquando iacuisse sine motu: nunc dicit aliquando immobilitati & silentio adiecisse auersionem, ut non tantum alloqui nollet, sed et videre recusaret, quod maioris adhuc erat tedij. Febris verò (inquit) semper & bene spirabat, melius scilicet quam alij febricitantes soleant. Cuius causa est, quod mala melancholicorum in cerebrum & hypochondria incumbunt magis, quam in thoracis partes. Postea, inquit, dixit, cognoscere se eos qui ingrediebantur. Postquam scilicet conuersus à pariete est, interrogatus agnoscere, dixit se agnoscere, ac fortasse nominauit singulos. Quod sane non est tanta dignum admiratione. Sæpe enim euenit. Et ad tempus resipiscunt huiusmodi homines. Atque poterat etiam agoscens omnes delirare, læsa ratione sine imaginatione, bibere verò (inquit) quãdoque tota die & nocte nollebat, etiam si tribuerent qui aderant, quandoque verò vrinam repente accipiens, aquã bibebat totam. Hoc quoque accidens vidimus sæpe in insanientibus ex melancholia: ut quidem potum non petant et si vrantur febre, sola mentis alienatio solet facere, quia ij quibus mens ægrotat dolores non sentiunt. Tamen ut ne admoniti quidem vltro oblatum, velint accipere potum, semper ex infano aliquo timore procedit, velut plerumque imaginantur offerri sibi in potu mortiferum aliquid, parique sibi ab offerentibus insidias. Tali aliqua suspicor de causa, hunc diem & noctem potum recusare. Quandoque verò euanescente ea imaginatione, & urgente siti, repente arripere vrinam, & tunc quoque sine modo bibere totam aquam. Morbo intra suam constitutionem consequuto cõcoctione, iudicatus est homo per vrinam. Nam processit vrina crassa velut subiugalis, & circa decimã quartam remisit febris. Morbis melancholicis accommodatissimæ euacuationes sunt, deiectio & mictio. illa quidem hypochondriacis magis, hæc reliquis, quia crassa & fœculenta multo melius euacuantur per has vias: quæ circa hypochondria hærent, per ventrem. quæ in venis totius corporis, per vesicam. Nam sudoribus euacuantur serosa fluxu sanguinis, san-

gnistotus: vomitus non semper est euacuatio vniuersi corporis.

83 **C**Ononis serua, ex capitis dolore incipiente, mente mota est, vociferatio, clamores multi, raro quies, circa quadragesimum mortua est. Decem autem dies antequam moreretur, voce destituta, & conuulsa erat.

RATIO quidem adstipulatur, sed & experimento cognoui, in ijs qui à dolore capitis delirare cœperint, vociferationem, clamores, & inquietudinem, imminentem conuulsionem significare. Eueniunt enim ea ob neruorum passionem, in quorum radices imbibuntur excrementa. Capite ergo recipiente, eius dolor fit, eo iam repleto, & putrescētia vitiantē cerebri temperiem (vt in phreniticis) aut nigritiæ obtenebrante sensuum internorum fulgorem (vt maniacis) læditur mens. Postea non continente se humore in mentis cellulis, sed occupante neruorum radices, fit corporalis passio, quæ vocatur conuulsio. In ea succi in corpus (vt dicit Hippocrates) cōuersione, necesse est excitari dolores grauissimos, ob acrem sensum neruorum, atquē ob id vociferari, & clamare, etsi ob insaniam, qua parte doleant, narrare nesciant. Itaq; malum à magno capitis dolore incepit processit vsque ad delirium, dumque in conuulsionē abiret vociferabatur, clamabat, & inquieta erat. Facta iam conuulsione, voce destituta est, quod vocales muscoli tenerentur: vsque dum occupate iā (arbitror) omnia respirationis instrumenta conuulsione, circa quadragesimum, qui morborum non planè cronicorum finis est, mortua est. Simile quiddā euenit infantibus epilepticis. Cum enim eos iam inuadunt paroxysmi, clamant miserè, sed conuulsione iā occupati, ne vocem quidem possunt emittere.

84 **A**Dolescens quidam, cum multum meracum bibisset, supinus dormiuit in vmbra zulo quodam. Huic serpens Arges in os ingressus est, atque cum sensit, non valens loqui, stridit dentibus, & serpentem deuorauit, & dolore magno tenebatur, & manus efferebat, vt qui strangularetur, & iactabat se ipsum, & conuulsus mortuus est.

H A E C

Hæc historia mirabilis, admonet non esse tutū hiantī ore sopitum iacere, supinumque in solo reptilibus pleno, vt solent rustici: euenire enim quod huic, qui vino mero plenus iacebat, quid prohibet? Quamquam qui lactē pleni (vt etiam fit) dormiunt, periculo sunt magis opportuni, & lactis, & odor & sapor reptilibus omnibus sit iucundissimus. Vini etiam æstu, præcipuè si cum alijs ingestum sit, fūgantur potius. Atque hanc reor esse causam, qua non adeo multi rusticorum, hoc modo periclitantur. Conuulsionem huic duplex causa afferre potuit, veneni vis, & quod viperæ os ventriculi morderet.

85 **T** Imocharis etiam seruus, ex melancholicis eum esse putantibus, talibus & tot viris, mortuus similiter est circa eosdem dies.

PROPE historiam seruæ Cononis esse hanc scriptam ab autore, & quæ interest, huic proximam, esse ab aliquo male interiectam, ipsa verba indicant. Quid enim refert illud similiter, & illud circa eosdem dies, aliud quam mortuum etiam esse hunc voce priuatum & conuulsam, circa diem quadragesimum. Nimirum hac ratione periclitantur melancholici breui mori, si frant apoplectici, aut conuellantur, humore eo, qui animam perturbat, cōuerso ad corpus. Fuisse vero hunc melancholicum confirmat multorum & talium virorum, qui illi aderant, autoritate. Quod scilicet illi ita putarent: fortasse quod ipse huic ægrotō non adfuerit, sed rem aliorum relatu agnouerit, aut etiam fortasse vt obiter doceat, à medico, vt ipse alibi dicit, seu medici sententia, probabiliter affectionum argumentum capi.

86 **N**icolai puero circa solstitium hyemale, ex potationibus rigor factus est ad noctem, febres postridie, vomitus biliosus syncerus exiguus. Tertia die concionē mundum soluta, sudor totius corporis. Cessauit.

Hæc narratio mutila est, desuntque plura verba, quæ hic scripta occurrunt, vt constare facile potest ex libro septimo

septimo circa medium, quo loco eadem ipsa repetitur. Primum ergo omnium oportet, lectio restituatur, deinde enarretur. Ea habet hoc modo.

87 **N**icolai puero, circa solstitium hyemale, ex potationibus rigor factus est ad noctem, febres postridie, vomitus biliosus syncerus exiguus. Tertia die, concione nondum soluta, sudor totius corporis, cessauit, & cito rursus incaluit. Circa noctes medias rigor, febris acuta, interdum verò eadem hora sudor, cito rursus incaluit, vomitus similis. Quarta ab aqua mercurialis deiecit stercoreosa, & humida, fetida verò & spongiosa. Aquæ mercurialis non dissimilis, hypostasim non habebat, neque multa erat urina. Appendicula parua. Dolores hypochondrii sinistri, & lumborum, putabatur ex vomitu superspirare, & superspirabat aliquando duplum. Lingua alba, habens dextra ex parte velut lupini concretionem: verum parum erat siticulosus, insomnis, sapiens. Sexta autem dexter oculus maior, dum intueretur. Septima mortuus est. Verum alunt ante mortem eleuata est, & mortuo posteriora rubra sunt facta.

NARRAT Hippo. ætatem ægroti, anni tempus, & ægro-
tandi occasionem, quia hæc omnia faciunt quamplurimum
ad agnoscendum morbi speciem & periculum, atque ad
rectè suscipiendum curationem, oportetque singula con-
siderari seorsum, & alia ad alia, velut nunc, febrem hæc ar-
dentem factam esse media bruma, periculum auget, quia
non congruit cum tempore. Periculosum etiam fuit puero
larga vini potione uti (has enim haud dubiè vocat pota-
tiones) plurimum enim læduntur pueri à vino. Et ex pota-
tionibus & ingluuie (simul enim consueuerunt hæc fieri)
merito nata est febris magna, & multiplex, magnam voco
ob propriam essentiam, & ob malignitatè (fuit enim sem-
per continua, & vehemens, & perniciofa) multiplicent, ob
complicationem. Habuit enim homo à principio tertianã
inter-

intermittētē, coniunctam cū perpetua. Nam incepit à rigore, & habuit deinceps tertia quaq; nocte rigorē, à quo increſcebāt febres: & rursus tertia quaq; die, cum conatio erat in foro frequēs (ad meridiē ſcilicet) ſudorē totius corporis. Quæ figura eſt haud dubie tertianæ intermittētis. Non tamen cum ceſſabat ſudor, ceſſabat etiam febris, ſed cito rursus, incaleſcebat, & manebat febris uſq; dū ſequētis noctis hora media redibat, iterū rigor. Eā notā habuit hæc febris malignitatis à principio, quod cū bilē ſatis ſynceram præferret, tamen multū, ultra tertianæ legitimā durationē, producebatur. Nam quiuis paroxyſmus durabat circiter triginta horas. Nā rigor factus eſt circa mediam noctem, & poſtride febris durauit uſq; ad diem tertiam, & die tertia circa mediū diei ſudor totius corporis eſt factus, qui ceſſauit (manente nihilominus febre perpetua) uſque ad ſequētis noctis medium. Qua hora redijt ſimilis omnino circuitus. Itaq; paroxyſmus erat triginta ſex horarū, interuallum verò tertianæ intermittētis, quod continua occupabatur, ſolum duodecim. Vomitus, quia bilioſus ſyncerus talē ſignificabat cauſam: quia uero exiguus, malus erat, ut alia decretoria imperfecta. Significabat vomitus talis, quod & paroxyſmus productus, atque ambo ſimul, multo magis redundantiam humoris, & facultatis debilitatem. Nam niſi humor eſſet multus, neque paroxyſmus eſſet tantus, nec vomitus tentaretur. Si autem facultas eſſet fortis, & citius ſeſe à febre expediret, & abundantius vomeret. Has ob cauſas medicis uisum eſt multum urgere. neque, expectari poſſe legitimū iudicationis, uel expurgationis tempus atque ideo die quarta mercurialem herbam contulerunt, à qua deiecit ſtercoroſa, humida, foetida, & ſpongioſa, hoc eſt ſtercus molle foetidum, & ſpumoſum. Urina erat pauca non diſſimilis aquæ mercurialis, ſcilicet ſubuiridis, hypoſtaſi carens, habens uerò appēdícula parua. Hoc loco Hippocra. quamquam indiſtincte uti ſolet nominibus nubeculæ, appēdiculi, & hypoſtaſis, diſtincte eſt locutus, uocans hypoſtaſim quod ſubſtat, appēdiculum quod in urinae medio uehitur. Has deiectionum, & urinae ſpecies, prauas eſſe conſtat, Nam utraque habet concoctioni contrarias notas. Nam in deiectione quod foetidum eſt, & ſpumoſum putreſcentiæ malignæ eſt, & colliqueſcentiæ, ut &

viride

viride in vrina vstionis. Ita factum est (vt scilicet talia posscebant signa) vt expurgatio malè cederet, & morbus haberet pessimum exitum. Nam cum stercorosa solum exirent, à mercuriali bilis copia, mota tantum est, & ad hypochondrium sinistrum, & renes collecta. Vnde euenit sinistrum hypochondrium inflammatum dolere, & lumbos, ac cum vrina bilem exire. Non quidem assatum, vt indicationi sufficeret, sed vt tantum bilis decubitus inutilem indicaret. Quapropter facta est vrina pauca, & viridis. Superuenerunt postremo signa pessima, superspiratio duplex. Hoc est spiritus qui vocatur offendens. Et lingua alba habens in dextra parte concretionem, magnitudinis lupini, & erat parum sticulosus, insomnis, sed non delirans, & tandem oculus alter altero factus est maior. Spiritus offendens, & oculus alter altero maior, conuulsoria sunt, & in prognostico, & aphorismis, plurimum vituperantur. Lingua fieri potuit alba, retracta deorsum bile. Concretio vero malignus erat abscessus. Sublata fitis in ardente febre pluries vituperatur ab Hippocrate, neque quidem nunc plurimum leuat id signum linguæ candor, quia non poterat in tanta febre non esse falsa pituita, accedente præcipuè peruigilio. Si enim supernas partes abundarent pituita dulci, dormiret homo. Id solum aderat boni, quod constabat mente. Verum signum simpliciter bonum, multis pessimis opponi, leue est. Quare merito euenit, hominem ita affectum septima mori, quia lethalia inceperunt a fine primi quaternarij apparere. Euenit huic paulo ante mortem aluum intumescere, bile iam per retractoris in potentiam effusa, & in spatia ampliora regurgitante. Mortuo iam, posteriores partes corporis rubræ sunt factæ, iam effluente, ob facultatum mortificationem etiam sanguine, & cum naturali calore expirante, sanguine extra vasa effuso. Hoc signum fieri solet in multis, recens mortuis, ac nonnullis etiam moribundis, velut in ijs qui veneni acceperunt, aut internis iisque malignis inflammationibus erant affecti, aut malignos aliquos succos collegerat. Ego (siquidem hoc quoque dici non est inutile) dicerem malè actum esse cum hoc ægroto, quod non sit illi ante expurgationem missus sanguis. Fuisset sanè mittendus die secunda vesperti, cū iam cessante sudore, videretur febris manere. Nā

eo vsque non mirum si medicus expectaret, an tempore quo solent diariæ, solueretur, cum febris ex causa procatartica initium coepisset. Nam & si incepit à rigore, quod quodammodo putridæ est, tamen non omnino inde constare poterat, non esse diariam, quia quæ ex facietate, aut ebrietate fit, diariarum omnium, maximè imitatur putridarum figuram, ob redūdantis cibi ac potus alterationem.

88 **D** *Ioipithis sorori in semitertiana, erat etiam circa apprehensionem cor grauiter dolens, & aderat etiam is dolor tota die, & huiusmodi cardialgia etiam alijs similiter aderat. Verùm sub pleiadis occasum viris talia rariora fiebant.*

SIMVL hac dictione comprehendit singularem historiam, eius quod euenit vxori Diopithis, & communè morbi, qui quodam autumnno grassatus est: adeo breui vtrunq;, vt parum vtilitatis videatur inde capi posse. Nam de sorore Diopithis nihil dicit aliud, quam laborasse semitertiana cum cardialgia, quæ in ipsa febris inuasionem apprehendebat, & durabat per totum diem. De communi illa tempestate dicit, multis etiam alijs, viris scilicet & mulieribus, etiam alijs febribus occupatis, accidisse cardialgiam, verùm sub pleiadis occasum, talia viris rariora fieri. Non narrat autem qualis fuerit eius anni temperies, neque quo tempore cardialgiæ coeperint, neque quousq; durauerint. Quare multa desunt ex quibus possemus aliquid ad artem utile aucupari. Verum dicemus, quæ ex eis quæ dicit, probabiliter possit quis coniectari, Semitertiana febris, quæ præcipuè ita appellatur, est continua, acuta, & periculosa, & multiformis. Cōstat enim duplici typo, tertianæ & quotidianæ, & ex duplicis succi putrescentia oritur, bilis & pituitæ. Proinde hic morbus congruens est cōditioni autūni, temporis adeo variij & inconstantis, & ad multa variaque excrementa gignendum apti. Cardialgiam vocant veteres omnes medici dolorem oris ventriculi, qui fit ob humorē frigidum & flatuosum, aut calidum & mordacem, qui ibi gignatur, aut in eā partē inluit. Plerunq; vero frigidus ibi gignitur, & biliosus aliunde inluit. Quod euenit cum ta-

lis

lis in corpore redundat succus, & os ventriculi est, quacun- que causa, debile. Ita fit vt hoc quoque malum autum- no sæpe accidat per morbos, quia eo tempore, & languent ventres, & exusti sunt succi: vt unque ob antegressum æstû, qui naturalem calorem dissipauit, succos vero vssit. Acce- dit alia causa dolendi non exigua, ex repentina in frigus mutatione, quæ multis horis in ea anni parte fit. Accedit etiam multus esus fructuum recentium, qui tunc abundant, & ventriculum laxant, & sua facili putrescentia vitiant. Iam verò in semitertiana peculiaris quidam apparatus esse videtur ad hoc symptoma. Nam quia quotidiana est, raro non habuerit sociam ventriculi debilitatem, quia etiam est tertiana habuerit biliosam cacochymiam. Itaque ob hæc nisi quid aliud peculiare habuit illius anni cõstitutio, facta fuerit cardialgia, Diopithis! sorori in semitertiana, & alijs quamplurimis, in alijs quibusuis morbis. Atqui quam- quam semitertiana continua febris est, habent tamen inua- siones (velut rediens ad initia) altera die vnam, altera die duas. Cum his inuasionibus fiebat cardialgia grauissima, quæ vt febris procedebat ad incrementum, remittebatur: nõ ita tamen vt non duraret tota die: quod quidem mulieri huic contigit hoc est. Tempestatem vero illam, qua car- dialgia in multos grassata est, autumnum fuisse, inde nobis insinuatur, quod addit, sub pleiadum occasum viris talia rariora fieri: occasus verò pleiadum finit autumnum, & in- choat hyemem, primis diebus Nouembris. Dicit igitur ad finem iam autumnum fieri hæc rariora viris, quasi superiori tempore, hoc est toto autumnum, crebriora fuerint, & foemi- nis & viris. Neque sanè quicquam horum ratione caret. Nam autumnum fuerint hæc crebra omnibus dictis de cau- sis, incipiente autem iam hyeme, fuerit mutata cõstitutio, quia mutationes temporum mutationes afferunt morbo- rum. Cœperit vero eius mali remissio potius in viris, quòd minus excrementosi, quam foeminæ sint.

89 **V** Xori Epicharmi antequam pareret dysenteria erat, dolor fortis, deiectiones subcruenta, & amentosa. Vbi peperisset statim sanata est.

QVARE vtro gerunt malis replentur succis, quia deri-
nentur

nentur ijs menstruæ euacuationes, foetus vero allicit ad sese sanguinem bonum. Hinc accidunt illis multa mala, quæ copiosa illa euacuatione, quæ per partum fit, solui solent. Huic igitur regurgitante iam malo succo in intestina, facta est dysenteria, & reuocato ad vterum per partum, est soluta. Hæc eadem historia occurret in libro septimo, nihil ab hac euarians quod sit momenti alicuius.

90 **V**Xori Polemarchi in arthriticis coxæ dolor quidam, grauis: causa erat quòd muliebria non fierent. Vox suppressa erat totam noctem vsque ad medium diem, audiebat autem, & intelligebat, & significabat manu, circa coxam esse dolorem.

HÆC quoque historia occurret in libro septimo, & ubi hic legitur, dolor coxæ grauis, illic dolor coxæ repète. Et præterea additur defecisse menstrua, quòd betæ succum bibisset. Itaque coniunctis ambobus locis constat, huic factum esse dolorem coxæ grauem & repète, quòd fluentibus menstruis potasset succum betæ, & ea repente suppressa sint. Nimirum betæ succus tormina intestinorū facit. Quæcumque autem talia cessare faciunt menstrua, præcipuè si cum aceto bibantur, vt betæ succus, aut cremor, solet. Mēstruarum euacuationum suppressio, haud scio an vllus morbus sit, cuius nō possit esse causa: quosdam enim facit quòd sanguis stas temporibus, vt consuevit, in venas vteri influat, ob earum autem obstructionem, aut eius crassitiem, non exeat, aut quòd errore expultricis in alias partes refundatur, aut quòd ne moueatur quidem. Primo modo facit vteri retractiones, aut in partem alteram distortionem, & hinc præfocationes, & coxarum dolores, & conuulsiones per consensum, aut totius corporis (vt epilepsias) aut quarundam partium: inter quas præcipuè solet lingua apprehendi, & aponia fieri: secundo modo solet facere dolores articulorum, & asthmata, & dysenterias, & innumera alia huiusmodi mala. Tertio modo febres putridas sine parte vlla peculiariter affecta, & multa cutis vitia, efflorescentibus in cute multis aut maculis, aut papulis, aut vlceribus, ob cacochymiam toto corpore dispersam. Huic igitur

tur consentaneum est, primum quidem membris omnibus pellentibus non quo oportet, factos esse dolores multorum articulorum, deinde decumbente multo sanguine in vterum, nec exeunte ob sorbitionem succi betæ, contractū & distortum vterum esse, & ob distortionem incidisse in coxam, excitasseque ibi grauem dolorem, & ob cōtractionem fecisse præfocationem vocatam ex vtero, & per compassionem etiam aphoniam. Ob exortum verò neruorum, qui motum linguæ deferunt, a postrema cerebri parte, seorsum ab alijs neruis cerebri, fit sæpe vt cerebro toto non læso, ea solum particula impedita sit. Vidimusque sæpe ita affectas (qualem hanc fuisse narrat Hippocrates) audientes, & intelligentes, & nutibus laborem suum significantes, voce tamen destitutas: huius curatio missione sanguinis ex malleolo, secundum dolentis coxæ rectitudinem, perficeretur breui, & post missionem vsu diureticorum, quæ & ipsa mouent menstruas euacuationes.

91 **E** Picharmo circa pleiadum occasum humeri dolor, & in brachium grauitas, stupor, crebri vomitus, aquæ potus.

HÆC eadem historia narrabitur rursus libro septimo huius operis eisdem omnino verbis, præterquã quòd pro *ναρση*, id est, stupor, habetur illic *δ'ον*, id est, fastidium, aut anxietas. Fortasse habuit vtrunque, stuporem brachij, & in ventriculo fastidium. Neque mihi id sit parum verissimile, quia humeri dolori, & brachij grauitati, proximum satis accidens est, eiusdem stupor, & crebris vomitibus, fastidium. Dubium sanè est, quid sibi Hippocrates velit, quandoquidem non explicat, sit ne hic homo læsus aquæ potu, an vero curatus. Videtur enim potuisse vtrunq; contingere, quia illa symptomata potuerint à calore & à frigore proficisci. Si verò affectio fuit frigida, consentaneum est potum aquæ causam fuisse putare: si vero calida, curationem. Narrantur verò hic symptomata quibus loca affecta possis cognoscere, potius quam affectionis speciem. Ventriculi enim & brachij significatur passio: ventriculi quidem ob fastidium & vomitus crebros, quæ læsiones sunt

sunt actionum eius, brachij vero ob dolorem, quia ubi dolor ibi morbus. Atque cum ita sit, consentaneum est primariam passionem esse in ventriculo, secundariam in humero & brachio: laborante ventriculo cruditate ob vitiosos humores in eo redundantes, atque ex corruptis cibis ascendentibus vitiosis & crassis vaporibus ad nervos brachij, qua oriuntur, ex tribus ultimis vertebrae cervicis. Illis enim occupatis, necesse erat primum quidem dolorem fieri, deinde & facultatem intercipi, ac propterea fieri gravitatem, & stuporem. Dolorem quidem in humero iuxta nervorum principia, quod ibi a vaporibus impeterentur: gravitas & stupor in brachio, quod languida iam perveniret facultas. Ex his autem omnibus non constat, an esset frigida cruditas ut quæ acida, an calida, ut quæ vocatur nidorosa. Nam quicumque vitiosi succi redundarent, possent fieri fastidium & crebri vomitus. Nam tamen fastidium magis solet calidam intemperiem sequi, quam frigidam, tamen nomen non significat etiam anxietatem, quæ a frigidis etiam & acidis fieri solet. Quin & fastidium etiam fit aliquando a pituitosis putrescentibus, & anni tempus frigidæ affectioni attestatur, magis quam calidæ. Nam occasus pleiadum est initium hyemis. Sed neque si ex alijs signis cognosceres esse frigidam cruditatem, constare posset satis, an aquæ potus fuerit causa, an curatio, si verè testatur Trallianus, se aquæ potu curasse acida cruditate laborantes, qui vini portione læderentur. Itaque constat ex hac narratione, fuisse hanc affectionem ventriculi intemperiem, atque compassionem brachij, quæ autem intemperies fuerit, non satis constat, neque an aquæ potus causa, an curatio fuisse dicatur. Coniectura autem magis inclinatur, ob temporis conditionem, ut frigida fuerit intemperies, cum humore (ob vomitus) potus vero aquæ, causa, & ut de curatione, dixerit nihil.

92 **E** *Vphranoris filio exanthemata velut morsus culicum, exiguum autem tempus, postridie febricitavit.*

Huius quoque historiae pars prima occurret scripta in septimo, desunt vero illic verba illa, exiguum autem tempus

Ccc

postridie

postridie febricitauit. Quare melius sit enarrare hic ubi perfectius est scripta. Ne intelligas hunc, cum habuisset exanthemata, postridie febricitasse exiguum tempus, sed cum habuisset exanthemata exiguum tempus, postridie febricitasse. Qua dictione aperte significatur, exanthemata eadem die esse oborta & euanuisse, nam hæc, morbis quidem succedentia, significant malignitatem, ante morbos facta, magnos ad morbos apparatus, atque adeo apparatus ad magnos morbos, & utroque tempore deteriora sunt, quæ breui atque insperato euanescunt, quam si per morbos durent usque dum cum ipsis febribus cessent: ante morbos vero, tanto tempore, ut quod in cutem emerferat, putetur merito per cutim ipsam esse paulatim resolutum. Cui enim breui euanescunt, constat non resolutum, sed reconditum potius in altum esse, atque ita interna grauius affici. Unde in ægrotantibus mors, in nondum ægrotantibus, morbus timetur grauis. Quod huic euenit, qui hæc quadam die passus, postridie febricitauit, neque forte leuiter. Huic consultum fuisset, febrem missione sanguinis anteuertere. Aut enim fuisset ab ea præseruatus, aut ægrotasset minus grauius. Prohibet verò medicos, præcipue minoris notæ, vbi leuitas, multa huiusmodi facere & metus calūniæ. Quotus enim quisque, si ita esset factum non imputaret febrem missione sanguinis, potius quam morbo appa-⁹³ratui? Hanc ob causam dicere soleo, auctoritatem medico ad rectè curandū esse vtilem: quod ei Hipp. in initio prognostici dixit.

92 **S**ingultus multi post Fabonium fiebant, vsque ad Aequinoctium autumnale: sub Canem suffocationes magnæ calidæ, febres sudorificæ, tubercula post aures plurimis fiebant.

CONSTAT hæc verba non continere narrationē integram, sed decissa esse ex aliqua alia, aut alia multa verba hinc esse vetustate sublata. Restitui debet locus hic ex alio libri septimi, vbi ita legitur. Siccitates fiebant vsque ad æquinoctium autumnale, sub Cane graues suffocationes, & venti calidi, & febres sudatoricæ, & rursus statim calecebant. Tubercula vero iuxta aures multis fiebant. Itaq; pro

λύγμν

ἀγχμοι, id est singultus, legi debet ἀγχμοι, id est, siccitates. Et ubi legitur vox δέρμα deest vox πνεύματα & addi debent illa καὶ πάλιν ἐνθὺς ὑπεθέριμον, id est, rursus statim calefcebant. Sed quoniam illius loci lectio hac in parte probatur magis, in eum quoque referretur enarratio ut ibi potius enarretur, ubi melius scripta est.

93 **T**ychon in obsidione circa Datum, percussus est pectus à catapulta, & paulò post, risus erat ipsi tumultuosus, videbatur autem mihi medicus extrahēs lignum, reliquisse aliquid spiculi circa septum transversum, & cum ipsi videretur, vesperi clystere est usus, & pharvacum deorsum purgans dedit, nocte em transegit primā difficulter, statim verò ac dies facta est, videbatur & medico & alijs meliùs habere. Prædictio quòd ubi conuulsio fieret, breui esset moriturus. Sequenti igitur nocte cum difficili tolerantia fuit & infomnis, in ventrem plerunque decumbens. Tertia die summo mane conuellebatur, & tunc mortuus est.

DATUM nomen est oppidi, in cuius obsidione Tychō percussus est à catapulta. Erat verò catapulta bellicum tormentum, quo lapides aut sagittæ iaciebantur. Hunc sagitta traiectum esse declarant sequentia illa verba, videbatur medicus extrahens lignum, reliquisse aliquid spiculi circa septum transversum. Quæ etiam verba declarant, percussus esse pectus & septum transversum. Ex hoc loco videtur Aristoteles accepisse, quod tertio de partibus animalium cap. 10. dicit his verbis. Accidere etiam dicunt & in bellis per plagas circa septum transversum, risum, ob colorem qui fit à plaga. Itaque Aristoteles putat traiecto aut percusso septo transverso fieri risum, ob calorem eius partis, velut à titilatione. Hanc enim etiam putat risum mouere calore, quem ciet. Ego vero ut in controuersis etiam dixi, non arbitror hunc fuisse risum, sed conuulsium quendam motum septi transversi, risui similem, quem Hippocrates velut comparatione usus, vocauit risum tumultuosum.

Cum igitur hic percussus esset sagitta, paulo post superuenit quædam circa pectus concussio, velut risus quidam tumultuosus: concutiente arbitror se septo transuerso, vt excuteret. Nam visus est chirurgus qui extraxit lignum, reliquisse aliquid spiculi interius circa septum transuersum. Fortasse hic ipse risui similis motus, relictæ interius partis spiculi, significationem Hippocrati præstitit. Quamquam etiam ex ipso telo, cui particula aliqua decisa appareret, cognosci poterat. Et cum ipsi (inquit) videretur, scilicet ipsi medico, aliquid interius relictum esse, aut videretur ita expedire, eadem die qua percussus homo est, vesperi vltus est clystere, & pharmacum deorsum purgans dedit (tan-
topere festinandum est urgente malo) noctem eam, quæ prima etiam fuit, transegit difficulter. Nec sanè mirum. Nam ex recenti vulnere, & agitatione pharmaci. Statim verò ac dies facta est, videbatur & medico, & alijs, melius habere, cessante fortasse iam motu expurgationis, & partibus recenter degrauiatis, & ob defatigationem antegressam requies aliqua subrepsit. Verùm cum teli pars adhuc esset infixæ, neque vlla esset ratio extrahendi, & pars lesa esset adeo opportuna inflammationi, & conuulsioni, meritò prædictum est, fore vt ex vulnere inflammaretur, atque conuelleretur: atque cum id fieri inciperet, moreretur breuissimè. Cum enim conuulsio ab alijs partibus incipit, non euenit mori, vsque dum peruenit ad respirationis instrumenta, cum verò huic ab ipso septo transuerso inciperet, sine quo nulla respiratio agi potest, necesse erat mori ab incipiente conuulsione, interiret. Nam, vt in libro decoacis prænotionibus dicitur, conuulsiones omnes molestæ sunt, verùm difficilissimæ circa thoracem, & maximè periculosæ. Euenit igitur vt sequenti nocte, incipiente iam inflammatione, esset homo cum difficili tolerantia, & infomnis, & in ventrem decumbens. Quod, vt in prognostico dicitur, delirium significat, aut dolorem in partibus circa ventrem. Tertia die summo mane conuellebatur, & tunc mortuus est in initio tertix diei, ex qua percussus est. Nulla esse posset ratio qua hic a conuulsione & morte liberaretur. Nam septi transuersi vulnera multis de causis atque adeo manifestis, lethalia sunt.

94 **B**illo percusso in dorso, spiritus copiosus per vulnus cum strepitu exibat. Fluebat sanguis, apposito autem & alligato medicamento ad cruenta, curatus est.

Hic accepit per dorsum inter costas vulnus, in Thoracem penetrans, atque ob id spiritus simul exibat cum sanguine, atque ex spiritus cum sanguine mistione fiebat strepitus, ut in angustæ longæque cervicis vasis, quæ ex vitro fieri consueverunt. Hæc vulnera, cum neque septum transfuersum, neque cor, neque pulmo, usque ad arterias læsa sunt, curari plerunque solent, si recta curatio adhibita sit. Quæ quidem post exteros extractosque, si qui sunt, grumos sanguinis, in usu medicamentorum, quæ ad alia vlcera recentia & cruenta, parantur, consistit, & idonea alligatione. Mirari euenit, atque adeo quidam dubitant, quomodo possint, qui hæc habent vulnera, per ea respirare. Nam is aer qui ore in pulmonem trahitur, per ipsummet os rejicitur. Quare non videtur posse rejici per vulnus. Quod si per vulnus rejicitur, alius est quam qui ore trahitur, & rejicitur, quare non videtur Thoracis vulneratio posse priuare vocis materia. Experimur autem vtrunque, & per penetrantia vulnera respirare homines, & cum id admodum fit, loqui non posse, quasi vocis materia per vulnus euacuata. Res autem hoc modo euenit. Quod per vulnus rejicitur, nõ per os, sed per ipsummet vulnus trahitur, cum verò pulmo proprium non habeat motum, sed sequatur Thoracem, fit ut cum Thorax, dum dilatatur, habeat qua repleti possit, pulmo minus possit sequi, atque ita animalia respiratione naturali priuentur, quamquam illius & huius quæ per vulnus fit, non eadem sit materia.

95 **P**hilis filio nudatione in fronte facta, nona die febris accidit, liuidum factum est os, mortuus est.

Exemplum est hoc accommodatissimum, eius quod Hippocrates initio libelli de vulneribus capitis dicit, nullum vulnus capitis esse continendum, etiã si sola cutis videtur

esse reciffa. Nam nudationem dicens insinuat nullam fuisse ossis fracturam, neque quicquam aliud quam quod reciffa fit cutis usque ad ipsum os, idque ita nudatum sit. Quod sane eo precipue loco, per se minime periculoso, lethale non erat. Euenit autem nona die febris, & ossis liuor, quod corruptionis ipsius & subiectarum partium, erat inditium. Eueniunt quae plurima huiusmodi, nunc ex medici errore, qui minus idoneis medicamentis utatur, aut etiam his utens, minus cautè vlcus tractet, sed ab ambiente plus satis permittat alterari os, vel reliqua quae ad totum corpus attinet, non rectè prouideat: nunc ob corporis apparatus pessimum: nunc ob morbosae tempestatis conditionem, quae aut interperie manifesta, aut in foelicitate cuiuspiam astri talis sit. Scilicet non sunt omnium causae conspicuae.

96 **E**T filio Phaniae, & filio Euergetae, liuefactis ossibus & obortis febribus, abscessit cutis ab osse, & pus non apparuit.

HANC narrationem mutilam esse, constat ex libro septimo huius operis circa medium. Ibi enim aliter, ac fufus scripta est. Oportet ergo primum lectionem restitui, transferrique illinc quae hic desunt. Vbi hic legitur, pus non apparuit, legitur illic pus subtus depascebatur. Quod quidem ut patet consulenti illum locum, multo magis congruit. Tota igitur oratio ita habet. Et filio Phaniae, & filio Euergetae, seu Euerge, liuefactis ossibus, & obortis febribus, abscessit cutis ab osse, & pus non apparuit, & pus subtus depascebatur. His dum perforarentur, ex ipso osse egressa est sanies tenuis, serosa, subpallida, graueolens, lethalis. Contingit autem talibus etiam vomitus superuenire, & in fine conuulsiones, & ut clangosam vocem edant, ac impotentes fiant, atque si in dextris fuerit vulnus in sinistra parte, si verò in sinistris in dextra. Idem prorsus esse videtur quod pueris his accidit, & quod filio Philes. Nam quod in illius historia dicit nudatione ossis facta, his dicit abscessit cutis ab osse, utrisque vero dicit accidisse ossium liuor. Quamquam enim hic tantum dicitur liuefactis ossibus, & obortis febribus, nulla partis facta mentione: tamè constat

ex

ex his quæ adijcit, in capite fuisse vulneratos, siquidem
 de his omnibus pueris agens dicit, contingit talibus vo-
 mitus superuenire, & in fine conuulsiones, & clangosas
 voces, & impotentias, hoc est resolutiones, si in dextris
 fuerit vulnus in sinistra parte, si in sinistris in dextra. Hæc
 vero esse signa lethalia, peculiariter capitis vulneribus su-
 peruenientia, constare potest facilè ex libro de vulneribus
 capitis, in cuius calce, ita scriptum est. Quicumque vero ex
 vulneribus in capite moriturus est, & fieri non potest ut sa-
 nus fiat, & seruetur, ex his signis dignotionem morituri
 facere oportet, & quod futurum est prædicere. Patitur enim
 hæc cum quis os fractum, aut ruptum, aut contusum, aut
 quocumque modo fractum intelligens, per errorem deli-
 querit, & neque raserit, & neque perforauerit, veluti os
 non opus habeat, & velut os sanum existat, ante decimum
 quartum diem febris corripiet ut plurimum in hyeme, in
 æstate vero post septimum diem febris corripiet, & post
 quam hoc factum fuerit, vlcus colorem omittit, & ex ipso
 sanies pauca fluit, & quod inflammatum est ex ipso emori-
 tur, & viscosum fit, & apparet velut salsamentum, colore
 rufum, subliuidum, & os tunc corrumpi incipit, & fit valde
 nigrum, postremo pallidum euadens, aut valde album, quum
 vero iam superatum fuerit in lingua pustulæ oboriuntur,
 & desipiens ager moritur, & conuulsio plerosque corripit,
 in altera corporis parte, siquidem in sinistra parte capitis
 vlcus habeat, in dextra corporis parte conuulsio corripit,
 si vero in dextra capitis parte vlcus habeat, in sinistra cor-
 poris parte conuulsio corripit. Sunt autem & qui syderati
 sunt. Ecce, signa quæ pueris his superuenerunt, eadem sunt,
 quæ Hipp. lethalibus capitis vulneribus dicit superuenire.
 Dicit etiam his superuenire vocem clangosam, quod quide-
 m eadem prorsus fit ratione qua conuulsiones, & syde-
 rationes, nimirum conuulsis musculis aperientibus, aut re-
 solutis, claudentibus laryngem. Fit enim clangosa vox per
 apertiores spiritus vias aut per aridiores. Cur in capitis
 vulneribus contraria pars resoluatur, aut conuellatur, po-
 rius quam coniuncta, dictum est à me in hoc ipso li. 5. in
 historia Hippocomi Palamedis. Iam vero maximam esse
 sympathiam cerebri & oris ventriculi atque ob eam cere-
 bri læsionem vomitu prodi celebratissimum est à medicis

omnibus, necnon lethales esse puris differentias, sanlem tenuem, serosam, subpallidam, graueolentem, qualem his exiisse dicit ex ipsis ossibus per foratis scilicet, malignè putrescentibus (quod & liuor indicabat) cum quibus & computruit cerebrum. Quare mortui sunt.

97 **A**Ristipus in supernum ventrem violenter ac difficulter est sagitta petitus, dolor ventris grauis, & ardebat celeriter, deorsum verò non deijciebat, anxius erat. Biliosa syncera. Et cum vomebat videbatur melius habere. Paulo post rursus dolores graues, & venter vt in voluulis, calores, sites, & septem diebus mortuus est.

Hic est transfixus sagitta, qua fundum ventriculi est, & exortus intestinorum gracilium, ac citò ex vulnere eo loco inflammationem contraxit, quæ anxietatem & vomitum biliosum faciebat, & febres, & sitim, & impediēbat deiectionem, nihil à supernis permittēs in inferna transmittere & fæces exurens. Quòd mox à vomitu subleuari videretur, rationi etiam est consonum, degrauiata interim non nihil parte. Inflammatione verò manente, necesse erat nouam fluxionem mox conuocari, & denuo anxium fieri, & dolere grauiter. Quamuis autem dolorem grauem accidisse, & rursus dolores graues dicat, ne intellige id dici, quod dolores essent grauantes, quales quos præmētia pondera faciunt, sed quod essent magni, & toleratu difficiles. Nam dicitur illud non ob speciem doloris, sed ob magnitudinē. Dolor enim potius esse perforans, velut in voluulo. Quòd mox explicuit Hipp. addēs, & venter vt in voluulis. Imò vero mihi videtur hæc ipsa affectio re vera, ac maximè propriè, fuisse voluulus ex inflammatione, quamquam incepserit à vulnere. Nam vna quidē atque ea præcipua voluuli causa, statuitur, gracilium intestinorum inflammatio. Id igitur solum habuit peculiare voluulus hic, à vulnere, vt à procathartica causa, incepisse. Non igitur mirum mortuum esse hominem septem diebus, cum alioqui soleat voluulus quatuor interimere. Fortasse mireris magis, quòd tandiu durare potuerit. Sed neque id mirum. Quia affectiones quæ causam habent euidentē, ceteris paribus, cum minus

minus malo fiunt corporis apparatu. Porrò vulnus quò
 ventriculus aut intestina, præcipuè gracilia, dissecta sunt, in
 lethalibus ponunt Hippoc. & Galenus.

98 **N** Eapolis similiter percussus, eadem passus est, cum
 esset vsus clystere acri, aluus fluxit. Color effusus
 est tenuis, pallidus, niger. Existens oculis squallidis, puris
 peruersis, intentis in cardia.

Hic similiter percussus, eadem est passus, & eodem tẽ-
 pore mortuus, nisi forte citius non tamen adeo eadem pas-
 sus est, vt non habuerit quædam symptomata diuersa, quæ
 hic narrat, in fluxione alui, & corporis mutato colore, &
 oculis, quin & doloris specie, quæ me adducunt, vt suspi-
 cer, percussum esse aliquanto superiori parte, quàm prio-
 re. Hic scilicet in ipso ventriculo, ille in gracilibus intesti-
 nis. Nã illi vt in intestinis existente inflammatione, nihil de-
 orsum descenderet, huic vt existete in ipso vetriculo, pate-
 bant humorum confluxui magis intestina, atq; ita deiecit
 quaquã à clystere acri. Illud dixit fuisse dolores voluulorũ
 hũe dicit fuisse in cardia Quod nihil aliud significat, quam
 in cardialgia, hoc est superioris ventriculi dolore. Seu etiã
 illa duo symptomatum genera, coloris per totum corpus
 effusio, repente homine correpto velut regio morbo, par-
 tim pallido, partim nigro, & oculorum squalor, distortio
 & immobilitas, inflammationis magnæ ventriculi sũt, ma-
 gis quã intestinorũ. Ac mihi sanè effusio illa coloris, suspi-
 tionem ingerit, infectã fuisse veneno sagittã. Scimus enim
 ingesti veneni symptoma esse, repentinam illam coloris to-
 to corpore infectionem. Sed & citra venenum fieri potest
 ob magnitudinem, & malignitatẽ inflammationis. Id verò
 hepatis, aut ventriculi, tanto magis, quàm illius intestini,
 quanto magis ab his infici totum corpus potest, ob cõmu-
 ne ministerium quod inde accipit. Iam verò oculi, constat
 quanto magis trahantur ad cõpassionẽ ob ventriculũ, quã
 ob intestina, vt & totũ cerebrũ. Sed quædam verba huius
 dictionis consideratione indigent. Nam videtur tenuem
 colorem, quasi differentiam quampiã coloris dicere. Quis
 autem color tenuis sit, non faciliè dicere possis. Ego cum
 di-

dicit *χρώμα κατεχῶτι λεπτόν ὀχρὸν μέλαν*, id est, color effusus est, tenuis, pallidus, niger, perinde accipio, ac si diceret, *λεπτῶς ὀχρὸν μέλαν*, id est, tenuiter pallidus, niger, hoc est subpallidus, aut subniger. Oculi squalidi ariditate, & atrophiam emorientis iam partis, indicant. Peruersi & intenti conuulsionem, in quam, ob ventriculum, facile trahi solent. Illud vero difficile esse videtur, quod dicit, puris oculis hunc fuisse, quasi puritas vitium aliquod oculorum sit. Scire oportet multa esse, quæ per sese bona sunt, alijs autem accidentia augent mali significationem. Velut gracilem esse partem, & omni præter naturam tumore carere, bonum est per sese, cæterum in vlcere est malum. Talis est etiam oculorum puritas. Per sese enim bona est, & significat eorum tunicas, & naturales humores, nullis excrementis abundare. Verum si homo tenuiter, aut omnino non videat, deterius est pueros esse oculos, quàm nubem quampiam aut suffusionem habere. Significat enim affectionem interiorum, quæ minus multo paret curationi. Ita etiam in eo cui sunt peruersi, & intenti, deterius est ut signum, pueros esse, quàm si excrementis vllis abundaret, quia quo minus affectio vlla propria esse apparet, eo maior cerebri affectio significatur.

99 **M** Etrodori filio ex dentis dolore, sphacellus gena, & gingiuarum hyperfarcosis. Mediocriter suppuratus est, exciderunt dentes molares, & ipsa maxilla.

Sphacellus est corruptio ossium. Hyperfarcosis carnis supercrescentia. Itaque huic ex dolore dentis, adeo maligna fluxio conuocata est, ut corruptionem fecerit ossis genæ, & in gingiuis carnis supercrescentiam. Non certè idem succus, qui ossa corrumpebat, natus erat carnem gingiuarum ita nutrire, ut supercresceret, sed ille quidem exulceraret, exulcerata vero caro quæcunque, si alioqui malè temperata non est, ipsa sibi facit supercrescentiam. Finitum hoc malum est, sphacello non amplius procedente, in mediocriter suppurationem maxillæ (superioris scilicet cuius gena pars est) & cum ea dentium molarium casu. Usque adeo non debent contineri dolores dentium in cacochymis corporibus, sed cito expurgandi tales sunt, satis copiosè, mox ac ingruit dolor.

Mulieri

100 **M**ulieri in Abderis carcinoma erat circa pectus,
 & per mammam effluebat sanies subcruenta:
 intercepta autem fluxione, mortua est.

Carcinoma, seu cancer, est tumor ex atra bile, qui quacun- que corporis parte fieri potest, nunc cum vlcere, nunc sine eo: maximè autem fieri consuevit mulieribus, quin & viris etiam aliquando in mammis, quia præterquam quòd ibi est multa caro & glandulosa, nata accipere, emergunt etiam eam in partem, ab interno corpore, grandiores venæ & arteriæ, quàm in vllam aliam externarum. Accedit, mulieribus peculiaris causa, communiõ mamarum & vteri, per venas, in quas menstruus sanguis è toto corpore colligitur. Quibus igitur sanguis redundat atrabiliaris, neque satis copiosè vacuatur, aut mulieribus per vterum, aut viris per hæmorrhoidas, facillè colligitur in mammas, & facit cancerum. Quod sanè malum malè vincitur medicamentis, quia initia minora sunt quàm pro tanto malo, vehementius irritatur. Suppuratio in tam maligno succo tentanda non est. Superest, quod & tutissimum reor, solum bono victu, & repetitis crebro vacationibus, missione sanguinis secundum rectitudinem, & expurgatione accommodata, vti & dictas antea euacuationes mouere. Huic mulieri natura prospexerat ipsa sibi quærens viam, & saniem emittens subcruentam per mamillam. Verùm cum postea ea effluxio cessaret, vel sponte per facultatis naturalis impotentiã, vel incitiam medici ad id suppressendum aliquid machinantis, mortua est. Si autem ipsa mulier fortior, aut materia minus maligna fuisset, hæc mulier, ea vacatione cessante, facta fuisset maniaca. Nam vt in aphorismo dicitur, mulieribus quibuscunque sanguis ad mammas conuertitur, maniam significat. Sed quia ea erat debilis, aut succus veneno similis, mortua est.

101 **E**x catarrho secundum capitis dimidium dolebant,
 & per nares humore fluente febricitabant moderate, & quinque diebus refrigerabantur.

Catharro laborantes magno, comitari solent febriculæ quædam

quædam non adeo magnæ, sed quotidie vesperi increfcen-
tes: quod fomno & nocte crefcat capitis repletio, vt nu-
per diximus Durare folent hæ diutius, quibus catarrhi lête
coquantur, neque euacuuntur. Quibus verò euacuaciones
idoneæ cito fuperueniunt, morbū cōtrahūt, vt de fputis in
pleuritide Hipp. dicit. Est accōmodatiffima euacuatio ca-
tarrho incumbenti in pectus excreatio copiofa: huic verò
qui intra ipfum caput retinebatur, & proinde faciēbat he-
micranēā, effluxus humoris per nares. Nullum est enim ta-
le emunctoriū, & tantā cum cerebro habēs rectitudinē. Au-
res enim non funt tantī vſus ad euacuandum. Ob id igitur
ſiebat meritò vt hac tempeſtate febres citò ſoluerentur.
Quinta autem die lolui ſolere febres ex catarrhis (quæ ſci-
licet breues ſint, & celeres habent maturaciones cōiūctas)
habes hoc teſtimonium, & aliud huic ſimile, quod non ita
pridem in hoc ipſo libro ita dicebatur. Tuſſis hyeme ma-
ximè in auſtrinis, craſſa multa & alba cum excreaſſent, fe-
bres ſuperueniebant, & quinta die ceſſabāt. Quod illic di-
xit febres quinta die ceſſabāt, dicit hic, in quinque diebus
refrigerabantur. Conſtat ex ipſa phraſi narrationem hanc
non eſſe integram, ſed deciffā eſſe ex hiftoria tempeſtatis
cuiuſpiam morboſæ, hæc verba, vt ſunt alia quamplurima
in hoc opere lacera. Enitendum tamen eſt vbique, id fru-
gis quod capi poſſit, colligere, vt nunc fecimus. In libro ſe-
ptimo, hoc idem, quod nunc narrando ſcripſit, occurret
ſcriptum docendo.

302 **E** I qua in partu cōcuſſa eſt, dolor circa pectus factus
eſt, & latus, excreationes purulentæ, tabes conſi-
tit ſex dies, febres rurſū, diarrhœa, ceſſatio, febres, aluus
ſtetit, & circa ſeptem dies mortua eſt.

MVLIER hæc erat vxor cuiuſdam Simonis, & vbi di-
citur ſex dies, legi oportet ſex menſes, quod facilè intelli-
ges, ex alia eiufdem hiftoriæ narratione quæ occurret in ſe-
ptimo, vbi repetitur mutatis quibuſdā verbis, vt alia quā-
plurima huius quinti. Ibi vero ita legitur, Vxori Simonis
in partu cōcuſſæ, dolor circa pectus & latus, tuſſis, febres
excreationes purulentæ, phtifis, & cōſtitit & ſex menſes
febres,

febres, & diarrhœæ semper, in fine sedatio febrium. Aluus stetit, post sedationem, post dies septem mortua est. Hæc lectio multo magis probatur, debetq; locus præsens secundum illum emendari. Nam longè probabilius est, quæ ex pleuriti de obiit per suppurationem, febricitasse sex menses, quam sex dies. Quod verò ad morbi huius essentiam, & causas attinet, illud constat ex narratione, quod & nosse oportet: hanc mulierem cum difficili partu forte laboraret, fortiter, ita ut sit, nonnunquam, concussam esse, ut foetum excuteret, & ob id pleuriticam esse factam, compressione arbitrator pectoris, quæ concucientes facerent, sursum retracto sanguine, atque pleuriticum fuisse adeo malam, ut brevi per suppurationem abiret in talem quod multo & corrosiuo sanguine redundaret. Talis enim est re vera qui ob nouies de tenta menstrua, redundat in ijs quæ pariunt. Copia igitur sanguinis in pleuriticum suppurationem facit, nisi ob debilitatem præueniant ægri mori. Maligna qualitas & corrosiua facit ut facile pulmonis caro computrescat, & tabidi breui fiant. Constat etiã superuenisse huic diarrhœam qua in tabescentibus & suppuratis nihil esse potest periculosius, ut ab Hippocrate in aphorismo dicitur. Porro huic non ad extremum usque durauit semel inchoata diarrhœa sed cum cessasset febris, aut prorsus esset exigua & insensibilis, etiam aluus stetit, & tunc post dies septem mortua est, retento iam, arbitrator, intra Thoracem succo. In præsens loci lectione insinuatur febres & diarrhœam inæqualiter superuenisse, cessasse enim, ac rursus repetisse. Et sanè utrunque horum, deiectionum copiosarum dico & febrium, interrupti & inæuales reditus, fieri consueuerunt, in suppuratis. Nam per retentricis debilitatem, nunc egerunt, nunc valde vacuati cessant egerere, usque dum rursus egerunt, quæ præ debilitate concoctricis, congefferunt. Ita fit ut partibus exiguum alimenti accedat, & spiritus affatim cum deiectionibus exhauriantur. Febres autem eisdem causis erratico modo succrescunt, nunc, putrescentia detentorum exardentes, nunc putridorum euacuatione sedatæ. Præterquam quod fiente pure increscunt, facto rursus, subsident. Admonet nos hæc historia cauere, ne mulieres quæ pariunt concuciantur incautè. Neque vero comprimantur secundum latera plus satis, ne in Thoracis regione vllus dolor excite

Cuius

Cuius mali, si quæ vel exigua significatio nobis præstetur, præpropere reuellendum deorsum, fortibus crurum frictionibus, & cucurbitis humilibus partibus affixis, & missione sanguinis ex talis.

103 **A**nginosa manum dextram & crurum doluit. Febris tenuit. Moderata strangulatio autem tertia remisit, quarta conuulsa, sine voce stertor, dentium contritio, maxillarum rubor, mortua est quinta aut sexta die. Signum, circa manum subliuidum.

RARA est hæc permutatio ab angina in conuulsionem. Verum mali abscessus innumeris modis fiunt, pro consistente in singulis quarundam partium debilitate. Dolor manus & cruris erant antecedentia signa conuulsionis. Facta scilicet abscedente iam humore in neruorum radices. Strangulationis etiam remissio, quæ tertia die facta est & febris moderatio, erant inditia imminētis permutationis. Ita enim fit, cum fit morbus ex morbo, ut remittente priori posterior succrescat. Quapropter cautus medicus cum morbum alium quem plus solito videt remittere, velut in hac, strangulationem tertio die, & febrem moderatiorem fieri, timere incipit permutationem. Quid si interim alterius cuiuspiam partis superueniat dolor, ei parti timet. Vbi dicit, quarta conuulsa est, in quibusdam codicibus habetur *εβδ' μη* hoc est septima. Constat vero esse manifestum erratum. Nam mortua est quinta aut sexta. Vocis priuatio & stertor redeuntis suffocationis sunt. Dentium contritio, hoc est stridor, conuulsionis. Maxillarum rubor sanguine in caput accurrente fiebat. Mortuam dicit quinta aut sexta quod horam fortasse mortis non exacte agnouerit. Signum dicit circa manum subliuidum, hoc est colorem subliuidum manus dextræ, prauam significationem præstitisse. Nimirum liuor partium vitalis facultatis internationem significat, ut in prognostico dicitur, magis quam si omnino nigrescant. Quod signum ubi conspicue videris, certo scias in proximo iam esse mortem.

104 **E**t altera in palato stertorosa. Lingua sicca peripneumonia, desipiens mortua est.

PLAERI-

PLAERI QVE legunt non desipiens, quod fortasse habuerint in suis codicibus *μικροπρον* aut *επρον* ego non ita habeo in meo codice, sed *εκπρον*, verumque profecto fieri potuit, & ut moreretur ex perineumonia desipiens, & ut non desipiens. Sæpe enim pulmo inflâmatus in compassionem trahit cerebrum vsque ad infaniã, sæpe etiam non ea tenus. Proinde ego legi, vt reperi in meo codice scriptum. Cum præcipue ex signis quæ accedebant huic peripneumonix, coniectura aliqua possit accipi, cõpaciens cerebri. Nam erat lingua sicca, quod biliosã perineumonia esse solet, ex qua, quã pituitosa, facilius deliratur, quod acriores fumi caput conscendant. Erat præterea stertorosa in palato, hoc est stertens in ipso ore & palato, vt multi dormientium solent, non in ipso gutture aut aspera arteria, vt asthmatici, aut plurimi acute febricitantium, cum sunt morti proximi, quibus scilicet pulmo plenus feruet in gutture. Et hoc sane grauis stertoris genus est, quia significat suffocari hominem occupatis iam viis spiritus. illud vero significat angustia viarũ, quibus per nares trahitur spiritus. Vt illud igitur pertinet ad pulmonis & asperarũ arteriarũ affectionẽ magis, ita hoc ad affectionẽ capitis. Quare hanc peripneumonia, mortuam cum desipientia esse consentaneum est.

105 **E**T in Olyntho hydropicus repẽte voce destitutus, desipiens noctem & diem, mortuus est.

Hoc desipientiæ genus, fatuitatẽ potius fuisse arbitror (qualẽ cerebri, ex petuita, velut resolutio, asferre solet) quã delirium, quale solet asferre bilis in phreniticis. Nam illa permutatio hydropi congruens est. Redundat enim hydropicis aqua & pituita. Hæc igitur aliquando in neruorum principium collecta, cerebrum & eius propagines emolliuit, & laxauit, atq; resolutione neruorum priuauit voce, & humida cerebri intemperie fecit fatuitatem: quæ durauit per diem & noctem. Postremo resolutione occupante totum corpus (quæ apoplexia est) mortuus fuerit. Fatuitatem vero quandoquidem sine voce erat homo, indicauerint gestus, & motus inconcini.

Finis quinti libri.

COMMENTARIA IN
SEXTVM LIBRVM
Epidemiarum.

Sectio prima.

Quibuscunque ex corruptione circa uterum, & tumoribus, in capitis grauitatem vertitur, & secundum sinciput dolores, & quicumque ab uteris, his in octo aut decem mensibus in coxam transitur.

SÆPE iam sum præfatus me nolle de singulis libris, sententijs huius operis, censere, sint ne Hippocratis aut alterius cuiuspiam. Quia de ea re, & si coniectura aliqua esse possit, & ex phrasi, quæ familiaris esse videatur Hippocrati, aut secus, & ex ipsa sententia, quæ digna aut indigna videatur esse, & consentanea aut dissentanea, alijs quæ illis certo esse creduntur, tamen adeo nihil certò constat, ut inter antiquiores etiam Gal. de singulis verbis essent innumeræ contrariæque censuræ, nedum nunc cum tanto plura secula elapsa sunt. Sarius ergo, & utilius sit, omnia, nulla vel uocula prætermissa, considerare, atque quid veri, & quod ad artem conferat aliquid, contineri possit, disquirere, atque si quid videatur omnino improbabile rejicere, siue Hippocratis fuerit siue secus. Neque enim impium se putare, vel ab Hippocrate esse aliquod scriptum negligenter, præcipuè cum ab antiquissimis illis seculis ad nos que fluxerit opinio, non esse omnia sua opera ab Hippocrate perfectè elaborata. Itaque laborem hunc censendi de libris deponentes, res ipsas disquiramus diligenter. At qui hic sextus liber à Gal. non habebatur in postremis, tamen meti enim, quam primus & tertius, minus genuinus putabatur, tamè quam quintus & septimus, magis; secundo dignitate æqualis. Cum igitur quintum etiam sim prosecutus commentarijs, & ut ego iudico, non inutilibus, & septimum dante

dante deo non sim omiffurus, omnino æquū est, hunc quoque nunc interpretari, neq; sanè plura præfari opus est, sed dictionem primam aggredi, qua de quibusdam vteri passionibus agitur. Vterus pars est opportuna multis morbis, quia maximas plurimasq; habet venas, & arterias, per quas totius corporis excrementa recipere solet. Quæ si vt influunt, nō exeunt expeditè, facilè fiunt morborū causæ. Lædunt vero hæc, aut putrescentia, circa ipsum vterum detēta & inculcata, aut tumores præter naturam in ipso pariūt, aut ipsas venas & arterias distendunt. Hinc nascūtur febres maximæ è synocharum genere, aut putrescente solū sanguine in vasis, aut simul oborto tumore phlegmonoso: aut fit vteri cōtractio, quā sequitur præfocatio, & non rarò conuulsio, ob distentionē cōtractis vasis ac cum eis vtero, atque ita cōpressis superioribus partibus vsque ad septum transuersum, aut distētis cum vtero neruis. Hanc vteri præfocationē non solet comitari febris à principio, quin potius magnus frigoris sensus, refrigerato sanguine obvenarū interceptionē, & inde flatu multo frigidoque sursum lato, qui aliquando cordi occurrēs, vel interimit veneni frigidi, ritu. Causa qua conuulsio succedit sæpe vteri affectibus, in ipsius vteri est natura. Nā & si is exiguos accipiat neruos, est tamē natura durus, & neruo similis: quæ vero talia sunt facilè tendunt fibras omnes, quibus, partibus alijs alligantur, adeo vt arteriæ in carpo manus tentio, differentiā partis internæ, quæ phlegmone obfessa fit, indicet, an dura scilicet, an mollis sit. Quanto ergo magis distendentur nerui, qui solidiores sunt, & nullo succo interius madent vt venæ & arteriæ, cum vtero, parte dura adeo, & vt dixi, neruo simili. Accedit vterum ipsum per se, nunc contrahi, nunc dilatari vehementer. Quare non mirum, si cum magna vi cōtrahitur, neruos quibus eorum principio alligatur, tendat vehementer. Ea verò est neruosi generis conditio, vt facilè per totum corpus eius passio resfundatur, & caput imprimis trahatur in eius compassionem, velut nunc dicit Hippocrates, ex corruptione, hoc est ex abortu, & ex tumoribus etiam circa vterum, solere fieri capitis grauitatem, & dolores circa sinciput, hoc est dolorem grauantē circa sinciput. Audias tamē quotidie mulieres omnes, quæcunq; se ab vtero putant laborare, affirmātes dolere sibi per id ma-

lum posteriorem cervicem, & occiput. Quod Hippocrati
 cæ huic assertioni videtur repugnare. Res verò ita habet.
 Quæcunque morbis calidis ex vtero laborant, vt febris
 & inflammationibus, & ob id dolore capitis tenentur, se-
 cundum sinciput potius dolent, ob fumos calidos, qui per
 copiosas magnasq; arterias quæ in vtero sunt, ascendunt, &
 per arterias carotidas transmittunt in caput, quarum, vt etiã
 venarum iugularium, maiores portiones tendunt in sinciput,
 quam in posteriorem partem. Sed quæ laborant morbis sin-
 gidis, vt præfocatione, hæc ob contractionem vteri, vehe-
 menter sentiunt dolorem tensuum ad neruorum exortum
 qui ad spinalē medullā, & posteriorem cerebri partem spe-
 ctat, potius quàm anteriorem. Hippocrates ergo non dicit
 omnem dolorem capitis, qui per consensum cum vtero fit
 esse grauantem, & pertinere ad sinciput, sed eum qui fit ex
 abortu, aut ex tumoribus circa vterum, & inflammationi-
 bus scilicet, aut scirrhis phlegmonosis. Alijs enim non se-
 lent capitis dolorem inferre. Ex his verò causis solent fe-
 bres magnæ fieri, ac deniq; sunt hi calidi affectus. Sed vide-
 tur huic enarrationi repugnare verba hæc, quæ mox adden-
 tur, & quicunq; alij ab vtero. Videtur enim significare quoscu-
 que alios dolores, qui ab vtero sint, esse huiusmodi. Sed de-
 narrandi hæc verba, duplex ratio est, vtraq; idonea, vel aliter
 omnes dolores ab vteris, calido morbo occupatis, esse huius-
 modi, quia etiã si nõ ob abortum aut phlegmonem, sed
 ob quacunq; causã male fluentes mēstruas euacuationes
 febres abortæ sint, dolores erunt grauanter circa sinciput.
 Vel (verbis his nõ ad priora sed ad posteriora relatis) alios
 etiã omnes ab vtero morbos, solere octo aut decem mēstris
 finiri in dolores coxæ. Ex vteri morbis in coxã fieri absces-
 sus, non quidē necessarium, consentaneum tamen est, quia
 is est articulus maximus, & qui plurimarum partium solet
 cremēta recipere, & habet cum vtero maximã, & viciniam, &
 rectitudinem, adeo vt, cum contorquetur, soleat in coxã
 incidere, vt in aphorismo dicitur. Cum igitur vteri mor-
 bus producat, rationi consonum est, in coxam facere ab-
 scessum octo verò aut decem mensibus id fieri, plurimum
 torsit veteres enarratores (vt Gal. narrat) causam inuesti-
 gantes: atque adeo cum nullæ earum quas inuenerunt, Gal.
 placerent, coegit illum ab autore recedere, atq; id dictum est
 sc

se leuiter, quod aliquando casu euenerit, affirmare. Nimirum hi omnes perinde intelligebant, ac si dixisset Hippoc. hunc abscessum fieri octauo aut decimo, minimè vero nono, aut septimo, vndecimo. Ego verò non ita intelligo, sed (quia omnino ab his morbis qui prorrogantur, expectare abscessus oportet, certum verò & statum vllum tempus faciendi hunc abscessum, his morbis non est) voluisse eum incertum ad certum quodammodo redigere (ita vt fit) nominatis quibusdã finibus, vt ex eis & quæ interfunt & quæ prope sunt intelligerentur atque denique quædam tēporis latitudo (vt aiunt) potius quã certum tempus. Dicit itaque octo aut decem quasi diceret ab octo ad decē, paulo citius aut tardius. Hos verò fines statuerit ex ijs quæ obseruauerit in ipsis rebus computationem vero mensium consentaneum est incipere ab eo tempore, quo mulier cœperit ex vtero laborare, & insigniter ob vterū dolere capite. Ab abortu quidem si inde videat̃ morbus sumpsisse exordium, si verò antea laborauerit vteri tumoribus, & capitis dolore, & hic ipse morbus abortum fecisse putetur, non ab abortu sed ab antecedente eum morbo.

2 **A**cutum habentes caput, qui quidem crassa sunt ceruice fortes & alijs, & ossibus. Qui autem cephalici sunt & aures manantes habent, his superius palatum cōcauum, & dentes distracti.

CAPITA acuta dicuntur, quæ sunt in finciput, aut occiput, aut vtrunq; talia. Duplices autem sunt qui acuta habent capita, alij quidem fortes satis & robusti, alij debiles & infirmi capite. Dignotio autem est ex adiunctis partibus, & ex turpi aut concinna capitis formatione; tãmeti enim magna acuties capitis, siue secūdū alterã siue ecūdū vtranq; partē, deficiat ab optima capitis formatione, quæ est veluti spheræ modicè secundum latera cōpressæ, pōt tamē ea esse sine reliquarū partiū capitis vlla turpitudine, atque tū tēporis cœsetur formatricis exiguus error. præcipuè si accedat ceruix crassa, quæ robustã formatricem, & materiæ copiam indicabit. Si verò accedat deformitas aliarum capitis particularū, haud dubiè illud est ex debilitate capi-

tis, ab initio formationis profectum . Deformitas autem quæ turpiter acutis capite solet accidere , est concavitas superioris palati , & dentium superiorum ab inferioribus distractio , maxilla superiori antrorsum plus satis producta, quæ canina formatio esse videtur . Meritò igitur hi quibus tantum est acutum caput , & crassa ceruix, fortes sunt . Alijs & ossibus fortes dicuntur , qui firmos habent motus voluntarios , quia vt firmamentis inhiuntur ossibus musculi . Alijs fortes dici possunt, vel ob reliquas cerebri vires , eas inquam quæ ad internos sensus spectant, vel etiam ob reliquas hominis virtutes , vt naturalem & vitalem . Atqui sanè probabile est , omnes eas virtutes intelligi . Nam non turpiter formatum caput, significat cerebrum non imbecille . Bene autem nutritum & formatum caput , significat naturalis & vitalis firmitudinem. Sunt itaque tales fortes ossibus, & alijs . Vnde constat fore etiam hos bene sanos . Qui vero aliter habebunt, infirmi erunt, & debiles capite: quod quidem cerebro eius dolore, & multa excrementorum collectione, agnoscitur. Multa verò mali succi in capite redundantia, effluxionem saniei ex auribus solet facere . Qui igitur cephalici erunt, & quibus ex auribus sanies manabit, hi non erunt decenter formati, sed habebunt palatum superius concavum, & dentes distractos . Fortasse enim iuuabit dentium distractionem, crebra ex cacochymo cerebro effluxio. Porro ijs non erit ceruix crassa & valida, sed gracilis & languida, atque id etiam accedet turpitudini. Quod Gal. in commentatione huius loci dicit , in ijs quibus caput plus satis depressum, & acuto contrarium est; longè deterius esse deesse occiput, aut compressum esse, quàm sinciput, non possum probare. Nam, inquit, eo esse deterius, quod in occipite sit nobilissimus cerebri sinus, & medullæ cervicis exortus. Id verò est adeo falsum, vt in occipite , quod a capite medio sutura lambdoyde distinguitur, nihil sit, nisi parencephalis, ex qua nulla productio est, nequè medullæ, neque nervi: neque sinum vllum continet. Ego proinde deteriore formationem, cum ad sensus & ingenium, tum ad reliqua existimo, sinciput esse compressum, quàm occiput.

Quibus

3 **Q**uibus os à palato decedit, his medius subsidet
 nasus: quibus autem id vnde dentes nascuntur,
 extremus nasus.

HÆC eadem sententia eisdem ferè verbis scripta oc-
 currit, & enarrata est libro quarto. Quare haud erit nunc
 opus longa repetitione vti. Simitatis naturalis causa esse
 potest vel in errore formatricis, quæ eam partem, vt aliam
 quâcunq; solet, vitio efingeret, vel in malo positu ossium
 maxillæ superioris, quibus innitur. Nimirum si ea ossa de-
 missiora ac profundiora sint quàm deceat, demitti etiam ac
 subsidere necesse est nasum, & secundum eam partem præ-
 cipuè, qua innitur ossiculo quod humilius situm sit. Ita-
 que si os quod ad medium palatum est introrsum sit velut
 detractum, simitas erit secundum mediū nasum. si postre-
 mū superioris maxillæ, ex quo dentes nascuntur, erit simi-
 tas secundum nasum extremū. Nimirū hæc nasi partes, his
 maxillæ ossibus innituntur. Simitas præter naturam fit, ex
 eisdem causis, præter naturam cōtingenti bus. Figura enim
 vitari potest à re liqua contundente, vt pugno, aut palo,
 aut casu. Ossa etiam illa possunt præter naturā à proximis
 ossibus decedere, quibus decedentibus, nasus subsidebit,
 fietq; simus præter naturā. Hoc modo solēt qui Elephante
 vocato morbo laborāt, ob ossiū, aut eorū cōpaginū corru-
 ptionem, simi euadere, vsque ad magnam deformita-
 tem.

4

Infantium (fulgores siue defectus, siue comprehen-
 siones) simul cum pubertate quibusdam mutationes
 habent, & alias, & in renem dolor grauis, cum implen-
 tur cibo.

SCRIPSI per parentem, fulgores, siue defectus siue
 comprehensiones, quia vt Galen. dicit varia admodum in
 ldiuersis codicibus occurrit lectio, atque varias admodum
 lectiones veteres enarratores sequebantur. Quidam
 egebant ἐπιλαμψις id est fulgores, seu efulgescentiæ,

Ddd 3 alij

alij επιληψιας idest defectus, alij καταληψιας id est comprehensiones. Atqui plerique has voces eo deflectebant, vt illis omnibus epilepsia, seu comitiales morbi significarentur. Atqui certè facillima ac verissima, ea ratione redditur sententia. Nimirum epilepsia infantium, hoc est quæ non procedente iam ætate, ob victus vitia succedunt, sed ab ipso ortu, ob naturale vitium ex primordijs contractum, congignitur, simul cum pubertate quibusdam mutationes habent. Nimirum tales epilepsia, cum vitia potius naturalia sint, quàm morbi, curationem non admittunt, sed vt alia naturalia intemperies mutationem ex ætate. Non quidem ineunte pubertate, sed per totum pubertatis tempus, mutationem eam fieri intelligit, quod est à quatuordecimo ad vigesimum quintum. Nam septimo aphorif. sectionis quintæ dicitur: Quibus morbi comitiales sunt ante pubertatem mutationem accipiunt, quibus cunque autem vigesimo quinto, comoriuntur. Hoc est, ante exactam pubertatem mutationem accipiunt, si verò vigesimo quinto, quo scilicet finitur, adhuc durent, commoriuntur. Quoniam verò non in omnibus mutationem accipiunt: sed quibusdam, vt pote quibus mutatio ætatis non est satis ad eius morbi curationem, commoriuntur, non dicit simpliciter cum pubertate mutationes habent, sed quibusdam. Porro est consideratione dignum vtrobique, & hic inquam & in aphorismo, dici, non quidem solui, sed mutationem accipere. Quasi non soleant solui nullo sui vestigio derelicto, sed cum alio morbo commutari. Atque hoc videtur præsentis loco multo apertius innuere, non solum dicens mutationem habent, sed explicans quas mutationes habere soleant. Et alias (inquit) & in renem dolor grauis cum implentur cibo. Quasi dicat, mutari solere in renem dolorem, & in alios morbos, vt podagram, aut alium huiusmodi morbum. Et videtur sanè hoc rationi consentaneum. Nam morbi diurni rarè sunt bonæ iudicationis, nec nisi permutationibus soluuntur, nedum qui congenerati: verum quia mutationem accipere morbum, vtumque potest significare, & solui, & permutari cum alio, vt testatur Galen. in commentario citati aphorismi, atque non raro etiam euanescent epilepsia paulatim ætate

siccato

ficcato cerebro, citra vllum alium morbū, possis ita interpretari mutationem habent, & in renem dolorem, & alias mutationes, quales quidem sunt paulatina solutio, aut in alium etiam morbum mutatio ita denique, vt vna quædam mutatio earum quas potest recipere, fit solutio integra. Quoniam autem dicit infantium epilepsiæ cum pubertate mutationes habent, ne intelligas infantiam vsquè ad adolescentiam produci (interest enim pueritia) sed in eis epilepsijs esse expectandum ætatis beneficium, quæ veniunt ab infantia. Nam quæ postea superuenerunt, velut alij morbi curandæ sunt medicis auxilijs. Cur dolorem renum significans, dicat & in renem dolor grauis cum implentur cibo, mox intelliges, ex ijs quæ subiungit, eadem verba repetens.

In renem dolor grauis cum implentur cibo, vomuntque pituitam, cum autem abundauerint dolores, aruginosa, & faciliores fiunt, soluuntur autem cum à cibis vacuati fuerint, arenulæque rufæ subsident, & cruentum mingunt. Stupor femoris eius quod è regione est. Quiescere non confert, sed exerceri. Non repleti, iuuenes helleboro purgare, poplitem incidere, vrinarijs purgare, tenuare, ac mollire.

Cum dixisset, vnum quiddam eorum in quæ mutari solet epilepsia, esse dolorem renum grauem, cum implentur cibo, explicat modo, qui morbus renum is fit. Et hinc arrepta occasione procedit ad sindromem omnium signorum quæ solet habere, & ad curationem quam desiderat. Est verò hic morbus lythiasis, seu lapidum in renibus congestio, quæ quidem fit ex succis crassis, calore aut frigore, intra renes duratis, & tophorum modo hærentibus, aut etiam ex sanguine ipso exusto, aut ex sordibus potus quotidiani. Dolent ergo renes, & cum tale quippiam in eis præter naturam colligitur, & multò grauius, cum genitiam lapides decidentur (decessio est enim re vera, quia sæpe lapides ipsi carni renū affixi hæret, vt tophi aquæ ductibus) & cum per angustas vias permeant. Semper ta-

men dolor renis, vt ponderis sensum refert, ob exiguum eius partis sensum, nisi cum magnus aliquis lapis deciditur, tunc enim velut infixæ hastæ referre sensum constat: quandoquidem difficilè distinguitur à dolore colico, hoc verò, velut paroxysmo quidam, elapso, & antequam tam acerbis dolor ingruat, velut incumbentis ponderis sensus est, qui dolor grauis appellatur, & crescit plurimum cum cibo impleti fuerint, quia cibus multus replet intestina, ea verò repleta comprimunt, grauantque renes, qui per peritonæum crasso intestino alligati sunt. Hinc fit, vt tanta sympathia intestinorum cum renibus, & renum cum intestinis, & vtrorumque cum ventriculo, vt colicus dolor nephriticus inter initia, communia videantur habere signa & curationem. Nam vtrique accidit vomitus, & eorum vterque, vacuato scilicet ventre, & succorum reuulsione facta. Fit verò calculosis principio quidem vomitus pituitosus, quia talis succus naturaliter abundat in ventriculo, procedente autem dolore, etiam æruginosus, concurrente iam vndique bile, quæ doloribus & vigilijs constanta est. Solent verò solui ambo dicti morbi; cum à cibo vacuati sunt homines, hoc est cum intestina vacuata sunt fecibus, & omnibus quæ continent: colicus quidem, quia ita tollitur eius causa, nephriticus, quia cessat compressio. Verum reliqua solutio communis nõ est, quia colicus à sola alui euacuatione est contentus, per nephriticum verò iam soluendum arenulæ rufæ subsident, & cruentum mictunt. Nimirum in initio detentis, aut arenis, aut calculis succis, obstruuntur vrinæ viæ, & ob id exeunt, tenues & puræ, rursus demissis iam quæ detinebantur, exire incipiunt arenæ rufæ, & vrina tingi, & morbo iam soluendo procedere mictio solet, vsque ad cruentam vrinam, & plurimam arenarum subsidentiam. Velut autem quæ ex calculo ruficæ deciduntur, esse solent, albæ, ita quæ ex renibus, rufæ seu subrubræ. Habent præterea, quibus in vilo renum talis affectio est, stuporem femoris è regione affecti renis propter magnæ venæ & arteriæ cum renibus & cruris coniunctionem. Quo pacto autem veniarum repletio stuporem inferat subiectarum partium, docet Hippocrates libello de morbis virginum. Nimirum tumis venis & arterijs comprimentibus neruulos, qui iuxta de-
feruntur.

feruntur. His dictis de morbi notis apponit quæ ad curationem pertinent, dicens, quiescere non conducit, sed exerceri, non repleri, iuuenes veratro purgare, poplitem incidere, vrinarijs mundare, tenuare ac mollire. Non exigua autem interpretationis pars fit, hæc eadem, eo ordine quo agenda sunt, dicere, ita scilicet, non repleri, sed victu tenui vti, poplitem incidere, cruris scilicet è regione positi, deinde si iuuenis sit, veratro, aut alio medicamento expurganti vacuare: postea exerceri, & diureticis medicamentis vti, & exterius apponere incindentia, & laxantia, quæ nunc vocat emollientia. Nimirum à victus institutione oportet curationes omnes, si fieri possit, inchoare, tenuis autem esse debet, quandoquidem ingrauescit dolor cum cibo replentur. Poplitem verò incidere, aut si id chirurgus non possit, omnino in crure venam secare, bonum sit, ad soluendam eam venarum tentionem, quæ vt facit cruris stuporem, faciet etiam repletionem renis. Expurgatio verò duobus modis proderit, & materiam deriuando, & laxando intestina, quandoquidem soluuntur cum à cibis vacuata fuerint. Posthæc diuretica & exercitatio tuto detrudent à renibus quicquid hæserit, præcipuè si appositis, siue inunctionibus, siue irrigationibus, incendantur succi, & laxentur viæ.

6 **M**uliebria aquosis mulieribus plurimum immorantur, cum autem non celeriter eant, intumescunt.

AQVOSAE mulieres sunt, quibus aquosus & tenuis est toto corpore sanguis. Talibus plurimum solent muliebres expurgationes immorari, hoc est multos dies durare obtenuitatem scilicet sanguinis, atque, quia indigent adeo ea euacuatione, vt si non etiam celeriter eant, soleant intumescere, hoc est hydropicæ fieri, ob aquæ redundantiam. Atque eadem fuerit ratio, siue celerius fieri intelligas, esse crebro repetere, siue copiosè, dum durant, effluere. Vt cunque enim eo res venit, indigere has multa euacuatione ex utero, ac nisi multa fiat, solere in hydropem labi.

7 **I**N Cranone veteres dolores frigidi, recentes calidi; ex sanguine autem plurimi, & quæ à coxa frigida.

NIHL vniuersale continet hæc verba, sed solum narrationem quorundam quæ in Cranone contigerunt, neque exposita morborum specie neque temporis constitutione, quare exiguum est quod hinc capere possumus utilitatis. Fortasse decissa sunt hæc verba ex alia narratione longiori, aut scripserat hæc memoriæ gratia sibi ipsi, qui reliqua noverat. Nobis verò nihil aliud narrat, quam veteres dolores fuisse frigidos, recentes calidos. Dolores calidi aut frigidi, dici non possunt nisi ob causam. Ob hanc verò recte dicuntur. Nam doloris nomine aliquando apud Hippocrat. ipsa dolorifica affectio solet intelligi, vel ut in aphorismo dicitur. Qui dolentes dolorem non sentiunt, hoc est qui dolorificam habentes affectionem, eam non sentiunt. Ita quidem possint esse dolores calidi & frigidi. Dicit igitur affectiones recentes fuisse calidas, & veteres frigiditas. Quando autem veteres omnes, antequam inueterascerent, fuerunt recentes, constat recentes hic vocari, eas quæ ad inueteratas nunquam perueniunt. Tales autem sunt quæ acutæ, & veteres quæ cronicæ. Secundum rationem igitur factum est, ut acuti calidi essent, & ex calidis succis pendentes morbi, cronicæ verò frigidi, & ex frigidis. Cum autem calidi succi sint bilis & sanguis, ex sanguine, nquit accidisse, ut morbi ea tempestate, maxima ex parte nascerentur. Et quæ à coxa (hoc est dolores coxæ) frigida. Exemplum est hoc prius dictorum. Nam coxæ dolor vnus quidam est, eorum qui inueterascere solent.

8 **Q**uæ in rigores fortes procedunt, non valde mitescunt, sed prope statum.

IN rigores fortes procedere dicuntur febres quæ rigores fortes habent, non mitescere autem, de rigoribus ipsis dicitur, aut de febribus secundum rigores. Nam secundum essentiam propriam, non solum vsque dum prope statum sunt, sed neque vsque dum status sit elapsus, mitescunt febres.

bres. Porrò status nomine intelligi potest qui totius morbi est, aut qui cuiusque paroxysmi: & utroque modo reddi tur verus sensus. Nam in febribus quæ procedunt in rigores fortes, hoc est habet rigores solutu difficiles & longos (nam cum rigores fortes dici possint, aut quòd vehementes, licet breues, aut quòd vehementes & producti, secundos hos videtur significare illud verbum (procedunt) non mitescunt citò rigores in ipso paroxysmi principio euanescentes, sed procedunt etiam per ipsum incrementum, neque mitescunt vsque dum prope statum iam sunt febres: atque ita etiam cum febres procedunt cum fortibus rigoribus, hoc est vehementibus (siue etiam longi sint siue vehementes solum) non solent febres mitescere, hoc est minores & mitiores habere rigores, vsque dum prope statum iam est morbus. Hoc in quartanis febribus maxime obseruari dicit Galen. in quibus prognosticum signum esse dicit appetentis iam status, cum à magnis rigoribus huc vsque febres inciperent, iam mitescere. Mitescent verò tunc, vt diximus, secundum rigores, secundum essentiam propriam potius auctæ, in inclinatione autem mitescent secundum vtrumque.

- 9 **A**nte rigorem suppressiones vrinarum, si ex vtilibus fuerint, & alius processerit, & somni adsint. Fortè autem & figura febris, forte autem & quæ ex lassitudinibus.

DE rigore decretorio nunc loquitur, docetque ratione quandam satis artificiosam, talem rigorem præuidendi. Nimirum ex vrine suppressione, dicens ante rigorem suppressiones vrinarum fieri solere. Nimirum rigori decretorio solet succedere sudor, sudoris verò & vrinæ est eadem materia, atque ita merito altera euacuatio alterius succedit suppressioni. Verum quia vrinæ suppressæ, non vnica, sed multæ possunt esse cause, multis alijs cõsiderationibus est opus, ne præsensio nos fallat. Proinde addit reliqua, velut ita dicens. Considerandum tamen vt firmiter euadat prognosticum, si ex vtilibus fuerint, & an alius processerit, & somni adsint. Fortè autem & febris figura opus erit consideretur, forte

fortè autem & quæ ex lassitudinibus. Nam si aluus plurimum processerit, ea ipsa causa poterit suppressa esse vrina, quin rigor aut sudor instet. Nimirum vt mictio plurima exiguam deiectionem facit, ita deiectio plurima, exiguam mictionem. Si verò non processerit aluus, & antecesserint signa optima, & quæ bonam iudicationem promittant, velut in primis concoctionis notæ in vrinis (hæ enim celeres iudicationes & securitatem significant) proinde dicit, si ex vtilibus fuerint, hoc est si vrinæ, ante quam supprimeretur, fuerint ex vtilibus, & concoctis, & aluus non processerit, constat causam esse quòd euacuatio alia decretoria instet, ea fuerit rigor & sudor, qua ratione diximus. Quod verò addit, & somni adsint, Gal. intelligit dictum vt vnũ quoddam exemplum vtilium signorum quasi dixerit, si ex vtilibus fuerint, hoc est si antecesserint signa vtilia & bona, velut somni boni ac placidi. Mihi verò videtur dicturus si somni fuerint ex vtilibus, illud enim adsint, significare videtur adesse somnos tunc cum expectatur iudicatio, quo tempore constat nihil minus esse debere, vt iudicatio indicetur, quam somnos placidos, potius enim debet antecedere anxietas, & inquietudo. Mihi proinde potius videtur significari somni difficiles, & cum inquietudine. Nimirum expectatur, rigor & sudor vrina suppressa cum aluus non fluxerit, quòd serum sursum raptum, & in totum corpus distributum sit. Id quod factum esse, accedens cataphora indicauit. Nam aqua sursum lata, & sanguine facto dilutiore, somnus ille vitiosus fit. Quod in aquosis & humescentibus experimur. Igitur somni vt vnum quoddam exemplum signorum instantis crisis, quæ in antecedente nocte contingunt, dicuntur, potius quam vtilium, quæ fuerint. Si verò vt vnum talium exemplum ponitur, reliqua etiam debent intelligi. Itaque dicit, si aluus non processerit, & vrina supprimatur, & antecesserint signa concoctionis, & adsint nunc signa laboris & instantis crisis, velut anxietas, & in primis graues somni, rigor decretorius, vt cui sudor succedat, expectari debet. Fortè autem satius fuerit, & figuram febris adiungere. Si enim ea sit è genere ardentium, firmitus presagium est. Quia vt in aphorismo dicitur. A febre ardente, rigore superueniente, solutio. Quod si ex lassitudine aut labore coeperit febricitare homo, maior coniectura est febrem esse ardentem,

tem, atque inde rigorem expectandum. Nam in initio quarti de ratione victus in acutis, agens de ardente febre ipsemet dicit, accidit autem magna ex parte ob longa itinera. Itaque ob febris speciem considerari vult etiam externam causam an ob lassitudines. Dicit verò fortasse, bis repetens id adverbium, quia satis multa videbantur dicta ad præfagij confirmationem, nec videbatur omnino necessarium, postrema hæc adiungere, vtile tamen etiam. Quasi diceret satis quidem sit considerasse quæ dicta sunt ad huius præfagij firmitudinem, fortè autem vtile etiam sit, maioris claritatis gratia, abhibere etiam in cōsiderationem, figurā febris, & eius causam externam. Oportet verò considerare tam multa, quia præter hæc censebitur vrina symptomatice potius suppressa, vel ob obstructionem quampiam viæ, aut resolutionem facultatis expultricis in vesica.

10 **A**bscessus non admodum quibus rigores.

Hæc quoque sententiola pertinet ad prognosticam partem. Quod dicitur est, febres quas comitantur rigores, vt tertianas exquisitas, & quasdam quartanas, non admodum solere habere abscessus. Quia scilicet expurgantur venæ singulis rigoribus, cum fiant succis extra vasa missis. Quoniam vero hac ratione non monstratur fieri non posse abscessus, sed esse cur non crebro fiant, dixit, non admodum. Illud tamen nosse oportet, tanto minus futuros abscessus, quanto rigores erunt acutiores, & suo genere exactiores, & magis exquisiti. Hoc est quanto partes concutientur magis, quia eo longius pelluntur succi à vasis, & eo magis discutiantur.

11 **C**rurum effeminationes, velut aut ante morbum ambulanti, aut mox à morbo. Fortasse quia quod ex lassitudinibus, in articulos abscesserit, vnde crurum effeminationes.

Debilitatem

DEBILITATEM & effœmationem crurum, similem ei quam sentiunt, qui iam iam sunt parati in morbum incidere, aut qui statim à morbo, antequam corroborentur, deambulant, dicit quibusdam manere ex morbis, vel multum tempus, vel totam etiam vitam. Causam verò esse, quòd cum essent febres illæ laboriosæ, & cum lassitudine coniunctæ, fecerunt abscessus in articulos. Vnde factum fuerit, vt illi laxi superfuerint, & ligamenta mollia: vnde crurum effœmationes: hoc est, langor qualis mulieribus est. Quem constat non in gracilitate & extenuatione, sed in imbecillitate consistere. Dicitur autem hoc iuxta illud quod in aphorismo. Lassitudinem habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potissimum, abscessus fiunt. Tamen hinc disce, abscessus ad articulos factos esse aliquàdo citra articulares dolores, & tumores, qui solis his effœmationibus, seu laxitatibus agnoscentur.

32 **T**ubercula extrorsum intumescuntia, & acuta, & acuminata, & quæ equaliter maturescunt, & non circumdura, & decliua, & non bifida, & meliora: contraria autem, mala: & quæ valde contraria, pessima.

HABE eadem sententia scripta est primo prognostici eisdem fere verbis; Illic enim. Suppuratio inde proueniens ita consideranda est, quæ enim foras vertitur optima est. si parua est, maximeque egreditur, & in sublime resurgit: si vero magna est, & lata, minimeque in mucronem tendit, pessima est. Addit hic, & quæ equaliter maturescunt, & non circumdura, & decliua, & non bifida, meliora. Scilicet quæ equaliter secundum se tota tendunt in suppuratione, nec sunt circumdura hoc est quadam parte incipientia suppurare, & circumcirca dura, ex materia pendent mitiori, & simplici: vt contra quæ inæqualiter suppurantur, existètia circumdura, aut etiam bifida (hoc est extuberantia in duo cacumina) pendent ex materia diuersa, & inæqualiter contumaci. Commendat etiam decliua tubercula, id est quæ in decliue suppurantur. Nam siue à chyurgo secètur, siue sponte rumpantur, quam cutis gracilior facta est, vt solent, optime expurgabuntur scissura in decliue spectante.

re. Hæc igitur bona, contraria autem mala. Nimirum tubercula introrsum intumescencia, ut cum tumor non eminet acutè: & lata, & quæ inæqualiter suppurari incipiunt, circumdura, aut bifida, aut etiam multifida, & quibus incipiens suppuratio in sublime spectat. Quoniam verò possunt hæc magis aut minus inesse, dicit, & quæ valde contraria, pessima.

13 **F**erinum autumno, & cardialgia, & horridum, & melancholiam.

14 **A**d initia, exacerbationes consideranda sunt, & in omni morbo: veluti vesperi exacerbari, & annus ad vesperam, & ascarides.

Hæc duæ sententiolæ enarratæ iam sunt in secundo libro huius operis, prope libri initium. Ibi enim scriptæ ab eodem Hippocrate sunt, atque adeo apertius. Nunc enim enigmatica phrasi videtur vsus. Idem tamen est quod dicit & quod illic dixerat: ferinum quid esse in morbis autumnii, horroresque, & cardialgias, & melancholicas passiones. Porro considerandum inter morbi initia, hoc est mox ab initio (addit nunc & in omni morbo) an statim vigeant ac efflorescant, deinde in circuitu paroxysmis. Porro exacerbationes plurimorum morborum solere in vespertinum tempus incidere, & ita etiam autumno grauissimos morbos esse, & eos qui antea fuerint exacerbari, quòd anni partes cum diei partibus analogiã quandam habeant, & autumnus sit ut vespera anni. Porro ascaridas autumno, magis quàm vlllo alio tempore gigni, & vesperi vrgere, ut alia plæraque mala omnia hæc explicata, redditæque omnium causæ sunt, loco citato. Porro repetita sunt, loco citato. Porro repetita sunt hæc eadem libro. 4. versus mediũ, præter id quod de ascaridibus dicitur.

15 **I**n fantibus tussicula cum ventris turbatione, & febre continua, significat post crism bimestri prorsus vicefimo, & tumores in articulos.

S I N-

SINGVLARE quiddam, & quod non ita necessariò accidat, neque adeo sæpe, docere videtur: puta infantibus bimestribus, laborantibus tussicula, cum turbatione ventris, & febre continua, solere finiri malum in tumores articularum, idque vigesimo die morbi post crism, hoc est iudicium hoc modo accipiente morbo, puta per abscessum. Certè totam hanc syndromen, & hunc euentum statò die, per raro offendes, licet tamen nobis, quæ ita dicuntur velut exempla accipere, & siquid vniuersalioris doctrinæ inde possit decerpi, procurare. Dictum est aphorismo, 31. quartæ, lassitudinem habentibus in febribus, in articulos & circa maxillas potissimum abscessus fieri. Huius causa est, quæ lassitudo indicat multitudinem. Quam causam continet aphorismus 45. eiusdem sectionis quo ita dicitur. Quibus tubercula, vel in articulos labores fiunt, ijs pluribus vtuntur cibis. Plurimus enim cibus causa, lassitudo signum est multitudinis. Dicit igitur nunc Hippocrates non adultis solum, sed infantibus etiam, solere finiri morbos ad articulos, cum laborant cum multitudine. Velut autè in adultis qui fari id possunt, multitudinis signum accipitur ex lassitudine, ita in infantibus qui non possunt, ex tussicula cum ventris turbatione, & febre continua. Non mirum autem si vigesimo die id fiat, cum sit is dies adeo insignis. Itaque quod generatim in aphorismis dictum est, hic de solis infantibus dicit. Illud vero est scitu dignissimum, quas notas multitudinis debeas obseruare, in ijs qui non possunt interrogationibus respondere, quæ eadem & in adultis etiam occurrunt sæpe, significantia multitudinem. Tussicula scilicet per febres, cum alioqui non tussiret homo, neque adsit pleuritis aut morbus alius cuius sit propria, & ventris turbatio inter morbi initia. Ex quibus proinde abscessus ad articulos expectare iussit sectione prima libri secundi, & rursus sectione secunda huius sexti iubebit.

16 *Si infra vmbilicum constiterint superna, in inferioribus articulis, bonum: si autem supra, non similiter solunt morbum, nisi suppuret.*

SECUNDO libro Epidemiarum dixit, abscessus melio.

meliore esse, quò ad inferiores deuoluuntur sedes. Hoc etiam in prognostico docuit, iubens in ijs qui salubriter affecti sunt, cum tamen febres prorogentur, expectare abscessus ad aliquem articulum, maxime què inferiorem. His consonum est quod nunc dicit, si morbi partium superiorum abscessus faciant, ad articulos qui sunt infra umbilicū bonum esse, si autem abscessus supra constiterint, non adeò bonū esse, nec similiter soluere morbum. Addit nisi suppuret. Nam partes infra umbilicū, minimè in suppurationem vertuntur, vt dicitur in prognostico, partes verò supernæ possint suppuratione perfectius interiores partes expurgare: neutris verò suppurantibus, perfectius liberant inferiorum abscessus. Itaque vbi locis citatis præfert abscessus inferiores superioribus, intelligi debet nisi suppuratione finiantur. Tunc enim inferiores soluunt morbos tardius, quia aut omnino non suppurant, aut imperfectius & tardius.

17 **I**n humeris autem suppurantia tantulis, breuioris cubiti eos faciunt.

HUMERVS vocatur os maximum brachij, quod altera ex parte coarticulatur cum spatula, altera cum cubito in ea flexura quæ in medio totius brachij est, & cubiti articulus vocatur. Itaque vltra humerum cubitus est, cum illo articulum facit. Didicimus verò ab Hippocrate tertia de articulis, vbi os aliquod vitium insigne passum est, vt luxationem aut torturam, ossa proxima læsæ parti, non venire in iustum incrementum, si pusillis & nondum adultis ea vitia fiant. At (inquit) quibus dum adhuc pueri sunt, prius quàm corpus integrè adoleuerit, & spina in giberum incuruatur, ijs corpus ad spinam augeri non licet, sed cum crura & brachia ad perfectam auctiōnem veniant, illa exilia euadunt. Quibuscunque etiã supra septem giber contigit, ijs collæ in latitudinem augeri non consuevit. Hæc Hippocrates quibus aperte innuit, ossa male affectis proxima, non augeri satis, si is qui laborat adhuc crescat, quia vt Galenus in commentatione dicit, euenit necessariò quæ partibus prope posi-

tis alimentum deferunt, iuxta partem affectam aliquid pa-
 ti, vt distorqueri, comprimi, aut debilitari, & languidior fit
 partis motus, & dolore aut intemperie debilitantur natu-
 rales facultates partium patienti proximarum, vnde neces-
 se est minorem fieri nutritionem, & ob id auctiorem. Si-
 milem prorsus causam habet, quod & hoc loco dicitur, ni-
 mirum quibus tantulis, hoc est pusillis, & adhuc crescenti-
 bus in humero fit magna aliqua suppuratio, necesse est, di-
 ctam ob causam, partes vltra humerum positas, breuiores
 in reliquum vitæ manere. Sequitur autem proximè hume-
 rum cubitus, per hunc manus, fient igitur hæc breuiores,
 non tamen manus adeo ac cubitus, quia ea longius iam
 posita est. Velut quibus spina in gibberum incuruatur, cor-
 pus ad spinam non augetur, crura tamen & brachia non
 fiunt ob id breuiores solito. Nimirum hæc & si procedunt
 à parte læsa, non tamen proxime, sed longius. Cubiti igi-
 tur foli fient manifestè breuiores, ijs quibus humeri in te-
 nella ætate patiuntur suppurationes.

18 **S**olueret autem & vlcusculorum in inferiora eruptio,
 nisi rotunda & profunda sint. Talia enim pernicio-
 sa sunt, præcipuè infantibus.

SOLVERE morbum aliquando dicitur Hippocrati,
 quicquid morbum tollit, etiam si hominem non persanct,
 sed permutationem cum alio faciat, atque adeo, etiam si
 deficiente morbo homo intereat, vt cum in aphorismo
 dicitur. Quibus in ardentibus febribus tremores fiunt, in-
 sania soluitur. Constat tamen, vt in commentatione eius
 loci diximus, non satis propriè permutationem talem, vo-
 cari solutionem, sed propriissimè dici solui morbum, cum
 homo nullo alio manente liberatur, vt cum dicitur ab aqua
 inter cutem, aqua è venis in ventrem fluente, soluitur mor-
 bus. Secundo loco soluere, dicitur etiam ea permutatio,
 per quam homo, à secundo etiam morbo, liberatur & su-
 peruiuit, vt cum dicitur. Quibus dolor circa hypocho-
 drium sine phlegmone fit, ijs febris succedens soluit dolo-
 rem. Hoc secundo significato dicitur nunc vlcusculorum
 in inferiora eruptio, soluere febrem continuam infantium,
 cum

eum tussicula, & alui turbatione (de illa enim adhuc loquitur) nisi ea vlcuscula sint rotunda, & profunda, talia enim non soluunt hoc secundo significato, quia ex ipsis intereunt pueruli. Perniciosa enim sunt eius figuræ vlcera, & curatu difficillima, vt libello de vlcibus ipsemet Hippocrates testatur, adeo vt curari non possint, nisi duplici aut quadruplici sectione, ex rotundis longa fiant. Maximè autè sunt perniciosa infantibus, quia dolores & difficultatè eius curationis ferre non possunt, & non curati, facile ob carnis molliciem exeduntur, curati dolore exanimantur, aut cõuelluntur. Tametsi testari possum, me vidisse infantulam, alioqui iam ex morbo languidissimam, cum nescio quot vlcusculis rotundis, & valde profundis in natibus, non sine mea magna admiratione seruatam, erat vero annum iam nata integrum. Hippocrates nunc agit de bimestribus.

19 *Soluerit autem & sanguis fluens, magis autem apparet in iam perfectioribus.*

FLUXVS sanguinis maximè solet præseruare ab abscessibus ad articulos, atque ita morbos, in quibus articulorũ tumores expectantur sine eis soluere, vt dicitur in aphorismo septuagesimoquarto, quartæ. Verum is fluxus ætati perfectæ est familiaris, pusillis rarò accidit, vt in prognostico dicitur his verbis. Sanguinis fluxum in iunioribus potius trigesimumquintum annum agentibus expectare oportet. Intelligi autem debet, vsque ad trigesimumquintum. Nam iam inde suppurationem expectes, vt in prognostico etiam dicitur. Causam reddit Galenus dicens, etenim per hanc ætatem sanguis plurimus est, & item facultas fortior, & calore exuperans. Sed si iudicatio hæc fieri non solet in pusillis, de quibus hucusque Hippocrates agebat, quorsum eius nunc meminit? Certè sermonis communione digressus ad eam euacuationem est, sermonem vero de illo pusillorum morbo, hic finit.

20 *Lachrymæ in acutis malè habentium, sponte quidem lachrymātium, bona, non sponte autem fluentes, mala. Quibus circūtenditur supercilium, malum. Malum*

etiam quod inarescit vt spuma, & obscuratio malum, & squalidum malum, & qui corrugantur intus concreti, & vix versiles, & obtorti, & quæcunque alia omiffa sunt.

Hæc pertinent ad rationem prædicendi in morbis acutis ex oculis & facie. Scripta autem eadem sunt in aphorismis & in prognostico, atque vtrobiq; à me enarrata. Lachrymas acutè ægrotantium, non sponte fluentes malâ significationem præbere, locis citatis dixit, sponte autem fluentes non esse malas: nunc adijcit etiam esse bonas. Atque id merito, spem enim præstant voluntariæ ægrotantium lachrymæ, non quidem vtcunque ægrotantium (quis enim consideret, an qui diuturno conficitur morbo ploret) sed ægrotantium acutè. Neque horum quidem quocunq; morbi tẽpore (nam primis diebus morbi quatumuis acuti, lachrymari, nihil admirationis habet, neq; vllâ significationem præstat boni aut mali) sed in summo morbi vigore iâ consistentium in quo, qui morituri sunt, ne plorare quidem possunt ob oculorũ squalorẽ, concretionẽ, & immobilitatẽ, quæ pessima & lethalia esse mox dicit. Lachrymari igitur sponte bonũ est, quia nihil horũ adesse significat, sed mediocrẽ partiũ humiditatẽ, & facultatis regentis constantiam, & abesse conuulsionẽ. Reliqua ex prognostico faciliẽ intelligẽtur. Nã illic vituperatur cutis frontis circũcicta & arida. cum qua circuntenditur supercilium, & sordes apparentes circa oculos, quas nũc vocat, inarescens vtsputina. Dicit enim *επιστηνενό μύρον οὐδ' οὐδ' ἔστιν* significat verò *εἰς τὴν* non qualemcunq; spumã, sed exigua, & asperginis concretis modo facta: nimirum minutissimas guttulas spumæ aridæ. Est itaque sordes apparens circa oculos squalidos. Squalorẽ et oculi, & obscuritatẽ vituperavit in prognostico. Corrugatio interius facta in oculo, arescentiam significat, vt in extremè senibus. Est igitur corruptionis facultatis, & atrophix. Partis cõcretio, & inflexilitas oculi, & distortio, quã in prognostico peruersionẽ vocat, conuulsionis est. Hæc igit omnia mala sũt, & quæcunq; alia omiffa sunt, quæ scilicet in prognostico recẽsentur, vt alterũ altero oculũ apparere minorem, & candidũ rubrum habere, aut liuidas aut nigras venas, & alia huiusmodi.

Febres

Febres quidem alia mordaces manui, alia autem mites, alia autem non mordaces quidem, sed postea insurgentes, alia acuta quidem, sed imminuta à manu, alia statim vrentes, alia autem semper debiles, Sicca, alia autem salsuginosa, alia ampullosa aspectu graues, alia autem ad tactum humecta, alia valde rubra, alia valde pallida, alia liuida, & id genus alia.

FEBRIVM partitiones continet hæc dictio, quam ego in commentarijs libri primi de differentia febrium abude explicui. Quoniam verò obscuritas Hippocraticarum dictionum exposita est quamplurimis enarrationibus, satius fuerit eam nunc proferre, quæ mihi videatur maximè consentanea, & quæ plus frugis contineat, quàm, quamplurimas recensendo, aut etiam refutando, & de vocum significatis contendendo, replere chartas, & otio abuti: quæ enim inde doctrinæ accessio fiet? videtur igitur tota hæc dictio, quatuor partitiones seorsum continere posse: primam quadrimembrè: secundam bimembrè: tertiam trimembrè: quartam multimembrè. Tres quidem primas petitas ab ipsius caloris præter naturam (in quo febris consistit essentia) modo, aut materia (modum dico quo tangentem manum afficit, mordendo aut nõ, & quo mouet acute aut tardius: materiam verò in qua factus firmatusq; consistit) postremam ab externis, & per accidens contingentibus febri, vt à colore. Atqui mordere tactum aut non, ex ipsius materiæ natura nascitur. Quo fit, vt non sine magno artificio, prima partitio, & differentias febrium, & earum dignotionem contineat. Nimirum differentia contingunt secundum differentiam causarum internarum: dignoscuntur secundum alium & alium modum affiendi tactum. Ea verò est hæc, febres quidem alia mordaces manui, hoc est semper & à principio mordentes manum, alia autem mites, hoc est, gratum, mitè minimèque mordentem calorem præferentes. Alia autem non mordaces quidè prima manus admotione, sed postea insurgentes, hoc est paulatim mordacitatè cõparantes, alia cõtra acuta quidè primo occursum hoc est acutè occurrentes tactui, & mordentes, sed paulò

post imminutæ, & paulatim vel vt à manu vincantur, mordacitatem deponentes. Constat his quatuor differentijs, quandoquidem ex modo afficiendi sensum accipiuntur, di-
 gnotionem etiam contineri. Continentur verò his quatuor
 differentijs, omnium ex succo pendentium species, quin
 etiam quodammodo etiam febres omnes. Nam cum iuxta
 succorum differentiam quatuor sint, melancholica, sangui-
 nea, & pituitosa, calor bilis & melancholiæ mordax est ob
 materiæ ariditatem, sed bilis mordacitas vincitur à manu
 ob materiæ, & vaporum tenuitatem: sanguinis & pituitæ,
 ob humiditatem materiæ, non est calor mordax, tamen à
 pituita non abest mordacitas, siquidem putrida est, sed
 adest quædam, quæ & si primo occursum non apparet, persi-
 stente manu insurgit. Itaque semper mordaces sunt melā-
 cholicæ, semper mites sanguinæ, nō mordaces sed postea
 insurgentes, pituitosæ: acutę sed imminutæ, biliosæ. Quibus
 quatuor generibus continentur omnes, quæ ex succis pē-
 dent. Possunt autem contineri etiam aliæ omnes, hecticę
 quidem in mordacibus, cum melancholicis: diariæ in mī-
 bus cū sanguineis. Tales enim sunt reuera. Hæc est partitio
 prima. Huic succedit hæc altera, febrium aliæ statim vrē-
 tes, aliæ semper debiles. Hęc partitio accipitur à motu mor-
 bi quasi diceret quædam febres sunt acutæ, quædā cronice.
 Nam acuti morbi sunt qui statim vigent. Itaque acutę fe-
 bres quæ statim vrunt, & sunt summæ. Ita etiam in essentia
 propria magni morbi sunt, qui acuti, quia magna adeo ma-
 la nullus potest diu sustinere, sed breui soluntur aut interi-
 munt. Qui ergo cronici, sunt debiliores. Proinde febres nō
 acutę, rectè vocantur semper debiles. Hęc itaque est secū-
 da partitio. Tertia verò quæ mox sequitur. Siccæ aliæ autē
 saluginosæ aliæ ampullosæ aspectu grāues, aliæ autem ad
 tactum humidæ. His verbis videtur insinuari solemnis illa
 partitio, in hecticas, putridas, & diarias. Nam hecticę sunt
 siccæ. Calor verò siccus est mordax, diciturque proinde
 falsus, per metaphoram. Nam falsum proprie ad gustum,
 non ad tactum refertur, sed qualis est gustui mordacitas ex
 falsis, talis tactui ex aridis & exustis. Proinde ergo hecti-
 cę febres dicuntur aridæ & falsæ. Ampullosas febres dici
 non posse alias, quam quas ampullæ quædam per corpus
 abortæ comitantur, satis constat ex ipso nomine, & quod
 mox

mox addit, id multo apertius indicat, aspectu graues. Nimirum quibus per cutem ampullæ, vt ex cutis combustione, dispersæ sunt, aspectu graues, & horrendi sunt morbi. Constat verò hæc in febribus malignam putrescentiã, aut exustionem succorum, indicare. Quamquam ergo nõ omnibus putridis hoc accidit, si quibus hoc accidit oēs sunt putridæ, & triplex illud genus ad hanc partitionem reducendum est (vt est consentaneum) rectius putridæ ad hanc partem referentur, quam ad primam, aut postremam. Velut nomine, ad tactum humidarum, rectè intelligentur diariæ, quia harum calor est vaporosus, & tactui humorem quendam representat. Tametsi ergo putridæ ex succis sunt, ad tactum vero non sunt adeo humidæ. Quia potius, illæ omnes sunt mordaces & acres, aut mox, aut postquam manus aliquandiu adhæserit, aut semper. Nam sanguinæ, quæ solæ, earum quæ ex succis pendent, sunt ad tactum humidæ, inter diarias potius censerì debent. Quia quæ in illis putridæ sunt, biliosæ etiam sunt, atque vt ad biliosas plus aut minus inclinant, ita à blando sensu, & humido tactu, recedunt. Constat ex hac enarratione, illam voculam siccæ, nõ referri ad antecedentia, vt quæ semper debiles, dicantur etiã siccæ (quamquam ita videtur) sed potius ad sequentia, vt eadè dicantur, siccæ & saluginosæ. Superest postrema partitio, quæ quidem inartificiosa est, & ex ijs quæ per accidens insunt lata. Sed vt sæpe in his commentarijs, & alijs in Hippocratem scriptis, diximus, antiquissimi medici, multis morborum inartificiosis differentijs vsi sunt, quia nondum erat ars exactè constituta. Siue igitur rubræ, pallidæ, liuidæ, virides, albæ, aut alio quouis colore, ob cutem hominis, siue ob excrementa, dicantur, externæ differentiæ sunt, & nullas proprias species constituentes, sed tanto quæuis febris esse agnosceretur benignior aut malignior, quanto color, siue faciei, siue excrementum mitiorem aut maligniorem causam præse fert, iuxta ea quæ in prognostico, & alijs operibus, de colorum significatione scripta sunt.

²² **C**ontentiones corporis, & duricies articularum, malum. Et ipse dissolutus, malum, & fractiones articularum, malæ.

HÆC sententia, ut & quæ mox succedit, ad partem prognosticam pertinet. Contentiones corporis & durities articuloꝝ, est artuum inflexibilitas, ac veluti rigor. Contrarium huic est, dissolutum esse corpus, & cōfractos articulos, ut cum exporrectis, ac velut à facultate dimissis artibus, quis iacet, & articulis laxis, & velut fractis. Cōstat verò, articuli, propriè non esse fracturam, sed si quid, luxationem. Dicuntur vero qui laxi, & firmitudinè carentes sunt, fracti per metaphoram. Nimirum quia fracto ossè parit firmitudo membri, cum articuli nihil flexuræ resistūt, ob similitudinem, fracti esse dicuntur. Vtrumque autem horum in morbis acutis malum est. Illud enim significat conuulsionem, hoc facultatis interitum. Vtrumque autem in prognostico ab eodem Hippocrate scriptum est. Oportere enim ægros manus, collum, & crura habere modicè inflexa, & totum corpus flexibile; malum verò esse si manus, collum, & crura extenta habeat.

23 **O**culi audacia delirij signum est, & deiectio, & fractio, malum.

Hic quoque deiectio & fractio oculi, contrarium significat, ei quod vocatur audacia oculi. Accipiuntur vero etiam hæc nomina metaphoricè. Nam audacia propriè ad hominè spectat, aut ad cor: fractio ad ossa, & res huiusmodi. Sed vocatur audacia oculi is oculi positus, qui audaciā indicat. Est vero is, oculi intentio firma, & rectus intuitus, oculis non nictantibus. Nam ut in 2. libro in calce sectionis quinquæ dictum est. Oculi non nictantes iracundi sunt. Iracundia verò comes est audaciæ, quia timor iram cohibet. Igitur rectus intuitus oculis non nictantibus, audaciā indicat. Et hic ipse per morbos acutos, est signum delirij. Quia sine occasione aut vlla prochatartica causa tales animi motus, insanix sunt soboles. Error enim imaginationis commouet animum, cum nihil sese offert, quod ita mouere natum sit. Quod si recto illi & firmo intuitui, accedat palpebris non nictantibus oculorum crebra moritatio, indicatur etiam furor, ut in prognostico dicitur. Contrarium audaciæ vocatur deiectio, & fractio oculi. Nimirum quidam oculi languor, ut non videantur quicquam posse

posse recta intueri, ac ne videre omnino, & quicquid ob oculos ponitur omnino non aspiciunt, ut videantur his qui adsunt, non videre, id quidem in acutis morbis pessimum signum est, nam deficientis iam facultatis, soletque accidere moribundis, & vulgari phrasi, quæ fortassis ab hac Hippocratis dictione fluxit, dicuntur tales oculi fracti iam esse, quod scilicet quasi diruti essent, non videant, & langueant, penitusque deiecti iam sint.

Sectio secunda.

Dilatate, constringere, alia quidem, alia autem non.

MAGNA pars huius sectionis secundæ, pertinet ad partem curatiuam. Velut hæc sententiola, & quædam mox sequentium. Qui vocati sunt methodici, quorum princeps fuit Thesalus hæc vnica regula censebant contineri totam artem: omnes enim morbos astrictos esse, aut laxos, atque ita nihil agendum aliud, quam laxandum, aut astringendum. Verum falsebantur. Multi enim sunt morbi, qui neque in astrictione, neque laxitate, essentiam habent, & multæ curationes, quibus neque laxatur, neque astringitur, cuiusmodi est vacuare, replere, extenuare, crassitiem inferre, exaspere, laugare, & alia multa huiusmodi. Nimirum affectiones omnes contrarijs alterationibus curantur. Sunt verò excessus præter naturam multis alijs in rebus, quam in laxitate aut constipatione partium. Nam in temperie, numero, magnitudine, positu & figuræ differentijs. Agenda igitur hæc sunt, dilatandum inquam atque constringendum, cum res exigit, non tamen ea sola sunt agenda, sed alia quidem constringendo aut dilatando curanda sunt, alia autem non, sed aliter. Quod insinuans dicit, alia quidem, alia autem non. Quæ dilatando aut constringendo curantur, sunt vitia, per quæ partes aut astrictæ, aut laxæ sunt nimis, ut cum ob astrictam & siccam aluum, utimur clysteribus humidis & laxantibus, & ob densam cutem, utimur balneo aquæ tepidæ, aut mollibus frictionibus cum inunctionibus olei; aut ob laxam aluum utimur astringentibus

tibus clysteribus, aut cataplasmatibus: aut in ijs qui nimia euaporatione, aut profuso sudore exoluuntur, utitur aliquando ad cutim totam, astringentibus, inunctionibus, & ad anastomoses vasorum, ut venularum in naribus, & aliquando in pulmone, atque omnino ad omnem laxatam partem, ut ad procidentem uterum aut anum. Hæc verò omnes indicationes à morbis ipsis accipiuntur. Nonnunquam verò & ipsa partis indicatio laxare iubet aut astringere: velut ob hypochondria astringendum semper, aut omnino admiscendum astringentium aliquid, ob pectus laxandum, aut omnino admiscendum aliquid laxantium. Sed quia non hæc solum curationum differentia est, ad alias transit.

- 2 **S**uccos hos quidem expellere, hos autem siccare, alios autem apponere, & hæc quidem, hæc verò non.

U^t in aphorismo dicitur, morbos ex repletione curat euacuatio, & ex inanitione repletio. Neque verò omnia mala curantur repletionem aut inanitionem, seu alia etiam aliter secundum contrarietatem, ut calida refrigerando, & frigida calefaciendo. Hoc idem dicitur his verbis, aliquando euacuandum, aliquando replendum: euacuandum verò aliquando euacuatione manifesta, ut per deiectionem, urinam, aut sudorem: aliquando euacuatione insensibili, & resolutione. Illud vocat expellere, hoc siccare. Eodem modo vitur verbo siccare, in initio libri de humoribus. Repletio verò fiat apponendo succos, adiectione cibi & potus, bene, ac facile, & multum nutrientis. Sed quoniam hæc solum sunt curatoria indicationes, sed alia multa, non semper agendum, hoc, sed hac intentione agendum hoc, alia verò non sed aliud aliquid.

- 3 **E**xtenuare, crassum facere, vas, cutem, carnes, & alia: & hæc quidem, hæc autem non.

EXTENUARE aut crassum facere euenit corpori s, corporisve partes, aut succum aliquem: & utrunque sæpe est ex usu. Nam & nimia crassities, & nimia tenuitas, inutilis est,

est, & noxia: in corporis partibus semper, in succis aliquando. Hic autem Hipp. solum de corpore & eius partibus agere videtur. Nisi vis (licet enim etiam) ubi dicit & alia, intelligamus succos. Nomine *σύνολον* quod vertimus vas, intelligi vult Galenus totum corpus. Dicitur igitur, extenuare, aut crassum facere oportet vas, hoc est totum ipsum corpus. Significat enim vas aliquod totum, seu volumen aliquod integrum: ita corpus etiam totum: sicut solemus etiam vas vocare totam domum, aut nauim. Itaque dicit oportet nunc extenuare, nunc crassum facere totum corpus. Deinde enumerationem facit partium, cutem, dicens, carnes, & alia, vt nervos, & membranas omnes. Crassescunt enim crassescente corpore hæc omnia, & gracilescent. Gracilescent. Quamquam non semper æqualiter, sed in ijs qui pinguescunt, crassescit cutis magis quam partes aliæ, in ijs qui bene abundanturque nutriuntur, carnes & reliquæ partes magis quam cutis. Omnem autem nimiam extenuationem oportet vitare, quia tales qui sunt, ab externis quibusvis causis facile læduntur: & nimiam crassitiam, quia si carnosa sunt, acutis morbis sunt opportuni, ob succorum redundantiam, & ventilationem difficilem: si pingues, ad frigidos morbos, & caloris extinctionem. Et omnis crassities, ob difficilem ventilationem, est ad venarum interceptiones, & repentinos casus opportuna. Hanc ob causam iussit Hippocrates habitum athletarum, & si alioqui videatur ad summum bonitatis attigisse, statim soluere. Modum extenuandi crassos, & reficiendi extenuatos, docet Gal. quatuordecimo methodi, capitibus, secundum vulgarem partitionem. 15. & 16. licet (vt dixi) cum dicit alia, intelligere alia omnia, quæ in vase, hoc est corpore continentur, atque ita, cum partibus, humores etiam. Ad hos enim etiam extenuantibus vtimur, cum corpora volumus extenuare, & crassiores faciētibus, cum reficere. Sed & ad morbos qui ex succorum vitio, aut redundantia nascuntur, vtimur extenuatione plerunque, sed & contrario etiam aliquando, vt in tenuibus Thoracis destillationibus. Hæc igitur omnia, & quæcunque huiusmodi, insinuat, dicens, extenuare & crassitudinem afferre. Addit hic quoque, & hæc quidem, hæc autem non, quasi diceret, quædam curantur hoc modo, quædam aliter.

Leniga-

- 4 **L** *Lenigare, exasperare, durum reddere, mollire. Hæc quidem, hæc autem non.*

QUANDO quidem in lænitate & asperitate partium, morbi quoddam genus secundum figuram consistere, Gale. indicat, constat talium curationes in exasperatione, & læuigatione consistere. Porro indicatum etiam est mihi in controuersijs, esse quasdam partes, quæ perse indigeant quadã duricie aut mollitie vt suas actiones exequantur. Quibus pinde duricies & mollities possit perse esse morbus. Vnde fit, vt duriciẽ inferre aut mollitiẽ, propria curationis talium morborũ, ratio sit. Leuigamus quidem, vt in tussĩ, quã arteriã asperitas parit, eclegmatis, & in dysenteria pinguibus clysteribus, aut lenibus cibis, & in arida scabie inunctionibus: exasperamus in læuitate intestinorum, quæ successit dysenteria, emollimus duratos tendines, vt flecti possint, & duriores cicatrices eadẽ causa: vt contra duriores facimus quæ sunt molliores. Ac si quando molliora ossa fieri contigerit, vt quidam narrat, hæc quoque duriora reddere, siccantium vsu, curabimus, vt firmentur. Ita que hæc quoque sunt curationes quædam morborum, quibus quidam morbi curantur, quidam non.

- 5 **E** *Excitare, stupefacere; & alia quæcunque eiusmodi.*

HÆC quoque sunt in morbis, quamquam non morborum sed symptomatum gratia, vt excitabimus eos qui soporosa quapiam affectione tenentur, & stupefaciemus eos qui graui dolore torquentur. Sed quia longum esset curationis omnes modos percurrere, addit, & quæcunque alia huiusmodi.

- 6 **D** *Deriuare, cedentem reuellere statim, renitentem, cedere.*

NUNC agit de his quæ ob succos in partem quampiã præter naturam influentes, agenda sunt. Hæc autem sunt
deri.

deriuatio, & reuulsio, & ob ea quæ iam hæserunt parti, vocata euacuatio. Est autem reuulsio, retractio succorum in contrariam, vt deriuatio in vicinam, vacuatio vero propriè vocatur, quæ ex ipsamet parte affecta agitur, aut omnino proxima cute. De his euacuationis generibus libro de succis dicta sunt ab eodem Hippocrate plura, & in sequentibus dicentur a Galeno innumeris in locis, atque à me etiam in latis multis, definita sunt. Quod nunc monet est notatu dignissimum, de quo à me temper in congressibus apud ægros cum medicis, altercatum est. Conuenit inter omnes, reuulsionem debere ante alias euacuationes agi, deinde deriuationem, postremo euacuationem: atque adeo vacuandum esse corpus totum, antequam ad euacuationem partis veniatur: atque adeo, ad ullam aliam curationem, quæ localibus vocatis auxilijs peragatur. Hoc quia non obseruant vulgares empirici, & circulatores, multorum malorum solent esse autores. Sed multi medici cõtra, dum nimis methodici esse cupiunt, vix vllum inuenire possunt tempus euacuationi idoneum, & antequam ad propriam morbi curationem accedant, mori ægros, aut incurabiles fieri morbos, sinunt: sibi persuadentes nullam euacuationem licere facere antequam reuulsio omnis, & deriuatio facta sit. Atque ita sunt qui in practicis tractationibus, affirmant, non esse in pleuritide vtendum cucurbitula, antequam elapsus sit dies septimus, quid si sit homo inflammationis magnitudine, septimo, aut etiam quarto moriturus? Sanè præceptiones practicæ nunquam vniuersim accipiendæ sunt, sed temperandæ vrgentiæ indicatione. Nam & illud quoque affirmat Galenus vacuandum esse corpus antequam ad auxilia topica accedamus. Nunquam tamen in pleuritide, aut inflammatione vlla alia periculosa, abstinemus, vsque dum omnes missiones sanguinis sint prægressæ, sed vna aut altera missione prægressa adiuuere incipimus quæ videntur expedire. Et quamquam totius corporis vacuatio præeat, non ita tamè, vt admotio medicamentorum non subsequatur, antequam illa perfecta omnino sit. Ita etiam sæpe in eiusdem inflammationibus internis, cum reuulsioni non satis cederent, & timerè ne phlegmonis magnitudine anticiparent mori alternatè vtens missione sanguinis secundum rectitudinè, &

fca-

scarificatione ab admotis parti cucurbitulis, plurimos mihi videor mirificè morti eripuisse: cum alij medici cunctari iuberent, & methodum, non semper vtilem, obseruare. Hoc nunc Hippocrates præcipit, dicens, deriuandum quidem esse cum & vt expediat, reuellendumque, verum cum qui reuellat, non id debere nimis facere, sed statim, ac præpropere (vt scilicet vacet reliquæ curationi incumbere) reuellere humorem, qui reuulsioni cedit facillè, renitentem verò cedere, hoc est, si verò reniti admodum videatur malum, neque soli reuulsioni cedere, neque ita minui vt præbeat indutias expectandi, cedere te oportet, hoc est à reuellendo desistere tantisper, & eius quod parti hæsit, euacuationem interponere, rursus postea ad reuulsione[m] redire, atque id alternatè facere, quoties videbitur, & res eriget. Causam reddit Galenus in huius loci commentatione optimam, nimirum & si fluxio ab alijs causis inceperit, vt fortasse partis debilitate, & totius corporis multitudine, cum verò iam aliquid quod hæserit parti molestiam infert, ea ipsa molestia fluxionem cessare prohibet, atque ita nisi interposita euacuatione molestia illa mitigetur, nulla reuulsio erit satis vt fluxio cesset. Alternatè igitur reuellendum, & euacuandum, cum in loco magna molestia sentitur, vt reuulsio faciat, quo minus aliæ partes mittant, & euacuatio, quominus affecta trahat.

7 **A**lium succum non qui exeat agere, exeuntem verò simul effundere facere, simile, vt dolor dolorem sedat, dissimilia verò, si repant sursum elata, deorsum soluere, & contraria eodem modo. Vt capitis purgatio, vena scilicet, cum non temere detrahitur.

6 **ALIVM** succum (inquit) non qui exeat agere, hoc est, succum qui sua sponte satis exit, agere nõ oportet, sed alium, qui scilicet noxius cum sit, non exit sponte, aut non satis. Nam quæ iudicantur integre, mouere non oportet. Verum quia quædam iudicantur per conuenientem regionem ac vtiliter, sed nõ integre, quæ, eo quo repunt ducere oportet, addit nunc quoque, exeuntem verò simul effundere. Hoc

Hoc est, succus si excernitur vtiliter, tardius autem quam velis, iuuare oportet, eam quæ sponte fit, euacuationem. Velut horum reddens causam, dicit, facere simile, & dissimilia. Quasi diceret, aliquando enim similia, aliquando dissimilia debet medicus facere, ijs quæ sponte fiunt. Nimirum quæ bene & vtiliter fiunt iuuare, quæ contra prohibere debet. Velut nunc diximus, humorem qui non exeat, inutiliter autem retineatur, euacuare debet, & eum qui vtiliter exeat, simul euacuare. Producit verò alia exempla similitum & dissimilium rerum, quas medicus facit. Simile inquit, dolor dolorem sedat, dissimilia, vt si repunt succi sursum, deorsum reuellere, & contraria eodem modo. Hoc est si repunt deorsum, sursum reuellere. Vt capitis morbum tollit purgatio per aluum, & venæ sectio ex brachio, atque etiam aliquando ex talo, cum non temere detrahitur, hoc est cum detrahere etiam sanguinem oportet. Ex hoc loco dicit Galen. quosdam collegisse, non semper curari contraria contrarijs, sed aliquando contrarijs, aliquando similibus, contrarijs quidem, vt febres victu humectanti, & morbos ex repletione, inanitione: similibus, vt dolorem dolore, & vomitum vomitu, & dysenteriam expurgatione. Et de hac re dicit fuisse controuersiam. Ea verò facile deciditur. Nam omnis curatio per se agitur contrario: quædam vero similia curant ex accidenti, vt aqua frigida tetanum calidi percussu: & vomitus vomitum causæ euacuatione: & dolor dolorem, sensus distractione, vt in commentatione illius aphorismi dictum est. Duobus doloribus eandem partem occupantibus maior obscurat minorem. Itaque omnis curatio quæ per se agitur, contrario agitur. Hippocrat. vero hoc loco non studuit distinguere, quæ per se, aut per accidens operatur, sed vtcunque hoc fiat, exempla producere similitum & dissimilium, quæ medici faciant. Quamquam profecto dolorem dolore curare raro euenit: tutius enim curetur anodinis, aut stupefacientibus, nisi causæ distractione curari possit.

Abscessus velut glandularum, signum quidem eorum quæ germina habent, verum & aliorum, præcipuè autem circa viscera. Maligni autem hi.

Pares habentes germina, seu productiones, seu exortus, dicuntur, ex quibus alix producuntur, & quæ ad alias habent rationem principiorum. Productio ea fit secundum nervos, venas, aut arterias, per quorum germinum rectitudinem abscessus fieri solere, lib. 2. sectione prima, dictum est. Itaque abscessus in quascunque corporis partes erumpentes, velut ad glandulas sæpe solent, signum esse eorum quæ germina habent, nihil aliud significat, quam significare affectionem earum partium, cum quibus habent rectitudinem. Verum & aliorum, inquit. Nam abscessus fiunt aliquando parte aliqua interna & nobili deponente sua excrementa in externam & ignobilem, aliquando etiam toto corpore in vnam quampiam mittente. Itaque aliquando abscessus est signum solum partis internæ, cum qua habet rectitudinem, aliquando etiam aliarum omnium totius corporis. Præcipue autem circa viscera solent significari affectus ex his abscessibus, quia in visceribus plerumque colliguntur excrementa, ut in hepate aut liene: & his expurgandis solent bubones fieri, ut expurgando hepate in dextro inguine, liene, in sinistro: & tales quidem abscessus, qui scilicet fiunt ob viscerum morbos, maligni sunt. Nam ob hanc causam dicitur. 4. aphorismorum, febres omnes cum bubone esse malas præter diarias. Quia scilicet bubones febribus non diarijs accedentes, significant morbum aliquem viscerum. Maligni autem sunt tales, ut ego in commentarijs citati aphorismi indicaui.

Spiritus, parui densi, magni rari, parui rari, densi magni, extra magni intra parui, intra magni extra parui, alius autem tardans, alius festinans, dupla introreversio, velut superspirantibus calidus frigidus.

Hæc sententia (ut & alix quædam quæ sequuntur) eisdem verbis scripta, occurrit libro 2. sectione. 3. ubi à me enarrata est. Si quis tamen Galeni desiderat enarrationem, quandoquidem eius, in librum secundum commentaria non extant, & particula hæc, etiam in commentarijs quæ scripsit in sextum, casu deest, requirat eam. 3. libro de dispncea, capitibus secundo, tertio, & quarto, quibus locum hunc suscepit

suscepit explicandum, à me non est quod modo requiras plura.

- 10 **M**edicatoria continuarum oscitationum longa respiratio. Non potantibus autem & vix, respiratio brevis.

HÆC quoque eisdem omnino verbis scripta est libro 2. & à me ibidem satis enarrata.

- 21 **S**ecundum rectum, & laterum dolores, & intentiones hypochondriorum, & splenis eleuationes, & ex naribus fluxiones, & aures secundum rectum. Horum plurima, eadem etiam in oculis. Nunquid igitur omnia, an quæ, inferne sursum secundum rectum, ut quæ iuxta buccas aut iuxta oculum, & aures, quæ autem superne deorsum non secundum rectum? An etiam quæ infra hepar sunt ex supernis distributa, ut in testes? Ac varices?

ET hæc sententia enarrata mihi est libro secundo, post proximè præscriptam. Tamen si enim ibi non tota hæc dictio est ab autore scripta, sed quædam eius pars, sensus tamen est prorsus idem, & ob id coactus sum hanc totam dictionem illuc transferre, ac per anticipationem enarrare.

- 12 **C**onsideranda autem hæc, quo, & vnde, & propter quid. Venæ temporum non subsidentes, neque chlorus fulgens, si spiritus intus relinquitur, aut tussis sicca non ferina, in articulos firmari expectare oportet. Secundum rectitudinem tentionum in ventre magna ex parte. Sunt autem, ex his plurimi etiam valde rubri, & natura albidioris modi, & non fluit eis sanguis ex naribus, aut exiguum, atque si fluentibus intus manet promptum est.

Quandoquidem de euacuationibus, & in partes quasdam abscessibus, dicere cœperat, addit nunc, considerata autem hæc, quo & unde, & propter quid. Quasi diceret, in his humorum ex partibus in partes mutationibus, considerandum quæ pars mittat, & quæ recipiat, & quam ob causam ea pulsio fiat, an decretorie, an symptomaticè: cognoscere autem euenit hæc ex signis quibusdam, quæ animaduertuntur in partibus, cuiusmodi sunt quædam quæ velut exempla signorû, ex quibus ea quæ dicta sunt possis agnoscere, mox apponit, dicens, Venæ temporum non subsidentes & reliqua. Dictum est eidem Hippoc. lib. 2. sectione prima, vbi sermo habebatur de his eisdem humorum mutationibus, considerare verò sic oportet, in coloribus, compressionibus venarum, tumoribus hypochondriorum, sursum vergentibus, deorsum vergentibus. Doctrinæ quoque huius quoddam exemplum nunc producit, dicens, ex venis temporum quæ non subsideant, sed tumeant: & ex colore qui non sit chlorus fulgens, qualis scilicet in ægrotis esse solet, sed ruber: & ex spiritu, qui intus relinquatur, hoc est difficulter expiretur. Itaque ex difficultate respirations & ex tussi sicca non ferina, significari, fore vt in articulis firmetur abscessus. Color chlorus qui sit, dictum sæpe iam est in hoc ipso opere, & in prognostici commentarijs. Est scilicet qui pallidus, aut viridis, aut inter hos; qui colores febricitantibus sunt familiares, nisi cum ob sebris vehementiam, aut raptum sanguinis in superna, rubet facies. Tunc enim superueniente rubore color ille chlorus latet, neque effulget. Itaque color chlorus non effulgens, dicitur color non apparens, sed sub rubore latens. Neque id improprie dicitur. Si enim colores omnes, fulgores quidam sunt, vt 2. lib. controuersiarum indicauimus, colorem apparere, fulgere quoddam sit, & qui non apparet, non fulgere propriissime dicitur. Ferini nomine significari ab Hippoc. quod grauissimum, & horrendum, in morbis sit, iuxta Galen. sententiam explicatum est lib. 2. sect. prima, & rursum sectione prima huius sexti, velut atrabiliaria symptomata, & tetra vlcera, & in vnoquoque morbo quod malignum. Tussis igitur ferina dicitur, quæ tibi accedit, aut alteri grauissimo thoracis malo. Itaque tussis non ferina dicitur, quæ perniciosi alicuius morbi symptoma non sit. Igitur

tur quod prima huius dictionis pars continet est, cum sint venæ temporum non subsidentes, sed tumidæ, & color ille morbidus, qui plerunque solet ægrotos comitari, non apparet, sed rubent potius, & spiritus difficulter redditur, & adest tussis sicca (per quam scilicet nihil excreatur) non ob morbum aliquem malignum, expectari oportere abscessus ad articulos. Sed dices hæc signa esse raptus humorum in superna (ita enim indicatum est loco citato ex secundo libro) igitur capiti oportet timere potius, quam abscessus articulorum expectare. Certè ita est, significant hæc rapi sursum humores, quibus proinde si accedat aliquod aliud perniciosum, eorum quæ conuulsiones aut demantias solent præmonstrare, capiti timere oportet: si verò nullum horum accedat, expectare oportebit parotydas, aut abscessus ad articulos, superiores quidem plerumque, nonnunquam tamen etiam inferiores. Non raro enim qui in caput coeperant ferri humores, inde repercussi, retrocedunt in partes humiliores. Neque mirum, cum dictum sit sectione quinta, secundi, Si caput doleat, in pectus descendit, deinde in hypochondriū, deinde in coxam: ac rursum paulo post eadem sectione dicitur. Quibus tussis sicca, non soluitur nisi dolor fortis, in coxam, aut in crura, aut in testem. Sed si succi qui in capite, aut thorace firmati, dolorè aut tussim ciebant, solent ad inferiores partes trudi, cur non etiam qui vndeunque sursum moueri coeperant, possint deorsum detrudi? Possunt etiam in quamplurimos articulos diffundi, vt simul occupent superiores & inferiores, vt in ijs qui vocantur arthritici, solet fieri. Rarò autem non incumbunt abscessus, aut in alterum latus solum, aut saltem plusquam in alterum. Quoniã igitur hæc omnia euenire possunt, presentibus his signis, signis alijs opus est quibus distinguantur, quæ Hippocrates ipse hac dictione attingit. Nã quia dixit tussim non ferinam, insinuauit affectionem non malignã, sed ex qua abscessum debeas expectare, potius quam mortem. Eadẽ autem ratione tu intellige, neq; aliud quippiã ferinum adesse, vt neq; dentiũ stridorem, neq; oculos, aut qui crebro moueantur, aut fixi sint, & incõniuentes, neque aliud quippiam conuulsoriũ aut phreniticũ. Hac limitatione adhibita, abscessus iã expectes meritò; ad articulos vero, quãdoquidẽ hæc partes ad eos excipiẽdos sunt natura

paratissimæ in quos autem articulos, cognosces; consideras
 tentiones quæ in vêtre fiunt. Secundum earum enim recti-
 tudinem magna ex parte fiunt. Vêtris nomine hic vocatur
 ea regio, quæ infra septum transversum est, parte nostri an-
 teriori, in qua sunt & hypochondria. Duplex autem eius lo-
 ci passio mihi esse videtur, cui tentionis nomen dari possit,
 & ab utraq; potest aliquid ad præensionem hanc præstari.
 Aliquando enim hypochondriū, aut vtrumq; aut alterum,
 sentitur ipsi ægroto sursum intentū, ac velut reuulsum, estq;
 hæc quædam partiū ventris tentio. Tentio et vocatur cum
 cutis est distenta ob partis tumorem, quæ tentio manu me-
 dici sentitur. Cum in quopiam hypochondriorū vlla harū
 tentionum est, ad eius lateris articulos abscessus expecta. Si
 tentio prima sit, ad superiores, si secūda ad inferiores. Nam
 celebratissimum est apud Hippocrat. dictumq; pluries hoc
 ipso in opere, hypochondriorū reuulsiones significare ra-
 ptus succorū in superna. Cum verò ex supernis ad inferna
 trudentur, solere per hypochondriū transmittere, dictū est
 loco citato ex libro secundo, quo dicebatur. Descendit in
 thoracem deinde in hypochondriū, deinde in coxam. Itaq;
 hæc significat abscessus fore ad articulos. Velut autē possunt
 fieri ad superiores, aut inferiores, aut etiā non ad articulos,
 aut non solos, sed in superiorib. post aures, in inferiorib. ad
 testes, ita possunt ab eis homines præseruari duab. euacua-
 tionibus, supra quidem fluxu sanguinis è naribus, infra vri-
 na crassa multa & alba prodeunte, vt aphorif. 74. sectionis
 quintæ dicitur. Quib. autem in nares tendit materia, solent
 cum temporum pulsationibus, & venarum intumescencia
 apparere, non vtrumq; non chlori, sed etiam valde rubri,
 præcipuè qui sunt natura candidi. Nam qui nigri ruborem
 nunquā comparant, etsi fluxus sanguinis illis immineat. Si
 igitur ij quos descripsimus, sint abscessus habituri, oportet
 vt non fluat eis sanguis ex naribus, etiā si fiant valde rubri,
 aut vt fluat exiguum. Nimirum aliquando rubor, & alia si-
 gna imminētis fluxus fiunt, & fluxus omnino non superue-
 nit, aut non pro multitudinis ratione, & tunc promptissimū
 est in abscessus incidere. Nā si fluentib. intus manet, prom-
 ptum est. Hoc est si cum humores cœperint effluere, intem-
 pestiuè cohibetur effluxus, aut cū impetum ceperint vt ef-
 fluerent, nō effluunt, sed intus manent, promptissimū est fie-
 ri

ri abscessus. Multò èt magis quàm si tà multi humores intus manentes moueri nõ cepissent. Nã illa succorum repercussio, & agitatio periculosa est, & in partè aliquã abscedere facit, vt quædã turgentia. Proinde cauendù est ne fluxù aliquè, siue ex naribus, siue ex aluo, siue ex alia parte quauis, intèpestiuè cohibeamus, neue antequã vacuari satis fuerimus, aut parte alia euacuauerimus corpora, quã si fluëtib. intus manet, promptù est fieri abscessù, fortassè in principè partè, vt scio quibusdã superuenisse pleuritidè, cum tamen fluxisset sanguis ex narib. plurimum. Quod ne fiat, maxima cautio est, missione sanguinis reuulsoria ex brachio, à regione natis ex qua fluit, potius quàm localibus medicamentis, fluxum sanguinis curare.

13 *S*itis intus relicta, & siccitas oris, & insuauitas, & inappetentia hoc modo. Febres autem non acutæ huiusmodi, sed reuersivæ. Quæ relinquuntur post iudicationè reuersiua sunt.

HÆ omnes dictiones pertinent ad eandem sententiã, scilicet morbos qui sine iudicatione perfecta videntur soluti, solere aut permutari cū alijs grauiorib. aut eosdè ipsos reuerti, aut abscessus facere. Quū igit̃ morbus integrè solutus est, nihil manet, neq; causæ neq; symptomatū: præter illa fortasse quæ imbecillitatis & gracilitatis tantū sunt, & conualescentib. èt adsunt. Quæcunq; igitur post iudicationè relinquuntur, reuersiua sunt, si causæ quidem sint, reuersivæ causæ, & reciduas, aut abscessus aut permutationes, natæ facere: si autè symptomata, reuersiua signa, & dictorū aliquid præmonstrantia. Vt si sitis intus relicta sit (intellige nimia, & quæ non mitescat breui. Nã alioqui & à perfecta siue iudicatione, siue expurgatione, solet sitis oriri) & oris siccitas, & insuauitas, vt amaritudo, aut salugo, & cibi fastidium. Hæc enim apertè indicat, nondū esse corpus perpurgatum. His signis accedit necessario nõ corroborari, hoc enim èt impediēt intus relicta excrementa. Proinde dicit̃ in aphorismo, & accipiēt̃i cibos accidat nõ corroborari, indigere corpus euacuatione. Vt, si fieri possit, ita præseruet̃ a noxis, in quas paratum est. Hoc itaq; est quod nūc dicit. Illud, hoc modo,

refert proximæ dictionis postremam parte. Di xerat enim si fluentibus intus manet, paratus est. Addit, si sitis, & siccitas oris, & insuauitas, & inappetentia, hoc modo, hoc est, paratus est. Porro, quod interiectum est, febres autem non acutæ huiusmodi, sed reuersiua, signum etiam continet ab scessuum, aut recidiuarum, ex ipsarum febrium natura, acceptum. Dicit enim febres huiusmodi, hoc est ex quibus solet fieri hæc, non sunt acutæ sed reuersiua. Quasi reuersiua febres non sint acutæ, sed cronicæ, aut quæ deciderunt ex acutis. Sed nota reuersiuas febres non dici debere, quæ possunt recidiuas habere, sed quæ sæpe solent. Hoc dixerim quia febres etiam acutissimæ habent nonnūquam recidiuas, cum sine concoctione aut iudicatione perfecta disparerent, atq; præter rationem soluuntur. Non est tamen id earum naturæ admodum congruens, sed perfectè iudicari. Ac proinde non sunt reuersiua hæc, sed quæ non sunt acutæ.

14 **P**rimum igitur lienum eleuationes, nisi in articulos niantur, aut sanguis fluat, aut hypochondrij dextri intentio, nisi profluant vrinae. Hæc enim amborum interceptione, & recidiua horum merito. Abscessus igitur horum non fientes facere, fientes autem declinare, hos autem excipere si eant quales oportet. Qui vero non valde, cooperari, eos autem auertere qui omnino inutiles fuerint, præcipue autem hos futuros. Sin aliter cum nuper inceperint, quarta die facti sanguinis fluxus difficilis iudicationis.

HÆC omnia eisdem verbis occurrerunt scripta & eodem ordine l. 2. & sectione tertia, ubi et sunt à me satis enarrata.

15 **Q**uædam vnâ intermittentes altera superrigent, cum iudicatione à quinto vsque ad septimum.

HÆC quoque sententiola prioribus scripta adiacet ibidem, præterquâ quod illic dicitur simpliciter ad septimum, hic verò à quinto vsq; ad septimum. Nihil autem differt, nã illud

illud explicatur iuxta aphorismum cum longissimè, hic vero duo fines statuuntur, primus & ultimus, quamquã hoc quoquẽ magna ex parte intelligẽdum est. Aliquãdo enim quatuor solum, aut etiam tribus paroxysmis finitur tertiana. Neq; verò intelligas nominari quintum & septimum, quasi impari semper soleat finiri, sed quasi extremorũ nomine, id etiam quod interest, vellet intelligi. Id quod ex ipsa phrasi constat. Non enim dicit, aut quintum aut septimum, sed à quinto ad septimum, potest ergo & sex habere paroxysmos.

16 **Q** *Væcunque tertiana naturam imitantur, ijs nox ante accessionem difficilis, quæ verò subsequitur facilis magna ex parte.*

DICTVM est aphorismo. 13. sectionis secundæ, cum instat crisis, noctem ante accessionẽ esse difficilem: id quod eo loco non in tertianarũ naturam imitantibus, sed simpliciter & in omnibus dicit: nunc verò non ita, sed in his dicit accidere, non tamen solum cum instat, crisis, sed quoties instat paroxysmus. Vnde coniunctis his duobus locis, recte colligit Galenus ex Hippocratis sententia, cum instat crisis omni in febre esse noctem, quæ antecedit, difficile in triteophijs autem, seu tertianarum naturam imitantibus etiam si iudicium non instet. Quæ sunt autem naturam tertianarum imitantes? Certe quæ sunt tertianæ, non tamẽ omnino. Quo in genere sunt omnes semitertianæ, & tertianæ productæ, atque adeò quæcunque non sunt exquisitæ tertianæ. Itaque dicit, tertianas exquisitas tunc solum habere noctem ante accessionem difficilem, cũ iudicium instat, alias autẽ omnes tertianas, etiã alias. Cui sententiæ ratio quoq; subscribit. Nam cum exquisitæ tertianæ motus celer sit, mox atque incipit, euadit in manifestũ paroxysmũ: quare nullã molestiam prius ingerit, nisi iudicatio instet, ac proinde secretio fiat. Noctẽ verò quia est motus tardus nõ ita, sed ante quã paroxysmus manifeste appareat, cõflitãt plurimũ ægrotus, incipiente putrescentia & motu. Sed dices, videri hoc repugnare eidẽ Galeno, qui lib. 2. de differentia cæbrum describens tertianã exquisitã dicit nul

Eff 4 lum

lum habere signum perceptibile succi putrescentiæ, in die aut nocte quæ cõsequitur accessione: manifestũ verò iam, proxima, quæ antecedit accessione, aut die aut nocte. Certe haud est dubium omni in febre, etiam exquisita tertiana, necesse esse vt bilis incipiat irritare antequam expellatur, nam ob id expellitur. Proinde, putrescere incipiente bile, contrahitur pulsus, antequam rigor superueniat. Verũ in tertiana exquisita, neq; tam longa neque tam sensibilis est hæc passio, vt insigniter difficilem faciat diem aut noctem, quæ antecedit. Itaq; subsequenter fieri leuiore, quæ antecedit, in omibus tertianis dicimus, negamus verò in exquisitis fieri eã quæ antecedit insigniter difficilem vt in reliquis tertianis: Atq; neque in omnibus illegitimis fiet æque molesta ea nox, quia neq; illæ æquè absunt à legitima. Erit itaq; in quacũq; eõ difficilior, quo aberit lógus ab exquisita. Si verò in ea quæ exquisita sit, aut ab ea parũ absit, nox aliqua fiat valde difficilis, decretorium signum esse putare oportet, atq; adeo & in ipsis illegitimis, si nox difficilior solito, aut quam pro morbi figura fiat, decretorium est. Sed cur tertianarũ meminit nunc Hippocra. solũ ac non etiam quotidianarum, ac quartanarum? Quartana fortasse vt rariores febres dimissæ sunt. In quotidianis non potest conferri nox quæ antecedit cum subsequente. Cum enim ea febris omni die inuadat, nox omnis sit, & antecedens & subsequens.

17 **T** *Vsses sicca leuiter irritantes à febre ardente, non secundum rationem siticulosa, neque lingua torrefacta, non ferino, sed spiritu, constat autem. Cum enim loquuntur aut hiant, tunc tussunt, cum autem non, minimè. Hoc in laboriosis præcipue febribus fit.*

A P H O R I S M O. 94. sectionis quartæ continetur hæc sententia, tametsi in pauciora verba contracta. Quapropter ego in illius commentatione hanc produxi, vt hinc illa explicaretur. Explicata igitur mihi illic est tota hæc dictio, præter perpauca illa verba quibus clauditur. Hoc in laboriosis præcipue febribus fit. Quare possem nunc aliorum verborum enarratione supersedere, ad illum locum ire iul
fis

sis lectoribus, sed satius sit breui totam dictionem percur-
 rere. Nam vel id quod illic comisimus, ita facilius nunc ad-
 ijcitur. Cum tusses sicca leuiter irritantes fiunt per febres
 non solent illae febres esse secundum rationem siticulosa,
 neque lingua torrefacta secundum rationem. Hoc est mi-
 nor sitis, & minor lingua exustio esse solet, qua pro febris
 magnitudine, non tamen hoc semper ita fit, sed cum illae
 tusses non a ferina causa, hoc est a maligna, cuiusmodi est
 destillatio tenuis, biliosa, aut falsa, aut inflammatio cruda
 intra thoracem, fiunt, sed ab spiritu, hoc est, ab aere ipso,
 qui inspiratur. Multi enim ita affecti sunt, ut ab ipso aere
 irritentur. Cognoscitur autem haec esse talis passionis cau-
 sa, quod cum loquuntur aut hiant, tunc tussunt, alioqui mi-
 nimè. Hoc autem euenire solet ijs, quibus refrigerata est
 aspera arteria, aut puluere, quem inspirarint, reddita sordi-
 dior. Tunc enim aer frigore irritat, aut sordes illas com-
 mouet. Euenit hoc citra febres multis, quod frigidum tempo-
 re iter egerint, aut calido quidem, sed per impurum aerem
 aut alioqui, quod pectus nudauerint, aut frigidam bibe-
 rint, aut in impuro loco commorati, tale aliquid fuerint
 perpeffi. Cum febribus igitur praecipue fient ijs quibus
 labor aliquis huiusmodi, febricitandi praebuerit occasione.
 Has igitur consentaneum est Hippocrat. nunc ob proca-
 tharticam causam vocare febres laboriosas. Tales igitur
 tusses cum fiunt, & ob dictas causas, etiam si febres adsint
 magna, neque sitis vexabit admodum, neque lingua erunt
 adeo exusta. Quia si ob intemperiem frigidam fiunt (nihil
 enim prohibet refrigerata via spiritus hominem febricitare)
 haec ipsa, statim, & lingua vstionem prohibebit. Sin au-
 tem ob sordes, tamen ipsa tussis leuiter irritans, & assidue,
 conuocabit in os pituitam. Constat verò si tusses sicca, si-
 tim arcent, multo magis id facturas humiditas, si modo ex-
 creatur pituita; neque maligne putrida, neque falsa. Dicit
 verò Hippocrates sicca, significans etiam ficas id facere,
 si tamen sint leuiter irritantes, neque a maligno seu ferino
 facta. Nam si vehementer irritant: magis desiccant, & exa-
 sperant: si a maligna causa fiunt, eadem erit causa tussis &
 sitis. Quare nihilominus ficient.

Nihil

18 **N**ihil temere, nihil negligere.

AD tria inquit Galen. pertinere posse breuem hanc sententiolam, librorum lectionem, & vsus prænoscendi, & morborum curationes. Ad lectionem quidem, quod nulla, eorum quæ apud bonos autores scripta sint, contemni debeant, etiam si prima fronte videantur minutula. Solent enim ea non parum conferre. Neque tamen temere cupiam credendum sit. Vt faciunt ij, qui alicui sectæ sese adigunt, aut in cuiuspiâ, vt ille dicit, verba iurant. Sed potius examinanda esse omnia, & cum iudicio legendum. Ad prænotionem vero, quòd nulla, ne minima quidem signa, sint negligenda, sed omnia conferenda in iudicium, neque vlli fidendum temere, si reliqua omnia repugnent: itaque diligentem omnium obseruatorem esse debere, eum qui rectè velit prædicere, neque temere, aut iudicare, aut prædicere. Ad curationem, quod qui rectè curare velit, nihil debeat ommittere, quorum est vsus salutaris, quin ea omnia suo tempore exequatur, est enim occasio præceps, sed neque temere, vt faciunt quidam audacissimi, tentandum quida. Nam experimentum periculosum. Hæc certè omnia sunt verissima, & illis verba Hippoc. optimè accommodantur, quin & ad omnem prudentiam, & omnia humanæ vitæ negotia, videtur esse commodatissima. Sed alius etiam mihi præter dictos arridet sensus. Nihil scilicet negligendum, quia nihil temere, & sine causa fit. Continent itaque hæc verba, & admonitionem & causam. Monet Hippocra. vt diligenter, omnia, quæ ægrotis accidunt, obseruemus, neque omittamus quippiam eorum, quæ sponte hoc est sine causa manifesta fiunt. Nihil enim fit sine causa. Vt illa quidem, (vt libello de alimento dicit) nobis quidem spontanea, naturæ vero sunt non spontanea. Hoc est causam vllam habent latentem. Quare & significationem vllam poterunt præstare sapienti. Hæc est Hippocratici sermonis præstantia, vt multa eaque pulcherrima breuissimis dictiunculis significentur, vt vix scias quo illas potius transferas.

19 **E**X adhibitione contraria adhibere, & quiescere.

Optimè potest hæc sententiola cum priori coniungi, quum



quum illa ad curationem referebatur. Nimirum curantem oportet nihil negligere, quin contraria omnia, sua quodq; occasione, adhibeat, neque tamen temere semper aliquid circa ægotantem moliri, sed vbi contraria tempestiuè adhibita sint, quiescere. Neque enim semper aliquid faciendum, sed permittendum non raro cassare, vt facultas interim recreetur. Atqui cum sint hæ duæ partes medicæ praxis, contraria adhibere & quiescere, mihi hæc vltima videtur præstantior. Censeo enim periculosius, incidere in medicum qui nesciat quiescere, quam qui nesciat cõtraria adhibere. Nam qui nescit quiescere, nescit occasiones cõtraria adhibendi, quare neq; cõtraria adhibere. Qui nescit cõtraria adhibere, tamen si prudens est, scit quiescere, atq; si prodesse non potest, tamen non obesse. Præstantissimus tamen medicus est, eruditus pariter ac prudens, qui nouit festinare lètè, & pro ipsius morbi vrgètia auxilijs instare, atq; i occasione vti maximè opportunis, alioqui quiescere.

20 *Posteriora capitis dolentem, in fronte recta vena incisa iuuat.*

Hæc ipsa dictio est aphorismus 68. sectionis quintæ, præterquam quod illic est scriptum iuuat, hic iuuat, quasi illic sententia aphoristica vniuersim proferatur, hic autem vna quæpiam historia narretur. Res tamen eadem est, & causa, quam in commentarijs aphorismorum explicuimus.

21 *Exceptiones hypochondriorum ex qualibus in qualia, & alia, & inflammationum viscerum qualia possunt, siue ex hepate lien, & contraria, & quæcunque huiusmodi.*

Exceptiones vocat nunc quos solet vocare abscessus, quia sunt alijs aliarum partium excrementa recipientibus. Dixerat nuper in hac ipsa sectione, considerandum, quo, & vnde. hoc idem dicit nunc, his verbis, ex qualibus, & qualia, hoc est, ex quibus in quas partes exceptiones fiât considerandum. Dicit verò exceptiones hypochondriorum, quia ex morbis acutis hæc maximè indigere solent animaduersione. Sed quia non hæc solum, sed aliarum omnium partium

partium eadem ratio est, & consideratio eadem, addidit, & alia. Itaque dicit, exceptiones hypochondriorum, & alia quaecunque, videndum esse, ex quibus in quas partes facta sint. Velut in inflammationibus viscerum, considerandum, qualia possunt, hoc est, quam significationem praestare valeant, siue ex hepate lien receperit, siue contra, ex liene hepar, & quaecunque alia huiusmodi. Vt si ex costarum spatijs pulmo, aut ex toto corpore. Non enim parum refert ad periculum, nosse ex qua parte quae pars receperit. Grauius enim est recepisse hepar ex liene, quam lienem ex hepate, & pulmoniam factam esse ex pleuricide, quam ex toto corpore, ac generatim vt libro 2. sectione prima, dictum est, ex ignobiliore in nobiliorem, exteriori in interiori, inferiori in superiorem partem fieri abscessum, quam contra, periculosius est.

22 **R**euellere si quo non oportet vergant, sin autem quo oportet, his oportet aperire, vt quaecunque reperit.

Scriptum est in aphorismo. Quae ducere oportet, quod maximè natura vergit, eo ducere, per conferentia loca iuxta quam sententiam, & quod nunc dicitur explicari conuenit. Nimirum ea quae ducere, hoc est euacuare oportet, quod redundant, aut praua sint, si vergant quo oportet, hoc est per conuenientem regionem, sponte fluere incipiant, aperire, vt quaecunque vergunt, hoc est eo ducere, & per eandem partem euacuare. Si verò vergant quo non oportet, vt si efferatur ex pulmone sanguis, reuellere, hoc est per contrariam partem vacuare. Oportet verò & huic sententiae adiungi aliam ex lib. 2. sectione 3. quae ita habebat.

Abscessus igitur horum non fientes facere, fientes autem
 declinare, hos autem excipere, si eant quales oportet, qui
 verò non valde, cooperari, eos autem auertere qui omnino
 inutiles fuerint, praecipue autem hos futuros, sin aliter cum
 nuper inceperint. Non enim quoties vergunt quo oportet
 aperiendum, sed cum ducere oportet, vt dicebatur in apho-
 rismo, aut cum non valde, vt dicebat in hac alia sententia,
 hoc est cum etsi vergant, quo oportet, non exeunt pro mul-
 titudinis ratione. Nam alioqui non aperire, sed excipere
 oportet,

oportet, hoc est finire vt excant. Porro reuellere conuenit, si vergant quo non oportet, non solum cum ducere oportet, hoc est cum euacuatione aliqua opus est, sed nonnunquam etiam etsi nulla euacuatione sit opus, sed solum vt auertamus eas euacuationes, quæ omnino sunt inutiles. Vt nonnunquam per profusam sanguinis effusionem, sistendi solum gratia, vtimur reuulsoria missione sanguinis, non quidem vt euacuemus, sed vt euacuationem euacuatione curemus. Abscessus vocari ab Hippocrate etiam euacuationes, constat, nam libro 2. seçtione prima, ita dicit. Abscessus qui cum euacuatione fiunt, velut sanguis è naribus.

23 **L**ata exanthemata non valde pruriginosa, qualia Simon habebat hyeme, qui cum ad ignem inungeretur aut calida lauaretur, iuuabatur. Vomitus non conferebant. Existimo si quis calefaceret, iuuaret.

TUMORES præter naturam insignis magnitudinis vocantur tubercula. Solutiones continui, insignes etiam, vocantur vlcera. Alia omnia quæ in cute progerminant, vocantur exanthemata. Itaque in horum genere sunt, & maculæ quæ sponte fiunt, vt quædam culicum morsibus similia, nunc rubra, nunc aliorum colorum, & tumores exigui, vt qui vocantur morbilli, & variolæ, & pustulæ etiam, quæ cum vlcusculis exiguis fiunt, aut sine eis, vt quæ vocatur scabies, cuius sunt multa genera. Cum verò hic dicat lata exanthemata, constat id nomen de tumoribus dici, nam latum hoc & obtusum contrarium est acuto & acuminato. Hæ autem figuræ neque macularum neque vlcerum sunt sed tumorum solum. Itaque hæc exanthemata sunt, multa exigua tubercula, corpus obsidentia, quorum duplex genus est. Quædam enim rubicundiora & minora, & angustiora, vt ferè sint maculæ potius quam tubercula, vocantur, hodie morbilli, & pruriunt valde: quædam alias sunt maiuscula & latiora, minus rubentia & minus etiam prurientia, & vocantur variolæ. Scilicet componere magis parua, videntur hæc inflammationis potius, illa erysipelatis naturam referre. Itaque lata exanthemata sunt multæ inflamma-

inflammationibus. Verum ut ipsæ inflammationes plurimum variant, quod sint aliæ exquisitæ, aliæ œdematodes, aliæ erysipelatoses, ac aliæ etiam scirrhosæ, ita & hæc exanthemata, quædam ex sanguineo magis, quædam ex sanguine bilioso, quædam ex pituitoso & crasso pendent, aut etiam melancholico. Atque ut succi specie, ita differunt colore & figura, & reliquis accidentibus. Nam quod ex calidiore sine sanguine, eò rubicundiora, & in acutum magis elata, & magis prurientia; quod ex pituitosiore, eò magis ad candidum vergentia, & obrusa, & minus pruriginosa. Huiusmodi erant quæ habebat Simon. Quæ cum talia essent, merito etiam in hyemem inciderunt. Itaque & temporis natura attestabatur tali morbi naturæ. Sed & curatio etiam. Nam iuuabatur inungens ad ignem, inunctione scilicet calida, & discutiente, & cum lauaretur calida. Nam & si exanthematis omnibus communis curatio super calida exterius admota (nihil enim optatum magis, quam ut abunde exeant, neque timendum, quam ne recurrant intro) postquam toti corpori sit prospectum missione sanguinis, ac si opus erit sit expurgatione; tamen constat id in frigidis exanthematibus potius fieri. Vomitus dicit huic non contulisse, sed totam curationem in calefaciendo sitam fuisse. Vomitus certe talibus exanthematis vniuersim sunt inutiles, nisi forte plurimum humoris in cauo ventriculi contineri sentiantur, tunc enim licebit quod ibi contineatur, vomitu rejicere præcipue si qui ægrotat vomat facile. Alioqui ad vomitum cogendus nullus est, ne motus humoris, alioqui vitiosus, retrorsum reuocetur. Atque eadem ratione neque expurgandum per ventrem est, nisi maxima succorum multitudo videatur subesse, cuius non possis expectare per cutem diffusionem. Facta verò totius corporis euacuatione, quæ sit sufficiens, ad discutientia & siccantia veniendum est. Atque erumpere solent hæc non tantum ad externam cutem sed ad internam etiam secundum corporis ventres. Vnde periculosa fieri plerumque censeo, cum scilicet ad alperam arteriam & thoracem & intestina erumpunt, plurimum, aut maxima, aut maligna Exire enim omnino introrsum quid prohibet, ut sit scabies in vesica & intestinis? Et ut intra poros narium fieri videmus: & intra os altissime? Sed & fieri plerumque ut in quâdam internarum partium erumpant.

ex symptomatis agnoscimus. Raucitas enim & tussis quæ nonnunquam procedunt ad aphoniam, quin & ad stragulationem, indicant erumpere in asperæ arteriæ internam membranam. Intestinis solet accidere primum dolor, deinde & dysentericæ fluxiones, exanthematis interius in eis factis. Sunt verò hæc omnia periculosa si plurimum crescant, moderatiora. n. sæpe fiunt in ijs etiam qui euadunt, & cum vniuersim quæ introrsum erumpunt periculosiora sint, quam extrorsum: illorum etiam, alia alijs sunt periculosiora, vt in has aut illas erumpunt partes. In ventriculo enim longe cum maiori sient periculo, quam in intestinis, ac præcipuè in eius ore, ob actionis eius partis dignitatem, & compassionem cordis, atque in caput asperæ arteriæ, ob eius angustiam, quam in partes alias. Suspicio autem nonnunquam in internum thoracem, & septum transversum, & inter septum, ac pericardium, atque fortasse etiam in ipsum cordis corpus irruere posse. Conandum igitur extrorsum agere humores, non solum iam, ne non exeant quæ inceperint exanthemata (hoc enim fortasse alijs euacuationibus posses supplere) sed multo magis, ne introrsum exeant, ac proinde motus introrsum vitari debent, multò autem magis vomitus quam alui subductio. Neque absere erit munire guttur eisdem, & eclegmatis, & gargarismis, quibus ad angine principia solemus, & ad intestina, vti clysteribus sine irritatione extergentibus modicè, & astringentibus nonnihil, postquam aluus subducta iam satis sit.

¶ **Q**uæcumque concoqui oportet, occludi conuenit, contraria autem siccare & aperire.

Speciatim hoc intelligi potest de tumoribus præter naturam, sed generatim quoque de morbis omnibus pendentibus ab humoribus, vt de putridis febribus, & cacochy-mijs. Nimirum vt tumores præter naturam aliquando postulant concoctionem, quam suppurationem appellamus, aliquando aliud quippiam, ita & febrium causæ, & cacochy-miæ, aliquando coqui postulant, aliquando euacuari. Generatim igitur quoties est coquendum, occludere oportet. Occludere autem contrarium est ipsi aperire. Nihil autem

autem deterius quam aperire, cum coqui oportet. Velut si crudum tuberculum feces: aut in febre, aut alia cacochymia, cum foret coquendum, euacues. Contra enim tunc temporis faciendum & occludendum est. In tumoribus enim utendum emplastricis, & obturantibus (talia enim sunt suppurantia) ut calidum effluuium cohibeatur, & ipso detenti vaporis calore, succus coquatur: in febribus & alijs cacochymijs inungendum, & pannis contegendum, & abstinendum ab euacuationibus. Atque ita verum est, in omnibus quæ coqui oportet, esse occludendum. Contraria autem dicit, siccare & aperiri: contraria vocat, quæ coqui non oportet, sed aliter curari, vel ut tumores qui aut resolui rectè possunt, aut suppurari non sistent, quod gangrænæ sint opportuni, & febres, cacochymiaæ in quibus vacuare conuenit, quod concoctus iam succus sit, ut expectare concoctionem non oporteat, vel quod turgeat, vel vrgeat, vel concoctilis non sit. In his omnibus, siccandum, & aperiendum. Nam & resolueret collectum in tumore succum, & euacuare eum qui in venis redundet, siccare & aperire est. Siccant enim quæ resoluunt, & aperiunt poros, contra ac quæ suppurant. Quæ vacuant humores, siccant corpora, & aperiunt vias. Iam verò si tumor præter naturam coctus iam est, & proinde coqui amplius nõ desiderat, ad easdem indicationes transitur. Si enim exiguum profusum inest puris, resoluitur, sin autem plus, aperitur ferro pars, & extrahitur succus, & siccando curatur cauum vlcus. Si verò tumor neq; resoluentibus cedat, neq; suppuratum habeat tutum usum, ob gangrænæ metum, multo magis siccandum & aperiendum est, nam scarificandum, & vradum, aut siccissimis medicamentis utendum. Vsq; adeo verum est, quæ coqui non oportet, siccandum & aperiendum est.

Velut oculis fluentibus, si aliter videatur expedire, vt uellere in fauces.

Oculos fluxos, seu fluentes, vocat, non arbitror illos solum qui rhyade, id est excauatione anguli maioris laborant, sed omnes eos ex quibus ob nimiam humiditatem fluit assidue aliquid. Videtur mihi (quamquam Galenus repugnet) posse esse hoc exemplum proximæ sententiæ: quod
pari-

particula illa, velut, à qua incipit, videtur significare. Quasi si diceret, velut in oculis fluentibus curamus concoquentium vsu vt lachrymæ crassescant, & mutantur in lippas, ac si ita non cedit, siccantibus & resoluentibus. Si tamen aliter videatur expedire, hoc est si non videatur curatio localibus medicamentis posse perfici, sed expedire vt alijs curetur, reuellere in fauces, hoc est apophlegmatismis & masticatorijs, in os reuellere, vt etiam errhynis, in nares. Potest etiam hæc sententiola seorsum explicari, vt illa particula velut, sit tantum continuatiua, aut copulatiua, erit verò hic sensus. Cum oculi fluxionem habent, si aliter videatur expedire, hoc est si in aliam partem videatur expedire fluxionem transferri, ne illac effluat, reuellere in fauces.

26 *ET vbi eructatio conuenit, & quacunque alia eiusmodi.*

HÆC sententia plurimum torfit Galenum. Quod neq; seorsum per sese videatur esse perfecta, neque antecedenti, neque subsequenti, rectè coniungi. Vnde factum est, vt quam plurimæ fuerint interpretum sententiæ, quas Galenus recenset. Ego in eam feror, quæ censet, verba hæc seorsum legi, & nihil continere aliud, quam vtile esse nonnunquã ructus mouere, eo quòd eructatio quamplurimis conueniat. Duo igitur hæc Hippocrates indefinita reliquit. Erit operepretium nunc definire, quibus sit utilis eructatio, & quibus modis prouocari possit. Eructatio est flatus ex vetriculo per os eruptio. Proderit ergo ijs quibus multum flatus in hypochondrijs colligitur, aut toto ventre, carens tamen facili per sedem exitu. Quare ijs qui cruditate acida laborant, & lienosis, & hypochondriacis, & mulieribus quæ strangulantur ex vtero, & colicis, ac voluulosis, quibus nondum malum deorsum repit, & multis nephriticorum. Ac proinde si non fiat, prouocari conuenit. Prouocatur verò vsu calidorum & extenuantium, vt aniso, & caro, rura, cymino, aut ex his paratis trochiscis, aut haustu vini meri, aut aqua stillatitia ex vino, aut ex casta lignea, aut re alia huiusmodi. Sunt enim quamplurimæ. Ipse etiã agrotus sua industria, & vsu musculorum gulæ, solet ructus emittere. Præter hæc iubebat Sabinus (vt Galenus narrat) ad

Ggg

mouea-

mouendum ructus, bibere ex vase angustii oris. Nihil enim
 magis experimento constat, quam qui tali quopiam vase,
 qualia fieri consueuerunt ex vitro, longa ceruice, & angu-
 sto ore vtitur, eructare mox ac bibere cessat. Galenus non
 vituperat hoc auxiliij genus vnquam, neque commendat
 quidem, sed narrat solum, in Sabinum autorem referens.
 Nunc video esse quosdam qui laudant, vt ad eam rem vti-
 le, alios qui vituperant, vt quisque sentit de causa, qua
 euenit, eructare eos qui ex tali vase biberunt. Nimirum
 quidam dicunt id fieri, quod exeunte ex vase liquore, ne-
 cesse sit violenter in illud subire aerem, replendi causa, &
 eum ex ventre potantis extrahi: itaque exhauriri è ventre
 aerem, dum exhauritur ex vase aqua. Et hi hac causa com-
 mendant talis vasis vsum, ahj vituperant, quod putent ho-
 mines ex tali vase haurire aerem cum aqua, & ob id eru-
 ctare à potu, quasi recens repletos flatu. Causa verò vt re-
 pleantur esse, quod exeunte aqua & subeunte aere (quod
 murmur indicat) commisceantur ambo, & aqua flauosa
 fiat. Ego hac in parte his consentio, repleti potius quam
 vacuari flatu, eos qui ex tali vase potant. Ridiculum enim
 est censerì, extrahi ex ventre aerem, qui in vas subeat. Quia
 si quis ore suo vndique comprehendat & obturet os vasis,
 vt ex circumstante nos aere nihil possit ingredi, neque bi-
 bere quidem poterit omnino, tanquam opus sit aere, ex eo
 qui nos ambit, vt repleat vas, & ex nostro ventre nullus
 exeat. Præterea si vacuaretur aere eis ventriculus, nulli mi-
 nus à potu eructarent, quam qui tali vase vsi fuissent, ac
 nulli eructant magis: replentur igitur aere, non vacuantur.
 Nihilominus non vitupero auxilium, quin potius censeo
 eis qui ructibus subleuantur vtile esse, talibus vasis vti, quia
 eructant à potu copiosè, simulque cum aere quem hauserunt,
 qui non est adeo multus, emittunt multo plus, eius
 quem continebant. Velut eos quos succos in ventre con-
 tinere agnoscimus, qui non facilè exeant, immisso clystere
 facimus deijcere. Itaque hac causa vel ipse flatus qui hau-
 ritur, ad mouendum ructum non est inutilis. Accedit alia
 causa potior eructandi, quòd qui ex tali vase potant, sunt
 extenta ceruice, & hianti ore, & œsophago, ac tota gula
 vsque ad ventriculum, & ventriculum totum inter deglu-
 tiendum sursum commouent, quo motu flatus qui inerat,
 ad

ad os ventriculi trahitur: interim humor qui hauritur, per patulam gulam ad fundum descendit, ac proinde cessante potu, & subsidente in sese ventriculo, expellitur flatus, qui ad eius os eruperat, & supernatat. Hac itaque causa subscribo sententia Sabini, qui flatuosos talibus vasis uti iubet, non tamen quod tale vas flatum extrahat ex vetre, quo repleatur, neque quod aqua qua potatur, minus flatuosa ita sit. Hanc Sabini sententiam sequutus etiam est Paulus, flatuosos talibus vasis in potu uti, iubens.

27 **E**xitus aperiri, ut nares, & alios, quibus opus est, & ut opus est, & qualia, & ubi, & quando, & quantum expediet, velut judores, & alia omnia.

Aperire exitus vocat nunc, vacuationes mollire. Exitus enim vocat ipsas euacuationi accommodatas vias ut nares, palatum, vesica uterique os, & sedem, & totius corporis poros. Complectitur ergo breui hac dictione omnes considerationes, ad recte vacuationem corporis peragendam, & bonae euacuationis condiciones. Dicit igitur oportet (cum scilicet vacuatione indigent corpora) aperire exitus, ut nares, & alios transitus, quibus opus est, hoc est quorum apertione opus est. Id vero faciendum ut opus est. Potest enim transitus quibus multis variisque modis aperiri, ut nares percussae, aut punctae, aut scarificatae, fundunt sanguinem: & errhynis extrahitur pituita, & alius vacuatur epoto pharmaco, aut iniectione clystere, & vrina elicitur diureticorum vsu, aut immisso cathetere, aut aperiēte fomento, & sudor elicitur, motu, mora in sole, inunctione, aut potione sudatoria. Cum igitur singulae euacuationes multis modis moueri possint, nulla in omnibus eodem modo mouenda, sed in vnoquoque, ut opus est. Alius enim pharmaco indiget, alius clystere solum. Ad hanc etiam considerationem pertinet praeparatio, ad quamcunque vacuationem necessaria. Nimirum tunc fit expurgatio ut opus est, cum ante pharmaci exhibitionem idonea accipiuntur ferapia, & reliqua praeparatio peragitur, alioqui non fit ut opus est. Praeterea prouidendum, ut vacuentur qualia oportet. Ob quam considerationem propinamus, nunc chola-

goga, nunc phlegmagoga, nunc melancholagoga. Prouidendum etiam ubi fiat. Galenus putat hanc considerationem, referri ad loci per quem euacuatio fit, differentiam, ut an per os an per nares, an per sedem. Mihi vero magis placet referri ad electionem loci, quo oportet ægrotū collocari ut euacuetur. Quia hanc considerationem inutilem non esse constat. Nemo enim tentet sudore vacuare hominem, iacentem in cubiculo, ventis plus satis peruiis, & frigidissimo, & nudis parietibus, & malè commissis fenestris, præcipuè in tempore non calido. Atqui non parum referre quo loco quis decumbat, ut melius aut deterius habeat aut curetur, indicauit (præterquam quod res est nocissima) Hippocrates qui in historijs singularibus sæpe meminit loci, quo ægrotus decumberet: nonnunquam quidem memoriae solum gratia, sed nonnunquam etiam tâquam id ad rem ipsam plurimum pertineret. Ut multi enarratores intelligi voluerunt illud, Hermocratem qui decumbebat apud notum murum. Censeo itaque illud ubi, ad loci quo euacuatio agatur electionem, pertinere, quia loci per quem, differentia, dicta iam erat, antea (quid enim aliud cōtinuerunt illa verba, ut nares, & alios, quibus opus est?) & quia repetitione inutili vitata, euenit nullam considerationem necessariam omitti. Prouidendum etiam quādo fiat. Quod ad tempus peculiare morbi referri potest, cum Hippocrates dicat. Inchoantibus morbis, si quid videtur mouendum, & rursus, Concocta medicari, & mouere nō cruda nisi turgeant: & rursus, Purgare in valde acutis, si materia turget, eadem die, & lib. de expurgantibus medicamentis saltē non ante quatuordecimū: & quarto de ratione victus, Hos si ab initio purgare volueris, id ante diem quintū facito. Sed non minus potest referri ad anni tēpus, cum idē Hippocrates dicat. Quibus secare venam aut expurgans medicamentū dare oportet, ijs in ipso vere faciendū id est, & ipsemet libello de aere locis & aquis, plurima ad hanc considerationem pertinentia scribat, & vitari æquinoctia & solstitia, exortus & occasus Vergiliarum, & Arcturi. Omnium fortasse præcipua & maximè necessaria, tamenultima consideratio est, quantum vacuari debeat, ne scilicet minus quàm ut prosit, aut plusquam ut ferri possit, siue semel siue pluries effundatur. Potes enim tu (ne vlla hoc loco

loco; consideratio desideretur) numerum ad quantitatem referre, quia repetitio euacuationis fit ad suppleendam quantitatem. Quod si quando fit repetitio non obid, sed quod perse repetita quam assatim facta, melior esse putetur, velut ad reuellendum, constat ad modum faciendi pertinere esseq; illud in secunda consideratione, qua dicebatur, & vt opus est. Hæc omnia si medicus sapienter prouiderit, nihil deerit ad optimam euacuationem, quacumq; opus sit. Apponit exempla, dicēs, velut sudores, & alia omnia. Hoc est aliæ omnes euacuationes, quod nisi exudetur aut aliter vacuetur quantum oportet, sed aut minus aut plus certè aut inutilis aut periculosa & noxia erit euacuatio. Satius tamè est, vt omnes euacuationes exempla esse fecit. Hippocrates (dixit enim et alia omnia) ita omnibus considerationibus accommodari. Omnes enim indigent, modo, qualitate, quãtitate, loco, & tẽpore, vt quis poterit p̄se considerare.

28 **I**n magnis malis facies si sit bona signum bonum, in paruis contraria significans bonæ significationi malum.

BONA facies est, quæ simillima benevolentium: significans contraria bonæ significationi hoc est præstans prauã significationem, estq; bonæ contraria, & dissimilis ei quæ in benevolentibus, & ad eã quæ in cadaueribus apparet, accedens. Apparere faciem bonã in paruis malis, nihil mirum, neq; notatu dignum, neq; quicquam significans præter id quod ex alijs omnibus signis, & ex essentia propria ponitur constare, putã paruum esse malum: tamen in magnis malis faciem esse bonam, & notatu dignum est, & bonam significationem præstat, non enim plurimum labascit facultas, dum adhuc perseverat bona facies. Sanè quantum in hoc signo agitur ex hac facie nulla mala significatio præstari potest, nisi forte cum videatur minus quam pro morbi magnitudine minui, longitudinis morbi, aliquãdo maioris, quam putaretur. Id verò in magnis non est admodum graue. Itaque signum hoc in magnis malis bonum est, non tamen quia bonum, statim est admodum salutare, neq; tale vt ex eo possis iã certo futuram sanitatẽ prælagire: neq; sa

nè adeo est bonum,quàm contrarium(puta mala facies in paruis malis) est malum.Nam vt in commentarijs prognostici diximus,signa salutis aut mortis valentiora sunt,significando mortem . Dicit igitur in paruis faciem malam esse signum malum.Dicit verò in paruis, quia in magnis malis mala facies, neque infert admirationem, neque proinde adeo mala est.Eadem igitur ratione qua in initio prognostici dicit,malam faciem primis diebus apparere sine causa manifesta esse valde perniciosum, quia si diuturniori iâ facto morbo appareat,non adeo est graue:dicit etiam nunc in paruis esse malam,quia in magnis non adeo mala est.Cõstat igitur hic quoque suppleri debere, si neque vigilauerit homo neque alius soluta est, neq; omnino vlla alia causa manifesta accesserit.Tales enim causæ cum adsunt,non est quod in horrendas causas symptomata referantur, velut cum hæ omnes absunt, in paruis morbis talis facies refertur in extremum langorem facultatis.Nam alioqui cur fieret.Sed dices,quo pacto posset,si adest signum quod verè adeo malum sit,& in adeo malignam causam referatur,esse paruum malum?Quis enim dicet eum quem moriturum breui merito timet,teneri paruo malo? Certè nullus. Sed hic dicuntur parua mala,morbi qui propria essentia videntur esse parui,sunt enim maligni, & quo mali moris veteres vocauerunt. Hi enim quodammodo magni morbi sunt quia maligni & periculosi,quoddammodo autem non magni, quia propria essentia, & priorum symptomatum magnitudine, videntur parui. Alij contra sunt essentia propria magni,boni autem moris & simplicis, quorum causa multa quidem est,ac morbum magnum nata est facere,nò tamen maligna vlla & venenosa qualitate infecta.Et hi quidem maiores, sed minus periculosi sunt.Si igitur facies extremè extenuata, idque breui, appareat in febribus maximis,minus terrere debet,quia in ipsam intemperiei magnitudinem refertur(tametsi hæc quoque sit periculosa) si verò in paruis longe grauissimum est,quia constat eas febres esse malignas.

29 **A** Pud magnum, vbi mulier que retro heroum, ictu superueniente, permansit ipsi.

Nihil

N I H I L, neque utilitatis, neque difficultatis, continet hæc dictio, præterquam in ipsa verborum incondita serie. Fortasse ex alia dictione, perfectiorem reddente sensum, decissa est. Hæc nihil continet aliud, quam cuidam mulieri quæ apud magnum, scilicet Theatrum, siue templum, siue quiduis aliud, habitabat, retro herois domum, factum esse ictericum colorem ex morbo, & permanfisse illi, aut tota vita, aut diutissime. Non narrat quo morbo laborauerit, illud verò fieri solet cum ex morbis manent circa hypochōdria, obstructions difficiles.

30 **Q** *Vi iuxta Temenæ neptim, hic niger erat.*

A L I V D est hoc exemplum icteri, qui ex morbo permanfit, erat verò hic icterus niger.

31 **I** N Perintho quod semini simile, quod huiusmodi quia indicatorium, & suminis talia, cum vrine iuuant, quod neque flatu multo, neque stercore multo, lento aut è exeunte euacuabatur. Non enim magnum erat hypochondrium. Brassicam die septimo comedit, cum adhuc difficulter spiraret. Postquam sumen euacuabatur recti spirus fiebat, aluus ipsi quatiēbatur.

C E R T E aut Hippocrates hæc scripsit sibi soli, ut neque sermonis congruentiam neque aliud quicquam curaret, præter id quod sibi ad memoriam obseruationū putaret esse satis, aut plurima verba vel in sola hac dictione delata sunt. Partim enim videtur doctrinā aliquam multis communem, partim singularem historiam continere: atque hæc non videntur apte coherere (neque sane possunt) nisi suppleatur quæ aut sibi soli tacuit autor, aut deleuit tempus. Ea verò licet nobis supplere, coniecturam capiētibus ex ijs quæ scripsit, & adhuc supersunt. In Perintho (dicit) quod semini simile, quod huiusmodi quia indicatoriū. Quæ verba haud dubie commune quiddā, & quod in Perintho quadam tempestate accidit, continent. Nam in singularibus historijs, aut non nominat vrbes, sed domos, aut vicos, aut nominata

vrbe adiungit nomen ægrotantis, vel notam aliquam quæ certam personam indicet. Quare prima hæc verba nihil aliud continent, quam in Perintho aliquando ægrotis ex ire semini simile, idq; factum, quia quod huiusmodi solet esse decretorium. Itaq; dicit semini simile solere decretorie excerni, idq; factum esse quadam tempestate in Perintho. Semini simile poterat excerni ex aluo, aut cum vrina: succus scilicet, candidus, crassus, & lentus. Et quia (arbitror) vtraque via, aut alterutra excernebatur, non dixit deiectio semini similis, aut semini simile in vrina, vt solet dicere, sed simpliciter genituræ simile. Talis igitur excretio potest esse decretoria. Neque mirum: est enim excrementorum, ex genere crudorum, excretio. Quare conferre poterit, in morbis præcipuè pituitosis, velut & ipsam veri seminis excretionem prodesse nonnunquam, sectione quinta huius libri dicetur. Præcipuè autem iudicari solent tali excretionem, morbi pèdètes ex cacochymia suminis, hoc est, eius partibus quæ essunt inter vmbilicū & pudèda: & vbi hypogastriū & pubes. Cuius rei maximum inditium est, quod tales mictio iuuat. Mictio enim quæcunq; leuamèn quoddam præstat, iis quibus sumen excrementis grauatum est. Quia cum ibidè sit locata vesica, eius vacuatione laxatur pars. Iuuat etiam hos mictio, cum qua genituræ simile affatim euacuatur, quia ea euacuatio habet magnam rectitudinem cum ea parte, atque adeo est accommodatissima deriuatio. Itaq; leuamèn quod ex vrina sentitur, ea parte euacuari indicat.

5. b. Addit. Quod neque flatu multo, neq; stercore multo, lento autem exeunte, euacuabatur. Quæ verba cum mox sequentibus haud dubie singularem narrationem videntur continere, & de vno aliquo ægroto dici. Quapropter necesse est verba aliqua suppleri, vt à communi narratione ad singularem trāsitus fiat. Ita scilicet, ac si diceret suminis talia sūt iudicatoria, cum vrina iuuant. Quod cuidam (quis is esset ipse nouerat) accidisse constat, quod neque flatu multo, neque stercore multo, lento autem exeunte, euacuabatur. Hic ægrotus laborabat crudorum & crassorum multitudine circa sumen, & euacuatione multa semini similis iudicatus est. Esse verò eius partis expurgationem: hæc erant signa, quod mictione iuuabatur, vt solent qui ita sunt affecti, & exeunte excernebat exiguum & lentum (semini simile

le scilicet) non stercus multum, & cum flatu multo: Addit, non enim magnum erat hypochondrium. Quæ verba duo possunt continere, & causam qua non exibat stercus multum cum multo flatu, & nouum illud signum affecti luminis. Nimirum, vt in prognostico dicitur: Dolorem qui in hypochondrijs affligat, ac tuberculum, si recens fuerit, neque cum inflammatione, soluit murmur incidens circa hypochondria, sed potissimum vbi cum stercore & vrina excernatur. Secundum hanc sententiam dicit nunc, nec flatum multum, nec stercus multum exiisse, quia non erat illi magnum hypochondrium. Porrò quia non erat magnum hypochondrium, significabatur affectio luminis. Quia omnino alicuius partis earum quæ ad ventrem pertinent, consentaneum erat, affectionem esse. Cum igitur non esset tumor in regione hypochondrij, & alia signa adessent affecti luminis, fiebat euidentior coniectura ab ijs quæ aderant & quæ non aderant. Sed & curatio subscripsit huic coniecturæ. Nam expurgatione eius partis factus est recte spirans, & magnopere adiutus. Sed quo pacto res sit acta, audiamus. Cum adhuc difficulter spiraret, die septimo brassicam comedit, & ab assumpta brassica aluus ipsi quaciebatur, hoc est rugiebat, & videbatur concuti, & ten sit euacuari sibi fumen, & recte spirans factus est. His verbis simul docetur curationis ratio, quæ ita affectis est adhibenda, & confirmatur coniectura quæ habebatur affectæ partis, à iuuantibus argumento capto. Siquidem lumine vacuato subleuatus est. Sed simul insinuat species affectionis. Nam morbum acutum fuisse cum febre continua insinuat, quandoquidem septimæ diei tantam rationem habet & difficultatem respirandi habebat coniunctam. Quid. n. esset aliud quod ex congestione excrementorû eo loci tantopere vrgeret? Nisi forte dolor aliquis magnus eius partis? At verò si talis dolor esset, haudquaquã dimisso dolore, qui morbi erat adeo euidentis signum, tam multa alia signa collegisset. Erat itaq; haud dubie febris continua, pendens ex succis putrescentibus, præcipuè in loco dicto. Permultæ. n. sunt febres per quas quædã certe partes præcipuè affectæ sunt. Habuit difficilem respirationem. Ob eam (vt reor) aligationem, quam per rectos musculos habet pubes cum thorace, & septo transuerso. Hinc meritò euenit, vt va-

cuato

cuato sumine (vacuari autē illud indicauerit eius laxatio) leuatus homo sit rectispirus. Quidam enarratorum, vt refert Galenus, rectispirum hoc loco censent dici, recta ceruice spirantem quem orthopnicum dicimus: verum nō est consentaneum: quandoquidem dicit ex difficulter spirante factum esse rectispirum. Nam recta ceruice spirare, quādā difficilis respiratio est. Quare perinde esset, ac si diceres, ex febricitante factus est tertianarius. Cum igitur tam *o phos* quam *éubus* significet rectum, hoc est bonum & probum, ac rectum quod non curuum aut reflexū, multo magis cōsonum est, nunc significari bene spirantem factum esse ex male spirante, euacuato succo, quo sumen distentum & tumens erat. Mirum quod accepit brassicam die septimo. Si enim vt expurgaretur, cur tam debile medicamentū, quod ne expurgans quidem dici meretur? Nam brassica vt & beta, semel ac leuiter cocta aluum mouet, tenuiter: valde aut bis cocta, astringit, bene autem ac satis, nunquam expurgat. Nisi fortē brassicam maximam intelligit, hæc enim purgat mediocriter. Sed si satis expurgās esse censebat, cur accipiebat die septima, si modo in diebus iudicatorijs abstinentium ab insignibus euacuationibus est? Ego certē abstinentium illis diebus censeo, nisi quæ magna vrgentia cogat (nam hanc semper excipio) mittere sanguinem aut expurgare. Nam illi dies aut iudicationes afferre solent (quæ verò iudicantur aut iudicata sunt integrè, aut etiam iudicanda sunt mox, neque mouere oportet, neque nouare, sed sinere) aut si non sint iudicatorij illius morbi, tamē sunt semper illi dies contemplabiles, quia aut iudicationes inchoant, aut mutationes alias insignes faciunt, & accessiones illis diebus solent fieri maiores. Si igitur in accessionibus abstinentium est, non solum (vt ego interpretor) à cibo, sed & à medicamētis, multo magis his diebus, quam alijs fuerit abstinentium. Quapropter suspicor neque à medico quopiam datam esse brassicam, neque ab ipso acceptam expurgandi gratia, sed casu, aut etiam solum leniēdi: factam verò esse spontaneā alui subductionē ob vim eius diei. Itaque iudicationem fuisse hanc, magis quam arte factam expurgationem; narrasse verò Hippocratem brassicæ esum, non quasi pharmacum, sed quasi occasionē, quæ tametsi leuis esset, ob diei naturā potuit plurimū mouere.

Dices,

Dices, non igitur hic docemur morbi huius curationē, sed quem sponte habuit exitum. Certē hinc pendet etiā & ratio curationis. Nam si huic non esset facta illa iudicatio die septima, cōtulisset oētaua dare pharmacū expurgās. Quod indicauit sanatio. Nam vt Hippocrates ipse dicit. Quē cum fiunt iuuare solent, hęc si non fiant, facere oportet. Sed cur alius quateretur superest considerare. Mihi videtur eo verbo significari quiddam simile ei quod concussis vtribus, exiguum quendam humorem continentibus, fit. Itaq; erat, crepere modo quodam: quod vacuitatem superioris partis ventris ostendebat, quantum suspicor. Nimirum: huic ex sumine expellebantur excrementa: reliquum ventris quaciebatur, prę vacuitate.

DE sanguine ichoroso, quōd in pauidis hoc, & peruigilibus, atque siue malus siue bonus.

DICTVM mihi iam saepe est, sanguinem melancholicum esse serosum, similemque vitioso lacti, quod in caseum & serum fere totum resoluitur, nihil habens boni & utilis lactis. Hinc fit, vt melancholici sint salinosi, & plurimum sudent, quia scilicet habent sanguinem serosum. Neque sane illud serū est expers qualitatum, & tantum crudum, velut quod abundat in crudo & pituitoso sanguine, sed acre & mordax, referens sanguinis corruptionē, quod propterea vocatur ichor, seu sanies. Ichorosus igitur est sanguis melancholicorū, quos significauit dicēs, in pauidis & peruigilibus. Symptomata enim sunt horum, pauiditas & peruigilium: hoc quidem ob siccitatē, illud ob melancholice nigritiem. Sed & ipsius ichoris redundantiam, arbitror aliquid ad timiditatem cōferre: quia vitiat sanguinem, & debilitat naturalem calorem in corde, atque ita & irascibilem facultatem, cuius debilitas timiditatem facit. Itaque duplex iam causa est timiditatis in melancholia, altera in nigritie, altera in ichoris redundantia. Illa quidem afficit cerebrum, hęc cor. Timidos ergo esse & vigilēs, significat melancholiam. Nam pituitosi, & ciuidiori sanguine redundantes, sint etiam timidi, ob cordis languorem, tamen non sint vigilēs, sed potius somnolenti, Qui igitur vtrunq; sunt,

me-

melancholici sunt, quibus sanguis esse solet ichorosus, id est siue bonus siue malus. Hoc est siue putris, & alienis coloribus infectus appareat, ut per febres, aut internas inflammationes, aut magnas cacochymias, per quasque plurimum recedunt succi a natura sanguinis, apparere solet: siue intereger & ruber. Solet enim melancholicis, & si nullam aliam habeant eius corruptionem, esse sanguis peruber, crassus, & ichorosus. Itaque ichorosus est pauidis & perugilibus, siue bonus siue malus fit.

33 **Q** *Vibus splen est decliuus, pedes & manus & genua calida, nasus & aures frigida, semper; num propter hoc quod tenuis sanguis? num & natura talem habent?*

Melancholicum sanguinem esse ferosum & tenuem, hinc quoque constat, præter dicta nuper, quod lienosi, tenui sanguine abundare deprehenduntur, cum lien membrum adeo melancholicum sit. Est verò, ut diximus non totus tenuis (nam qui posset esse fœculentus) sed ut viciosum hoc, quod mediocris succi expers, fere resoluitur in caseum & ferum. Talis cum sit, qui colligitur in liene: euenit, crassum & fœculentum in inferiora, & tenuem ac ferosum in superiora reperere. Vnde fieri videmus his, in cruribus & imo ventre, venas nigras & crassas, ac nonnunquam hæmorrhoidas crassum fundere: & ex nare sinistra sanguinem tenuem & aquosum copiose exire. Hinc etiam fit, quod Hippocrates nunc animaduertit, ut in his, pedes, manus, ac genua, caleant ob fœces illas sanguinis putrescentes, & extremitates capitis frigeant, ob redundantiam sanguinis aquosi. Non tamen hoc lienosis omnibus æque, sed ijs magis quibus lien est, decliuus. Qualis autem sit qui talis, & qua causa hæc fiant mox dicetur. Post præscripta verba succedit mox in codicibus omnibus, ijs etiam qui sunt à seculo Sabini & Rufi, dictio hæc, Suppuratis umbilicus, & post hanc hæc, Lien durus non superius. Postquam, rursus hæc, Minus capitis grauitate seu grauidine laborantibus. Ego verò suspicor perturbatum esse harum dictionum ordinem, atque post hanc quam modo enarrauimus, apponi debere, eam, quæ differentiis male affecti

affecti lienis continet. Cur autem ita censeam, ipsa concinnitas dictionum indicabit.

13 **L**ien durus non superius, inferius teres, latus, crassus; longus, tenuis.

DIXIT, pedes manus ac genua calida esse, nasum, & aures frigida semper, quibus lien est declivus. Explicat nunc qualem vocat, κατὰ πρόπον hoc est declivem. Est autem cuius durities, & tumor ad infernam partem spectat. Nam tametsi lien transversim positus est sub septo transverso, in sinistro hypochondrio ob mollitiem, & laxitatem naturalem, tumere potest in omnem partem, & mirum in modum crescere præter naturam, ut aliquando infra umbilicum manibus comprehendi posse videatur. Differentiæ ergo lienosorum sunt ex parte lienis in quam præcipue inclinatur tumor, & ex tumoris figura. Quibusdam enim tumet magis superna pars, qua septum est, alijs inferna quæ spectat ad umbilicum. Rursus quibusdam est tumor rotundus, alijs in longum productus. Declivus ergo est, cuius tumor humilem partem tenet. Cuius duæ solent esse figuræ: quibusdam n. sentitur esse lien durus, non superna sed inferna parte, & teres, latus, ac crassus, hoc est magnam amplamque rotunditatem ibi habens: alijs longus & tenuis, hoc est in longum productus, & durus, & angustus, ut quidam musculus. Et hæc differentiæ non sunt omnino contemnendæ. Cum hypochondria enim ea parte sita sint, qua superiores corporis partes ab inferioribus separantur, merito fit ut infernæ eorum partes cum infernis, & supernæ cum supernis habeant magnam sympathiam. Cum ergo tumor supernam obsidet lienis partem, supernas afficiet, & difficultatem respirandi faciet, & fluxum sanguinis crassioris, ex naribus magis, faciet, & cuius curatio missio ex sinistra manu sanguine, melius succedet. Cum verò obsidet infernam, afficiet potius infernam, ut renem sinistrum, & ad hæmorrhoidas aut varices inclinabit potius sanguis crassus: cuius curatio præcedet potius ex sinistro crure missio sanguine. Ut constat hinc, & ad rationem curandi conferre plurimum, dictas tumorem lienis dicitur, tametsi Gal. nullibi videatur eas persecutus, nisi forte in huius sententiolæ commémoratione ubi quod possit vili-

utilitatis conferre, non explicavit. Constat verò, etiam præter dicta, cur ijs quibus lien est declivis, potiusquam alijs lienosis, frigeant capitis extremæ partes, & manus, pedes, ac genua, caleant. Nam quibus tumor superna parte lienis est, venæ quoque sursum eo latere spectantes, planæ sunt, & tument, deferuntque in caput crassum sanguinem, qui cum obstructus inculcatusque putrescet, calfacit partes supernas in quas vergit, humiles verò tunc, inopia caloris laboraverint: quibus verò tumet infernus lien, venæ inferiores eo sanguine tumentes calorem istulerint in extrema corporis, præcipuè humilia, superiores verò venæ detulerint in caput serum, à sanguine velut caseo deorsum subsidente. Quare meritò partes extremæ ad faciem spectantes, frigerint.

35 *Suppurationib. umbilicus terminus. Quibus, cum iam sunt suppurata, alui turbantur, minus autem ijs qui coryza laborant.*

• DICTVM est Hippocrati in prognostico, tumor qui
 • in ventre affligit minus facit abscessum quam qui in hypo-
 • chondrijs, minimè vero partes infra umbilicum in suppura-
 • tionem vertuntur. In hanc ipsam sententiam dicit nunc,
 • suppurationibus umbilicus terminus. Apponit nunc quod-
 • dam signum suppurationis iam iam subsecuturæ in quamvis
 • intestini parte, id vero est, aluum turbari. Nam cum fieri-
 • bus suppurationibus, dolores & febres magis contingant
 • circa partes, hæsi in intestinis fiant, necesse sit, ob irritatio-
 • nem alui, fluxiones concitari. nisi aut vacuum admodum sit
 • corpus, aut superflui succi in aliam partem fluant, ut ijs eve-
 • nit, qui coryza laborant: quibus ob id solent plerumque alui
 • ficcari. Euenit ergo his, ut etiam fieri incipiente suppura-
 • tione in intestinis, aluus non humectetur, aut minus quam so-
 • let alijs.

30 *Circa egrotantem æconomia, & quæ in morbum in-
 • terrogationes, quæ narrat, qualia, ut accipiendi ser-
 • mones. Quæ ad egrotantem, quæ ad assistentes, & ex-
 • terna.*

DICTVM

DICTVM est Hippocrati Aphorismo primo, qui & totius artis est procerium, non satis esse medicum ipsum se præstare opportuna facientem, nisi & ægrotus, & assistentes, perinde faciant, & externa ut oportet disponatur. Verum hæc omnia ad medicum solum quodammodo pertinet, quia horum omnium cura ad eum deuoluitur. Non enim solum boni medici est, medicamentis & medicinalibus omnibus instrumentis rectè uti, & quod ad cibum & potum attinet, victum instituere, sed etiam omnium quæ coram ægrotato dicenda, seu agenda sunt, ab ipso, seu ab aliquo quopiam, & cubiculi, domus, & lecti, & externorum omnium prouidentiam habere, atque omnia disponere, ut maximè ad ægroti gratiam, & utilitatem referantur. Hanc prouidentiam vocat Hippocrates æconomiam circa ægrotantem: nomine profecto satis idoneo. Nam cum mitti sanguinem, aut propinari pharmacum, aut emplastrum admoueri, aut tale quipiam facere iubet, medicam artem, cum verò fenestras, aut ianuas, aperiri, aut claudi, lectum ægroti huc aut illuc verti, hos haberi ab ingredientibus sermones, hæc nunciari: hæc celari: æconomiam quandam videtur exercere. Et sanè, quamquam prima illa cura, & quæ ad medicinalia instrumenta pertinent, maioris est momenti, tamen hæc postrema, non est omnino exigui. Certè multi alioqui præstantissimi, & suæ artis peritissimi medici, quod ad hanc æconomiam exercendam malè se comparent, adeo fiunt multis ægrotantibus ingrati, ut ob hoc ipsum euadant inutiles. Alij contra parum periti, ita huic curæ sese accommodant, ut per pauca quæ alicuius momenti sunt faciètes, multis non parum vtilis esse videantur. Plurima sunt ab Hippocrate scripta ad hanc æconomiam pertinentia, in quibus & hæc sententia præcipuè est. Dicitur enim, circa ægrotantem æconomia. Quasi dicat, non tantum medicamentorum cura haberi debet, sed præter hanc etiam, debet esse circa ægrotantem æconomia, ad quam spectant, & quæ in morbum interrogationes, hoc est, videre que interrogas, ut scilicet nihil omittas eorū quæ ad agnitionem morbi & causæ ferre possint, neq; tamen sis nimius, quiduis ubiq; citra delectum interrogando: sed ita, ut & ægrotus ipse, & qui adsunt intelligant, te non longè abesse à notitia eorum, quorū suscipis curationem. Hinc enim fit, ut bonam de te cōcipiant opinio-

opinionem, & ægrotus melius pareat, & agat confidentius. Videat etiam medicus quæ narrat, qualia, & ut accipiendi sermones. Nam ægroti semper sunt pusillanimes, & suspitiosi, & multi medici adeo imprudentes, & loquaces, ut quicquid in mentem venit narrantes, interponant tristitia, & atrociam, unde ægroti in tristitiam aguntur magnam, & de suo morbo periculosius aliquid cogitant, timentes ne id quod narratur simile aliquid sit ei quod ipsi patiuntur. Atqui sæpe ipsos sermones accipiunt ægroti aliorum, ac dixerant medici. Medicus enim fortasse dixit accidisse quendam ex potu aut cœna intempestiua grauius læsum esse, ut ægrotus melius sibi caueat, ne quid tale perpetuetur, & ægrotus interpretatur dictum hoc esse, ut se grauisimam & lethaliter esse affectum, significaretur. Videat ergo medicus quæ & qualia loquatur, & ut accipiendi sint sermones. Videat etiam quæ ad ægrotantem, & quæ ad assistentes, loquatur. Nam quandoquidem non eadem facturi sunt ægroti & assistentes, & spectat ad medicum utrosque sui officij admonere, non eadem ad utrosque locuturus est, sed illum exhortatur ut iussis pareat, & hos ut diligenter exquantur. Illi prospera pollicitatur, his dicturus certiora. Externa quoque omnia providere debet ut habeant optimè, eo præcipuè intendens animum, ut quoad fieri possit, ægroti sint iucunda & utilia. Huc spectat illud sectionis, quartæ huius sexti libri. Laborantibus gratiæ, ut mundæ parare poculenta, & esculèta, quæ videt, molliter quæcunque tangit: & rursus introitus, sermones figura, vestis, ægrotanti, tonsura, unguis, odoris. Hinc etiam spectant quamplurima eorum, quæ in libris de officina chyrurgica scripta sunt.

37 **Q**uoniam in calidiori quod in dextris, & nigri ob hoc, & venæ exterius, & biliosiores præcipuè.

Ad fetus generationem pertinet sententiola hæc, & duæ sequentes, quibus hæc sectio concluditur. Hæc autem & vltima scriptæ sunt secundum aphorismum illum. Mares in dextra, foeminae si sinistra præcipuè generantur. Nunc ergo dicit quod in dextris gignitur, quoniam in calidiori vteri parte gignitur, calidius est. Mares itaque calidiores sunt

sunt foeminis : & ob hoc nigri sunt prae foeminis, & venae quo nomine arteriae etiam intelliguntur, exterius, hoc est eminentiores sunt, & maiores Prorsus biliosiores sunt mares foeminis. Calidius esse dextrum latus sinistro, ipsa promptitudo adactiones indicat, & praeter haec natura partium singularum, quae hac & illa parte sitae sunt. Colorem nigrum, amplitudinem venarum, & biliosam naturam, caloris esse signa, in arte medicinali satis est indicatum. Galeno, ac mihi ipsi in commentarijs: vnde rursus caloris dextri lateris capitur aliud argumentum. Quia ex anatome constat, vasa omnia dextri lateris (arterias praecipue) ampliora esse. Mares ergo ex his signis constat esse calidiores foeminis, praeter multa alia argumenta, quae nos proprio capite collegimus primo libro controuersiarum medicinalium.

38 **C**oncretum est, constitit citius postquam motum est, desinit, & tardius augetur, & pluri tempore.

ENARRAVIMVS lib. 2. sectione. 3. verba illa, quod citius discretum & motum est, augetur rursus segnius, & in longius tempus. Quo loco dicta sunt omnia, quae ad hunc locum spectant. Nihil enim aliud continent haec, quae nunc praescripta sunt quam illa: nimirum masculinum concretionem & constitutionem, hoc est conformationem idoneam, & vitam, quae motu agnoscitur, citius recipere, postquam vero motum est, desinere, id est, non adeo in ijs quae supersunt properare, & tardius augetur, & pluri tempore. Cuius quidem rei causae dictae illo loco sunt, indicatumque, non tantum hoc accidere maribus & foeminis dum geruntur utero, sed & editis iam in lucem vsque ad perfecta corporum incrementa (quod Arist. etiam animaduertit. 7. de hist. animalium cap. 3.) dictumque hac ratione fieri, ut & si citius figuram & vitam mares recipiant, non tamen edantur citius quam foeminae, quia etsi foeminae primas mutationes recipiant tardius, vltima praegnationis parte festinant, augenturque praeproperare. Qua re constat proportionem illam temporum figurae motus & partus, quam lib. 2. huius operis, & libello de alimeto scripsit, non esse certam, neque statam.

H h

Nam

Nam tempora editus maribus & foeminis sunt eadem, proportio tamen temporum diuersa. Quod si mulieres affirmant mares nasci in principio noni mensis, foeminas in fine, id quidem euenit, quia illæ computant, ab eo tempore quo deficiunt menstrua, mares verò plerunque concipiuntur recens expurgatis, foeminæ, iam iam expurgandis. Sed hæc omnia lib. 2. dicta sunt.

39 **Q**uod solidum factum est, & biliosius, & sanguinolentius est, hic calidior est regio animali.

NIHIL continent noui hæc verba, sed quod nuperimè dictum est, quia dextra regio vteri calidior est, ob id quod in ea gignitur, puta masculinum corpus, solidius esse, & biliosius, & sanguinolentius, vt muliebri contra, est mollius, & pituitosius. Non enim quia mulieribus sanguis singulis mensibus fluit, censendum est sanguinis boni plus in illis colligi, sed mali & crudioris, atque eum minus insensibiliter dissipari.

Sectio tertia:

I **C**utis raritas alui densitas: cutis colligatio carnum incrementum: alui stupor omnium confusio: vasorum immunditia cerebri consumptio: quapropter & caluitium organorum attritio.

AD symptomatum causas pertinet tota hæc dictio, nihil enim aliud cõtinet, quàm quorundam symptomatum causas, non omnes, sed præcipuas, quæque illi sunt visu scitu dignissimæ. Vtitur verò phrasi quadam vulgari, qua res quæpiam esse dicitur id, cuius est causa, vt si quis dicat raptus Helenæ fuit excidium Troiæ. Dicit igitur, cutis raritas, alui densitas, quasi diceret cutis raritas est alui densitas, aut quasi apertius diceret, cutis raritas affert alui densitatē. Iuxta hanc phrasim dicuntur etiam reliqua, scilicet, cutis colli-

colligatio affert carnis incrementum, & alui stupor affert multorum confusionem, & vasorum immunditia affert cerebri consumptionem, ac proinde caluitium est organorum attritio. Hoc est attritio organorum affert caluitium. Constat enim, iuxta grammaticæ regulas nihil interesse, siue dicatur caluitium est organorum attritio, siue attritio organorum est caluitium. Quare sensum oportet consuli, & id putare dictum, quod, perspecta re ipsa, sit magis consentaneum. Nec tamen hoc facere licet, nisi cum ipse loquendi modus non magis fert in hoc quam illud: alioqui, si neglecta phrasi quis interpretatur iuxta id quod sibi videtur consentaneum, profectò id non sit enarrare auctoris sententiam, sed suam, & in suam trahere auctoré. Quod vitium multis licentiosissimis enarratoribus est. Ego non ita induxi in meum animum facere, sed quem maximè consentaneum ferre possint auctoris verba, aperire sensum: non autem quem non possint, quantumvis videatur cõsentaneus. Quorsum enim dicam meam sententiam, alienam interpretaturus? id quorsum nunc dicã, mox intelliges, dum singulos dictionis præscriptæ articulos enodo. Cutis raritas facit alui densitatem, hoc est astrictiõnem seu siccitatem (nimirum vt aluus rara, aut humida aut laxa dicitur, quæ plurimum fluit) quia raritas cutis facit copiosam per habitum corporis dissipatiõnem, copiosa dissipatio siccat aluum, siccitas astringit, vt laxat humiditas. Cutis colligatio dicitur pororum cutis astrictio, hæc prohibet corporis dissipatiõnem, & ita facit carniũ incrementum. Hanc ob causam mulieres plerunque carnosiores sunt quàm viri, quia scilicet eorum corpora minus digeruntur ob cutis maiorem densitatem. Eandem ob causam euenit, vt plerunque etiã sint laxiori aluo: vt & viri sunt plerunque graciliores, & & aluo astrictiori. Eodem modo, & in ipsis viris, habent biliosi ad pituitosos. Stupor propriè ad sensum ptinet, estq; eius velut resolutio & sublatio, metaphoricè verò dicitur de alijs omnibus, siue actionibus, siue passionibus, naturalibus. Quapropter cuiusvis partis dicitur esse resolutio, significatur ablatio, seu in signis imminutio, propriæ illius actionis. Si igitur alui aut ventris nomine, intelligatur ventriculus, vt Gal. intelligit, imminutio seu ablatio significatur cõcoctiõnis primæ, q̄ est actio eius p̄cipua: si autè in-

telligatur venter inferior, vt in initio cum diceretur alui denitas, significatur nomine stuporis alui, priuatio deiectionis. Vtrumuis intelligas, verum est quodammodo quod dicitur, puta fieri inde omnium confusionem, hoc est morbos quamplurimos solere, inde nasci, & multa membra in compafsionē trahi. Nam siue quis est cardialgicus, siue vertiginosus, siue epilepticus, siue podagricus, siue colico dolori, siue (vt dicatur lemel) ad morbum alium quencunq; paratus, facile quidem corripitur, si cibi non coquantur in ventre, aut fæces non excernantur ex aluo. Quod addit, vasorum immunditia, Galenus coniungit cū antecedentibus, dicens fieri ex cruditate omnium confusionem. Et illa verba, cerebri consumptio, coniungit cum sequentibus, dicens, fieri ob cerebri consumptionem, caluitium, & organorū attritionem. Fertur in hanc interpretationem, quod videatur hoc cum ipsis rebus maximè congruere: cæterum phrasibus & verborum contextus reclamat, iubetque ita legere, Vasorum immunditia, cerebri consumptio: Quapropter & caluitium, organorum attritio. Tentandum ergo, si quomodo inueniri possit, sensum idoneum, qui cum hac lectione congruat, inuestigare. Is verò mihi videtur, immunditiæ vasorum succedere cerebri consumptionem, & caluitium succedere organorum attritioni. Quia verò non sunt hæc quatuor deiuncta, sed ordine quodam causarum succedunt sibi, coniungit hæc, interponens particulam illā, quapropter. Nimirum immunditia vasorum affert cerebri consumptionem, & cerebri consumptio organorum attritionem, & organorum attritio, caluitium. Sed quo pacto hæc, explicemus. Vasa vocat hic omnia caua quæ intra cranium sunt, & meatus omnes quibus cerebrum expurgatur, qui ad nares, palatum, & aures, & cõcaua oculorum simul pertinent. Omnia hæc excrementis replentur senescentibus, & immundicie, atque post hæc cerebrum illis consumitur, nõ omnino (neque enim posset) sed fit gracilius & minus: post hæc, organa, hoc est pori per quos, alimentorum & excrementorum est dispensatio, cerebro, membranis, craneo, & externo capiti, velut attriti, fiunt contractiores & angustiores, & succedit capillorum secundum synciput corruptio, quod vocamus caluitium. Sed quo pacto fiat priora posteriorum causæ, nondum explicuimus. Nam et si senibus

nibus fiant hæc omnia, non videtur cerebrum consumi ob immunditiam vasorum, sed ob frigiditatem, & siccitatem quæ naturaliter subrepat: neque pori contrahi, quia cerebrum consumitur, sed quia siccescunt omnia: neque ob pororum coniuventiam fieri caluitium, sed quia deest capillis alimentum. Itaque videntur fieri potius omnia hæc, ob frigiditatem, & siccitatem, quam alia ob alia. Certè, & omnium horum causam reddit in similem intemperiem, & alia ex alijs nascuntur dicto ordine. Nam ob naturalis caloris defectum alimentum minus coquitur, & ob id, excrementa cruda copiosius congeruntur, à quibus obrutum cerebrum, alioqui iam debile, tenuiter nutritur, & ob id extenuatur fitque minus, quapropter minimè iam ut antea internum replens cauum, longè à craneo est, præcipuè secundum synciput, quo loco pueris erat mollius. Destitutum à medulla os arefcit, & quæ secundum illud sunt omnia, arefcens densatur, fitque minus porosum, atque ob id arefcunt capilli, & desinunt iam inde nasci, ut neque ex lapidibus nascuntur herbæ, ac si quæ sint enatæ, facile arefcunt.

- 2 **D**etractio, cursibus, luctis, quiete, multis deambulatio-
nibus celeribus. Ouilla cocta, maza, maxima ex parte
exiguus panis.

VOCAT nunc Hippocrates καθαρισιν quam aphorismo. 3. sectio primæ vocauit ξυμπτωσιν seu συμπτωσιν extenuationem scilicet corporis, huic contrarium statuit ἀνατρέψιν hoc est refectionem. Hic verò, ut sententiola ab hac quinta videbis, statuit πλήρωσιν hoc est repletionem. Non quod propriè idem sit πλήρωσις & ἀνατρέψις, ut neque καθαίρεισις seu συμπτωσιν & κενωσις, hoc est vacuatio, sed quod simul fieri consueuerunt. Differunt quidè, quod detractio, seu extenuatio carniū propriè est, & eorundem est relectio: vacuatio humorum, & eorundem repletio. Sed vacuationibus extenuamur, & repletionibus reficimur, ob id hæc coniungit Hippocrates dicto aphorism. Atque hoc loco alterum pro altero nomē accipit, relectionem pro refectione. Pertinere hæc oīa ad medicum, atque muneris illius esse, ut quosdā reficere, ita & quosdā extenuare, & quousque; vtrun-

que duci oporteat, agnoscere, docuit Hippocra. illo loco; quibus modis fieri possit & debeat, nunc docet. Atque primum quidem extenuatio, de qua prima hæc est sententiola, Si nihil diceret aliud quam detractionem fieri cursibus, luctis, & multis, & celeribus deambulationibus, ouillis carnibus, & cocta maza, atque exiguo pane, facilis esset doctrina, contineretque duo auxiliorum genera, exercitationem corporis nimiam, & cibos fluxiles atque infirmos. Nam ouilla, quia laxa & humida est, facilius effluit, quam aretina & suilla & alimentum quod ex ea accedit, minus hæret firmiter. Eodem modo habet maza cocta ad panem, soliditatem enim comparat hic in furno, & quia esur^{us} fit aptior, plus illius comeditur, ab hominibus alioqui sanis. Quales sunt quos studemus extenuare, quam maza. Quapropter, & tertio de dieta victum æstiualem describens, inter cetera dicit, maza potius utatur quam pane. Verum quia paritula illa, quiete, interiecta est, difficilis prorsus reddita est sententia, ac quodammodo etiam inepta. Quomodo enim potest inter luctas, inter celeres deambulationes, apte fieri quietis mentio? Dicunt quidam enarratores, id dictum esse quia non omnes extenuantur exercitatione, & pinguescunt quiete, sed nonnulli etiam contra, extenuantur otio & exercitatione crassescunt. Atque profecto hoc verissime dicitur, nam ut ipsemet Hippo. dicit motus roborat, & otium tabefacit. Et rursus quarto de morbis inquit. Et propterea in quiete degenti euenit ut attenuetur: at verò laborantibus hominibus, itidem corpus coalescit. Itaque haud dubie iuxta sententiam Hippoc. quidam extenuantur laboribus, quidam otio. Sed ut Gal. in commentatione huius loci rectè monet, res hæc distinctione indiget, non enim iidem & eodem modo habentes, a contrariis patientur omnino idem, per se. Sed aliqua prorsus distinctione res indigeat, necesse est. Ea verò non aliunde nasci potest, ut Hipp. ipse, primo libr. de dieta disertissime docet, quam ex cognitione naturæ hominis, facultatis, ciborum, & laborum. Oportet autem (inquit) velut par est, laborum vim prænoscere, tum naturalium, tum eorum qui per vim fiunt, & qui ex ipsis carnem in augmentum præparant, & qui in defectum: & non solum hæc, sed etiam mensuram laborum, ac proportionem, & multitudinem ciborum, & hominis naturam, & corporum staturas, ac ætates.

Opti-

Optime consulit Hippoc. considerare laborum & ciborū uim, non simpliciter, sed ad se mutuò, ut ad cuiusque naturam. Quia ut paulò ante ibidem dixerat, labores ea quæ insunt consumere solent, cibi autem & potus, ea quæ vacuata sunt, explent. Si igitur, labores ad cibos, & ambo hæc ad facultatem seu naturam, proportionem seruauerint, optime reficiuntur corpora, quia facultas adiuta motu cibos conficit, illi bene confecti multum nutriunt, & replent. Si autem labores sint maiores, ijs quibus ad hos cibos facultas indigeat, aut cibi plures, quàm ut cum hoc motu ab hac facultate possint confici, ob illud quidè dissipantur corpora, ob hoc obruuntur crudis; & demoritur naturalis calor, & ob utrunque homo consumitur. Igitur motus, ad hæc cū quibus conferri debet, nimius, semper dissipat, siccat, & absumit, minor autem quam pro indigentia, causa est infelicis nutritionis, ac proinde pinguedinis frigidæ, aut etiam (si noxa iam maior sit) tabescentiæ. Sed quia non omnes eadem natura sunt, sed alij frigidiores, qui motu multo indigent, ut cibos cōficiant, alij calidiores, quia motu facile dissipantur, fit ut his nimius sit, qui illis est utilis motus, & ut hos iuuet otium, dissipationem prohibendo, quod illos tabefacit per incoctiones. Igitur, ut vniuersim dixerim, calidi, & qui pauco cibo utuntur, reficientur otio, & ij ipsi exercitatione tabescēt, frigidi, et qui utantur multo cibo inarescunt otio (nisi præueniant morbo aliquo perimi) exercitationibus reficientur. Sunt igitur qui exercitationibus, & qui otio extenuentur. Quod carcerum custodes testantur, eorum enim qui diu detenti demittuntur, quidam multò crassiores quam sunt conclusi, quidam demittuntur, gracillissimi. Effet igitur hæc nō parum idonea loci enarratio, si particulam illam. (Quiete) genuinam esse & loci propriam, suspicaremur. Verum quia si id vellet Hippocrat. dicere, aliter mihi videtur dicturus, neque inter multa verba nimium motum significantia, unicam illam uoculam, citra vllum ordinem, interiecturus, suspicor illam errore librariorum additam esse, aut ex uocis alterius corruptione venire (fuerit autem inane uelle diuinare ex qua) neque esse Hippocratis, sed ipsum nunc scribere causas, quæ per se faciunt detractiones, non etiam eas quæ per accidens. Nam motus nimius & inedia, aut cibus tenuis pro crasso, fluxilis pro fo-

lido, per se facit extenuationem, quia detrahendo: otium per accidens, quia suffocando, obruendo, ac plusquam oporteat, aut quam ferri possit, adiungendo. Alioqui & cibos multos ponere deberet in causis extenuationis. Nam & hi, perinde ac otium, extenuant obruendo. Non itaque arbitror id voluit Hippocr. sed scribere causas, quæ sunt per se detrahentes. Nam præterquam quod doctrinæ procedunt rectius per ea quæ sunt per se, quam quæ per accidens: ad medicos vltus fuit etiam hoc vtilius. Nam cum opus est aliquem extenuare, exercitatione, & cibi detractio fit longè tutius, quam otio, & multo cibo. Nam hæc duo, non aliter possunt id facere, quam onerando, & morbos periculosissimos inferendo. Potest itaq; corpus extenuari otio, & cibus, sed nunquam debet. Hippocr. verò non consuevit dicere, quæ possint solù, sed quæ debeant et fieri. Nam cum dixit otium tabefacit, id ut vitandù, non ut vnquam consulendum alicui dixit. Itaq; illa particula. Quiete, haud dubie redudat, estq; hinc expungenda. Sed dices, effectum videtur, ea, quam attulimus, ratiocinatione, non omnes extenuari exercitatione, sed quosdam etiam refici. Cur ergo Hippocr. causam ambiguum, quasi semper extenuantem, posuerit? Certè effectum est eos solum refici exercitatione, quibus ea non sit nimia, omnes tamen extenuari, quibus sit nimia. Constat verò his nominibus, cursibus, luctis, deambulationibus multis, & celeribus, significari motus nimios, non sunt autem omnibus ijde motus nimij, neq; id docet Hippocrates sed consulere, vnicuique eorum quos extenuare velis, motus nimios, alijs quidem maiores, alijs minores, ut cuiusq; naturæ erunt nimij. Velut si biliosum hominem velis extenuare, motibus vti mediocribus effeceris, si autem pituitosum, motus vehementissimos subire iubebis. Itaq; bene feceris particulas illas, Multis adiungens illis omnibus, cursibus, luctis, & deambulationibus, atque intelligens, multis pro cuiusq; natura. Nam multum & paucum ad aliquid dicuntur. Itaq; optima ratio extenuandi est, exerceri plus, & accipere cibum pauciozem, aut fluxiliore quam si molè corporis seruare veles. Propterea Hippocr. iubet vti cursibus, luctis, & celeribus deambulationibus, & ouinis carnib. ac pane maza cocta, aut omnino exiguo pane. Potes autem cum his, & motib. & cibus, alios ocs, & motus & cibos, intelligere,

relligere, qui ad dictum usum, non deterius quam hi, aut etiam melius accommodentur. Nam & si ouillam Hippocrates vt laxam quandam & fluxilem carnem pro exemplo scripsit, ego nisi consueto ea vti, aut etiam deterioribus carnibus, non darem, ne interim cacochymiam aliquam inferrem, sed si homo facile ferret inedia, darem pulli assi exiguum: si non posset ferre, carnes assas minus nutrientes, sed non mali succi, velut interanea arietis aut hædi cum multis oleribus cocta, & ob hanc ipsam causam auerem motus magis. Sed de extenuatione crassorum Galenus libr. vltimo methodi agit, & ego in hoc ipso opere antea egi.

3 **D**etraktionis signum, eandem horam diei obseruare, repente enim contrahitur.

QUANDO quidem non iidem motus sunt omnibus detractorij, neque eadem victus ratio, & ea coniectura, quæ ex cuiusque natura capitur & consuetudine non est facilis cum perpauca homines sint nobis adeo familiariter cogniti, opus est signo aliquo cognoscamus, an victu eo quem perscripserimus, extenuetur homo, an non. Hoc signum scribit modo dicens, eandem horam diei obseruare, repente enim contrahitur, hoc est, continere hominem sine cibo vsque ad eam horam qua consuevit capere, & obseruare eam horam; ij enim quibus victus quo vtuntur est detractorius, euenit vt eam horam, qua cibum solent capere, non possint sine cibo transigere, ac si quis eos transigere cogat, repente contrahatur eorum corpus, vultus gracilescat, et virtus deficiat, angantur, aut refrigerentur. Si igitur hos videas homini accidere, scias victum quo vitur detractorium esse, vnde tibi accipies non solum præceptionem ad eos quos extenuare vis, sed cautionem etiam vtilem, ad eos quos vis conseruare. Si enim hoc est signum victus detractorij, & vides id accidere alicui, cui detraktionem fieri nolles, certè scies eum aut plus laborare, aut minus accipere cibi quam oporteat. Quapropter iubebis aut laboret minus, aut comedat plus. Quod si plus cibi non ferat ventriculus, vt euenit multis conualescentibus, dabis crebrius.

crebrius. Vbi ego legi, cōtrahitur, dicit Hippocrates *εἰσπύεται*, quod multi interpretantur custodit, alij, trahitur, ego sequutus sum hac in parte interpretationē Gal. à quo enim potius vocis græcæ significatio peteretur?

- 4 **R** *Emitte labores, aut defluet, similiter enim totum concidet.*

SCRIPSERAT detractionis signum. Idem autem erit detractionis nimix, aut repētinx, quæque proinde sine periculo sustineri non possit, & moderationis, vt scilicet illud signum plus aut minus inerit. Quoniam verò, neque vacuationes, neque repletiones, neque extenuationes, neque refectiones, ad extremum sunt ducendæ, vt in aphorismo dicitur, neque illæ ipsæ quæ faciendæ sunt, repente, sed paulatim fieri debent, quia repentinæ omnes mutationes sunt periculosæ: duplex peccatum accidere potest, quod aut celerius quam par sit quis extenuet, aut vltius quam par sit extenuationem producat. Vtrunque autem periculosū, quia euenit ob nimium impetum effluere, ac simul totum concidere, facultatem scilicet & corpus, atque adeo languescere corpus, & tabescere. Proinde, quasi valde timere hæc oporteat, dicit, remitte labores, aut effluet. Quasi diceret, si ex dicto signo, aut etiam alijs quæ accesserint, videatur tibi celerius agi, aut plurimum iam produci detractio, cura vt lentius agatur, aut cesset, remitte ergo labores. Nā vt in aphorism. dicitur, Vbi fames laborandum non est, per inde autem fuerit cibos augere. Si autem augere nolis, nulla alia est ratio, quàm remittere labores.

- 5 **C** *Vm autem iam conciderint, offerre suillam assam. Cum autem replentur, signum, corpus iam floridū fieri.*

VT hætenus docuit qua ratione quis extenuet, plus satis crassum, ita docet nunc quo pacto gracilem, crassescere faciat, siue is sit, dicto prius victu extenuatus nimis, & eo nimis sit vsus, siue alia quacunque causa refectione indigeat.

digeat. Atqui vt ad extenuandum iusserat ouillam dare, ita
 ad reficiendum præbet suillam assam: vt cibum scilicet
 crassum, & valde nutrientem, & boni succi, præbet assam,
 vt hac ratione solidior sit, & vt opinor, etiam gratior. Non
 enim parum hoc refert, vt reficiat, & sane his omnibus no-
 minibus nullus est cibus ad reficiendum adeo accommo-
 datus. Videre tamen debes vt coqui possit, non enim est
 tam coctū facilis quàm bonus, ac proinde extenuatorum
 & debiliū refectiōem, a gallinarum aut caponū carni-
 bus rectius inciperis. Quæ respiciens Galenus. 7. methodi.
 cap. 6. ita scripsit. Porro omnium quo nouimus ciborum,
 maxime nutriens suilla caro est. Verum non æque ac præ-
 dicta concoctū facilis est. Præterea glutinosum succum
 crassumq; generat. Alioquin eq; alio esse habitu pot, quod
 in summo sit nutriens. Quippe adherere debet, & firmiter
 affigi non autē præ tenuitate diffluere. Non tamen ad pro-
 positum affectum vti hac conuenit. Si enim nutrimentum
 ipsum seipsum concoqueret, ac in partes digereret, procul-
 dubio maximè nutriente cibo esset opus. Verum quoniam
 non aliud est quod nutrimentum desiderat, aliud quod ip-
 sum conficit, sed quod nutriendum est ipsum sibi & nutri-
 mentum attrahit & mutat, & concoquit, & adiungit, & as-
 similat, ad duo nimirum nobis in opportuno cibo eligēdo
 spectandum esse dicitur. vnum ipsius cibi naturam, alterum
 vires suas proprias insitasque. Itaque ex his illud patet, ne-
 que planè quod maximè nutriat optimum esse ijs corpori-
 bus quæ refici magis egent, vtpote quibus concoquendi fa-
 cilitas non est, neque etiam quod facillimum cōcoctū est,
 cum scilicet ipsum nequeat maximè esse nutriens. Cum igitur
 hæ indicationes ex aduerso pugnent, committendum
 non est, vt dum alteri nimium sis intentus, alterius omnino
 obliuiscaris, sed vtriusque memor quoad licet vtrumque
 misceas. Hæc Galenus, quæ ego maximè probo. Quapropter
 Hippocrates meminit suillæ vt per sese optimi cibi, ad
 refectiōem, non tamen vt quo vtendum omnibus sit qui
 refectiōe indigent. Quapropter cum dicit Hippocrates,
 cum autem iam conciderint offerre suillam assam, intelli-
 gendum videtur, cum conciderint carnes, & extenuatum
 corpus fuerit, non autem vires. Nam si hæc etiam concide-
 rint, rectius incipietur, ab ouis, & gallinaceis pullis, quam
 quam

quam in his quoque procedetur rectè vsque ad suillam. Quapropter si placet magis, vbi dicit, cum autem conciderint intelligere & carnes & vires (videtur enim hic referre omnia quæ prius intelligerat cum diceret, similiter enim totum concidet) intellige quasi ita diceretur, cum autem iam conciderint hæc, offerre suillam assam, adhibita distinctione an mox suillam dare debeas, an post aliquos cibos. Quæ distinctio ex facultate eius qui reficitur, debet accipi. Sed dubitabis, cur cum extenuationem facere iuf ferit, motu vehementi & cibis leuibus, refectionem facit solum cibis crassis, ac non potius duobus etiam prioribus contrarijs, otio & cibis? Certe quia non vt motus nimius extenuat omnes, ita otium merum omnes facit crassescere, sed vt nuper diximus, plurimos etiam facit marescere, ex accidenti: porro quia eos ipsos crassiores reddit, non bene & vt expedit crassos facit, sed pingues, & excrementosos. Quapropter nullis merum otium consuli oportet sed omnibus exercitationem, maiorem quidem aut minorem, vt cuiusque est natura & affectio: Atqui hoc sine extenuare, siue seruare, siue reficere velis hominem. Nam extenuantur omnes motu nimio tutius quam quiete, seruantur & reficiuntur motu moderato, qui ad conficiendos cibos fit satis: & est quidem alijs maior alijs minor, & moderatus, & immoderatus. Agi ergo debet extenuatio motu nimio, & exiguo cibo, refectio motu moderato, & cibo pluri: conseruatio vtriusque moderatis. His dictis scribitur signum procedentis iam refectionis, quod planè contrarium est signo extenuationis. Ijs enim qui extenuantur, cōtrahitur corpus, & concidit ac deflorescit: ijs qui iam replentur, contra, floridum fit, hoc est mediocriter tumens & nitescens, ac viuidum colorem habens. Hoc enim multi & boni iam sanguinis est.

- 6 **I**N *exercitationibus signum, sudor fluens guttatim, qui exit velut ex canalibus, aut concidentia ex eleuatione.*

HÆC verba videntur huc errore reiecta, cum forent scribenda post illa, detractionis signum, eandem diei horam

horam obseruare, repente enim contrahitur. Illa enim verba continebant signum detractionis ex hora cibi accipiendi; hæc continent signum aliud ex exercitationibus. Cum enim iussisset Hippocrates detractionem facere exercitatione, & cibo, congruens erat mox signa detractionis apponere, ex cibo & ex exercitatione. Scribit itaque signum quo agnoscas exercitationem detractoriam: illud autem est, sudor exiens guttatim vt ex canalibus, aut concidentia ex eleuatione. Nimirum motus tantum dicitur is quo corpus neque sudare incipit, neque lassari, neque intumescit: exercitatio autem salutaris, & conseruans, quæ ducit vsque ad lassitudinem mediocrem, & sudorem, æqualem, vaporosum, & ad tumorem & ruborem quendam partium, & tunc dimittitur: labor verò potius quam exercitatio, & defatigatio, seu exercitatio detractoria, est, quæ producit vsque dum sudetur inæqualiter, grandioribus quibusdam guttulis, velut ex canaliculis erumpentibus, & quasi colliquescentibus iam carnibus, & vsquedum, eum tumorem quem exercitatione comparauerant carnes, labore confectæ deponant. Quod quidem vocat nunc concidentiam ex eleuatione; concidentiam scilicet carniū, ex ea elatione, seu intumescencia, quam comparauerant. Est igitur signum detractionis in exercitationibus, ita sudare, aut concidere, eius qui exercetur, vultum, cum, incipiente exercitatione, intumuerit. Qui vero eousque se exercet, defatigatur. Quare nisi cum animus est corpora extenuare, facendum, vt prius ab exercitatione quiescat, iuxta illud. Vbi lassari cœperit corpus, quiescere statim remedium est. Qui autem extenuari velit, ne quiescat, vsquedum dicta extenuationis signa appareant.

7 **M**ulier quam primò in Cranone curauit. Lien natura magnus, febres, ardens, per rubra, spiritus decima die, sudor plurimus superius, verum & inferius decima quarta die.

A D E O breuis, imo, vt dicam melius, mutilata est hæc narratio, (siue id fecerit Hippocrates, sibi soli scribens, siue

siue quæ desiderantur detraxerit vetustas) vt neque quid actum esse narret, possis intelligere, neque vbi intellexeris aliquid vtilitatis capere, vt & Galeno etiam visum est. Proinde prætereo.

¶ **M**inus ijs qui ex capite laborant grauedine aut raucedine, si febre correpti sunt, vt opinor, sunt recidiuæ.

NON fieri recidiuas bene ac perfectè solutorum morborum est, fiunt enim ex ijs quæ relinquuntur in morbis. Dicit igitur Hippocrates eos qui laborant grauedine aut raucedine ex capite, melius ac perfectius liberari, superueniente febre quam aliter. Quod quidem eadem ratione fit, quia qui conuulsione tenentur, febre liberantur: coquit enim succos crudos, & siccat humectatas partes. Absumit certè semper succos, omnis febris, & suam ipsius causam conficit, verum ad nullos affectus adeo vtilis est, vt ad eos qui ex succis crudis pendent. Hi enim vt qui crudi sunt, possunt calore emendari, reliqui, vt pote iam cocti, nil aliud possunt quam putrescere. Quare maiori cum periculo tatur eorum consumptio per febrilem calorem. Grauedo & raucedo, ex pituita plerumque est, ea præcipuè quæ est ex capite. Nam & ipsum caput natura pituitosum cum sit, talibus morbis est opportunum. Raucedo aliquando fit ob caput, aliquando ob totum corpus; grauedo, capitis semper est passio, sed non semper in eo est primaria, sed fit nonnunquam recipiente capite aliunde. Quæ ob primariam passionem capitis fiunt grauedines, & raucedines, duabus causis curantur febre, melius quàm reliquæ, & quia pituitosiores magna ex parte sunt, & quia totius corporis redundantiæ, & cacochymix, magis cedunt missioni sanguinis aut expurgationi. Ob hæc dicit, ijs, qui ex capite laborant grauedine aut raucedine, minus fiunt recidiuæ si febre correpti sint.

¶ **O**mne suppurans est sine recidiua. Hæc enim concoctio, & crisis simul, & abscessus est.

αὐτὸς πορρ,

ἀνυπόστροφον, id est, sine recidua, dici intellige, nō quòd
 recidivam omnino non potest habere, sed quòd raro ha-
 bet. Fieri enim potest vt in eandem partem tumor præter
 naturam redeat, in qua per suppurationem fit antea cura-
 tus: videmusque id factum non semel, quod pars debilis
 manserit, atque ob id redundantes in corpore humores re-
 cipiat. Quamquam id perraro, neque nisi cum per intempe-
 stivum sarcoticorum vsum pars nondum satis expurgata,
 curata est, alioqui non fit, nisi multo post, collecta scilicet
 noua in corpore multitudine, aut cacochymia, vt constet
 iam non eiusdem morbi esse recidivam, sed aliū morbum.
 Itaque possis affirmare, omne suppurans quod recte cure-
 tur, esse omnino sine recidua. Eric itaque, fere vniuersalis
 assertio. Illud saltem verum esse colligitur, ex ijs quæ Hip-
 pocrates hoc loco & alijs dicit, & quæ experimento com-
 periuntur, suppurationem sine recidua magis esse quàm
 resolutionem, hoc est rarius multo recurrere breui, tumo-
 res per suppurationem solutos, quam per resolutionem.
 Reddit Hippocrates causam, dicens, hæc enim concoctio,
 crisis, simul & abscessus, est. Suppuratio re vera, vt alibi
 indicauimus, concoctio quædam est, dicit verò, hæc con-
 coctio, quasi non hæc sola, sed aliæ etiam sint morbi con-
 coctiones. Nimirum Hippocrates solutiones morborum
 solet concoctiones vocare, vt cum dicit. Vt virtus possit
 durare, donec morbus concoquatur. Ita igitur vtete Hip-
 pocrates nomine, intelligere possis, hæc concoctio, id est,
 hæc solutio. Est igitur, dicit, hæc solutio, crisis simul & ab-
 scessus, id est abscessus & euacuatio. Nimirum per suppu-
 rationem non persanatur homo, antequam humor in sinū
 quendam abscesserit, & sinu rupto euacuatum pus sit, atq;
 vlcere multis diebus manante, pars mittens, & primaria
 morbi illius sedes, sit perpurgata. Fit ergo non tantum ab-
 scessus humorum in partem quampiam, sed etiã per eam
 partem totius corporis, aut partis primario affectæ purga-
 tio. In resolutione non ita fit, sed eo succo qui in tumorem
 eleuat discusso, pars subsidet, interim apparatus, si quis ad-
 huc erat, interius manente. Quapropter suppurationē mi-
 nus reuersiuam esse quam resolutionem, verum fit, siue de
 reuersione ipsius tumoris intelligas, siue alterius prioris
 morbi, qui eum pepererit abscessum. Velut si ex febre ali-
 qua

LIBROS
DEL DR.

qua laboriosa tumor præter naturam homini eruperit, liberior erit à redditi febris & tumoris, si suppuratione curetur, quam si resolutione. Si enim rupta suppurationis vomica, est parti primario affectæ, pro emunctorio, seu, ut dicunt, vulgo pro fonte, liberabit non tantum à secundario, sed etiam à primario affectu. Huc accedit quod suppurationis non potest esse curatio fallax, ut resolutio. Sæpe enim tumor subsidet, quasi resolutus, succus tamen verè resolutus non est, sed retrocessit: quo casu constat paratam esse recidivam, utpote manente interius causa. Hæc saltem deceptio non potest contingere per suppurationem: in puri enim mutatus iam succus, & in sinu collectus haud quam poterit retrocedere, sed necessario euacuabitur sensibilibiter, nisi omnino sit perpaucus, ut resolui possit. Simile quiddam euenit in fluxionibus, seu partium quarundam cacochymijs, ut grauedine, aut raucedine; atque adeo & in febribus, omninoque in morbis quibuscunque pendentibus ex succis. Illi enim omnes habent solutiones quædam dictis analogas, atque ita hæc sententiola ad omnes morbos pendentes ex materia rectè transfertur. Nam & coryza aliquando videtur euanescere insensibiliter curata, aliquando non sine copiosa crassorum, & puri quadam ex parte similium, emunctorio: febrem quoque videmus sæpe citra concoctionem materiæ, & euacuationem desistere, quasi insensibiliter resolutam, plerumque autem cum euacuationibus, quas concoctio antecessit. In his omnibus plurimum potest ad securitatem, & ne recidiva fiat per suppurationem liberari. Dico autem inflammationem per propriè vocatam suppurationem: coryzam per emunctorio crassorum; raucedinem, per excreationem, neptitidem, per mictionem excrementorum: & alia huiusmodi. Febrem verò per hanc aut illam euacuationem, post quam apparuerint sedimenta, quorum generatio ex morbi materia, velut suppuratio quædam est. Igitur omnes hæc morborum solutiones, quæ curationi phlegmones per suppurationem sunt analogæ, securæ magis sunt à recidiuis, quam reliquæ euanescentiæ: quia per illas maturaciones simul & euacuationes copiosæ fiunt, & corpora perpurgantur, abique simul cum ipsis morbis etiam apparatus morbosus, per has, non ita: sed aut coniuncta solum vocata causa consumitur.

consumitur, manente ea que vocatur antecedens, aut ne ea quidem tota, sed pars eius latet in partem quampiam abscedit, unde rursus mota, morbum reducit. Sed dices, videri Galenum atque cum eo alios omnes, medicos & chyrurgos, his repugnare, quando quidem præferunt resolutionem suppurationi, tanquam potiorem solutioni modum: neque profecto sine ratione, quia resolutio est morbi sublatio, suppuratio verò est commutatio cum alio morbo. Quanto igitur præstantior est solutio morbi permutatione, tanto resolutio suppuratione: est autem quæcumque solutionis species tanto securior à recidua, quâto præstantior, est igitur & resolutio securior quam suppuratio, alioqui quis non eligat sibi securiorem curationem? Vt hæc controuersiola decidatur, scire oportet, resolutionem & suppurationem, eiusdem morbi curationes esse, verum suppurationem resolutione esse auxilium maius & posterius. Nam exiguæ inflammationes, & ex tenui succo pendentes, resolutione curantur, maiores verò, & ex crasso, non possunt nisi suppuratione. Maius igitur remedium est suppuratio, quâ resolutio: quæ propter accidit ijs quod alijs omnibus auxilijs, vt minora quidem & pauciora meliora sint, quàm maiora & plura, si sufficiunt. Nunquam etiam Hippocrates ad auxilia maiora venire volebat, nisi cum minorâ non essent satis. Rectè igitur vel hac sola causa dicitur, meliorem esse resolutionem suppuratione, quia minus est auxilium, & ob id cum minori molestia, & læsione peragitur. Verum quia non omnibus inflammationibus est satis, si quando, in his quæ, ob magnitudinem aut succi crassitiem, videbantur suppuratione indigere, resolutio facta videatur, parum est segura solutio, minor enim quàm pro morbi magnitudine aut contumacia, quare ei solutioni meritò non fiditur vtpote quæ præter rationem contigerit. Hoc idem habent omnia alia auxiliorum genera quæ minorâ meliora, quæ maiora magis sine recidua sunt. Non enim curari debet ferro nisi quod non cedit medicamento, neque igne, nisi quod non ferro, tamen curata igne sunt minus reuerti quàm quæ ferro, & hæc quàm quæ medicamento, omnes chyrurgi fatentur. Ita igitur, resolutio melior est suppuratione, suppuratio verò minus reuersiua. Quod si Galenus (vt proposito argumento respondeamus) ponit in bonæ indicationis ra-

tione securitatem, censens eam securiorem quam meliorem ego quoque idem concesserim, non quidem simpliciter, seu genere meliorem, sed quæ sit huic melior. Non enim si quis dicat vniuersim meliorem euacuationem esse fluxum sanguinis ex naribus quam ventris profluuium, teneatur statim concedere in quocunque etiã esse. Ita quidem resolutio genere melior est suppuratione, non tamen etiã in quocunque, nam in eo qui suppuratione indiget, non est resolutio melior, sed deterior, eidemque minus secura: itaque est genere melior & minus secura, ad singulos verò, cui melior eidem & securior. Simile quiddam ei quod de inflammationibus dictum est euenit, & aliorum morborum, qui pendunt ex causa, solutionibus. Sæpe enim febris putrida ex adeo pauca pendet materia, vt sine manifesta euacuatione, neq; materia cocta, sed dissipata, & propria constitutione nõ expectas, soluat insensibiliter. Quæ solutio optima quidem & est facillima, verum raro secura, quia perpaucæ sunt febres ex tam pauca pendentes materia: ita etiã pleuritis vera sine vlla excreatione cessat aliquando, quod sit tam exigua vt solis cedat fomentis, perrarò autem fuerit secura ea curatio: in coryza & raucedine, & omni alio morbo euenit perinde. Quare non in vno aut altero, sed in omni iam morbo verum sit quod Hippocrates dicit, omne suppurans sine recidua esse.

¹⁰ **Q**uibusdam cum Venere vtuntur inflatur venter, vt Damagoræ: quibusdam autem in his strepitus, vt Archesilao.

PAULO infra, in hac eadem sectione, occurret oratio alia, quæ hoc idem continet, & apertius explicat, quod Damagoræ & Archesilao accidebat. Quare illam oportet huc transferri, vt hæc intelligatur. Illa ita habet. In accessionibus sunt qui strepitum emittunt, vt Archesilao: quidam verò accessuri horridi fiunt, ac rugosi: alij autem cum accesserint, inflantur ventre, vt Damagoras. In ea oratione, constat accessus vocari idem, quod hic Venerea, ipsos scilicet coitus, seu congressus cum foeminis. Constat quoque, conuenitq; inter omnes interpretes, illud nomē strepitus, quo
hic

hic utitur, & verbum, strepitum emittere, quo illic, significare emittere flatum ex ventre cum crepitu. Damagoræ igitur contigit, cum coisset inflari ventrem. Archesilaus autem inter coeundū emittebat flatum cum crepitu, atq; vt significaret hoc, dixit Hippocrates, quibusdam in his (hoc est in ipsis Venereis) strepitus. Itaq; dicit vtentibus Venere flatum augescere, idq; non omnibus eodem tēpore, neque eodē modo, sed quibusdā cū vsi sunt, quibusdā cū vtūtur alijs cum iam instigantur ad Venere: rursus horū quosdam ob flatum intumescere secundum ventrem, alios ob flatum toto corpore delatum rigere alios emittere flatum cū crepitu. Neq; sane dicit Hippocrates hæc accidere omnibus vtentibus Venere, sed quibusdam: neque solum hoc ita accipiendum, quod & si omnes ob Venere lædantur modo aliquo horum, quibusdam tamē hoc: quibusdā illud quibusdā aliud accidat, sed quod non omnes aliquam harū læsionum contingant, sed plurimi nihil patiantur horū, alij autem quidam lædantur modo aliquo horum. Quidā (vt Galenus narrat) veterum interpretum, censebant hæc dici non de omnibus qui Venere vtuntur, sed de ijs qui primum incipiunt hircire, & Venere vtī. Videntur huic interpretationi fauere verba quædam, quæ paulò infra ante nūc citata scripta occurrent. Ita enim legitur eo loco, Cum Venere vtī incipiunt, sanguinis profluuio laborant, in accessionibus sunt qui strepitum emittunt vt Archesilaus. Cæterum experimento constat, neque omnes qui primum incipiunt vtī Venere lædi aliquo modo horum, sed quosdā fortasse. Cum igitur non omnium qui Venere vtuntur, siue primum siue posterius, sint dictæ læsi ones, sed quorundam erunt eorum qui parati sint ita lædi: velut ab alia quavis procathartica causa læduntur, qui parati sunt ab ea ita lædi vt a sole, & labore febricitant, non omnes, sed qui parati sunt febricitare. Igitur oportet definiamus, qui sint parati ita lædi a Venere. Illi certē sunt qui flatuosi, cuiusmodi maximè sunt hypochondriaci, qui ob hoc ipsum dicuntur a medicis laborare morbo flatuoso. Hi vt Galenus & Aristoteles perhibent libidinosi sunt, vsu tamen Veneris læduntur & fiunt flatuosiores. Vt sint libidinosi facit flatus, nam distendit pudendorum meatus, & semen facit magis pruriēs. Eandem ob causam interdicitur ijs qui priapismo laborant

aut gonorrhœa, vsus leguminum, & rerum flatuosarum: ut
 verò lædantur à Venere facit inopia naturalis caloris, qua
 laborant. Refrigerantur enim plus etiam quam alij, quia
 simul conflatu vitalis spiritus effluit illis abundantius:
 fiunt ergo meritò flatuosiores. Huiusmodi ergo cense-
 re consentaneum est esse eos, quibus accidunt, quæ his ora-
 tionibus continentur, ac præter melancholicos hypochon-
 driacos, alios etiam omnes, qui utcumque sint flatuosi. Nō
 enim omnes flatu abundantes, sunt hypochondriaci: & si
 hypochondriaci omnes flatu abundant. Euenit autem hic
 dubitare, an hoc quod dicitur ita habeat, an scilicet hypo-
 chondriaci lædantur vsu Venere: videntur enim iuuari po-
 tius, quod si iuuantur, non fiēt flatuosiores, sed potius sub-
 leuati à morbo, & minus flatu cruciabuntur. Iuuari verò
 multos melancholicos Venere constat, si quidem ut dicit
 Galenus 6. de loc. affect. retentione feminis fiunt multi me-
 lancholici: qui feminis excretionē necessariò iuuantur.
 , Exemplo est quidam cuius ab eo loco Galenus memin-
 , dens, quidam vxoris mortem lugens, & à concubitu, quo
 , antea fuerat vsus, abstinens, cibi cupiditatem amisit, ac ne
 , exiguum quidem cibum concoquere potuit. Vbi verò seip-
 , sum cogendo plus cibi ingerebat, protinus ad vomitū ex-
 , citabatur: mœstus etiā apparebat, nō solum has ob causas
 , sed etiā (ut melancholici solent) citrà manifestam occasio-
 , nem. Verum hic ad pristinam cōsuetudinem rediens, quā
 , celerrime liberatus est. Igitur haud dubie multis melācho-
 , licis, siue sint hypochondriaci, siue secū, Venere vsus est
 , salutaris, quibus scilicet ex corruptione feminis morbus
 , ortus est. Alia etiam ratione dicit Galenus hypochondri-
 , cos videri subleuari vsu Venere, quod scilicet excernantur
 , flatus cum semine, & ipso congressus calore discutiat
 , tur, detrudanturq; ex hypochondrijs: subleuantur ergo
 , hāc ob causam, ut & ructibus subleuari antea in hoc ipso
 , sermone diximus: vidēt et accedere alia causa ex voluptate
 , Venerea, cum enim melancholici mœtu & mœsticia ma-
 , ximè affligantur, euenit voluptate reddi alacriores, atque
 , adeo melius habere. Tot igitur causæ sunt quibus quis sibi
 , persuadeat, melācholicis Venere esse causam salubrem,
 , alioqui enim videtur esse aduersissima, quia est refrigerās
 , & siccans, & exhaurit spiritus: illi verò sunt frigidi & sicci,
 , ichorosi

ichorosi & flatuosi, & bonorum spirituum inopes. Certè
 ij qui ob retentione corrupti seminis facti sunt melanco-
 lic, siue hypochondriaci, siue nō, nec dū admodum sunt iā
 facti debiles in essentia, haud dubie iuuabuntur vsu Vene-
 ris. Nam morbos ex repletionē sanat euacuatio, cū excer-
 nantur qualia oportet, hoc est propria cuiusq; morbi ma-
 teria & causa: alijs verò omnibus melancholicis noxia est.
 Venus, nisi forte admodū moderata & rara, nondū debili-
 bus: his enim nō qđ propriē materiæ sit vacuatio vt priori-
 bus, sed ob posteriores causas, ob flatus inquam aliquam
 disculsiōem, & ob alacritatem poterit leuamen quoddā
 afferre, sed neque id magnum vt prioribus, neque certe du-
 rauit, si quis leui illo solatio allectus perstet Venere uti,
 recidet enim in longē maiorem noxam, ob refrigerationē,
 siccationem, & spirituum exhaustionē. quod si qui horum
 sint iam in essentia debiles, quales sunt eorum multi, nō tā-
 tum à multa & longa sed à quātulacūq; Venere lædentur,
 neq; verò solū posterijs, sed mox ab iplo cōgressu sentiet
 sese læsos esse, & deterius habere. Notæ autem vtilitatis à
 Venere ortæ, sunt, facilior spiratio, alacritas animi & cor-
 poris, promptiorq; ad omnia sēsus: noxæ aut cōtrariæ. Por-
 ro qđ hac oratione ab Hippocrate dicit, vtrisque euenire
 possit, & ijs inquā quibus Venus vtilitati est, & quibus dāno.
 Nā his accidēt tumor flatuosus vētris, aut excretio cū cre-
 pitu, aucto flatu ob naturalis caloris extenuationē (& hi qđ
 dē periclitantur fieri ex multa Venere tympanitici: præci-
 pue quibus flatus retinetur, & inflat vētrē) illis vero acci-
 dent excretō flatu, aut ex hypochondrijs deorsum truso.
 Nimirū calore & motu euenit, flatum qui in intestinis erat
 extenuari, & extrudi aut qui in hypochondrijs ad hypoga-
 striū detrudi. Sunt igitur hæc symptomata Veneri succedē-
 tia, notæ flatuosæ naturæ, aut dispositionis: per se verò neq;
 bona neq; mala, sed neutra, in genere eorū, quæ aliquando
 cum malo, aliquando cū bono hominis fiunt: quia aliquā-
 do fiunt materia aucta, aliquando vacuata, aut reiecta ab
 hypochondrijs. Bona autē an mala fuerint, agnosces eis dē
 signis quibus agnosci diximus, læsus ne sit homo qui vsus
 est Venere, an adiutus. Cōstat ex dictis deteriorē dispositio-
 nem significari tumore ventris a coitu, quam excretionē
 flatus in ipso coitu. Quia crassioris flatus & debilioris ex-

pultriciſt, abſcedere quam excerni: hoc verò expultriciſt fortioris, & flatus tenuioris. Atque ita crepitus, vt leuior paſſio in ipſo congreſſu fit, tumefcentia autē vētris, vt pote paſſio maior, non vſq; dū calor ipſius cōgreſſus cōquieuit.

11 **F** *Latuofum cauſa ſimul eſt alatis, etenim ſunt flatuoſi.*

IN aliquibus codicibus legitur non *ατρεπυάδες*, id eſt, alatis, ſed *ατρίπώδες*, id eſt furfuroſis, & euenit hæc lectio- num differentia a Gal. quin & à Dioſcoridis ſeculo vt conſtat ex Gal. verbis. Mihi verò placuit ſequi hanc lectio- nem, quia ſenſus quem reddit confirmari poteſt experimē- to. Nimirum furfuroſos flatuoſos eſſe, neque experimento neque ratione conſtat, alatos vero, eos inquam qui ſunt an- guſto pectore, & eminentibus humeris, & ob id parati ad hæmoptoycas paſſiones, & ad pthyſim, flatuoſos eſſe Gal. teſtatur, eſſe ſibi experimento cognitum, & conſonum ra- tionī. Nimirum anguſtia thoracis, vt in arte medicinali di- citur, cordis ſignificat frigiditatem, cum vero in homine cor fit quod eſt primo ac ſummè calidum, eo frigidiori, ne- ceſſe eſt totum corpus frigidius eſſe, & flatuoſum. Flatum verò paratum eſſe dirumpere vaſa, & commouere fluxio- nes, atq; ob id hæmoptoycam paſſionem, & pthyſim face- re, libello de flatibus diſſertè admodū docetur. Dicit ergo alatos non ſolum ob eam figuram, ſed etiam quia ſunt fla- tuoſi, ſolere dictis morbis corripi, eſſeque *σινάετιον* quali- diceres concauſam, hoc eſt ſimul cum ea figura, cauſam eſſe flatum, talium paſſionum.

12 **F** *Rigidum valde venas frangit, & tuſſes ciet, vt nix & glacies. Conſtrictiuum autem vt pherea, & gon- grona, cauſa autem ſimul & duricies.*

PHEREA, interprete Galeno in commentario huius loci, & libello abſoletarum vocum Hippocratis ſunt λόγῃ ſub auribus granduloſæ eminentiæ, quales ſatiri habere ſu- guntur. Gongrona eſt quæ vocatur bronchocele, id eſt, gutturis ramex, eſt eminentia quædam magna & rotunda in collo, ea ſcilicet quæ barbaro nomine vocatur boxium.

Nihil

Nihil continet aliud hæc dictio, quam quod in aphorismo sectionis quintæ vbi dicitur frigida qualis nix & glacies pectori inimica, tusses mouent, & sanguinè, & destillationes: Rursum alio aphorismo, Cutem obdurat & dolorè insuppurabilem facit. Hoc idè est quòd nunc dicit, adiiciens quædam quæ ad illa pertinent, vt non sit vlla melior ratio interpretationis, quam coniunctis ambobus locis. Nimirum quia sanguinem commouet & destillationes, & pectori inimicū est, frangit venas, & hæmoptoycas facit, passiones, & ob hæc ipsa tusses ciet. Quia autem cutem obdurat, & suppurationes (eadem ratione & resolutiones) prohibet: ac præterea quia fluxiones ex capite commouet, facit pherea & gōgronam, destillantibus scilicet humoribus ex capite, & ob densitatem cutis indissolubiler hærentibus, & firmatis in partibus. Iuuat autè horum generationè naturalis cutis duricies, quod vt doceat, dicit, causa autem simul & duricies.

13 **P**ost mictum concretio, in pueris præcipue, nunquid quia calidiores.

οιζαγμα, id est concretio, interprete Galeno libello absoletarum vocum, significare potest apud Hippocratè aut concretionem quandam, aut appendiculū, aut sedimentum vrinæ, aut tofum. Atque hoc vltimum dicit Galenus melius esse intelligere sexto Epidemiarum, hoc scilicet loco. Testatur enim Galenus in huius dictionis cōmentario, nullo alio loco se inuenisse hoc nomen, præterquā in septimo epidem. quem librum haud opinatur Galenus Hippocratis esse. Suspiciari itaq; possis, dicere Hippocratè vrinam puerorum, paulò postquam sit micta, concreescere, aut conturbari, vel appendiculū sedimentumve fieri solere in vrinis, secretionè aut concretionè facta, partium crassarum, præcipueque id fieri in puerorū vrinis. Atqui possit videri sensus hic, facilis & verus. Dicitur enim in libello de vrinis, qui nomine Galeni circumferretur, puerorum vrinas multam & crassam subsidentiam habere, ob eorū voracitatem, & inordinatos motus. Possis itaq; interpretari Hippocratè hoc idè nunc dicere, concreescere, s. vrinas, aut ipsas totas, aut partes in eis crassiores seorsum (vtrumq; enim euenit) dubitanter vero eum dicere, an quoniā calidiores? Opinari

enim varia licet de causa, atq; aut in voracitatem & inordinatos motus id rejicere, aut in calidiorem naturam, præcipue si nomine concretionis intelligatur appendiculum, aut sedimentum: sunt enim hæc concoctione. Sed vrina tota crassa, & quæ perturbetur cito, in voracibus est calor. Frigidæ enim naturæ voracium hominum reddunt vrinas tenues, albas, & summè crudas. Iuxta has interpretationes pertinere quidem hæc sententiola ad differentias & causas vrinarum neque certè haberet quidpiam improbabilitatis. Sed fatius sit eam sequi interpretationem quam Galenus sequutus est, aliosq; omnes interpretes sequutos dicit, videlicet agere hic Hippocratem de calculorum in vesica generatione, qui morbus pueris est familiaris, ut tertio est aphorismorum dictum est. Generantur enim lapilli qui misceri rejiciuntur, partim in renibus partim in vesica. Pueris quidem sunt in vesica frequentius, adultis, in renibus. Causa qua pueris sunt in vesica, dicunt medici, esse eorum voracitatem: qua senioribus in renibus duritiem renum, & angustiam viarum, & debilitatem expultricis. Sed cur pueris non affert voracitas calculos etiam in renibus? An ob molliorem laxitatemq; viarum, & expultricis robur? Cur hæc eadem non eos liberat a calculis etiã vesicæ? Rursum cur strictura viarum, & durities partium, & debilitas expultricis, non afferunt vesicæ calculos etiam senibus? Hippocrates videtur insinuare, causam esse in calore intensiori. Verum si hæc esset causa, videntur iuvenes, qui non sunt pueri minus calidi, calculis, vesicæ non minus laboraturi, quam illi. Porro pueri laborarent calculis renum, non minus quam vesicæ. Non enim minus, sed plus etiam illi concretescunt calore. Non igitur hæc est causa, aut saltem non hæc sola, sed aliqd aliud oportet adijci dictis causis, quod ego addã, hinc error. Vtrobique & renibus (inquam) & in vesica, gignuntur lapides ex crassis velut sæcibus, quæ cū vrina descendit, hærentque in via, velut ex crassioribus aquis generantur totum in aquæ ductibus. Materia itaque est crassa, crudum, aut sæculentum: efficiens autem causa, calor partium. Cū enim omnes, constat. Non tamen proinde fit, ut sit semper calida intemperies in loco, vbi generantur lapides, nam vbi magna est materiæ aptitudo, exigua faciétis causæ vis est satis atque

atque ita vbi crassum & lentum est quod in vrinae vijs congeritur, solus ille calor est satis ad concretionem, sine quo non possunt viuentium partes consistere, velut aliquando etiam ob calidam intemperiem concrefcunt, quæ alioqui non concrefcerent, quod non adeo ac priora essent concretioni idonea. Igitur gignendorum lapidum duplex est causa, calor maior, & plura crassa materiae detentio. Vt plus materiae detineatur, causa est, quod plus descendat cum vrina, aut quod via sint angustiores, aut expulsio agatur debilius. Calor renum quam vesicæ maior est, in omni ætate, & sexu; puerorum verò & iuuenum æqualis, & vtrorumque maior quam senum. Quare hac ratione pueri & iuuenes æquè essent calculosi, & vtrique magis renibus quam vesica, & vtrique magis quam senes. Verum senes colligunt maiorem copiam succorum crudorum, ob impotentiam coquendi, qui descendunt illis abundantius ob exiguam discussionem, quæ illis est omnibus, & ventris siccitatem, quæ eorum multis. sunt etiam vijs angustis, & debili facultate expellendi. Ob quæ omnia necesse est magis calculosi sint quam illorum vtrique, & in renibus magis ob eorum angustiam naturalem. Puerorum vrinam, & si video medicos, omnes fere, ita affirmare, ego non existimo esse sordidiorum, & crassis crudisque magis abundare secundum naturam, quin potius minus perturbatam, & limpidiorem, quia & si sint voraces, habent tamen alios laxiores, & discussionem per corpus totum longè maiorem. Quorum illud facit, vt maxima pars crassorum & incoctilium per aluum anticipet descendere: hoc, vt reliquum insensibiliter discutatur, cum vrina vero descendat non adeo multum. Habere vero hoc ita, præter dictam rationem, cognouit experimento vel vulgus hominum, qui puerorum vrinam, vt tenuiorem & limpidiorem, ad innumera opera requirunt. Hac igitur causa multò minus calculosos esse euenit pueros quam alios omnes, atque re vera renibus tales sunt. Verum habent quandam insignem occasionem colligendi calculos in vesica, ob quam alij omnes, colligunt plures: ea est in languida expulsionem. Nam expulsio renum est merè naturalis, & ob id in pueris, est, non minus vehemens, quam in alijs vllis; vesicæ vero expulsio habet plurimum animalis: vti-

mur

mur enim ad mingendum musculus abdominis, & præ-
 terea musculo quodam magno qui à vesicæ ceruice produ-
 citur per rotum colem, multis fibris velut digitis vtens,
 quasi mulgens, vt vno perpetuoque impetu exeat vrina.
 Pueris animalis facultas est debilissima, atque propterea
 minori impetu mingunt quàm viri, quo fit vt eorum vesi-
 ca nunquam mingendo perpurgetur, sed semper fiat illis
 post mictum concretio, hærentibus vrinæ fœcibus cir-
 ca eius osculum: non aliter atque concrefcere solent for-
 des, & arenæ in matulis, ac multo magis in vasis angu-
 sti oris, cum non effunditur liquor magno impetu, sed
 paulatim aut languidè. Hanc ob causam, & si puerorum
 vrina sordidior non sit, magis tamen illis fit concretio in
 vesica post mictum, quia id sordium quod est, ob lan-
 guidum vrinæ motum hæret, neque cum illa exit, sed
 congeritur: in renibus non ita, hi enim vt qui naturali
 expultrici, quæ in pueris est fortissima, expurgantur, fa-
 cilè se ab omnibus expediunt accedit mollicies partium,
 & amplitudo viarum, vt ad proprij corporis magnitudi-
 nem. Eadem ratione qua pueri, periclitantur calculum
 in vesica gignere, qui dysuria aut stranguria laborant,
 quòd scilicet debiliter mingant, quod Ferdinando a Me-
 na præceptorio meo, qui etiam ante me fuit Philippi secu-
 ndi medicus cubicularius, postquam & ipse Compluti pri-
 mariam cathedram multos annos fœlicissimè rexerat,
 contigit. Cui post mortem excisso solidissimus lapis, plus
 quam septem vncias pendens, extractus à vesica est.
 Hinc multos ante annos renum calculo laborauerat, vt sit
 verisimile, inde detrusum esse lapidem qui vesica hærens,
 stranguriam fecerit, ac per eam se ipsum in tantum auxerit
 incrementum: quod & in senibus omnibus censerit de-
 bet qui cum antea laborauerint morbo renum, nunc labo-
 rant vesica. In quibus verò stranguria est, cum nullus mor-
 bus renum antecesserit, timeri etiam lapis vesicæ debet,
 non qui descenderit ex renibus, sed illic ob languidum
 mictum congectione genitus sit. Nam fit post mictum con-
 cretio in omnibus, qui quacumq; causa languide mingunt,
 fit verò id in pueris (& in senibus quidem, nunc verò de
 pueris est sermo) quia naturale est his languidè mingere.
 Addidit verò Hippocrates num quia calidiores, rectè sane
 dubi-

dubitandi particula vtens, vt insinuaret, esse quidem aliqua
tenus causam in calore, non tamen omnino, sed in omnib.
sjs quæ dicta sunt.

- 14 **F**igura subleuantes maxime. Vt qui sarmenta implecte
bat, & contorquebat, præ doloribus procumbens; arri
piens paxillum, & summo infixio adhæsit, & subleuatus
est.

FIGURAM vocat semper Hippocrates corporis posi
tum, vt quòd stet, sedeat ac decumbat, pronus, aut supinus,
ex porrectis cruribus, aut contractis, aut rei alicui incum
bat. Quantum possit figura commoda, aut incommoda,
prodesse aut lædere, Hippocrates docuit disertissime libel
lo de medicatrina, & de articulis: nunc verò vno quodam
exemplo indicat. Dicit, figuræ subleuantes maxime. Hoc
est figuræ aliquando plurimum possunt ad leuandos dolo
res: vt euenit, quendam rusticum, cum de more sarmenta
contorqueret & implecteret, dolore quodam ingenti corri
pi, adeo vt præcumbere cogeretur, qui paxillum arripiens,
& velut infigens eum sibi, adhæsit eius extremo fortiter,
& subleuatus est. Galenus suspicatur eum dolorem fuisse
manus, ego verò crediderim fuisse dolorem aliquem ventris
ex flatu: tales enim dolores solent subleuari compres
sione forti, & corporis iactatione, ac mutatione figuræ,
quia hinc inde pulsus flatus, minus in parte nocet, & ran
dem expellitur. Ego ipse soleo hoc dolore teneri, & nulla
in re maius solatium inuenio, cum causa admodum firmata
non est. Et velut natura ipsa docti, quicumque dolent parte
aliqua, pugno sibi eam præmunt, nisi cum phlegmonosus
affectus doloris est causa.

- 15 **Q**uem ex Oritypia iuxta pontem, vidi ego iactan
tem crura, tibiam alteram minime extenuabatur,
femora autem valde. Vrina, & genitura non retine
bantur.

16 **Q**Uæcumque alata natura costarum ob impotentiam occasionis in fluxionibus malignis, siue excretio fit siue non fit, malum.

ALATOS natura paratos esse ad tabem dictum est libro tertio, nunc huius rei causam reddit, & periculum exaggerat, dicens, tales homines periclitari à fluxionibus malignis, idque siue tussiendo excretur materia, siue non, sed infideat immoreturque in pulmone. Occasio, Galeno interprete, vocatur Hippocrati causa in genere eius quæ dicitur Aristoteli vnde motus. Referripotest illud, ob impotentiam occasionis, ad alatas naturas, quasi dicatur, alatas naturas costarum quæ fiunt ob impotentiam occasionis: aut ad fluxiones malignas, quasi diceretur, in malignis fluxionibus, quæ fiunt ob impotentiam occasionis. Primo modo impotentia occasionis fuerit, impotentia facultatis formatricis, quæ corpora nostra dilatat, & naturalis caloris, quo illa vitur: secundo modo intelligetur occasionis nomine pars primario affecta, & à qua venit malum, velut in illa oratione libri secundi sectionis primæ, quæ rursum repetetur paulò post, occasiones etiam vnde quis ægrotare inceptit, considerandæ. Fluxiones in pulmonem aliquando veniunt ex toto corpore, plerumque autem ex capite, atqui profectò alatis plerumque est debile caput, & excrementosum: perrarum enim fuerit, cum tanta cordis & thoracis debilitate, cerebrum & caput esse robustum. Ob debilitatem ergo capitis fit, vt in eo congerantur multa atq; maligna nonnunquam, ac corrosua excrementa, quæ destillatua in pulmones, tabem parere solent, & periclitantur magnopere alati ab his fluxionibus, siue excretio fiat siue nò. Nam si excretio non fit, hærens pulmoni materia, rodit: si autem fit, per vehementem tussim lancinatur pulmo, & vas aliquod plerumque dirumpitur, atque & si nullum manifestè dirumpatur, si tamè vel minima exæsis coepta fit fieri, tussiendo augetur vlcus inemendabiliter. Itaque alata natura costarum, id est, qui secundum naturam habet id vitium thoracis, vt alati more auitū esse videantur, quòd sint angusti lateribus, & exiguis costis, ac eminentibus humeris, id quod ob impotentiam naturalis caloris in corde fieri solet,

solet, in fluxionibus malignis, siue excretio sit, siue non sit, periclitantur. Vel secundum aliam enarrationem, quã non probo minus: qui natura sunt alati, à malignis fluxionibus, quæ nascuntur, ob impotentiam membri mittentis periclitantur, siue sit excretio siue non sit.

Rigores incipiunt, mulieribus quidem magis à lumbis & per dorsum, & tunc in caput, sed & viris posterius magis quàm antè. Horremus enim externis corporis partibus magis quàm internis, ut cubitis & femoribus. Verùm & cutis rarior, indicat autem pilus: à quibus autem alijs rigent fortassis vlcèribus, incipiunt à vasis.

Hic est aphorismus sexagesimus nonus sectionis quintæ, præter illa verba quæ in calce sunt adiecta à quibus autem alijs rigent fortassis vlcèribus, incipiunt à vasis: quæ Galenus censet vel non esse scripta ab Hippocrate, sed ab alio quopiam, vel non quasi certum aliquid definiente, sed incertum & dubium aliquid, ac proinde cum in aphorismos reponerentur, expuncta esse. Dictum est enim sæpe multo exactius scriptos esse libros aphorismorum, quàm hos Epidemiarum. Dicit etiam Galenus hæc verba nulli enarratorum fuisse probata, sed omnes ea pro suo quemque arbitrato permutasse, quasi commodam enarrationem habuerint nullam, ut à principio inueniebantur scripta. Et mihi profecto perinde videtur, ac Galeno & reliquis. Nam incipere à vasis illis, etiam rigoribus congruit qui incipiunt à lumbis, & à parte corporis posteriori, & à cubitis, & femoribus. Nam & si in quartana aut tertiana incipiat refrigeratio à lumbis, motus tamen excrementorum, quorum delatio facit rigorem, à vasis incipit, quæ extrorsum pellunt, ea quæ sibi quantitate aut qualitate molesta esse incipiunt, ea verò delata per sentientes partes, rigoris causa fiunt. Nisi fortè ob hæc verba à communi de rigoris causis opinione recedendum sit: quod non video cur faciam. Præterea rigores etiam qui ob vlcera, aut in suppurationem abeuntia tubercula fiunt, incipere

eipere solent à posterioribus, & exterioribus corporis
 partibus, magis quàm ab anterioribus & interioribus, non
 minus quàm rigores tertianarum & quartanarum. Cur igitur
 dicit, à quibus autem alijs rigent fortassis vlceribus,
 incipiunt à vasis: quasi qui incipiunt à lumbis non incipiunt
 à vasis: atque qui fiunt ob vlcera, aut alias causas manife-
 stas, non incipiunt à lumbis? Nihil continere hæc verba
 vtile, & scitu necessarium, certò mihi videor scire: quid au-
 tem suspicer dicam. Ante Hippocratem in incunabulis
 erat philosophia, nihil erat in ea firmum & certum, sed in-
 numeræ, incertæ quidem illæ omnes, ac velut aniles, cir-
 cunferiebantur de cuiusque rei causis opiniones. Hippo-
 crates plurimum eam produxit, vt erat natura perspicacis-
 simus, iecit firmissima fundamenta, inuenitque principia
 rerum omnium certissima, calidum, frigidum, humidum &
 siccum, quæ ab eo receperunt omnes philosophi, qui fue-
 runt in precio: nam Stoici, & Academici, & Peripatetici.
 Cum autem Hippocrates haud quaque se totum dederit
 naturalibus problematis, sed in medicinalibus potius insu-
 dauerit, non aliter ac Socrates qui naturalia præteriens ad
 moraba se contulit, non potuit de naturalium rerum cau-
 sis tam exactas proferre sententias, quàm posterior Aristote-
 teles & Galenus & qui illos in hunc vsque diem sequuntur.
 sunt: sed de his, cum alijs vt cunq; sentiens, curauit inuenire
 re omnia quæ ad medicinalia opera essent vtilia, atque etiam
 in re nullus vnquam eius viri, diligentiam pariter & prouiden-
 tiã, est consequutus. In philosophicis ergo loquebatur quæ
 plurima ad opinionem: in medicinalibus verò nihil quod
 non haberet exploratissimum, in illis saltem operibus, quæ
 ille perfecit, vt aphorismorum, & prognostici. Hæc intel-
 gens, desines mirari, quòd tam multa occurrant in ijs quæ
 nomine Hippocratis leguntur, quæ nunc ab omnibus cen-
 sentur falsa. Nimirum scripta sunt illa ad opinionem, in-
 cundum eas sententias quæ tunc vigeant, nunc censentur
 antiquatæ. Illud tamen fecit Hippocrates prudentissimus
 tametsi sparsim in suis chartis, haberet multa secundum
 tēporis conditionē scripta, dubia, atque quæ fortasse imple-
 met aut censeret, aut subolfaceret, esse falsa, ex libris autem
 quos ipse elaborauit ac perfecit, voluitque non ad opinio-
 nem, sed ad artis vtilitatem scriptos, omnia illa excepit, et
 solum

solū scribens, quæ vilia, certa, ac experimento longo, potius quā ratione probabili (quæ plerunquē est huc, & illuc tornatilis) confirmata. Velut nunc scripserat (ad opinionem, arbitror, aliquam veterrimam) à quibus autem alijs rigent fortassis vlceribus, incipiunt à vasis. Detraxit autem, in aphorismos translaturus, quasi ibi nihil dubium, neque ad cuiuspiam opinionem, sed quæ omnium sectarū viris essent recipienda, scribi oporteret. Atque ita est factum, aphorismos enim & prognosticū, empirici, & dogmatici recipiebant, atque adeo omnes medici, præter Thefalicos, qui omnia corruerunt. Quamquam & hi recipiebant eorum maximam partem. Erat vetus opinio, vt in libris de morbis licet videre, rigorem fieri ab aquosa humiditate sanguinis, partes per quas volutaretur, refrigerante: volutari verò, vsque cum reliquo sanguine mixta calesceret, & tunc fieri febrem. Humiditatem verò illam, à qua rigor fieret, secerni, sanguine patiente corruptionem quandam, similem ei quam patitur lac cum resoluitur in caseū, butyrum & serum. Fortasse ergo inualuerat etiam eo tempore opinio, rigores febrium, fieri humiditate illa volutante circa ossa & neruos & extra vasa, eos verò qui ex vulnere, tuberculo, ictu, aut omnino causa externa, volutante in ipsis vasis: velut nunc fert communis opinio per febres cōtinuas moueri succos intra vasa, per intermittentes extra vasa: liceret verò fortasse opinari de ea etiam re alicui aliter, quin medicæ arti aliquid officeret. Quæ igitur aperte vera sunt, & experimento constant, scripta sunt in aphorismo, atque in eius commentario à me enarrata, quod præterea hic additur, dictum est ad opinionem, quæ an vera sit parum refert examinare, certè non est consona ei quam de rigoris causis Galenus libello Proprio scripsit, & ego libro 5. contro. medicinalium, sequutus sum.

C Apud ex generatione & occasione, & multis sermonibus, & ijs quæ paulatim cognoscuntur, coniungentem, & discentem, an similia sint inuicem, an non similia inuicem, vt ex dissimilitudinibus similitudo vna fiat. Hæc sane via. Sic & eorum quæ recte habent probatio, & eorum quæ non recte, redargutio.

CAPUT est hoc, seu summa, totius artis, ut Gal. interpretatur, ut autem ego intelligo partis prognosticæ. Nam ut ipsemet Hippocrates dicit, hæc quæ nunc traditur est via seu methodus, quæ ea quæ rectè habent, probantur, & quæ non habent rectè, redarguuntur: hoc est quæ bona aut mala sunt circa ægotantem, dignoscuntur: constat verò hæc dignoscere, prognosticæ partis esse finem, totius enim artis aut partis curatiuæ, finis, non est dignoscere, sed curare. Itaque tradit nobis nunc Hippocrates summam, seu caput totius prænotionis. Verba autem facile intelligètur, ex ijs quæ alijs locis scripta occurrunt, præcipue in prognostico, in cuius commentarijs non semel dixi, duo esse quæ ad rectè prædicendū nosse oportet. primum loca ex quibus capiuntur argumeta, & velut materiã signorū: alterū rationem vtendi argumentis, & adhibendi idoneas distinctiones. Loca quidè iunt præcipuè, quæ in prognostico Hippocrates persequutus est, facies, decubitus, respiratio, pulsus, hypochondria, vrina, sputa, deiectiones, & sudor, ac totius corporis calor & color. Rationem vtendi hac oratione tradit, totam quidem vna summa complectens. Caput (inquit) est totius bonæ præsentionis, coniungere omnia & discere ex generatione (hoc est ex insita cuiusque hominis natura) & occasione (id est ex causa siue interna siue externa, quæ homo cœpit ægrotare, aut incidit in eam affectionem de qua agimus) & multis sermonibus, & ijs quæ paulatim cognoscuntur, id est ex ijs quæ medicus interrogando ex ægroti ipsius aut assistentiū responsis intelligat, vel per se ipsū. Ex his enim omnibus intelliget, ea quæ contemplabitur, similia ne sint an dissimilia, ijs quæ in bene valentibus, præcipuè autè in eodem ægrotō: quæ consideratio omnium præcipua est ad præsentionē, quamque Hippocrates primis verbis libelli de medicatrina tradidit, dicens, an similia an dissimilia. Nimirū cōmunis epilogismus, & omnium hominū mentis ipsitū est principiū, quanto cuiuspiam siue vultus, siue respiratio, siue decubitus, siue aliud quiduis, longius abest, ab eo quod natura homini inerat, tanto esse deterius, quanto abest minus, tanto esse minus malum. Est alia cōsideratio huic proxima, ex qua occasione, seu causa, fluxerit id signum quod contēplamur, an euidenter aliquam causam habuerit, an nullam. sciētibz nobis, tanto quodcūque signū, eorum

eorum quæ censentur mala, esse minus malum, quanto
 causam habet euidentiore, & tanto deterius, quan-
 to magis caret occasione. Harum considerationum pri-
 ma fuit ex generatione, hoc est, ex noticia insitæ naturæ,
 & eorum quæ homini naturaliter insunt. Qua enim alia
 ratione possis cognoscere, sint hæc symptomata natu-
 ralibus similia an dissimilia, quam cognoscens quæ sunt
 homini naturalia? Secunda consideratio fuit, ex occasione
 hoc est ex noticia causæ: vtrunque autem, & natura in-
 quam hominis, & causa affectionis seu symptomatis, ag-
 nosci potest, vel interrogando, vel ex alijs coniectando. Ita
 enim dicitur in initio prognostici, vbi de vultu ægrotantiũ
 agitur, Considerare oportet hoc modo, primum quidem
 faciem ægroti, an similis sit ei quæ in bene valentibus, ma-
 ximè verò an ipsa sibi ipsi, ita enim optima fuerit, si verò
 maximè contraria simili fuerit, pessima est. Hæc est prima
 consideratio, quam constat fluere ex noticia faciei, quæ ho-
 mini ex generatione inerat. Ad alteram considerationem
 pertinent quæ mox addit, dicens. Si igitur in principio mor-
 bi facies talis fuerit, & nondũ ex alijs conijcere potueris,
 interrogare oportet, num vigilauerit homo. an aluus soluta
 sit, an fame teneatur, atq; si aliquid horũ cõfiteatur, minus
 graue esse putandum est. En quo pacto cognoscatur occa-
 sio ex multis sermonibus, hoc est interrogando, & paula-
 tim cognoscendo, ac per te ipsum coniectando. Quibus
 verbis insinuat, quod non semel iam dixi, debere medi-
 cum multa interrogare, & omnia, quæ ad affectus cognitio-
 nẽ, & naturæ hominis, aliquid conferre possint, disquirere:
 neq; tamen tam multa, vt etiam interroget quæ ad rem nõ
 faciant, aut etiam quæ suspicionem vllam noxiam misero
 ægrotanti ingerant, vt in calce secundæ sectionis, de econo-
 mia disputantes diximus. Sed & generatio discitur, nunc in-
 terrogando, nunc per te ipsum coniectando. Nã videns an-
 gustu thoracẽ, & arterias exiguas, et nihil interrogans cõie-
 ctas hominem natura esse corde frigidũ: dubitans vero de
 ventriculo, an etiam sit natura frigidus, rogas an homo na-
 tura sit vorax, an siticulosus, an soleat bene coquere: sed &
 vultum cõspicatus qualem Hippocrates descripsit, bene fa-
 cies interrogans, an homo esset facie carnosus, & nitidus,
 an paulò minus, quam nunc sit, gracilis, & decolor. Itaque
 K k k vtrunque

vtrunque generationem inquam & occasionem agnoscit medicus, cōiungens, & discens ex multis sermonibus, & ijs quæ paulatim cognoscuntur. Sed non satis est ad firmam prædictionem, signum aliquod considerare, quam sit dissimile, nisi alia omnia coniungantur, præcipuè quæ sunt eiusdem generis, & ad simile causam referuntur, ita vt ex omnibus dissimilitudinib. similitudo vna fiat, idest vna syndromes similiter significatium signorum, & similiter dissimiliū ijs quæ natura inerāt. Hunc locum pertractauimus in commentarijs prognostici, eo præcipuè loco quo in calce libri dicit Hippocr. oportere eum qui recte sit præsenfurus, signa omnia considerare. Optimè autem dixit nunc Hippocrat. sic enim eorum quæ recte habent probatio, & eorum quæ nõ recte, redargutio. Nimirū nulla ratio est probandi signū, quod per se videatur esse bonum, nondum tamen est satis firmum, neq; redarguendi quod sit malum, non tamè euidenter, quàm ex alijs signis quæ annuāt, aut remiant: annuētib. enim multis alijs, præcipuè, quæ sint significatione similia, vt deficienti pulsui, frigida respiratione, & liuore vnguiū: aut respirationi facili pulsu forti, & mente firma: quæ per sese essent dubia, signa confirmantur. Hanc ob causam Hippocrates vbi ad certitudinem præfagij videtur desiderari aliquid, & signum quod tradidit esse nonnihil dubium, adijcere solet, considerare oportet alia signa. Nimirum syndromes similiter significantium signorum, annuentium aut rennuentium, reddit præfagium firmum, siue bonum siue malum.

19 *F*luxus sanguinis ex naribus, aut seminigris, semichloris, aut semirubris semichloris, aut subchloris.

CHLORVS color est viridis, aut inter hunc & flauum. Sunt eius multæ species, velut mixtione aliorum colorū factæ: quorundā enim color videtur vergere ad viridem flauum & nigrum, aliorum ad rubrum & viridem, aliorum etiam ad flauum & viridem. Dicit igitur Hippo. ijs qui per morbos talib. tinguntur coloribus, solere succedere fluxus sanguinis ex naribus: quod quidem verum esse ego experimento cognoui. Vidi enim, quosdam, quibus nõ sine admiratione

ratione eorum qui aderant, facies mutata est ad chlorum, & per horas quasdam chlori indicibiles differentias, à fluxu sanguinis ex naribus periclitari, & eorum quendam mori, alium cum vehementi animi deliquio euadere. Itaq; recipio hanc Hippocrasententiam, vt pote quam experimento habeo exploratam. Ratio etiã mihi videtur probabilissima esse. Nam comparat sanguis colores illos biliosus & corruptus, vt autem fluat duplex est causa, multitudine, & vitiosa qualitas: is autem fluxus, qui à vitio sanguinis nascitur, minus potest contineri, quam qui à multitudine: hic enim mox atque exijt quod redundat, sponte cessat, sublata scilicet iam fluendi causa: ille verò nunquam cessat, quia quantumuis minuatur copia, est maligna qualitas quæ irritat: nimirum fluxu sanguinis, nõ exit seorsum quod in eo est malignum, sed simul totus: quare quantumuis sit euacuatum, quod superest, est eadem malignitate, qua quod inerat. Qualitatẽ autẽ sanguinis malignã esse indicat, præter ipsam coloris speciem, illa ex alia in aliam speciem mutabilitas, quam dico me in talibus animaduertisse. Fit enim id sanguine nullo loco se continente bene, sed inordinatè effuso, quod malignæ qualitatis, quam facultas partium non sustinet, euidentis argumentum est. Atq; illa ipsa humorum inconstantia, fluxus futuri fidem, auget, quia necesse est sanguinem agitatũ exitum aliqua parte quærere, quem ex qua potius expectes parte, quam ex naribus, cum motus versus superiora indicent accidentia circa faciem? Meritò itaque illa vultus species, minatur fluxum sanguinis ex naribus periculosum.

10 *Parum demittentem incrassare sicce: alijs verò minus incrassandum. Sicco autem oportet albo, vt galla, & alumen.*

CUM dictum sit solere periclitari ex fluxu sanguinis, eos quibus ob biliosam totius sanguinis infectionem fluit, vt qui sunt subchlori, aut seminigri, semichlori, aut semirubri semichlori: docet nunc quo pacto fisti talis fluxus debeat. Nam cum non ob morbum solum, sed ob aliquod etiam symptoma quis periclitatur, ipsi symptomati debes occurrere, etiam dimisso morbo, qui illud attulit. Duplex

autē consultatio est in sanguinis fluxu, quarū prima v̄ esse mihi longē difficilior, & quæ medicū magis potest anticipatē reddere. Prima est, an sisti debeat, secūda, quomodo. Nō enim omnis fluxus sisti dēt, sed quidā, sisti, quidam iuari ē, quidam tantū fini, cū sit quidam valde salutaris, quidam perniciosus. Certē si ob ictum, aut casum cui fluit sanguis, cū ex causa externa pendeat, non fuerit periculosum sistere. Quare adhibere licebit mox astringētia, & moderatē frigida, nisi tamen contigerit hominem plenum esse, tunc enim mittemus prius sanguinem, aut effluere ex parte aliquid sinemus, quia perinde est ab externa causa fieri, cū corporis apparatu, atque ab interna: cū ob multitudinem fluit solam, non est quōd sistas, copia enim fluendo minuitur, & cū fuerit sublata multitudo, sponte cessabit: nisi verō interim ruperit vas insigne, tunc enim opus erit emplastico, & astringenti, ad quem usum nullum vel inueniri posse putat Gal. præstantius suo, quod parat ex duabus partibus masticee, & aloes vna, cum oui albumine, cū verō fluit ob malignam qualitatem, vel solā, vel cū multitudine: tunc est medicus consilij inops, quā habet res vtranque viam, periculosissimam. Si enim non sistitur, ob impotentiam retentricis quam irritatio facit, fluit, vsque ad syncopem, cū præcipuē qui valde caco-chymus est non possit vllam magnam euacuationem sustinere, & citō deficiat: si sistitur, cum malignus sanguis non possit aliquā in parte pacatus quiescere, capere solet impetum in partem aliquam internam, quam contingit esse debiliorem, vt seni cuidam, qui cum ei satis multum fluxisset sanguinis tenuissimi (erat verō tota facie subclorus,) & auxilijs idoneis fluxus cohiberetur, pleuritide superueniente mortuus est. Quid igitur in periculo adeo anticipati faciendum? Certē quod Hippocrates monet, parum demittentem, incrassare sicce, ad partem verō vti sicco albo, vt forte puluere ex galla, & alumine. Quod parum demittentem dicit, omnes eodem modo interpretatur Scilicet nō statim sistere, sed parum pmittere vt fluat, certē quacunque causa, etiam procathartica, fluere incipiat sanguis, permittendū est fluere nō nihil, antequā sistas. Nam non ad plethoram solum, sed & ad caco-chymias utilis est aliqua missio sanguinis, & ob ictum aut casum secamus

venas,

venas, & ex quocunque vulnere recenti volumus medio-
 criter sanguinem fluere, utcumque igitur cœperit fluere
 sanguis, erit tutius permittere ut fluat nonnihil, quam sta-
 tim sistere. In cachochymijs autem ut missiones sanguinis
 parçè faciendæ sunt, quia non habent unde reficiantur, ita
 & spontanæ fluxiones, sinendæ sunt parùm. Si cui ergo
 vides cum plethoræ signis sanguinem fluere, sine fluat vs-
 que dum sponte cesset, etsi interim homo linquatur ani-
 mo: si verò chloro, aut subchloro, aut seminigro semi-
 chloro fluat, caue finas multum fluere, aut vsque ad deli-
 quium animi. Nam tales maximo cum periculo linquun-
 tur. Sed si non finis multum euacuari quo pacto facies,
 ne in partem aliam feratur? certe incrassando siccè. Hoc
 incrassare, quidam interpretes referunt ad medicamenta
 admouenda naribus, intelliguntque admoueri debere me-
 dicamenta sicca & astringentia, quæ coagulent durentque
 sanguinem in loco, & ita cohibeant: alij ad accipienda per
 os: horum rursus alij, referunt ad victum, intelliguntque
 vtendum victo sicco cum exiguo potu, ne fluat sanguis: alij
 ad medicamenta, dicuntque, illud sicce, significare dari sic-
 cantia & crassitiem afferentia. Atque horum plerique di-
 cunt intelligi debere de sanguine paulatim multo tempore
 fluente, non semel affatimque, quia hunc non censent posse
 expectare auxilium à victu, aut deuoratis pharmacis, sed
 indigere auxilio presentaneo, vt digito, aut medicamento
 admoto parti. Ego quid horum censeam probatissimum di-
 cam. Certè euenit homines utroque modo periclitari, &
 fluxu sanguinis copioso, & lento ac exiguo. Noui enim mu-
 lierem quandam, cui plus quam sex menses, sanguinis gut-
 tulæ continenter fluxerunt, atque cum tantum temporis
 auxilium expectaret, nihil utilitatis ex omnibus quæ medi-
 cus moliebatur percipiens, mortua est. Utrosque ergo cu-
 rari oportet, & quibus affatim, & quibus paulatim fluit, ea-
 dem curationis ratione, præter id quod exposcunt diuersæ
 indicationes. Sanè est his differentia quædam indicatio-
 num communis cum alijs omnibus affectionibus: celerius
 affligentibus celerius occurrere, alijs vero lentius. Præ-
 ter hanc & in ipso modo occurrendi differentia est.
 Nam in his quibus, paulatim fluit, haud quaqua-
 quam censeo, parum dimittere ut fluat, sed quod eras

permissurus fluere, secta vena ex brachio aut crure, vt in
 alia respicienti videbitur, euacuare. Quia cum lentè fluat, si
 expectes, magis lædetur homo consuetudine fluendi, quã
 iuuabitur vacuatione redundantis. Ob hanc igitur primam
 præceptionem videtur Hippocrat. de fluxu confertim fa-
 cto agere, sed quod sequitur in vtroque fluxu intelligi po-
 test. In vtroq; enim, siue in quã paulatim siue cõfertim fluat,
 cù ob corrupti & tenuis sanguinis qualitatem fit, vile est
 vti crassitudinem inducentibus, & tardantibus sanguinis
 motum, atque cum præter hæc, opus sit localia admouere
 quæ obturent, & Hippocrat. in fine orationis dicat, sicco
 autem oportet albo, vt galla, & alumen, satius est censere,
 vltimis his verbis intelligere localia: prioribus illis, ac-
 cipienda per os, quam eandem rem inutiliter repetere,
 prorsus dimissa alia non minus vtili. Itaque dicit in crassan-
 dum sicco, hoc est, vtendum est medicamentis & cibis (cur
 enim non sit victus medicamentosus secundum eandem in-
 tentionem, quam præstat morbus?) siccantibus & crassi-
 tiem afferentibus. Sunt verò quæ id præstant duplicia, quæ-
 dam enim suarum partium crassitie, aut astrictione id faciunt,
 vt puliculæ ex amilo, & ex lente; & suillæ carnes, & ca-
 feus, & poma austera, & serapium mirtinum, aut ex moris,
 aut nucum corticibus: quædam sine crassitie & astrictio-
 ne tardant sanguinis motum, atque ex accidenti quandam
 illi crassitiem inferunt, refrigerando, aut refrigerando pa-
 riter & siccando. Prioribus illis vtimur ad fluxus lentos,
 ad repentinos posterioribus. Nam in copioso fluxu sangui-
 nis serum expectetur auxilium, ex esu amili, aut pirorum:
 potest tamen tunc conferre potus aquæ gelidæ, aut deco-
 ctum pentaphyli, quo ego vtor, frigidissimo: vsus tamen
 crassorum, aut astringentium, paulatim facit sanguinem
 crassorem, & ita in paulatinis fluxibus auxilio esse potest.
 Videtur verò talium rerum vsus eam habere insignem no-
 xam, quòd obstructions facit, atque, si quæ iam sunt, au-
 get, quod quidem corpus multis aliis modis lædit, atque si
 qua fortè expurgatione vtendum postea est, impedit. Pro-
 pterea ego quoad fieri potest talium vsum deuito, neque
 vulneratis neque fluxione laborantibus permitto, præter
 quam ijs, qui nulla magis causa id patiuntur, quam sangui-
 nis tenuitate, quales maxime sunt, quibus, vt diximus, cor-
 ruptus

Nota

ruptus est sanguis. Proinde Hippocrates vt qui consul-
 uisset auxiliorum genere quodam vti, quibusdam quidem
 necessario, haud tamen multis vtili, addidit, alijs verò mi-
 nus in crassandum. Quasi diceret in alijs tamen affectioni-
 bus, atque ad eò in fluxibus sanguinis, qui alijs causis fiant,
 in crassatio vitanda est. Nimirum tenuitas semper iuuat
 vt facultas corporis se expediat facile a quouis morbo, &
 crassities iudicationes omnes impedit, nisi forte excrea-
 tionem aliquando. Interiectum ergo est obiter, illud alijs
 verò minus in crassandum, Hippocrate monente, haud es-
 se debere frequentem vsum rerum crassitudinem inferen-
 tium in medica praxi. Est hæc phrasis similis illi, qua in
 aphorismo vsus dixit, plurima verò non turgent. Perin-
 de est enim ac si nunc diceret, in plurimis verò non in-
 crassandum. Itaque quibus per corruptionem extenua-
 tus sanguis effluit, nisi tamen obstructionibus viscerum
 manifestis laboret homo (vt fit sæpe) vt licet victu, &
 medicamentis crassitiem facientibus. Magna verò pars vi-
 ctus ita instituendi, est, potu vt parcissimo, quia fluxi-
 lem & aquosum reddit sanguinem: contra siccitas reddit
 crassiorem: quod insinuans dixit; in crassare sicce: quo-
 niam ergo & his etiam quibus fluit sanguis ob tenuitatem,
 auenit esse complicatos alios affectus, non eodem mo-
 do procuranda est in omnibus sanguinis crassities, sed si
 tenuitas sit sanguinis sine vlla obstructione manifesta, li-
 cet vt crassis cibis, & cum crassitie astringentibus. & ci-
 bis, & medicamentis: si verò vlla obstructio sit, satius
 sit agere victu sicco sine crassitie, & medicamentis fri-
 gidis, & siccis. Quòd si sit etiam visceris cuiuspiam fri-
 gus, quod talium vsum impediat, abstinemus ab illis
 omnibus, solum vtentes victu sicco, vt asis carnibus
 (bonis quidem illis & tenuibus,) & exiguo potu, ac si res
 exigat dabimus potiones dictis contrarias, calidas scili-
 cet & tenues, vt aperiant, totam verò spem sistendi san-
 guinem collocabimus in alijs auxilijs, reuellentibus sci-
 licet, siue frictionibus, siue ligaturis, siue cucurbitulis, &
 post hæc omnia, in localibus. In quo genere optima sunt
 sicca, & astringentia, vt album, galla & alumen. His ver-
 bis quæ incongruentiam grammaticalem continere viden-
 tur, ego intelligo, habuisse Hippocratem quoddam medi-

camentum aridum album, constans ex galla & alumine, vel solis vel cum alijs similibus facultatum. Ut ego soleo puluillum facere ex his ipsis, & balauftijs, cytinis, symphito, & mastice. Quem insufflare iubeo in nares fortiter. Euenit enim mox, eius mixtione sanguinem concrefcere, & vehementer venas obturari. Est enim etiam ipse sanguis fibrosus & obturans.

Cum Venere uti, aut hircire incipiunt, sanguinem fundunt.

QUANDOQV IDEM cum dixisset Venere uti, addidit aut hircire, significauit, non ob Veneris vltimum fieri fluxus sanguinis, sed ob naturam eius ætatis. Nimirum hircire, hoc est irritari ad Venerem, incipiunt homines, atque adeo esse Veneri idonei, finito pueritia, & ineunte adolescentia, quæ atas, si anni temporibus velis vitæ tempora conferre veri est analogæ, atque ob id sanguine abundat, hinc fit vt mulieribus, tunc primùm menstruæ euacuationes fiant, ac si ob causam aliquam fieri non possint, multis morbis corripantur. Viris eadem causa fluit ea ætate sanguis, multis quidem ex naribus, quibusdam alijs ex hæmorrhoidibus, & quos euacuationes nullæ præseruant, solent ea ætate magnis corripifebribus, atque ex illis magnos pari abscessus. Eadem autem ratione qua huius ætatis hominibus, adhuc bene valentibus, solent fluxus sanguinis accidere, debent & per morbos expectari: iuxta illud quod ter tia particula aphor. dicitur, Ad pubertatem accidentibus plæraque ex his, & febres magis diuturnæ, & ex naribus sanguinis fluxiones. Durat verò ea promptitudo usque ad finem iuuentutis. Nam in prognostico dicitur. Verum sanguinis eruptio magis expectanda est iunioribus triginta quinque annis.

22 **I**n accessibus sunt qui strepitum edunt: velut Archestylans: quidam autem iam accessuri horrentes rugosi: quidam verò cum accesserunt ventre inflantur, velut Damagoras.

HÆC

HÆC oratio enarrata iam est prius in hac ipsa sectione huius libri, fere enim eadem sententia est scripta cum eisdem verbis, præter quàm quòd hic hora seu pars ipsius accessus, qua contingere solent hæ læsiones, explicatur, & adiecta hic sunt illa verba, quidam iam accessuri horrentes rugosi, quæ illic desiderabantur. Ego verò illic ambas orationes coniunxi, ut ex se mutuo explicarentur. Solum illam particulam, rugosi, non explicui, quam ideo solam nunc oportet explicari. Dixi quibusdam iam accessuris, cacochymis quidem existentibus, ob flatum & malignum fumum per partes agitatum, fieri solere horrorem. Horrentium epiphætum est, rugosi, ut paulò infra dicitur à Galeno in commentatione orationis illius. Omnis extenuatio læxat cutem, quia horrentium cutis videtur corrugari, tametsi non tam corrugatur verè, quàm ipsemet qui patitur, videtur sibi corrugari. Itaque horrentes rugosi, nihil aliud quàm si simpliciter diceret, eos horrere. Ut Gale. notat, plurimæ ac variæ erant lectiones, in quibusdam enim codicibus habebatur, rigent, in alijs rigentes rugosi, & hæ omnes hucusque durant. Ego hanc maximè probavi, quam sequutus Galenus est.

23 **M**utationes cauendæ.

NONNULLOS scriptores dicit Galen. adiecisse huic orationi, ætatum, ut hæc esset tota oratio, mutationes ætatum cauendæ. Verum perperam, quia præterquam quòd in vetustissimis libris Galenus id non reperiebat, præter rationem, quod vniuersim, & citra omnem limitationem dici potest, contrahebatur in vnum quiddam, de quo omnium minimè dici poterat. Nam mutationes cauendæ sunt quæ periculosæ. Huiusmodi verò sunt quæ repentinæ, iuxta id quod secunda particula aphorismorum dicitur. Multum & repente euacuare, aut replere, aut calefacere, aut refrigerare, aut vtcunque corpus mouere, periculosum est, & omne nimium est naturæ contrarium, quod verò paulatim fit, tuto fit, tum alias, tum si ab altero ad alterum transitus fit. Repentinæ ergo mutationes, & proinde periculosæ, fiunt, calefendo, refrigerando, humectando, & siccando, & replendo, & vacuando, & mouendo, quæ

que aeris in quo versamur mutatione, & reliqui victus sūt. Ut cum tempus affert mutationes repentinas, aut cum quis se transfert ex loco in locum, vt oppido aut habitaculo, tēperie valde diuersa, aut à multo cibo ad exiguum, aut ex exercitatione assidua ad otium, aut contra. (Quæ omnia vitanda sunt.) Secundum ætates vero, non potest fieri repentina mutatio. Quare ad illam omnium minimè oportet hanc referre orationem, sed solum intelligere mutationes non qualescunque, sed magnas & repentinas. Atq; ita pertinebit sententia ad sanitatis tutelā, & ad morborū curationes. Nā & in victu salubri, & in curatione morborū, sunt tales mutationes cauendæ. Pertinebit etiam ad mutationes quæ sponte fiunt, & ad eas quas ipsi homines faciunt, siue ægroti, siue medici. Nam vt quæ vitantur & si non eodem modo: sed hæc omnino dimittæ (iubemus enim, ne quid tale circa ægrotos fiat) illæ, obiectu contrariarum causarū, temperatè. Iubemus enim cum repente incipit flare boreas, concludi fenestras, conuerti in partem aliam cubile, & eos qui non decumbunt vestibulis duplicibus indui: contra si calor esse repente cœperit, ventilationibus, & irrigationibus, occurrimus, & cubiculorum parietes nudamus, & nostra indumenta deponimus, & aliud quiduis iuxta hanc regulam facimus.

24 Paucus cibus, sine lassitudine, sine siti.

QVIDAM intelligunt his verbis dici, eum qui paucis cibo utitur, solere sine lassitudine & sine siti transigere, itaque pauci cibi esum, liberare à lassitudine & a siti alij intelligunt finem cibi detrahendi esse, vt sit homo sine lassitudine, & sine siti. Hoc est, vtendum esse ea parsimonia, seu cibi paucitate, per quam homo sine lassitudine & siti sit, quòd hæc sint signa utilis oligositiæ, seu cibi utiliter extenuati alij intelligunt, seruanda esse tria hæc ad rectè tuendam valetudinem, vt paucis cibo utatur homo, & quoad fieri possit sine lassitudine, & sine siti sit. Verba omnes has interpretationes ferre possunt, vt & in plerisque alijs dictionibus Hippocraticis euenit. Quia proprium est hoc nimij breui loqui, vt propter obscuritatem verba multis sensibus pateant, qua propter nulla alia est ad interpretationem

via

via idonea, quàm examinare ipsa sensa, rōnē & experimen-
tis seorsum, ac deinde conferre, vt constet quid sit maximè
, consentaneum. Cibi abstinentiam tollere lassitudinem &
, sitim, in quibusdam verum est, non tamen simpliciter, ne-
que in omnibus. Nam pituita aut sanguine abundantibus
cibus affert lassitudinem, cruditatem aut multitudinē au-
gendo: & sitim, omnibus qui pluri quàm indigerent vsi
sunt, quia cibus multus facit redūdantiā siccæ substātiæ, re-
dūdantiā verò siccæ, facit penuriā humidæ & indigētiā hu-
midæ substātiæ facit sitim: cibi igitur paucitas talibus & las-
situdinē tollet, & sitim. At verò bile flaua aut atra redūdā-
tibus, cibus tollit lassitudinē & sitim. Téperantur enim cibi
qualitate, magis quam quantitate replentur: quare cibi pau-
citas his nocet: siccatur enim in vrentemque calorem vertit
vtrosque, biliosos dico, & atrabiliarios eos, qui vsione san-
guinis fæcum facti sunt tales: nam qui sola fæcum abundā-
tia, ij siccātur & refrigerātur, quare fame cruciabuntur po-
tius per inedia, quam siti. Omnes autem ij debilitati cibi
penuria, amittunt agilitatem suntque tanquam delassati, si-
bi ipsis oneri. Primus itaque sensus non vniuersim verus
est sed in quibusdam: secundus a primo videtur fluere, &
propius accedere ad vniuersim verum. Nam cum biliosi
& melancholici indigeant pluri cibo, quam pituitosi &
sanguinei, & eius ingestione tardius lædantur, omnes tamē
lædi possunt, tamen enim non eadem quantitas sit omni-
bus nimia, nulli tamen sunt qui indigeant quocumque:
omnibus igitur utilis est quædam parsimonia, non tamen
omnibus æqualis. Parsimonix autem moderatæ, seu cibi
moderatè accepti (quod idem est) satis congruens est de-
finitio perquam minimè sentit homo lassitudinem, neque
sitim. Nam siue biliosus, siue melancholicus, siue sangui-
neus, siue etiam pituitosus homo sit, si plus satis priuetur
cibo, debilitatur & arefcit: quidam verò arefcunt cum ca-
lore vrente, vt biliosi, & atrabiliarij, & hi sitiunt vehemen-
ter: quidam cum frigore, & hi magis famescunt, omnes igi-
tur delassantur & sitiunt, aut saltem delassantur. Cibi ergo
abstinentia, quæ neque lassitudinem neque sitim infert, ni-
mia non est. Non igitur ineptè velut definitionem abstine-
ntiæ nondum nimix posuerit quis, duo hæc, sine lassitudine
& sine siti esse, quia nimix est, hæc, aut eorum alterum fa-
cere.

cere. Quae anquam sunt alia signa potiora scripta ab Hippocrate nimis abstinentiae, ut quod debiles sunt & infirmi, & ad quoduis opus timidi, & osculum ventriculi dolent, & viscera pendere ipsis videtur, & calidam ac chloram urinam mingunt, & alui egestio comburitur. Quibusdam etiam os amarescit, & oculi caui fiunt, & tempo ra palpitant, & extremas partes perfrigerantur. Haec lib. de ratione victus in morbis acutis, quae cum praecipua sint signa defectus cibi, inedia nondum nimis optima definitio fuerit, per quam nihil horum eueniet. Possunt vero etiam haec ad illa referri. Nam quibus fit debilitas, accidit etiam quaedam lassitudo, & quibus os amarescit, fitis. Itaque secunda haec interpretatio satis videtur digna. Tertiam, quam Galenus sequitur, consideremus. Dicit, proponere nobis Hippocratem tria, quae nobis ob oculos esse semper debeant in vniuersa victus ratione, cibi paucitatem, & non de lassari, & non fitire: namque utendum semper esse paucis cibo: neque mouendum, vel utcumque laborandum, usque dum defatigetur corpus, neque usque ad fitim aliquid faciendum: sed ut diu duret lassitas, retinendum est corpus cum paucis cibo, & sine lassitudine, & fiti. Quid ergo, nunquid benevolentibus paucis cibo utendum? Ac non potius mediocri, aut etiam crasso? Nullos igitur oportet roborare, neque robustos conseruare, sed benevolentes etiam permittere mediocriter debilitari. Hoc vero praeter rationem est. Cur enim firmum natura hominem, & qui multum cibum sine noxa ferre possit, infirmum reddas, pauciores tribuens? Porro si lassitudo adeo est cauenda, cauenda etiam fit exercitatio. Nam exercitationis est meta, ut corpus lassari incipiat, velut in aphorismo dicitur: at vero Hippocrates in salubris victus institutione ponit laborem & cibum. Rursum si fitis est adeo cauenda, consultum erit. mox ac quacumque causa fitire incipiet homo, potum capere quantum velit, neque unquam parcere potui: quod tamen experimento docti, homines prudentes non probant. Certum intelligendum venit, cibum paucum vocari, non quidem paruum, sed pro cuiusque hominis constitutione, eum qui non redundet, & grauet: cauendam vero lassitudinem & fitim, non quancunque, sed nimiam: lassandum enim exercitatione corpus, ita tamen, ut ubi lassari coeperit, quiescendum statim fit: sustinenda etiam

etiam moderata sitis aliquando, maxima tamen bene sano homini nunquam. Itaque si sitias ex labore, tentandum est quiete sedare sitim: si autem ex cibo, somno. Si vero magna sitis sit, neque placetur quiete, neque dormire sinat, non est plus satis ferendum, sed capiendus mox potus frigidus, quantitate moderatus. Haecenus igitur verum est, accipiendum cibum paucum, & sine lassitudine, & siti transigendum. Præter tres dictas quas Galen attigit, insinuat se mihi alia interpretatio, meo iudicio longe facilior, & minus exposita calumnijs, atque ijs quæ ab Hippocrate alijs locis dicuntur magis consona. Ea est eum qui paucis cibo utitur, sine lassitudine & siti debere transigere. Quia, ut dicitur in aphorismo. Vbi fames laborandum non est: neque vero sitiendum quoad fieri possit ne plurimo potu cogatur se replere, is qui ieiunat. Cauendæ ergo omnes sitis causæ: ut labor, & ambientis etiam aeris calor: iuxta id quod secundo de ratione victus in acutis dicitur. Eum igitur qui præter consuetudinē vasa vacua fecerit, confert hac ipsa die exequari sine frigore sine calore, sine labore, oia enim hæc grauitur tulerit. Itaq; intelligo Hippocratem consulere modo, eum qui utatur paucis cibo, vitare lassitudinem, & sitim: quapropter præter dicta, qua die quis ieiunat, benefecerit, deuitans cibos siticulosos, ne aut corripiatur febre, aut potu se repleat, distendatque. Utatur ergo recentibus ouis, & oleribus, & fructibus, & fluuiialibus pisciculis, & maza generibus & lacte, a salitis vero & acris abstineat.

25 **O**mnis extenuatio laxat cutem, deinde circumtenditur. Refectio contraria facit, cutis corrugatio concidentis, extensio renutritæ. Quod horridum, quod leue vtriusque signum, quod subbiliosum, quod subrubrum. Ita & detractas esse mammas, graciles autē, sursum tractas, aut circumtractas. Atq; nullus utique putauerit ob hoc, sed renutrita carne hoc sit.

Cum extenuantur corpora, primum quidem, & dum adhuc consumptio carnis, & aliarum partium mollium est, laxatur cutis, ut quæ tentionem, quam subiecta faciebat caro, remittat: deinde, hoc est cum plus iam procedit consumptio, & ipsa cutis iam arefcit, circumtenditur: refectio contrario modo procedit. Nam primum quidem qui pinguescere incipiunt, cutis tentionem comparant, ob subcrefcentem carnem: deinde verò non renutrita solum carne, sed & cute ipsa aucta, & substantifce, ut dicunt, humectata, plicæ fiunt, & carni per totum corpus rugosa inæqualitas. Hæc quidem omnia experimento quotidiano agnoscimus. Videmus enim conualescentes, & quacunque causa, citra tabem graciles, rugas habere, & laxam cutem, quam digitis facile, sine subiecta carne, comprehendis: tabis verò signum est, distentio & ariditas cutis: quod vel breui fieri solet per colliquantes febres, ut & in initio prognostici animaduertit Hippocrates dicens, & cutis circa frontem dura & circumtenta, & arida. Iam verò pinguescentibus fieri carnem solidam & distentam cutem: præpinguibus vero esse multas, easque magnas rugas, dilatata plurimum cute à subiecta humiditate, nemo non animaduertit. Reddit mox causas quibus hæc fiunt, & signa quibus distinguuntur. Nimirum cutis concidens corrugatur, & quæ renutritur extenditur. Viriusque signum est quod horridum & quod læue. Horridum vocat inæqualitatem, & cutis asperitatem illam, quam facit corrugatio, ut paulo ante diximus, enarrantes orationem illam, in accessibus sunt qui strepitum edunt. Horridum ergo est effectus corrugationis. Est ergo accidens cutis concidentis: læuitas verò fit extensione, quare est accidens cutis renutritæ. Verum quia rugæ duabus causis fiunt, quibusdam enim quod incipiant gracilefcere, alijs quod nimium iam processerit crassities. Distingunt hæc signa duo, quod biliosum, & quod subrubrum. Nam qui rugas habet ob gra cilitatem, plerunq; sunt pallidi, aut chlori: qui verò ob crassitiem, & nutritionem nimiam, sunt rubri, utpote plethorici. His dictis, profert exemplum in mammis, cum enim nulla corporis parte fit cutis adeo laxa, quæq; adeo nunc contrahatur, nunc distendatur, in illis, magis quam in vlla alia parte apparet quod dictum est. Ita (inquit) euenit mammæ

mammæ gracilescentes, primum detractas, & deorsum cōcidentes, vt cum nutrientibus gracilescent, amplius autem gracilescentes vt cum iam arefcunt senescentibus, sursum tractas & circumtractas. Atque (inquit) nullus vtique putaverit ob hoc fieri, qui scilicet nesciat ea quæ dicta sunt: sed renutrita carne hoc fit, idest, sed renutrita carne fieri putabit: vel, sed renutrita carne hoc fit aliquando. Quasi diceret, nullus putaverit fieri ob hoc, quia aliquando fit renutrita carne.

26 **I**ugula manifesta, venæ conspicuæ.

HÆC proximis verbis rectè adiacent, vtpote pertinentia ad eandem doctrinam. Sunt enim etiam hæc signa gracilitatis. Ijs enim qui extenuati sunt, iugula eminent, & venæ conspicuæ sunt, iugula quidem quia caro est consumpta, venæ verò & ob hoc, & nonnunquam, quia redundanti vitiosi sanguinis eausa extenuationis fuerit.

27 **P**rodius interficiebat febricitantes, cursibus, luctis & calidis fomentis. Malum febriculosum, inimicum fami, circuitibus, luctis, cursibus, frictioni, laborem, labore ipsis.

PRODIUM notat, quòd febricitantes malè curaret, ac potius interficeret, cogens currere, luctari, fricari, inambulare (hos enim vocat circuitus) & inedia sustinere, & calidis vt fomentis. Reddit causam qua censeat illum hac curatione febricitantes interficere, dicens, febriculosum malum (id est febris, aut quod cum febre consistit malum) inimicum est fami, circuitibus, luctis, cursibus, & frictioni. Ille igitur addebat, laborem labori in ipsis, & ita interficiebat. Febriculosum malum esse inimicum circuitibus, luctis, & cursibus, & frictioni, idest lædi eos qui febricitent, his exercitationibus, haud dubium est: tamen inimicum etiam esse fami, non tam est manifestum. Cur enim si febribus fames est inimica, febricitantes transferimus ad victum tenuem? Labores enim vt inimicos febribus, merito febricitantibus interdiciamus, iubentes in lecto decumbere,

bere, aut saltem in domo se continere: cibos verò cur tollimus? Sint enim illi amici, si fames inimica. Quòd si dicas, non esse famem febris inimicam, victum tenuem, sed eum qui fit tenuior quàm res exigit, sanè hoc modo non est quòd famem inimicam diceret, potius quàm cibum. Non enim minus, sed ut Galenus censet etiam magis, est inimicum, dare crassiolem, quàm tenuiorem. Itaque hac ratione potius diceret cibum inimicum, quàm famem inimicam. Cum præcipuè febris perse nunquam petat cibos, ac multo minus febrem faciens cacochymia. Ob febres igitur nulla fames videtur esse inimica, ob facultatem verò, cum est nimia, inimica est, non quidem ea peculiariter, sed ut aliud quiduis, quod sit nimium. Proinde ne intelligas famem per se inimicam esse febribus, tametsi enim sunt paucæ quædam, quas peperit fames, quæ cibo curantur, in commune tamen id dici non potest, ob diçtas nunc causas: sed Hippocrates carpit victum quo Prodicus utebatur, qui simul iubebat ægrotos exerceri & fricari, & calidis foueri, & cibum præbebat pauciolem, quàm alioqui oporteret. Hoc verò duplex erratum erat, cum enim cibum pauciolem dare esset pefese periculofum, tamen multo periculofius cum homines laborarent, quia ut dicitur ab Hippocrate, vbi fames laborandum non est. Itaque cum dicitur malum febriculofum inimicum fami, circuitibus, luctis, cursibus, & frictioni, non oportet hæc separatim accipi, sed coniunctim, ut intelligas inimicum esse, non quidem fami seorsum, sed toti huic victui

8 **V**enarum rubor, liuor, chlorus color, laterum dolores tenues.

Hæc mala intelligit Galen. accidere ijs, qui per febres eo victu vtuntur, quem Prodicus instituebat: non tamen singulis omnia, sed omnibus eorum aliqua. Omnes enim plus satis exercitatione & fame cruciatis fit venarum rubor, aut liuor aut chlorus color, aut dolores laterum tenues, vocat, ut omnes ante Galenum enarratores censebāt, quibus ipse etiam subscribit, tenues dolores laterum, eos
qui

qui verè pleuritidis non sunt, sed laterum dolores sine inflammatione. Si enim mediocrem habent sanguinem, in ruborem eis attolluntur venæ, si vero habent debilitatem, sunt liuidi, si sunt biliosi, chlori fiunt. Dolores verò laterum fiunt, ob laborem nimium instrumentorum respirationis, & ob fluxiones in illa concitatas. Non mirum autem, si aliquando is fit corporis apparatus, ut in biliosas pleuritides finiatur ij dolores.

29 **S** *Itim sedans, os claudere, tacere, ventum cum potu frigidum inducere.*

Optimam cautionem continet oratio hæc, ne quem sitis fatiget: os claudere, ventum frigidum inspirare, & potu frigido uti, hæc qui facit & quietus manet, neque cibis vitur siticulosus, si sanus quidem degit, sine siti est, si quàm maximè tenetur affectu aliquo præter naturam siticuloso, tamen sitim moderatius fert. Hanc ob causam æstiuo tempore, sanis, & quibus otium est, ut sanitatis studeant tutelæ, præcipio, domi se contineant, quieti in cubiculo temperato, vestibis moderatis induti, & os habeant clausum, taceantque, & aerem quem sint respiraturi, si res exigat, ventilatione, aut quacunque alia arte temperent, & aquam vinumve, ut cuiusque fert consuetudo, refrigerari curent, alij niue, alij recondentes in subterraneis, alij sub dio exponentes, ut cuiusque est temperies & consuetudo. Eadem & ad febricitantes fieri iubeo, plus aut minus, ut est morbi tempus vniuersale, & hora paroxysmi. Illud vero est mihi semper curæ, ne plurimi ægroti lecto assideant, neque omnino illum inuisant, ne illorum frequentia aerem qui inspiratur calfaciat, & ægrotus multa cogatur loqui, itaque ob id sitis augeatur & febris. Ventum frigidum & potum frigidum, sitim tollere consentaneum est rationi, quando quidem sitis, caloris & siccitatis soboles est. Verum non omnis sitis est eadem procuratio, neque omni æquè succurritur frigido aere aut potu, sed ut cuiusque est causa. Ei enim quæ ex caloris magnitudine nascitur, qua passione plurimùm laborat thorax & pulmo, aere frigido succurritur melius quàm potu, & potu, nõ tam multo, quam frigidissi-

gidissimo: ei vero quæ nonnunquam fit ex sicca intēperie, sine humore, aut cum humore falso, aut acri, qualis plerūque ex ventriculo aut hepate est, melius succurritur potu quam aere, & talem quidem sitim sedat potus aquæ, etiā tepidæ. Itaque hic eius præcipuè sitis medella traditur, quæ ex vehementia caloris nascitur, per quam etiam os claudere, & tacere est consultissimum. Si tamen liceat per febrim os claudere. Nonnulli enim dum febris viget, coguntur hiare, quos si os claudere cogas, fortasse strangules. Verum ore clauso recipitur redditurque spiritus per nares, & oris salina conseruatur melius, quæ loquendo plurimū dissipatur, præterquam quòd in oris partibus excitatur magna caliditas. Cur igitur ad sitim cauendam tanti fit momenti taciturnitas, & os clausum, hæ sunt causæ.

30 **O**ccasiones vnde cœperunt agrotare considerandum, siue ex capitis dolore, siue auris, siue lateris. Signū dentes, & in quibus bubones.

31 **V**lcera quæ fiunt, & tubercula, indicantia febres, quibus hæc non fiunt, iudicationum sublationes. Quibus intus relinquitur certissima & citissima recidiua.

Hæ duæ orationes eisdem omnino verbis occurrerunt scriptæ libro secundo, in calce sectionis primæ, vbi & enarratæ à me sunt.

32 **S**puta rotunda delirium indicant, vt in Pleno.

DE hac sputi specie scriptū est ab Hippocrate in prognostico, atq; à me in cōmentarijs, quod quidē, significare pituitā crassam, & calidā in pulmone intēperiem, Galenus censet, atq; proinde tabem minari potius quā delirium, tamen & deliriū etiam asserere possit pulmonis ea affectio, quòd calidi fumi copiosè mittantur in cerebrū, id vero vnū quiddā esse videtur eorū quæ fieri possint, non quæ crebro fiat, atq; ob id fortasse scribere curauit Hippo. exéplū atq; vbi acciderit. Cēsuit enim Sabinus Plenū nomē esse oppidi.

H. an. 1707

33 **H**æmorrhoydas habentes, neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagædena, neque furunculis, neque terebynthi formam habentibus, fortasse neque lepris, fortasse autem neque alijs.

HÆC oratio, & aliæ omnes quæ sequuntur vsq; ad tertiam sectionis quartæ, eisdem verbis & eodẽ ordine scriptæ sunt in calce libri de humoribus: sunt verò cõsona etiã alijs Hippocratis præceptionibus quæ per totũ hoc opus & in aphorismis scripta sunt. Hæmorrhoydas enim à multis morbis liberare celebratissimum est, nam & in aphorismo, 21. sectionis sextæ dicitur. In insanientibus, varicibus aut hæmorrhoydibus accidentibus, insanix solutio fit. Hic à pleuritide, & peripneumonia, & phagedæna, & tuberculis, & terebynthi formam habentibus, & alijs eiusmodi, dicit liberare: quorum quædam sunt insanix (quæ scilicet sine febre fit) analogæ, utpote melancholica: quædã sanguinea potius sunt, tametsi ea etiam possunt esse ex melancholico sanguine. Sunt enim melancholica vlcera phagedænica, ulcerati scilicet cancri, & furunculi, qui ex melancholico crassoque sanguine fiunt, & nigra quædam exâthemata in cruribus oriri solita, habentia figurã fructus terebynthi, & lepræ, quæ hoc differunt ab elephante, quod nõ tam altè subiectam carnem, sed cutem teneant. In quibusdã codicibus, quod & Gal. monet, pro, neq; alijs, legitur, neq; alphis. Neq; sanè omnino malè, nam & alphi sunt in quadã lepræ specie: cæterũ hæc est vetus lectio. Pleuritis & peripneumonia ex redundantia sanguinis nasci solent, aliquando quidẽ vitiosi, aliquando verò solùm redundantis. Verũ quia per hæmorrhoydas multus & vitiosus sanguis effunditur, fit meritò ut ab his, & ab alijs quamplurimis liberare possint. Nam & multitudinem, & cacochymiam possunt soluere, & ab omnibus membris principibus auertunt.

34 **M**ulti ergo intempestiuè curati, talibus non cunctãter capti sunt. Et perniciosè sic.

QVIA hæmorrhoydes à tam multis & adeo malignis morbis liberant, non debent curari intempestiuè, neq; ali-

ter quam adhibita ea cautione, quam in aphorif. fcripfit, dicens, Hæmorrhoydas fananti antiquas, fi non vna feruata fit periculum eft hydropem aut tabem accedere. Itaq; intèpeftiuè curâtur hæmorrhoydes, quæ cacochymo adhuc corpore curantur repente, nulla feruata, quæ corporis neceffitati fubferuiat. In aphorifmo cõminatus eft hydropem aut tabem, hoc loco dicit, cum quis intempeftiuè curatur, fieri vt illis ipfis malis corripitur citò, à quibus hæmorrhoydũ præfentia liberabatur. Neq; tamè eft vlla repugnantia, fed eadè res dicitur, præterquã quod in aphorifmo reftingerat rem ad duas affectiones peffimas, hic latius liberiusque rem produxit dicēs, in eadẽ affectiones cito incidere homines, à quibus per hæmorrhoydas liberarètur. Quòd fanè rationi confentaneum eft, iuxta rationem epilogifticam, & communem omnium confenfionẽ. Ab illo enim morbo dicimus nos miffione fanguinis, aut alio quopiam auxilio præferuari, in quẽ eo auxilio fublato effemus cafuri. At vero hæmorrhoydes non liberant folum ab his quos nunc recensuit, fed etiam ab hydrope & tabe. Fit hydrops sæpe calore naturali hepatis fanguinis multitudine fuffocato, quo cafu cum poffint hæmorrhoydes à multitudine liberare, neceffe eft ab hydrope etiam poffint. Tabes vero sæpiffimè incipit ab fputo fanguinis, quod nihil poteft melius tollere quam hæmorrhoydes, id vero tollentes, conftat ab imminente tabe liberare. Igitur qui intèpeftiuè curatur, timendũ eft ne aliquo morbo, eorum quos nunc recensuit, corripitur, fiatq; pleuriticus, aut peripneumonius, aut cõtrahat exedentẽ cancrum, aut multos furúculos, aut exanthemata terebynthina, aut lepram, aut fimile aliquid, aut etiã incidat in hydropem, aut tabem: idq; vel per priores alios morbos, vel per fe, & nullo alio morbo prægreffo. Vtrumq; enim fieri poteft, velut in tabem per pleuritidem, aut peripneumoniã, aut hæmoptoycam paffionẽ: in hydropem, per vteri, lienis, aut hepatis durities, aut etiã prægreffis, lepra, aut elephâte, aut quamplurimis tuberculis. Nam ex his omnibus cum fiant maligna, procedi folet ad illa peffima, & poftrema mala, tabem, dico, aut hydropem. Vt hac rurfum ratione in idem recidat, quod hic dicitur, & in aphorifmo. Dicitur enim hic (quod & veriffimum eft) & perniciofè fic: quod nihil aliud fignificat, quã
hæc

hæc mala cum fiunt ob repressas intempestiuè hæmorrhoydas, perniciosiora esse quàm alioqui esse soleant, vnde fit vt in illa finiantur, & interimant. Huius causa est, quia cum consueta aliqua euacuatio cohibetur, omnia periclitantur simul, atque metus est, ne simul cum eo quod apparet, aliquid etiam latens, & perniciosum, in parte aliqua principe fiat, vt certè solet fieri sæpe. Adeo vt vel vulgi iam fit opinio, cum vetus aliqua euacuatio cessat, periclitari hominè de vita: idque siue chyrurgus cessare faciat, siue sponte cesset. Tamen si non semper eadem causa fit, sed cum sponte id fit, aliquando moriatur homo, quia ea euacuatio cessat, aliquando ea cesset, quia homo moritur.

35 **E**T quicumque alij abscessus, vt fistulæ, aliorum sunt medela.

NON tantum hæmorrhoydes antiquæ dicta cautione curari debent, sed & quicumque alij abscessus fiunt aliorum medela, vt fistulæ. Fistula est longus sinus callosus, per quem aliquid expurgatur assiduè. Fieri potest vbique frequens autem est iuxta anum. Illud vero vt fistulæ, non dicitur solum gratia exempli, sed vt explicetur modus eorum abscessuum, qui tali indigēt cautione. Nō enim omnes abscessus tam cauta curatione indigent: quidam enim nō fiūt decretoriè, sed prorsus ratione symptomatis, & sunt omnino inutiles: sed neq; omnes qui fiunt aliorum medela, nisi fiant medella vt fistulæ. Si enim febris aliqua finitur in bubonè, aut parotydem, nemo cūctetur curare, nullo (si fieri possit) relicto vestigio: quamquā profecto abscessus ille febris medela fuerit. Sed quidam sunt abscessus qui affatim ex morbo aliquo facti, illum substulerūt, alij qui nō ita, sed consuetudine quadā assiduè aliquid ex præstantioribus partibus excipiunt, aut vacuant, & hæc sunt medela morborum vt fistulæ, id est assiduè aliquid detrahentes excrementi, & ita ab alijs morbis præseruantes. Definitio autem horum abscessuum diurnitas est. Fiunt enim diurni, quod natura iam consuetudinem eo mittendi comparauerit. Igitur in omni diurno abscessu, siue sit cū euacuatione, vt vlcus fistula, aut hæmorrhoyds, siue etiam sine ea, vt vetus podagra, videndum est quomodo cures. Plurimi enim eorum

qui tali morbo multis iam annis laborarunt, solent in nephritidem, aut asthma, aut etiam aliquam apoplecticarum passionum incidere: ut contra multis fieri vidi, ex epilepsia, aut alio cerebri magno morbo, nephritidem, & ex hac podagrâ. Tales igitur abscessus cû iâ sunt inueterati, & si cum euacuatione nō sint, dico esse aliorum morborū medelam, ut fistulas, qua propter, sæpe curari prohibeo, aliquândo etiâ fieri suadeo, iuxta præceptionē Hippocratis quæ sequitur.

36 **D**ecubitus quidem in quibus facta tollit, hæc ante facta prohibet.

NVLIVS interpretum dubitat, oratione hac significari, decubitus seu abscessus, qui morbis aliquibus superuenientes, eos tollunt, eosdem si fieri anticipent, fieri prohibere. Verùm hæc verba videntur ineptum sensum reddere, aut omnino in aliam ferre interpretationem. Nam illud, ante facta, non videtur dici de decubitu, sed de ipsis malis. Siverò ipsa mala ante facta sunt, quomodo decubitus fieri prohibet? Decubitus igitur ipsum oportet esse ante factū, non mala. Hanc ob causam quidam interpretū pro *προγενομένης*, id est, ante facta, censebant legendum *προγενομένου*, ut referatur ad *συνέχεται*, id est decubitus, itaque decubitus prius factus. Atqui profecto leuicula quadā literarum mutatione redditur tota oratio perspicua. Verùm Galenus, cuius hæc erat lingua materna, censet hanc quoque phrasim, citrà mutationem vllam, posse ferre eundem sensum: quare de ea re non oportet nos admodū laborare, sed rem ipsam expendere, nobis intelligentibus, nihil aliud dici, quàm eos decubitus, qui morbos aliquos solent, superueniendo tollere, eosdē anticipando, fieri prohibere. Dicitur verò nunc nomē decubitus de abscessu, neq; sanè aliud est apud Hippocrate nisi forte ratione. Dicitur enim alterū ab ascedendo alterū ab incubendo. Constat verò idem esse, quod ab vna parte abscedens in alterā incumbit, Constatq; Hippocrate de eisdē prorsum rebus agere cū nuper diceret, quicūq; alij abscessus aliorum sunt medela, & nunc dicentē, decubitus in quibus facta tollit. Idē enim est in quibus facta tollit, & quorū medela est. Et ambo hæc eisdē congruūt. Ijdē enim abscessus, qui, quia sunt aliorū morborū medela de-
bent

bent cautè curari, illi inquã ijdem, cum morbos ante vertunt, ab eis præferuant. Nam hæmorrhoydes sunt de quibus præcipuè susceptus nuper est sermo, quas dictũ est præferuare à melancholicis passionibus. Hæ autem eadem, vt in citato aphorismo dicitur, superuenientes tollunt illas passiones. Verũm (quod ad curationem præstat magnam utilitatem) oportet hic scire, posse hanc sententiolam pertinere ad partem prognosticã, & ad curatricem. Ad prognosticam quidem, cum illud ante facta intelligatur sponte ac per se: ad curatricem, cum à medico. Nimirũ abscessus qui cum superueniunt solent morbos tollere, ijdem si fieri anticipent, liberant, aut etiã si fieri non anticipent, fiant tamẽ arte, & à medico. Cũ sponte fiunt, & liberant, ad medicũ nihil aliud pertinet, quam agnoscere, ac prædicere futurũ, vt homo ab imminente aliquo morbo liberetur: cũ autem morbus imminet, & abscessus non fit, optimè curantis cõsiliũ est, eundem facere: quia decubitus qui superueniens tollit, antefactus præferuat. Hac cauiã multis quibus à magnis morbis malè timemus, curamus hæmorrhoydas facere: alijs etiam crura fricamus fortiter, non aliorũ, quã vt fiant podagrici, quod quidem est morbum morbo curare, aut morbo à morbo præferuare. Verũm non indistinctè pro quouis morbo, quiuis abscessus procurandus, sed pro quocunque, is qui tali morbo soleat vtiliter succedere. Nam Hippocrates dicit, non simpliciter decubitũ a morbo præferuare, sed in quibus facta tollit. Oportet ergo per te ipsum meditari, quæ quibus soleant succedere, vtiliter, & inutiliter, vt quæ inutiliter solèt succedere, prohibeas quoad possis, quæ vtiliter, nisi sponte fiant, aut morbus videatur esse benignus, & bonæ iudicationis (tales enim citra abscessum soluuntur) facias aut etiam antequam morbus hominem præhendat, si ab illo vehemèter times. Velut si qui superiori anno ab epilepsia liberatus est superueniente podagra, nunc à podagra se sentiat valde liberum, tentetur vero incubo, aut vertigine, aut omnino capitis grauitate, prudenter feceris, pedes fricitione, & labore laceffendo, vt à capite auertas.

37 **A**lterius loci loca recipientia, aut dolore, aut pōdere, aut alio aliquo liberant, aut alijs communiones.

AD eandem doctrinam pertinent hæc oratio, & quæ hanc antecessit: dicitur enim nunc, quædam loca liberare à morbis aliarum partium, quod earum recipiant extremæ: nimirum, ut dictum est, decubitus factos morbos tollit, & à nondum factis liberant: tantum addit nunc Hippocrates, quod ad causas abscessuum spectat, videlicet, fieri abscessus in quampiam partem, ob dolorē, vel pondus, aut communionem, quæ illi cum parte affecta intercedat, aut ob aliquid aliud, ut exercitationem nimiam eius partis, aut calidam intemperiem, aut ob debilitatem. Nimirum omnis ex parte in partem motus, necesse est fiat, vel quod trahatur, vel quod mittatur, vel quod veniat. Trahitur quidem calore, frictione, & motu partis recipientis. Mittitur ob partis mittentis laborem, cuius causa est, vel grauitas, vel qualitas maligna: venit autem ob pondus, vel vacuum, porro, ut quod venit vel mittitur, in hanc ex hac parte veniat aut mittatur, causa est, dolor aut debilitas partis recipientis, vel huius, cum illa communiō, seu rectitudo. Indicatum enim est sæpe esse quarundam partium communionem, ob quam in sese mutuo sua mala refundunt, idque ob rationē quandam multis communem, ut dextrarum cum dextris, sinistrarum cum sinistris, aut ob peculiarem, & propriam, ut genitalium cum vocalibus.

3^S **P**ropter conuersionem non amplius sanguis venit, sed, secundum humoris cognationem, huiusmodi spunt.

NON solum in sanguinis excreatione verum esse comperies quod nunc dicitur, sed in omni alio sanguinis effluxu, ut in muliebri profluuio ex utero, & in mictu sanguinis, & in dysenteria cruenta. In his enim omnibus adhuc recentibus sanguis exit, inueteratis verò, mutatur exeuntium forma, in album, purulentum, aut biliosum, flauum, aut viride, aut nigrum, propter conuersionem sanguinis, secundum humoris cognationem: quia sanguinis redundantia in aliquam cacochymiam speciem vertitur, hanc aut illam pro temperie cuiusque hominis: biliosis enim in bilem, melancholicis in melancholiam vertitur, humidis valde cum calore, suppuratur.

Similes

Similes conuerfiones fiunt in febribus : incipientes enim a fanguineis degenerat fæpe in alias fpecies, ob ipfius fanguinis conuerfionẽ. Vbi ego legi τροσιϋ id est conuerfionẽ inueniebat in antiquioribus codicibus τροσιϋ id est inclinatio nẽ, verũ q̃ Gal. pbat cẽfurã veterũ interpretũ, qui p̃ τροσιϋ cenfebant legi τροσιϋ placuit hanc lectionem fequi.

39 **Q**uibusdam fanguinem auferre tempeftiue in huiusmodi, in alijs autem, in his non conuenit.

IN quibusdam eorum quibus fanguis exit, dicit oportere mitti fanguinem, in alijs minime. Vnica autem illa vocula, tempeftiue, exponit quibus fit mittendus, & quibus fecus. Nam mitti debet tempeftiue, & antequam fanguis in aliam naturam degenerauerit, pofterius vero minime. Cõstat autem hoc dici indicatione ab humoris fpecie, ob quã in illis quidem mitti fanguis, in his expurgans medicamentũ dari debet : verum hoc nihil prohibet quin in eis etiam quibus mutata fit eius fpecies, mittatur aliquandõ fanguis fecundum alias de mittendo fanguine præceptiones.

40 **I**mpedimentum incruentã fpuentibus, anni tẽpus, pleuritis, bilis.

GALENVS, atque vt ipfe refert, alij eo priores, intellexerunt dici hic impedimentum, quod fanguinis miffionem prohibeat: cæterũ durũ est dicere, pleuritidẽ prohibere mitti fanguinem, neq; Galenus fe fatis expedit ab hac difficultate, quantumuis laborat : quapropter ego in aliũ fenfũ feror, intelligoq; impedimentum dici, non quod miffioni fanguinis, fed quod curationi fimpliciter obftat: quafi diceret, cũ quis fanguinis fputo laborat, tẽpus anni, valde aut calidũ, aut frigidum, & pleuritis (fi fcilicet fimul tenetur pleuritide, vt fieri folet) & bilis toto corpore redundans, impedimento eft quominus recte curetur: quia vterq; temporis excessus, & frigus inquam & calor auget fputum cruentum illud rumpens, hic laxans: bilis exedit: quare cũ fint hi tres modi quibus poffit fanguis excreari, ruptio, anafthomofis, & corroffio, necelfe eft tria hæc obftent curationi, præterquã quod bilis petit vfũ expurgantiũ, quæ aperiẽtia funt & irritantia.

irritantia. Iam verò pleuritis non aliter curari potest quàm excreando, neque hæmoptoys quicquam petit magis, quàm thoracis quietem, vt ne loqui quidem talibus libenter permittamus: obstant igitur magnopere hæc omnia sputi cruenti curationi. Hanc esse legitimam loci huius explanationem, facile intelliges ex Galeno in commentario aphorismi decimi sexti, sectionis primæ. Ibi enim ita est scriptum, Et enim contraria indigent curatione sputum sanguinis, & pleuritis. Si igitur contraria petunt auxilia, necesse est mutuo sibi impedimento sint.

Sectio quarta:

Q *Uæ iuxta aures circa crism fientia, non suppurantur, his inanitis reuersio fit secundum rationem reuersionum, reuersione facta iterum tolluntur, & manent, vt febrium reuersiones in simili circuitu. In his spes est in articulos abscedere.*

DIXERAT Hippocrates in proxima sectione, omne suppurans esse sine recidiua, vnde collegimus, quod non suppurat non adeo sine recidiua esse: iuxta quam sententiam dicit nunc, parotydes quæ per morborum acutorum iudicationes fiunt, nisi suppurentur, reuersiones habere, ac que adeo harum quasdam solere pluries & solui & reuerti secundum ipsos febrium circuitus, & talibus solere postremo fieri abscessus ad articulos. Inaniri oedemata dicit, vt Galenus libello vocum antiquarum Hippocratis interpretis est, detumescere & emolliri. Dicit itaque cum non suppurantur, sed inaniuntur, id est detumescunt, vt videantur resoluta oedemata, solere reuerti, atque nonnunquam pluries circuitu quodam febrili simili, idque cum fit, spectari furoros postremò ad articulos tumores aut dolores. Constat, cum esset dicturus, his inanitis reuersio fit, non fuisse necessarium dicere, quæ non suppurantur, nam intelligi poterat & si tantum dixisset parotydes si inaniuntur & reuertuntur

tur iuxta febrium circuitum. Nam quæ ita inaniuntur & reuertuntur circuitu quodam non possunt esse suppurata. Verum Hippocrates dixit quæ non suppurantur, vt alluderet, ad id quod citato loco dictum est, obiterque insinua- ret, quæ non suppurantur esse reuersiua, quæ enim suppurã tur reuersiua non sunt. Causa vero ob quam euenit quod in hac oratione dicitur, est, quia quæ non suppurantia, sæpe intumescunt & rursus detumescunt, neque suppuratio- nem recipiunt, neque resolutionem integram, sed aut resol- uuntur falso, hoc est, retrocedentia videntur resolui, aut imperfectè, ac per partes succorum influunt, & resoluunt- ur, vt in paroxysmis febrium euenit. Vtrunque autem ho- rum malū. Retrocedere enim periculosi & lethalis est mor- bi, per partes influere & resolui, est contumacis, longi, & difficilis iudicatu. Est enim iudicatio quædam sæpe tentata, quam tentari tanto est deterius signum, quanto ipsa iudica- tionis species est deterior, illis quæ cum euacuatione agun- tur. Cum verò sæpe rediēs, & abiens tumor, possit fieri ob dictas duas causas, redire secundum febrium circuitus in- dicat, ob resolutionem quæ per partes agatur, id euenire, eodem scilicet modo, quo in ipsis febrium circuitibus. Igi- tur merito eo apparente signo, expectantur abscessus alij grandiores, qui ad articulos plerunque fiunt, ob ipsarū par- tium naturam, vt alibi explicuimus, non semel.

2 **V**rina crassa alba, vt quæ Amphigenis, in laboriosis quarto die aliquando incipit, & liberat ab absces- su, si vero ultra hoc, & sanguis à naribus effluat, manife- ste admodum.

Vbi dicit manifeste admodum, supplere debes solui- tur, constat id ex aphorismo septuagesimo quarto seçtio- nis quartæ, qui hæc ipsa oratio est. Tantum hic additur exẽ plum Amphigenis. Verum hoc nihil facit, vt quis aliã enar- rationem desideret, præter eam quam in aphorismi com- mentatione scripsi.

3 **C**vi intestinū, in dextra parte arthriticus fiebat, & quietior, postquã autem huic curabatur, dolentior.

V N V M

VNUM quoddam, idque accommodatissimum exemplum, nunc proponitur, illius doctrinæ, quam sectione proxima tradidit, dicens, Alterius loci loca recipientia, aut dolore, aut pondere, aut alio aliquo liberant, aut alijs cõmunionibus. & rursum illius quam antea tradiderat eadẽ sectione, dicens, Multi ergo intempestiue curari, talibus non citanter capti sunt. Nimirum illa oratione dicebatur, quarũdam partium dolores liberare à doloribus aliarum partium: hac verò, si partes illæ quæ ab aliarum liberant passionibus intempestiue curentur, passionibus eas fieri aut redire, velut huic, cuius hic fit mentio. Laborabat enim intestini dextri morbo, superueniebatque ei nonnunquam dolor articulorum, atque tunc temporis subleuabatur à priori malo, & cū curabatur ab arthritide, redibat, aut exacerbabatur intestini dolor. Nam, quia articulare dolorẽ adesse, tollendi intestinale, erat causa, non adesse, erat augendi. De trahebant enim dolendi causam articuli intestino, qua nõ detracta, necesse erat dolorem augeri. Nimirum cum nõ esset tota dolendi causa intumpta, neq; corporis apparatus morbosus sublatus. Vt narrat Gal. altercabantur enarratores de hac intestini affectione, dicere volẽtes ad quod intestinũ pertineret, & de hac arthritide, ad quem articulũ. Dicebant alij eam affectionem fuisse dolorem coli, alij deciditiam ceci in scrotu, quod id dextra parte locatum, & à mesenterio solutum sit: rursum dolorẽ arthriticũ, quidam multorum articulorũ quidam pedũ, alij coxæ fuisse. Videtur enim multis non satis esse commentari autorum verba nisi etiam diuinent. Nã quæ ratio sit qua scias, cum Hippocrates nihil dicat aliud, quam cui intestinum in dextra parte, quod intestinum doluerit? Atque an doluerit solum, an etiam deciderit in scrotum? Atque cum solum dicat arthriticus fiebat, qui articuli, aut quo doluerit? Nisi probes, non posse horum quiduis fieri, sed vnum quiddam necessariò fieri, alia omnino fieri non posse. Ego verò scio uirum quẽdam doctrina nobilem, & mihi valde familiarem, cum vtrique dolori, intestinorum dico & articulorum, sit obnoxius & utroque soleat laborare alternatè, quasi alter alterũ eleuet, laborasse iam sæpe dolore colico sine intestini deciditiam, aliquando etiam deciditiam intestini in scrotum: plerunque podagra & chyagra, aliquando etiam schy-

de.

de. Itaque possunt hæc omnia fieri, estque omnium ratio & causa eadem. Sed neque quod dicit in dextra parte, aliud quippiam nobis indicat, quam euenisse nunc dextra parte dolere, posset idem euentus in sinistra esse parte. Neque quod ex intestino ad articulos factus est abscessus ob quampiam cõmunionem (nulla. n. est) sed dolore, aut grauitate, aut ali quo alio, vt dicebatur. Porro quod Hippocrates dicat numero singulari intestinum potius quam plurali intestina, nihil refert, nam nomine intestini cum simpliciter dicitur, significatur totum id quod producitur à fundo ventriculi vique ad anum.

- 4 **A** Gasis filia cum iuuenula esset denso erat spiritu, mulier autem facta, ex partu non diu dolorosa existens, in sublimen extulit pondus magnũ. Statim quidem crepere visum est aliquid in thorace. Sequenti die. & asthma habebat, & dolorẽ dextræ coxæ. Cũ hæc doleret, tũc & asthma tenebat, cessante autem, cessabat. Spuebat spumosa, initio quidem florida, consistens verò vomitui bilioso simile erat. Dolores tunc quidem maxime, cum laboraret manibus. Hanc abstinere ab allio, suilla, ouilla, bouina: in spirationibus verò à clamore, & ira.

HÆC mulier haud dubie habebat intra thoracem in suprema & posteriori eius parte, ad duo inquam prima spatia intercostalia, iuxta ipsam spinã, tuberculũ aliquod quod diutissime crudũ perlitit, postea verò labore partus denuo exacerbatum, & factum phlegmonosum, & dolens suppuratum est, & postea nixu, quo mulier pondus magnũ in sublime extulit, rupto abscessu, pus in thoracẽ effulum est. Inde pure resudante intra pulmonẽ factum est asthma & compatiẽte coxa factus est dolor coxæ. Quoniam verò ex eadem parte, & eadem causa coxæ dolor, & asthma procedebant, consentaneum erat augeri, & minui simul, atque tunc mulierẽ respirare difficilius, cũ doleret magis coxa, facilius verò, cũ minus. Cõstat verò necesse esse huic in thorace non solum esse asthma, sed dolorẽ etiã, nã quo loco fuerat tuberculum, necesse erat manere vlcus caui, &

difficile sanescens, in loco præcipue ad coalescentiam vlcerum adeo incommodo ob motum assiduû, & situm profundum. Fuisse vero & tuberculum; & ex eo relictum vlcus eo thoracis loco quo dixi, inde coniectes, quod dolores tunc maxime ingrauesceret, cum laboraret homo manibus. Nimirum nerui manum nascuntur à dorsi medulla, inter primam & tertiam vertebram, & decurrunt per duo spatia intercostalia. Merito ergo manibus laborantibus, condolebat ea pars thoracis, quare si cum thorace condolebat coxa laborantibus manibus doleret vtraque pars. Hæc omnia secundum Galeni enarrationem dicta sunt, atque adeo, vt ipse censet, nulli possunt videri dubia, præter illud quod de compassione thoracis & coxæ dictum est. Nulla enim causa videtur, qua condoleret coxa cum thorace, cum nulla esse videatur communio illis, velut est thoraci cum genitalibus. Galenus ob nullam communionem factum esse putat, sed quod casu huic mulieri coxa fuerit debilior quam partes aliæ, atque ideo receperit excrementa. Mihi vero videtur in partium etiam natura, & communiōne, causa aliqua esse potuisse. Nam thoraci cum vtero magna communio est, siquidem vocalibus cum genitalibus, dolere verò coxam sæpe ob vteri morbum res est experimento compertissima, & rationi maxime consona, & ab Hippocrate celebrata, præcipue verò quibus vterus incidit in coxam: qualis fortasse erat hæc mulier. Sed est hic consideratione dignum, cur ei, qui à dolore dextri intestini fiebat arthriticus, quanto magis ingrauescebat arthritidis, tanto magis remittebatur dolor intestini, & contra huic verò mulieri ambo dolores ingrauescebant simul, cum præcipue dictum eidem Hippocrati in aphorismo sit, Si duo dolores non eandem partem infestant, maiorem alterum obscurare. Certè si illud obscurare, sit, vt verbum ipsum præse fert, & Galenus in commentario eiusdem aphorismi intelligit, facere vt lateat, seu vt minus ab ipso ægroto percipiatur, sed velut contemnatur præ alio vehementiori, vera sit sententia illa aphoristica vniuersim; distrahit enim semper mentem vehementioris obiecti sensus à debiliori. Verum si illud obscurare accipiatur, vt Galenus in commentatione historię proximæ, eius inquam cui dolebat intestinum, accepit quasi diceretur, dolorem minorem à maiori tolli

tolli aut curari, iuxta illud quod sectione secunda huius
 sexti dicebatur, operari simile, ut dolor dolorem sedat, non
 fit vera sine quadam limitatione. Nimirum cum pars aliqua
 dolet per consensum cum altera, ita inquam ut non fit so-
 lum passio secundaria, sed mera sympathia, non tantum non
 curat alter dolor alterum, sed necesse etiam est crescant af-
 fectiones simul, ut si quis ob affectionem dolorificam ven-
 triculi, aut capitis, dolet oculis, necessario crescet oculorum
 passio crescente passione ventriculi, aut capitis. Cum autem
 non est mera compassio, duorum alterum necesse est fieri,
 vel alteram partem recipere ex altera, vel ambas a toto
 corpore, vel ab aliqua alia. Si altera ab altera recipit, neces-
 se est ut crescente dolore posterioris decrescat prioris, iux-
 ta quod libro. 2. huius operis dicebatur, dolente capite in-
 pectus descendit, & hypochondria, inde in coxam, & pe-
 des. Impossibile est autem omnia simul dolere. Si vero am-
 bæ partes recipiunt simul à toto vel alia quadam, necesse
 est dolores augeantur simul, quia scilicet recipiunt simul,
 verum tunc quoque detrahunt sibi aliquid mali mutuo,
 quævis enim earum reciperet plus, nisi in alteram pars suc-
 ci mitteretur. Ei igitur cui dolebat intestinum fiebat etiam
 arthritis, non per meram compassionem, sed quod altera
 in alteram pars mitteret, ac proinde merito, non simul sed
 alternate augebantur: huic autem fiebat coxæ dolor & ast-
 hma, thorace fortassis compatiante cum utero: aut utraq;
 parte recipiente simul à toto, aut fortasse a capite. Ex spe-
 cie sputorum nihil aliud possis intelligere quam à talibus
 humoribus pependisse malum, quales illæ differentie spu-
 torum sunt natæ significare, initio vero exisse floridum, hoc
 est subrubrum, decisso sanguine ex ulcere. Verum de diffe-
 rentijs sputorum, & significationibus, in prognostico est
 satis diffuse actum: nunc quæ peculiariter sunt huius loci
 pertractentur. Videbitur tibi hæc mulier etiam ante quam
 rumperetur tuberculum, laborasse asthma, quando qui-
 dem laborabat respirationis difficultate, & crebro spiritu.
 Quid autem est aliud asthma quam respiratio anhelosa
 quæ non fit ob febris magnitudinem? Certe non quæcunq;
 anhelatio, sed tanta, ut sit iam orthopnæa. Itaque hæc an-
 tea respirationem habebat difficilem ob tuberculum, non
 dum verò erat orthopnæica, ac proinde neque asthmatica,

vt postea. Si placet dicere fuisse antea asthma incipiens, quia id malum augetur in asthma abiit, nihil prohibet. Quid huic medici consuluerint, narrat Hippocrates, non quidem curationem, sed victus solum institutionem. Fortasse, vt erat morbus longus, & qui eam decumbere non compelleret, non est curata, sed contenta solo victu, perferri posse non sperans, sed morbum melius, ferre volens. Fortasse etiam curationem dicere omisit Hippocrates quod non valuerit persanare, vt cunque hoc habeat, censuisse dicit medicos, hanc abstinere ab allio, suilla, ouilla & bouina, quia sunt hæc partim acria, partim concoctu difficilia, & crassa. Itaque eadem ratione abstinere debuit ab omnibus acribus, & ab omnibus concoctu difficilibus, & crassis. Nam acria breui afferrent pthisim exesione pulmonis, concoctu difficilia & crassa impedirent excreationem & omnem corporis expurgationem. In spirationibus (inquit) à clamore, & ira. Rectè profecto, nihil est enim quod adeo possit vlcus dilatare in thorace, ac clamor, qui fit vehementi respiratione, & ira, quæ facit feruorem sanguinis & præterquam quod humores conuocat, vsu aucto facit respirare plus & crebrius. Dicens, in spirationibus, indicat duo hæc ob spirationem lædere, quia scilicet vtrunque facit respirare vehementius. Mirum tamè nisi huic iussit Hippocrates ferris candentibus fieri inuentiones, in duobus spatijs intercostalibus suppremis, iuxta spinam, in parte dextra: & circumcirca coxam dextram: ego quidem huic hæc consuluissem fieri.

Cvi exedebatur in capite tumor, primum alumen vstum quadravit. Habuit alium abscessum, fortasse quoniam os abscessurum erat, abscessit sexaginta diebus super aurem, superna in parte ad verticem vulnus erat.

HABUIT hic, quod per malignas cacochymias fieri solere multis scimus, tumores, vlcera, & ossium cariem in capite. Quæ hoc nostro tempore fieri haud quaquam possunt, sine morbi gallici nota, quanquam eum morbum novum esse vulgus sibi persuasit. Huic duo tumores nati sunt, alter

alter sponte exulceratus, exedebatur, eratque vlcus hoc supra aurem iuxta verticem: alius abscessus non narrat Hippocrates qua parte capitis fuerit, suspicatur tamen ortum esse ibi, quòd os subiectum carie laboraret, & inde esset abscessurum, vt factum est. Nam aperto à chyrurgis eo abscessu, sexagesimo die ex quo nudatum est, & cœpit aere & medicamentis alterari, abscessit os. Fieri quidem potest, vt osse non corrupto, ob redundantiam solum humorum fiant tumores, verum in ijs qui maligna laborant, cacochymia, sæpissimè fiunt ob subiecti ossis corruptionem. Quare mox atque apparet tumor, timere talem corruptionem oportet, atque alio quopiam signo accedente, vt persistente dolore, aut fouca subpræmente digito cum quadam asperitate aperire. Quod ad tumorem qui exedebatur, alumen bene faceret, iuxta illius naturam etenit. Nam siccat vehementer. Rectè autem dixit alumen quadravit, insinuans scilicet, non omnibus ita affectis illud ipsum medicamen futurum vtile, sed alijs hoc, alijs aliud quadraturum, pro cuiusque hominis natura, & dispositione: rectè etiam dixit primum, quia & si primum videretur alumen bene facere, tamen non potuerit eo solo perfanari homo, sed alia fuerit opus adijcere, fortasse caustica. Quòd sexagesima os abscesserit, non mirum, plærisque enim abscedunt post quadraginta, hic fortasse erat senex, & ossibus natura durioribus.

Intestina habèt vt canis, maiora autè, suspenduntur ex mesocolis, hæc autem ex nervis ab spina, sub ventre.

AD Anatomem pertinet hæc oratio, est autem maximè conspicuum, & exigua diligentia indigens, quod dicitur, nihil enim dicit aliud, quàm intestina hominum similia esse caninis, quod adeo est anatomistis perspectum, vt quæ ad naturalia instrumenta pertinent, non nisi in caninis corporibus ostentent. Dicit hominum intestina esse maiora, certè vt & corpora tota. Ita autè habere, etià non perspectis intestinis, ex vtrorunq; facibus licet agnoscere. Sunt enim hominũ fæces, quæ duræ egeruntur, crassiores quàm canũ. Suspèdi dicit ex mesocolis, hoc est ex meseterijs. Qd

M m m enim

enim Galenus vocat *έντέρα*, idest intestina, vocabat Hippocrates & eo antiquiores, *κόλα* quare, & quod mesenterium, mesocolum. Dicit verò numero multitudinis mesocola, quia constat multis venis, quæ omnes alligatæ sunt spinæ, ligamento quodam magno iuxta septum transversum. Ut inde sint mesenterij vasa omnia, atque cum eis in testina, ex spina, & ipso septo transverso. Vocat verò nervos illa ligamenta, nomine, ob substantiæ similitudinem, latius accepto. Dicit sub ventre, vel quia infra ventriculi os, vel quia corpore supino collocato, substat omnibus intestinis.

- 7 **L**aborantibus gratiæ, ut mundè facere aut potus aut cibos, quæ videt, molliter quæcumque tangit, sed non ut valde lædant, aut non bene emendabiliter, ut frigida, ubi hac est opus. Introitus, sermones, figura, vestis ægrotanti, tonsura, ungues, odores.

OMNIA hæc pertinent ad œconomiam circa ægrotantes, de qua sectione secunda huius, non longè à fine, dictum est. Omnia, quæ & ad ipsum ægrotum, & ad medicum, & ad eos qui adsunt, & ad externa pertinent, ad gratiam ægrotantis debent esse comparata. Gratificandumque ei, quoad fieri possit, cibis, & potibus, & medicamentis, & cubiculo in quo decumbat, & ijs quæ oculis obijciuntur, & sermonibus quos audiat, & odoribus, & lectuli mollicie, ac denique omni alia re, quæ non valde lædat. Usque adeo ut & ipsum medicum velit Hippocrates sese componere, ut maximè ægrotis placeat, introeat scilicet compositè, & videat quos apud ægrotum sermones habeat, & decentem habeat vultus & totius corporis figuram, & vestibus induatur preciosis & mundis, capillis bene tonsis, unguibus expolitis, odoribus etiam utatur. Huc spectat ferre anulos, & aureos torques, & quædam alia, quæ vulgus hominum miratur, & amat. Libello de medico scripsit Hippocrates multa ad hanc partem spectantia, ex quibus ego illud imprimis eligi suadeo, medicum circa totam vitam esse probè compositum. Quia maximè (inquit) ad opinionem, & auctoritatem comparandam conducit, bonis & honestis

nēstis moribus præditum esse. Itaque si omnes hæ indulgentiæ, quibus ad ægrotantes vtimur, id possunt præstare præcipuè, vt Gal. censet, vt diligant, & proinde nobis pareant, velut vniciis amicis, velut parentibus, velut dijs. nihil magis obedientiã parit quàm autoritas, neque hanc quàm probitatis opinio, vt Hippocrates dixit. Sed præter hanc vtilitatē, præstant hæ gratiæ ægrotantibus, aliã non exiguã, exhilarant enim quædam, vt quæ ad medici ornatum spectant, & sermones, & spectacula, ipsorum animos, vt minus moerore languescant, quædam etiam ipsas naturales facultates, velut mundè parari cibos & potus, & suauitati aliquid condonare, & si alioqui videatur non valde expediens. Certè his præceptis, non ad diætã, sed ad lucrum vtuntur multi, caueant autem hortor ne plus satis vtantur, & plurimum suis commodis studentes, eorum qui se illis crediderunt, salutem spernant. Videant quantum sit id quod suauitatis causa permittant, quod sanè Hippocrates ipse definit. Sed & id ipsum quod per artem licet, videant ipsi quibus permittant. Nam quod insigniter possit lædere, aut quod inferre noxam quæ non faciliè emendetur, nulli debent concedere, sed vt in aphorismo dixit, Parum deteriorem cibum aut potum, sed neque quod exiguum possit lædere permittendum est omnibus. Nam mores ægrotantium considerandi sunt. Quidam enim sunt adeo intemperantes, vt si medicus illis tantillum concedat, ipsi ea occasione sint plus multò adiecturi. Itaque hæc præcepta vt alia omnia practica, prudentia indigent. Nam & medici compositio ad gratiam comparata, quæ plurimũ artis prodit, eum facere solet ridiculum, & contemptilem: quinetiã suspectum, putantibus hominibus, id quod doctrinæ deest, ambitione illa suppleri, & eum qui tam multis rebus, fortasse futilibus, studeat, non admodum posse vtilibus præceptionibus esse intentum. Neque tamen has ob causas velim medicum rigidum, grauem, inurbanum, & prorsus rusticum se præbere, vt noui alios, hac arte volentes simulare se semper tractare seria. Vsq̃ue adeo est cuique suus astus: Ego mihi nihil horum, sed facilem, non tamen leuè: aut grauem non tamen tetricum cõuictum, exopto, & omnia prudenter, ac moderate facere. Vbi ego legi, sed non vt valde lædant, legitur in grecis codicibus *ἀλλὰ μὲν μεγάλα*

βλαπτεν Idest, alia non multum lædere. Quæ verba inep-
 titudinem quandam præferunt, proinde mihi arrisit plu-
 rimum illud *ἀλλὰ* mutari in *ἀλλὰ* idest sed, fit enim
 mutato solum apice, & redditur sensus longè facilior, hic
 scilicet, gratiæ quidem ægrotanti, ita tamen vt non valde
 lædant, velut si dari debeat ægroto ad voluptatem frigida,
 ne tamen ita detur, vt parere possit noxam aliquam ma-
 gnâ, atque fortasse incmendabilem: vt hoc deliciosissimo
 tempore, quale nunquam viderat Hispania, scimus multis
 niuis vsu nimio contigisse. Sed si de mollicie & volu-
 pratibus quæ nostrorum animis irrepserunt, sermo esset ha-
 bendus, ad elegiam procederent cõmentaria. Faciat Deus
 vt ab his expediti, ad virtutem pristinam, qua alijs omni-
 bus gentibus quondam fuerunt admirationi, conuertantur,
 & licebit medicis eos serio curare, vtenturque illi arte
 ad salutem, potius quàm ad delicias.

3 **A** *Qua elixata, alia quidem vt recipiat aerem, alia ve-
 rò, non esse plenum, & operculum habere.*

QVIDAM enarratorum censebant, hæc verba simul
 cum prioribus legi, alij seorsum. Qui legebant simul, in-
 telligebant Hippocratem hic docere rationem refrigeran-
 di aquam, pro ijs ægrotis quibus placeret frigidam conce-
 dere: qui seorsum verò, docere rationem elixandi aquam.
 Vtraque ratione accipit satis idoneam interpretationem,
 Galenus probat magis priorem, me verba ipsa videntur in
 alteram trahere. Proinde vtranque persequar, & prius
 quidem priorem. Aqua multis causis, & eis quidem op-
 timis elixatur, quarum vna est, vt melius refrigeretur, cum
 eam frigidissimam dare volumus. Promptius enim aqua
 calefacta niue aut alia aqua frigidissima circumfusa, fri-
 gus in se totam admittit, quàm frigida. Refrigerandi ve-
 rò, cum iam fuerit calefacta, duplex ratio est, altera sub
 dio sine operculo exponere, altera in puteum aut niuem
 cum operculo, atque vase obturato immergere. Vtrun-
 que autem ita fieri debere luce clarius est. Nam si cum
 operculo exponatur sub dio, minimè circumfusi aeris fri-
 gore alterabitur, si verò sine operculo demittatur in pu-
 teum

teum aut niuem, mixtionem aliquam inutilem admittet. Quod si ne vas quod in niuem mergitur, aliquid in sese recipiat, nisi sit satis obturatum Galenus, quanto minus ferendum est, quòd deliciofi nunc faciunt (permittentibus quibusdam assentatoribus) vt percolata per niuem aqua bibatur, aut etiam ipsa nix aqua soluta. Hæc de ratione refrigerandi aquam dicta sunt. De ratione elixandi, iuxta alteram enarrationem nunc dicatur. Elixatur aqua, præter dictam, duas ob causas, vt emendetur à vitio aliquo, aut vt facultatem aliquam recipiat. Vt emendetur, velut si crassa est vt extenuetur, si vitiosam aliquam, aut alienam habet facultatem, vt eam deponat: vt facultatem recipiat, vt cum ea, lignum sanctum, aut radicem cynæ, aut simlacem indicam, aut glicirrhizam, aut aliud quiduis incoquimus. Cum emendationis causa solum elixatur, ad ignem lentum sine fumo, vase detecto fieri debet, vt vapor, & quicquid ab ea dissolutum fertur, expiret, neque in eam deuoluatur: cum verò causa facultatis, elixetur operculo superposito, ne facultas eius quod incoquitur, expiret. Ne sit autem vas plenum vsque ad summum, sed ad os relinquatur vacuum, quantum satis sit ad liberum feruorem. Nam alioqui, aut cohibebitur feruor, aut rumpetur vas, quod in musti etiam dolijs licet experiri. Itaque siue elixare vis, siue elixatam refrigerare aquam, duplex ratio est, in detecto vase, aut tecto operculo, & vase non pleno. Quid autem? Cum refrigeramus detecto vase, nunquid pleno vase fiet melius, an etiam non pleno? Certe vt erit vasis os: siquidem lato fit ore; nihil prohibet plenum esse vas, si vero angusto, satius sit esse semiuacuum, vt secundum ampliorem extremitatem aqua aere tangatur.

9 **Q**uoniam ex sanguinis profluuijs hydrope laborant.

NIMIO fluxu sanguinis, siue menstruo, siue ex hæmorrhoidibus siue ex naribus, siue aliunde, calorem naturalem hepatis tolli, hoc sublato hydropem fieri, res est certissima.

20 *S* iqualia oportet purgentur & bene ferunt .

Hoc quoque enarratum est prima particula aphorismorum .

21 *M*anifestè qui vigilat calidior est exterius , interius verò frigidior , qui dormit contra .

INTER hæc & proximè scripta verba, occurrūt in omnibus codicibus quædam alia, quibus narratur fames quæ fuit in Aeno, per quam ob leguminum esum morbi quidam facti sunt, quod idem libro secundo narratum est . & a me redditæ eius euentus causæ. Nunc delenda censui. Quia nihil continent noui vnde vtilitatis quippiam posset accipi, & sunt haud dubie interiecta temere. Galenus enī omnino non habebat in suis codicibus, siquidem nullam prorsus mentionem talium verborum facit, sed post illa quæ de refrigeranda elixata, aut de elixanda aqua, dicta sunt ad ea quæ de vigilantium & dormientium calore dicuntur, transtijt. Ventres dormiendo calidiores esse quam vigilando, & extremum corporis habitum frigidiorē, ex somni & vigiliæ natura constat. Siquidem colligit sese naturale calidum in interiora, exterioribus destitutis per somnum, quod per vigiliam contrario motu effunditur. Sed & hoc signo constat, quòd qui dormiunt pluribus tegumentis indigent, quàm interdiu, & hyeme quàm ætate, & quiescentes quàm qui exercentur, & mœsti aut timidi quàm irati, quibus motibus est analogus somnus, vt vigilia contrarijs. Hinc fit vt somnus ad concoctiones, vigilia ad distributionem & euacuationes, plus conferat .

22 *N*atura calido, refrigeratio, potus aqua, et quiescere.

HÆC oratio videbatur mihi excipienda hinc, locandaque vltra duas alias quæ mox sequuntur, quia illæ duæ cum priori apte iunguntur, cum sint omnes illæ de somno, hæc verò seorsum, esset melius, vt quæ est de re alia. Pertinet hæc ad dieticem medicinam: continet enim rationem instituendi victum refrigerantem, pro calida natura. Sed
videri

videri possit, quod dicitur, aduersum alijs medicinæ theorematibus. Receptissimum enim est, & magnum artis axiomata, quæ sunt naturalia seruanda esse, & quæ præter naturam submouenda: atque illud his proximum, conseruationem fieri similibus, curationem contrarijs. Vnde legitime colligitur, omnibus rebus naturalibus esse danda similia: quare natura calido non refrigeratio, sed calfactio congruens sit, quare non aqua & quies, sed merum & motus, atque ita in alijs omnium causarum salubrium generibus. Non enim omnia quibus constat victus Hippocrates nominauit, seu pauca quædam, quorum nomine tu reliqua potes intelligere, quæ in eandem partem cadunt, frigida cum sint. Galenus in commentatione, velut huic obiectiõni respondens, dicit, calidas naturas vocare Hippocratem consueuisse, quæ non ingenito calore, sed acri & mordaci abundant, quem aduentitium, & non secundum naturam, esse arbitratur. Durum verò est dicere, calorem acré iuuenum natura biliosorum, non esse secundum naturam, aut eum qui febriliter ardeat (si modo hunc intelligit) dici Hippocrate natura calidam. Quam ob rem ego natura calidum dici intelligo, eum qui natura sua est calidior quam temperatus: neque tamen Hippocratem docere, talem esse refrigerandum, sed refrigerationem talis (cùm scilicet refrigerandus) est agi optimè potu aquæ & quiete. Sed dices, si natura calidus refrigerari non debet, futile est docere, quomodo refrigeretur. Certè refrigerari debent qui calidi natura sint, quia calidorum vsu periclitantur corripi morbis calidis: vt frigidi etiam frigidis, vsu frigidorum, quia à similibus facile patiuntur corpora, à dissimilibus difficulter. Non enim semper seruari debent omnia quæ sunt naturalia, sed quæ sunt naturalia & omni reprehensione carentia, vt mediocris temperies, seruanda semper, vitiosæ autem naturæ seruandæ solum per morbos, aut per negotia, alioqui reducendæ ad meliores, quod fit vsu contrariorum.

13 **S** *Omnia in frigore cooperto.*

BREVITIOQVIUM, quacunq; de re agatur, cõsuevit
M m m 4 multis

multis interpretationibus esse expositum, quod in plerisque Hippocratis sermonibus, & in hoc non minimè, euenit. Nam illud, Somnus in frigore cooperto, significare potest, hoc modo maximè somnum conciliari, aut hoc modo utilissimum esse dormire. Illo modo pertinebit oratio ad physiologiam, hoc ad salubrem medicinam, seu de tuenda valetudine. Rursum legi possunt seorsum illa, somnus in frigore, ut significetur frigore conciliari somnum, vel utile esse dormire in loco frigido: & particula illa *ἐπιβεβλημένος* adiungetur tunc temporis sequentibus, quæ ita habent, Somnus sedentarius recto nictatio. Ita legebant (ut Gal. dicit) multi, & *ἐπιβεβλημένοι* vertebant iacebant. Vnde multæ etiam interpretationes sequentis orationis nascuntur. Verum Galeno videtur valde violentum *ἐπιβεβλημένος* accipi pro *κατακειμένος*. Qua propter magis consentaneum est verti cooperto, & legi, somnus in frigore, cooperto. Ambæ autem interpretationes quas diximus probabilissimæ sunt. Nam quia per somnum calidiores sunt homines interiorius, & frigidiores exteriorius, aere ambiente frigido indigent qui occurrat interno ardori, & indumentis quæ exteriorum frigori, ne quid nimis fiat: atque eadem ratione melius conciliatur ita somnus, quàm aliter. Nam qui dormiunt in loco calido excitantur ab interno æstu, qui discooperti, ab externo frigore, qui verò in loco frigido cooperti, à nulla causa offenduntur, & id somnus est placidus & utilis.

14 **S**omnus sedentarius, recto nictatio.

Qui hanc orationem dicunt incipere à voce *κατακειμένος* idest (ut ipsi interpretantur) iacenti, intelligunt sedentarium somnum dici profundum & quietum metaphoricè, atque significari hominem iacentem dormire quietè, stantem verò, aut etiam sedentem, aut insidentem equo (hi enim omnes sunt recto corpore) non posse nisi nictare. Sed dicet, quid hoc ad medicum? Certè ad tuendam valetudinem spectat, consuliturque, ut qui dormiturus est decumbat; ne lassitudinibus corripiatur, si sedens aut stans dormiat. Si verò hæc oratio quatuor has solum voces continet, somnus sedentarius, recto nictatio, videtur significari, eum qui

qui rectus nictat, sedendo dormiturum. Hoc verò leue est & parui momenti, vtilior multò sensus est quem Galenus sequitur, & continet præceptionem quandam curatoriam, & rationem occurrendi peruigilio. Scilicet cum quis capere non potest somnum, coactus vigilare, & stando nictare, ante quàm ei permittatur decumbere, solet in sedentarium & profundum somnum incidere: velut etiam cum quis conqueritur, se nunquam cum appetentia accedere ad cibos, consultum erit, cogere vt ieiunet quousque appetat. Nam priuatio parit appetitum. Ergo iuxta Galeni enarrationem hæc verba, Somnus sedentarius recto nictatio, significant, nictationem stantis asferre somnum placidum & profundum. Constat verò hanc curationem vtilem non esse, cum ob aliquam affectionem grauem sit ea impotentia, nam si quis phrenitide exquisita laborantem cogat vigilare vsque dum somno corripitur, aut eum qui ob phlegmonem, aut erysipelam oris ventriculi, aut gulæ, cibum non possit capere, ieiunare cogat, vsque dum appetat, prius morietur eorum vterque. Curatio igitur hæc tunc est accommodatissima, cum fastidium incepit a fatietate, aut dormiendi impotentia ab otio. Sed & si hinc non inceperit, sed ex contrarijs causis, vt fames ex bile aut ex calore oris ventriculi, & peruigilium ex cerebri siccitate, si tamen affectiones graues non sint, vt quas nupèr dixi, fieri potest vt hæc curatio locum habeat. Nam ad inopiam tracta membra possint ciborum appetentiam facere, etiam repugnante bile & calore ventriculi: & facultatis animalis labor, poterit asferre somnum, etiam in sicco cerebro. Qua propter neque tertianis febribus laborantes, admodum cogendi sunt cibum capere, sed cum valde fastidiosi sunt, linendi: neque melancholici semper arcendi ab omni labore, & a lectione, & alijs omnibus quibus præcipuè solent delectari. sed concedendum est illis horum quiduis moderatè, vt minus mœsti sint, & dormiant. Verùm vt dixi, qui præ grauissimo aliquo malo tale habent symptoma, non ita curandi, sed nobis contra euntibus, & vi cogentibus. Si enim phreniticum prohibes dormire, aut laborantem phlegmone ventriculi comedere, sperans inde futurum, vt ille dormire velit & hic comedere, perinde feceris ac si lethargicum dormire

finas

finas, & laborantem fame canina comedere, sperans fore ut ille euigilet, & hic facietur. Nihil enim tale eueniet. Sed talium omnium, somnus dormiendo, peruigilium vigilando: fames comedendo: fastidium ieiunando, crescet usque ad mortem.

15 *Debiles victus frigidi, robusti verò calidi.*

IDEM profus continent verba hæc, & quæ paulò post sectione quinta huius libri occurrent, ubi dicitur, Debiliores cibi breuiorem vitam faciunt. Scilicet debiliores cibi sunt, Galeno eo loco interprete, qui exiguum præstant alimentum, velut olera, & fructus. Debilis ergo victus sit, vsus talium ciborum: constat vero cibus refici naturalem calorem, quare vsu parum nutrientium languescet naturalis calor, atque hoc languescente necesse est vitam contrahi: contra vsu bene nutrientium naturalis calor roborabitur, & vita producet. Debiles ergo victus frigidi, idest naturalem calorem facientes marcescere. Et breuis vita robusti calidi & longæui.

16 *Aquarum arte carentium, quæ ab æthere excernitur cum tonitruis, temporalis: nubilosa verò, mala.*

AQUAE arte carentes sunt fluuiales, fontanæ, puteales, & pluuiiales: artificiales verò, stillatitæ, & expressæ, & elixatæ. Hæ, quia medicamentosæ, pluris sunt vsus, etenim & potus & medicamenta simul sunt, habentque vires eorum ex quibus exprimuntur, aut destillantur, plus aut minus, ut est eorum natura, aut induunt vires eorum quæ in eis incoquantur. De naturali aqua variæ sententiæ fuerunt, autorum quibusdam præferentibus fluuiales, ob assiduum motum, alijs puteales ob colaturam, alijs fontanas ob mundiciem, alijs etiam pluuiiales quòd videantur esse tenuiores. Mihi de his, atque omnino de aquæ electione, dictum in commutatione tertij de ratione victus in morbis acutis, ubi & hæc orationem enarraui, qua propter licebit nunc, & aliorum opinionibus, & earum refutationibus prætermisissis, quod huius loci est solum dicere. Ex sententia Gale. & aliorum veterum,

veterum, haud dubie præfertur pluuiialis omnium aquæ generibus. Nam in medicamenta omnia, quæ aquam recipiunt, immitti iubebant aquam pluuialem. Galenus vbi deest pluuialis permittit fontanam, atque id quidem non quod semper fluuiali sit melior, sed quia vt ipse narrat, Romæ erant optimi fontes, Madriti quoque sint optimi ac multi Compluti; melius fluuialis reposita immitteretur. Sed quod pluuialis præferatur optima ratio est. Nam est tenuior, & concoctior (si modo concoctionem aliquam accipere potest aqua) vt pote ex reliqua aqua vi caloris excreta: id vero non omni pluuiali æque inest, æstiuales enim & quæ cum tonitruis descendit, quæ ob tempus anni temporalis dicitur, vt fructus etiam temporales seu horarij dicuntur, qui eo tempore proueniunt, ea inquam aqua, vi caloris & terra etiam arida excernitur: hyemales verò, & quæ copiosis, & opacis nimbis cadunt, non tam vi caloris, quam humoris redundantia, & vaporum copia proueniunt: quare illæ tenuiores & concoctiores, hæc crassiores, & crudiores sunt. Optimæ igitur aquarum omnium, & quibus ad medicamenta, & ad vsus eorum qui aqua vulgari læduntur, sunt pluuiales æstiuæ. Vbi dicitur temporalis, deest particula, bona, cui illa mala opponatur: nisi fortè nomine temporalis voluit Hippocrates bonam significari.

17 **A**qua edax, vigilia edax.

Ad physiologicam partem pertinet hæc oratio, continet enim quæstionem duorum naturalium problematum, cur qui aqua vtuntur plus cibi capiunt, quam qui vino: & cur qui ob negotia vigilant plus solito, accipiunt plus quam qui dormiunt satis. Dixi verò ad physiologicam pertinere, quia non vt in victu eorum qui naturaliter ad hunc sunt dispositi verum esse deprehenditur, ita etiam in his qui tenentur morbo. Nam eos qui aqua vtuntur semper voratiores esse, vinosos verò paucio cibo esse contentos, experimento est cognitum, neque minus eos qui totam noctem insomnes transigerunt, intentos negotijs, plus cibi capere, & lautius tentare, quam soleant. Non tamen perinde si quis per morbum fastidiosus est, aquæ potu iuuatur, neque si quis laborat

borat peruigilio, ob hoc magis appetit cibos, aut vigilando amplius appetitum comparat. Quin potius multi ægroti qui cibos capere non possunt, vsu modici vini incipiunt accipere, & multi qui peruigilio & fastidio laborant simul, modico somno recreati, comedunt. Atqui profecto hæc omnia eueniunt merito, omniumque oportet causas dici. Quod in benevolentium victu vsus aquæ quam vini sit magis edax, causam dicit Galenus esse, quod frigida ventriculi intemperies cibi appetitum faciat, velut calida potus. Ego huic etiam addo aliam. Ex aqua nihil vnquam alimenti accedere corpori, ex vino verò citissimè non omnino exiguum. Merito ergo qui vino vitur, accipit aliorum ciborum minus, quam qui aqua. Verum per morbos multis fastidientibus venosa qualitas est pro condimento, quod aqua non potest, quia est qualitate vacans: præter quam quod quidam vini potu adiuti, coquere incipiunt, atque ob id etiam accipere. Quod qui ob negotia vigilant accipiant multum, causa est magna dissipatio, quam facit vigilia præ somno, vt motus præ quiete. Ita fit merito vt dormientes facillè, laborantes difficillè sustineant ieiunium. Vt ægroti qui cum peruigilio fastidiosi sunt, somno recuperet appetitum, causa est, quod somnus emendat intemperiam calidam & siccam, quæ fastidium parit, vigilia auget.

18 *P*ercalidam naturam, calido tempore, in frigore cubile crassam reddit, in calido attenuat.

SIGNIFICANT hæc verba cubile in frigore, calido tempore, crassam reddere naturam valde calidam, in calido autem loco attenuare: hoc est, cum qui est natura valde calidus, tempore calido, si dormiat in loco frigido crassescere, si verò in loco calido, extenuari. Quod quidem extenuetur natura calidus, tempore calido, in loco calido decumbens, causam esse dicit Galenus, quod calidi facillè dissipantur, quare accedente, temporis & loci quo dormiant, calore, dissipabuntur plurimum: nempe conueniunt iam causæ tres dissipationis, calor hominis, temporis, & loci. Sed si hoc ita habet, cur hic idem eodem tempore in frigido dormiens crassescet, deberet enim etiam extenuari, & si minus;

minus; si quidem adessent extenuationis duæ causæ, pro-
 prius calor & temporis, quibus repugnaret vnica, frigus cu-
 bilis. Quid ergo? Nunquid crassam reddit dicit Hippocra-
 tes minus ex tenuari? Quod si dicas naturalem calorem
 non dissipare, sed nutrire (quod ego sæpe iam indicavi)
 ac proinde non esse in causis dissipationis, sed crassitiei,
 atque ita calidum æstate dormientem in loco frigido, duas
 habere causas crassescendi, calorem proprium, & frigus
 cubilis, vnam extenuandi, calorem temporis, fiet, vt cali-
 dus æstiuo tempore in calido cubiculo minus extenuetur,
 quam frigidus eodem tempore, & loco, quia frigidus ha-
 buerit tres causas extenuationis, calorem temporis, & lo-
 ci, & frigus proprium: calidus vero duas extenuationis,
 calorem loci, & temporis, crassitiei alteram, proprium
 calorem. Quid ergo? Nunquid dicit Hippocrates natu-
 ram calidam calido tempore & cubiculo attenuari. Non
 quod magis quam frigida, sed quod ea quoque non nihil
 attenuetur? Hæc mihi videntur explicationem postulare,
 ac præterea, cur potius requirat Hippocrates cubiculum
 frigidum æstate quo dormiatur, quam domum qua inter-
 diu vigiletur? Videtur enim cum vigilia dissipet plus
 quam somnus, vt nuper dicebatur, magis dissipatum iri
 eum qui in calido loco vigilet, quam qui dormiat. Vtrum
 ergo erit satius æstate (si alterutrum agendum est) do-
 mum habitare frigidam, vt in calido dormias cubiculo
 an in cubiculo frigido dormire, & si domum habites cali-
 dam? Vt his omnibus erit factum satis, videbitur mihi:
 Hippocratis oratio satis enarrata. Non videmur autem pos-
 se aliunde melius incipere, quam à causa qua quædam
 corpora facile, quædam difficile dissipantur. Constat ve-
 ro eam non esse solum in calore aut frigore, sed multo
 magis in substantiæ corporis duricie aut mollicie, quæ qui-
 dem non caloris modum sequuntur semper, sed humidita-
 tis, aut siccitatis potius. Constat (vt exemplo etiam hoc de-
 claretur) multo facilius dissipari contra puerorum quam
 iuuenum, quamquam nihilo censeatur à Galeno calidiora,
 atque ab aliis quibusdam multo frigidiora. Non igitur tota
 causa est in calore aut frigore, sed neque omnino nulla.
 Nam & si reliqua sint æqualia, a sola caloris aut frigoris na-
 turalis differentia, receperint corpora deferentiam maioris
 aut

aut minoris dissipationis. Sed quæ sit differentia hæc inuestigemus. Calorem naturalem dissipationis corporis, & partis cui inest, causam non esse, demonstratum à me est satis, nihilominus potest calor naturalis esse causa dissipationis facilis, vt materiae dispositio. Quod scilicet quæ calida sunt facile à causis calidis patiantur, atque cum illæ dissipantes sint, facile dissipentur: sed & ab omnibus externis causis, patiuntur facile quæ sunt rara, calor innatus raritatem parit, qua igitur ab externis calidis, & dissipantibus patiantur, duplex causa est, analogia temperamentis, raritas Itaque hac ratione & si calor naturalis non dissipet tamen naturaliter calida facile dissipentur ab externo calore. Accedit, quod & vt efficiens etiam, potest partem alteram extenuare, velut si calor hepatis absumat pinguedinem partium circa ipsum consistentium, quinetiam & se ipsam potest ex accidenti extenuare pars calida, quod scilicet absumat & dissipet sua alimenta, & excrementa reddat acriora. Tot sunt causæ quibus corpora calida sunt facilioris dissipationis, & si calor per se non dissipet suam substantiam. Quoniam vero calor ex accidenti extenuat, per se vero facit contrarium, constat id non facturum, nisi eum qui sit valde magnus. Moderatus enim faciet, quod per se natus est facere, contrarium accidet ex immoderatione. Dissipetur igitur nõ de calida vt cunq; , sed vt Hippocrates dicit, de percalida natura, atque statuatur, per calidam naturam cum eodem aut simili substantiæ modo faciliorem esse dissipatu quàm frigidam: ob dictas causas. Igitur percalidam naturam, æstiuo tempore, dormientem in loco calido, extenuari, magis quàm frigidam naturam, ac magis etiam quam si in loco frigido dormiret, facile concedes. Crassescere vero naturam percalidam æstate quod dormiat in frigido, atque id magis quam frigidam, est aliquanto difficilius. Mihi vero id quoque videtur consentaneum. Nam calor naturalis, nisi vincatur ab externo, inuatur, non vincitur autem cum externis calor corrigitur, velut cum quis oppido & domo & reliquo victu vititur frigido, cuius præcipua pars est dormire in frigido. Cum igitur æstas ita corrigitur, non prohibetur caloris naturalis opus, sed inuatur potius, quare & nutritur corpus foelicius. Ita etiam frigidæ naturæ, nisi earum calor ab ambientis frigore vincatur,

tur, iuuatur, quia intrò sese colligens robustior fit. Qua propter frigidi hyeme dormientes in loco calido, & reliquo victu calido vtentes, ne temporis frigus vincat, & calidi æstate dormientes in frigido crassescunt, magis quam æstate frigidi, & hyeme calidi, vtentes eodem victu. Frigidi enim æstate, & calidi hyeme, quia non indigent aeris correctione, neque illo victu vtentes melius habent, neque inquam frigidi æstate indigent frigido cubiculo, neque calidi hyeme calido. Satis est enim vt bene habeant, naturam toti victui opponi. Igitur calidus in æstate dormiens in loco frigido, magis crassescet, quam frigidus eodem modo viuens, & multo magis quam ipsemet dormiens in calido. Merito autem cubiculi in quo dormitur meminit, potius quam loci quo vigilatur, quia etsi per se vigilare in calido maioris dissipationis causa est quam dormire, tamen quia dormire in calido priuat concoctionibus, & nutritione magis, fit vt ex accidenti etiam multo magis extenuet. Accedit quod neque dissipatio est multo minor quæ dormiendo agitur, si tollantur concoctiones. Nam & si aliæ euacuationes dormiendo cessant, insensibilis euacuatio parum minuitur, & sudor etiam augetur.

19 **E**xercitatio salutaris, non satiari cibus, impigrum esse ad labores.

NIHIL est quod adeo repleat malis succis, & ad morbos reddat opportunos, atque satietas & otium, quare merito laudatur ad valetudinem tuendam, non vti cibus vsque ad saturitatem, & impigrum esse ad labores: quod valde consonum est eis quæ docet libro de diæta, vbi dicit contrarias inter se vires habere cibus, & laborem, cibi enim replent, labores inaniunt: igitur cibi parcitas & labores eadem vires habent, vacuandi scilicet. Quare cum plerique morbi nascantur ex repletionem, in commune quidem recte dicitur, exercitationem saluarem esse, non satiari cibus, & impigrè laborare. Constat vero neutrum horum omnibus æquè conuenire, sed pro cuiusque natura, abstinendum a cibus esse plus aut minus, & laborandum plus aut minus. Quandoquidem autem cibi, & labores contra-

riæ

riæ causæ sunt, qui in sanitatis tutela pauciori indigent cibo, illi indigebunt pluri motu, & qui pluri cibo, motu minori. Usque adeo ut sint quædam naturæ, quæ ob ingentem dissipationem plurimo cibo, & nullo motu indigēt. Aliud est, cum qui, non quòd pauciori aut pluri ob corporis naturalem dispositionem indigeant, sed alia quappiam causa, pauciori aut pluri utuntur, ut qui paucio cibo utitur quòd multo careat, aut quòd volens ieiunet, aut quòd ob debilitatem facultatis, vel totius hominis, vel ventriculi, multum non possit ferre, vel ob fastidium non possit accipere, vel ob crebros aut longos paroxysmos non vacet medico dare: aut contra ob incontinentiam homo ingerat multa, vel quòd sit frequens in conuiujs. Hi omnes quanto utuntur pluri cibo, tanto debent laborare plus, & quo pauciori eo minus, ita ut proportionem ad sese seruent cibi, & labores: quia ut dicit Hippocrates loco citato, homo comedens sanus esse non potest, nisi etiam laboret. Verùm modus accipiendi cibum, & laborandi, per bonam valetudinem, in mediocribus naturis, atque adeo in pluribus, optimè definitur, ut cibus capiatur infra satietatem, & labores suscipiantur sine pigritia.

20 **I**N vigilantibus siti superficiali somnus medela, ei vero quæ ex somno, vigilia quibusdam.

SUPERFICIALEM, seu famem, seu sitim, seu passionem quancunque aliam, vocari, quæ non est valde firma, sed leuis, & ex causa quappiam leui pendet, familiaris est phrasis Hispanis magis quam Latinis, iuxta quam nunc Hippocrat. vocat *διφνεπιπολαϊον* idest sitim in summo existentem, seu superficiale: itaque sitim non magnam, neque ex magna pendentem causa. Rectè igitur, & iuxta Hippocratis mentem interpretatur Galenus aphorismum vigesimum septimum sectionis quintæ, quo dicitur. Qui noctu bibere appetunt, si super dormierint, bonum, intelligi de mediocri potus appetentia. Nam si quis tenetur ingenti siti, satis non erit dormire, nisi prius poterit: imo vero, sitis ipsa dormire prohibebit: si vero mediocris solum sit, dormiendo, citra potum sedabitur: itaque quoque

quoque quidam qui cum siti expergiscuntur, & vigilando solum, & si nihil accipiant potus, à siti leuantur. Nimirum vigilia siccando facit sitim, quam merito tollit somnus, cum humeçtet: somnus etiam aliquibus sitim facit calfaciendo viscera, quia vt dictum est nuper, qui dormit calidior est interius, frigidior exterius. hanc ergo sitim tollit vigilia auocando calorem à visceribus ad externa. Sed neque hanc sitim vigilia, neque illam somnus tollere valet, nisi exigua sit. Quod significat Hippocrates dicens, vigilantibus siti superficiali, idest non magnæ, somnus medela est, ei vero quæ ex somno vigilia quibusdam, non enim omnibus, sed quibus sitis ex somno superficialis est. Quid ergo agendum si superficialis non est? Certè si quis ex vigilia sitit vehementer, capiat potum vsque dum sitim extinguat (per sanitatem intelligütur hæc, nam hydropico non fuerit hæc idonea procuratio) mox dormiat, si dormiendi tempus est, ne cito rursum sitiat: non tamen ita consuluerim, si expergiscitur cum siti magna, mox bibere, vt euigilet, sed prius euigilare perfecte & aliquandiu sustinere sitim, eam vbi vigilia non sedari viderit, potare: aut si eum tantopere vrget sitis, abluat os, vnum aut alterum haustum ore prius detentum deglutiat, dum euigilat, ne autem copiose potet, frigidam præcipue, nisi cum plene euigilauerit. Nam si quis antequam naturalis calor sese in corpus totum effuderit, copiose frigidam deglutiat, periculum suffocationis afferet calori, & eius distributioni attulerit impedimentum. Quare qui id faciunt, breui solent enadere cæthici, aut hydropici.

21. **Q**uibus plurimum inest calidum, statim sunt magna voce: etenim frigidus aer multus, ex duobus autem magnis, magna & quæ innaſcuntur, fiunt.

MAGNA voce fiunt quibus ampla sunt vocis organa, & firma latera, ambo autem hæc sunt soboles caloris infiti. Itaq; quibus magna est vox, plurimum inest calidum: & quibus plurimum inest calidum, ij magna voce sunt, nisi ob materiæ defectum, aut errorem formatricis aliter contingat: huius orationis duplex est enarratio. Prima, qui

N n a bus

bus plurimum inest calidum, eos statim habere magnā vocem, quia qui plurimum habent calidi, ob vsum auctum trahunt multum aerem frigidum, duobus autem his existētib, calore, scilicet multo, & aere qui inspiratur, necesse est & quæ inde nascuntur fieri magna, vt vocem, cuius materia est aer, & effectrix causa facultas quæ in calidis valere solet. Itaque quicumque plurimum habentes calidum, plurimum trahunt aerem, & magnam habent respirationem, illi omnes magnam habent vocē. Qui enim, & si calidi sint ob dictorum aliquid habent angustiam thoracis, non trahunt multum aerem sed paucū crebro. Vbi igitur sunt duo hæc calor magnus, & multi aeris tractio, magna sit et vox. Altera enarratio est. Eos quibus plurimum inest calidū, statim esse magna voce, quia cum generantur corpuscula cū multo calore, trahunt multum aerem, duobus autem his existentibus magnis, calore inquam multo, & multi frigoris tractione, necesse est & quæ innascuntur, vt thoracem, pulmonem, & asperam arteriam, esse magna vnde & vocem. Itaque vt cunque interpreteris, significatur, eos qui sunt magna voce, multum habere calidi innati. Argumento est, quod experimento cognouimus, plurimos talium esse voraces, vt qui cum plurimum habeant innati calidi, indigent plurimo alimento.

32 **C**alidi ventre, frigidi carne & graciles, hi venosi, & iracundiores.

SI tantum diceret, calidos ventre & graciles, esse venosos & iracundos, intelligeremus tales esse natura calidos & siccos. Nam dictum monstratumque pluries alibi est, crassos cum venarum gracilitate, esse frigidos & humidos: crassos cum venarum amplitudine, esse calidos & humidos: graciles cum venarum angustia, esse frigidos & siccos: graciles cum venarum amplitudine esse calidos & siccos. Itaque intelligeremus θερμολοίλοι nomine, dici calidos ventribus, hoc est interno corpore, quibus scilicet plurimum habent ventres innati calidi, & nomine σiccότατοι eos qui habent magnas venas, diceremusque ea omnia esse calidorum & siccorum temperamento. Sed cum dicat etiam frigi-

frigidi carne, euadit oratio longè difficilior. Nam qui naturali calore abundant, ij carnibus etiam calidi deprehenduntur. Qua propter hæc nota videtur alijs omnibus esse contraria, & repugnans: neque in eundem hominem posse conuenire omnia. Quidam interpretabantur calidis natura, quorum aliæ omnes notæ sunt accidere etiam frigidæ esse carnes, quod calor ventris carniū calorem ad se trahat, atque ita illæ frigidæ maneant. Quos carpit merito Galeus, quod id quod ob quasdam affectiones præter naturâ fieri potest, vt per lypiriam vocatam febrem, & quibusdâ humorum motibus, vt in februum inuasionibus, & in somno, & quibusdam temporibus, vt hyeme, aut quibusdam motibus animi vt inœsticia (in his enim omnibus abundat calor interius, quod intro trahatur, aut ipse sese intro recipiat, aut intorsum repellatur) fieri simpliciter in calida natura affirmant. Cum tamen hoc nunquam ita fiat, sed quod calidiores sunt ventres, eo carnes maiorem calorem præferant. Nimirum carnes naturaliter recipiunt calorem à visceribus, qua propter dicere corporis habitum esse frigidorem, quia venter calidior est, perinde est, ac si dicas defecisse aquam fluminis, quod fontes vnde oritur, redunda-uerint. Simile est quod frequenter audio medicos dicere, vbi quis cibos non bene coquit, sentit verò sitim, aut omnino aliquem habent sensum caloris interius, aut in visceribus: affirmant enim hepar calidum ventriculo calorem detrahere, cum tamen id, naturaliter adhuc habente homine, fieri non possit, quia naturaliter accipit ventriculus calorem ab hepate per venas, atque adeo per continui alterationem: quinetiam fortasse neque exustio præter naturam facta in hepate possit eo peruenire, vt ventriculum calore priuet. Nam cum ob ingentem inflammationem hepatis euenit refrigerari habitum corporis, sitim habet ægroti, quod ardoris ventriculi est. Nimirum est ventriculus hepatis proximus. Non ergo ob calorem hepatis illud vnquam euenit sed ob dispositionem quandam morbosam, quam Galeus interpretatur significari præscripta nunc oratione: ea est in temperies calida ventriculi per quam cibi pro concoctione corruptionem subeunt, ex eis enim corruptis, nõ potest fieri viriosus sanguis. Vnde fit vt carnes penuriã patiantur alimentum (perinde enim patiuntur, cum carent alimento,

Nũ 2 atq;

atque cum prauo vtuntur succo) atq; obid marcescāt frigida & sicca facta: tales ergo sunt ventriculo calidi, calore nimio, vitioso, & corruptiuo, ac fortasse et hepate & toto ventre calidi, & quia prauo vtuntur succo, frigidi carne & graciles, venosi verò, non quod magnas venas habeant sed quod habere videantur, quia nulla pinguedine sed sola cute teguntur: sunt etiam iracundiores, non vt qui magno calore naturali sunt, cum magnanimitate, sed faciles ad iram, moleste ferentes quiduis, & sibi ipsis & alijs omnibus displicentes, id quod fit ob pungentem illam vitiosi sanguinis qualitatem, & imbecillitatem. At qui profecto verba quibus vtitur Hippocrates plurimum astipulantur huic interpretationi. Nam ἐπιφλέβος non tam videtur esse qui magnis sunt venis quam qui habent eminentes, atque, vt quis dixerit, superstantes. Iam verò ἐξυθυμὸν haud dubie dicuntur qui celeriter irascuntur, quorum ira ἐργὴν dicitur potius quam θυμὸς, vt & qui cum fortitudine irascuntur, dicuntur θυμὸς δειός. Sed hæc in arte medicinali, vbi de naturalium temperamentorum signis agitur, satis superque explicata sunt a me.

23 **T**erra arida, volatiliū genus bene habet.

VOLATILIA aeris alterationē multo magis sentiūt, quam reliqua animalia, vt pisciū genus alterationes aquarū. Nimirum vtrisque est quædam familiaritas cum suo naturali domicilio. Hinc fit vt venti & imbres auium volatu, & perturbatione: maris tempestates, plus solito subsulcantium, & gregatim huc & illuc decurrentium piscium, perturbatione, præmonstrantur. Nimirum aer vaporibus multatis, iisque crassioribus admixtus, crassescit, cum instant imbres, mare vero cum instant tempestates, exhalationum, quæ materia ventorum est, mixtione turget. Vtraque autē est aliena & vitiosa affectio, illa aeris, hæc aquæ, atque vtraque sympathiam habentia animalia, tangit. Si igitur dictam ob causam volatiliū corpora imminentibus imbribus male afficiuntur, merito cum tempus humidum est, & multi imbres antecesserunt, ægrotabunt: atque proinde in contrarijs temporibus, cum scilicet terra arida est, bene habebūt. Nimirū tēporibus siccis aer tenuior & purior

rior est, & suam naturam melius retinens: humidis crassior & impurior, & in aquæ naturam violenter tractus. Nam cū calefactione & siccatione fiat ex aqua aer, & contrarijs passionibus ex aere aqua, tempus siccum & calidum fuerit naturæ aeris propitium, frigidum & humidū naturæ aquæ. Quare & hoc piscium generi, illud auium.

24 **H**ircus, vter testis exterius apparuerit: si dexter, mas: sinister verò, fœmina.

Hircire dicuntur Hippocrati qui ardent libidine, instiganturque ad coitum, atque hircus qui ita est affectus. Velut ex matre agnoscere docuit Hippocrates in aphorismo atque in hoc ipso opere, mas generetur, an fœmina, quod in dextra vteri parte generetur, aut sinistra, ita nunc docet id agnoscere ex patre, quod hircienti dexter testis turgeat, atque ob id exterius appareat magis quàm sinister, aut cōtra. Nimirū partes dextræ vtriusq; parentis sunt calidiores. Hanc ob causam æquis admisarijs, cū in æquas mittuntur, ligari solet testiculus sinister vt ex solo dextro emisso semine æquus generetur. Constat tamen hic quoque intelligi debere, magis, vt cū Hippocrates diceret mares in dextra, fœminæ in sinistra parte generentur magis. Nihil enim horum est perpetuum.

25 **O**culi vt valent, ita & totum corpus. Et color in deterius aut melius labitur, æquum est autem vt habeat alimentum, ita & quod extra est sequi.

OCULOS sæpe teneri multis morbis proprijs, reliquo corpore non perinde affecto, res est notissima, cū oculorū plures multo quam vllius alterius partis morbi recensentur. Sed quod dicitur, non de morbis, sed passionibus, quæ symptomata sunt, intelligi debet, & de significatione quæ inde accipitur. Longè enim maiorem significationem præstare oculos, modi quo totus homo affectus est, nemo ignorat. Inditum enim est natura, cum de cuiuspiam valetudine solliciti cogitamus, in illius oculos intueri. Nimirū demissus & subtristis intuitus langorē indicat, vitiosus color nulla

Nnn 3 in

LIBROS
DEL D^o
LIM

Ayuntamiento de Madrid

in partè tam cito apparet, neque vlla pars tam cito colli-
 quescit, & excauatur. Hinc fit vt Hippocrates in progno-
 stico, nulla ex parte tam multa signa accipi iusserit. Itaque
 hæc pars omnium maximè significare potest, quo pa-
 cto habeat totum corpus quinetiam (si hoc quoque nunc
 dicere est opportunum) & quomodo habeat animus indi-
 cat. Nā & physionomi vtuntur ad mores animi agnoscēdos
 hac parte magis, quam vlla alia, & motus omnes animi, vt
 iram, timorem, mœsticiam, hilaritatem, pudorem, hæc pars
 prodit, quin & proprij criminis conscientiam magis quam
 reliquis vultus. Itaque oculi & corporis & animi passio-
 nes indicant, melius quam vlla alia pars. Corporis quidem
 quia lucidissimi cum sint colores alienos facilius represen-
 tant, cumque ob naturalem teneritudinem sint suffulti cir-
 cumquaque mollissimis carnibus, facillime excauantur, &
 quia plus longè quàm vlla alia pars recipit ex cerebro ani-
 malium spirituum, qui facile per facultatis debilitatē sub-
 trahuntur: animi verò, quia sunt illius fenestræ, & nullo alio
 organo, adeo cum externis rebus conuersatur, atque ideo
 necesse est, plus quàm alia omnia esse animi naturalibus præ-
 pensionibus accommodatos, & mutari, vt animus ad res
 externas afficitur. Quod addit, & calor in deterius aut me-
 lius labitur, intelligi potest speciatim de oculis (mutatio
 enim coloris est, in ijs quæ præcipue in oculis possunt signi-
 ficationem aliquam præbere) aut simpliciter, non enim in
 solis oculis, sed omni etiam in parte, mutatio coloris signi-
 ficat corporis affectiones: siquidem vt rectè dicit Galenus,
 necesse est colores similes efflorescere in cute, succis quæ in
 corpore redundant: quod idem Hippocrates nunc dicit
 his verbis æquum est autem vt habeat alimentum, ita &
 quod extra est, sequi, hoc est vt habeant succi, ita & cutis
 colorem fieri. Eadem verò est causa, vitiosi coloris & in
 oculis, & in alijs partibus, vitium scilicet succorum.

26 *Signa lethalia, per cutem calidus vapor, prius autem
 nasus frigidum spiritum reddit. Vitalia autē contraria.*

INTERPRETE Galeno scribit Hippocrates vnū quod-
 dam signorum lethaliū, idq; esse calidum vaporem exi-
 re

re per cutem, cum prius nasus frigidum spiritum reddiderit. Cuius causam esse dicit, quod ut in prognostico, atque adeo aphorismis celebratum est, per caloris naturalis penuriam, frigidum expiratur. Quibusdam vero horum paulatim tabescere naturali calore, paulatim succedit omnium partium frigus, & nunquam recalescentes moriuntur: alij exiguus ille calor qui se intra cor continebat, dissipatus, exhalat atq; horum quibusdam succedit sudor quidam precipue per frontem & ceruicem, & mustacem, seu inter nasum & os: quibusdam euaporatio calida ex cute. Rursum horum quibusdam, simul cum exhalante calore emoritur cor, alij quibus cor per se erat firmitus, sustinent tunc quoque expectare, donec dissipato iam fere toto naturali calore, friget toti aliquot horas, eorum quidam, etiam sine pulsu in carpis manuum, & hi quidem solent mori aliquanto tardius, quam medici putarent, & illi, quibus cor simul moritur cum caloris exhalatione, citius, ut utrique soleant eos fallere in moriendi hora. Itaque lethale est calidum vaporem exhalare per cutem, cum antea frigidum spiritum reddere nasus coeperit. Addit vero, vitalia autem contraria. Quod quidem dubitationem ingerit. Nam monstratum est a me in commentarijs prognostici, in genere signorum salutis aut mortis non esse signa bona aequalia contrarijs malis, sed quae contraria sunt lethalibus, esse tantum bona, non etiam salutaria, aut vitalia. Velut mente motum esse, lethale, mente constare, tantum bonum. Igitur nunc quoque & si vapor calidus per cutem post frigidam expirationem lethale sit, contrarium non sit vitale, seu valde salutare, sed tantum bonum. Nimirum ut Galenus saepe monet, cum de prognosticis signis agitur, animaduertendum quo attributo utatur Hippocrates (*Carina* vero seu vitalia, longe plus significat, quam si diceret *a'yaba* seu tantum bona. Proinde mihi persuadeo, cum dicit contraria, non intelligere, ut Galenus interpretatur, non respirare frigidum, neque calidum vaporem efferi per cutem. Leue enim sit, si quis, quia neque respirat frigidum, neque emittit calidum vaporem, affirmet aegrum non moriturum: sunt enim innumeræ aliae signorum syndromes, quae indicent mortem: sed ut Galenus vocat contraria signa valde salutaria, quaecunque ea sint. Aut hæc oratio est mutilata, desuntque multa alia

signa, ita vt cum esset integra, fuerit catalogus signorum lethaliū: addens vero, vitalia autem contraria, intellexerit, omnia contraria simul, hoc est, vitale esse, nullum lethaliū signorum adesse. Nam in morbis acutis, præcipuè cū processerint ad vniuersale incrementum, nullum adesse lethaliū, salutare est, meritoque medicus tunc temporis salutem promittet. Huic vltimæ enarrationi plurimum fauent ipsa verba. Nam vnici signi mentionem facturus, non dixisset, velut dicenda proponens, signa lethalia sed signū lethale: neque vitalia contraria, sed contrarium vitale.

Sectio quinta.

I *M* *Orborum naturæ medicatrices.*

AD hanc sententiam pertinet quod libello de alimēto dictum est, his verbis. Natura iuuat omnia omnibus, quæ à nobis enarrata sunt: nihilominus nunc quoque aliquid adiiciemus. Certè medicina est morborum medicatrix, siquidem est ars medendi, & medicus curat morbos. Verùm natura hæc facit multo magis, quia sua natura est principium & causa rebus omnibus suæ conseruationis, morbus autem est affectio corruptiua, ac proinde necesse est naturam omni morbo repugnare, ac si possit etiam vincere, quod quidem est, esse morborum medicatricem. Ars cum recte operatur, iuuat naturam aduersus morbos. Nam cum sanitas non sit res quepiam artificialis, sed naturalis, non possit ab arte fieri sed à natura, possit verò ars suis instrumentis naturam iuuare, quod rectè significauit Hippocrates loco citato ex libello de alimento, dicens, Natura iuuat omnia omnibus, ad hanc verò extrinsecus, cataplasma, illitio, vnguentum. Itaque natura primò ac maximè sanitatem reficit, & morbos demollitur, medicus vero est naturæ minister, & medicina ars ministrandi naturæ. Occurret fortasse aliquis, obijciens, artem non ministrare naturæ, sed per se ferri contra ipsum morbum, alioqui enim (dicit) medicamenta essent naturæ similia (siquidem simile iuuatur à simili) at vero non sunt, sed morbo contraria, quasi per se, non naturam iuuando, ferantur

ferantur in morborum curationes. His addet alius artem multa facere, natura nihil in ea opera conferente, ac nonnunquam etiam repugnante, quapropter talium morborum non videri naturam medicatricem, sed artem solam. Nam cum reponitur in articulum luxatum os, aut consuitur vulnus, aut secatur viturve quippiam, nihil videtur facere natura partium. Iam vero cum ferro, aut igne, aut medicamento extirpatur supercrescens caro, videtur repugnare. Quia natura auget carnem, quam ars demolitur. Præterea plerisque morbos videtur natura facere, eosdemque ars, naturæ repugnando, tollere. Quamplurimi enim sunt, ac fortasse etiam plerique, quos parunt fluxiones, non aliter factæ quam ipsa natura ceca mittente, quo non oportet: qui sanè curantur medico in aliam partem retrahente, aut deriuante. Quomodo ergo curare quis dicat naturam morbos, quos facit? Aut naturæ ministrare artem, cum contrarium motum cieat? Non dicimus solam naturam esse medicatricem, sed eam quidem maximè, quia natura rerum, cū non in vna quapiam qualitate, sed multarum mediocritate consistit, non vnicuiuspiam morbo, sed omnibus contraria est. atque quodammodo causa vniuersalis. Quamquam ergo medicamentum morbo contrarium sit, vt frigidum calido, aut calidum frigido, ac proinde in illum pugnet, pugnantibus autem simul duabus causis, altera interna, altera externa, meritò illi deferuntur primæ. Itaque hanc ob causam meritò natura dicitur esse præcipua medelæ causa, medicina verò illi ministrare, quia cū præcipui cōcertatores sunt natura & morbus, quod pugnat cū morbo, meritò dicitur naturæ ministrare. Porro ars multa facit sola, perficit tamè nihil, neq; vllus morbus potest opera solius artis persanari. Nā futuræ non sanabunt, vulnera, nisi natura aglutinet, neque repositio ossis erit satis, nisi natura firmet articulum ligamentis, neque scissio conferet, nisi natura pellat malum quod suberat, vt pus aut os cariosum. Neq; carnem extirpari erit satis, nisi desinat natura repugnare, & cæcatricem producat. Neque sanè ad inflammationis, aut articularis doloris curationem, satis sit fluxionem auertere, nisi partis affectæ natura id morbi quod factum est, demoliat. Itaque illos ipsos morbos quos mittentium partium natura fecit, partium recipientium natura sanat. Omnia

nium itaque morborum est natura medicatrix, quia sine ea nulli perfanatur, ab ipsa autem sola quamplurimi. Semperque illi medicina ministrat, etiam cum aliquatenus repugnat, quia tunc quoque inchoat ipsa, quod perficiat natura.

² **I**nuenit natura sibi ipsi vias, non ex cogitatione. Partim quidem ut conuiuere, partim vero, & lingua subministrat, & quaecunque alia huiusmodi inerudita natura existens, & cum nihil didicerit, facit, quae expediunt.

Hæc quoque sententia enarrata mihi est, in commentatione libelli de alimento. Ibi enim ita est scriptum, Naturæ omnium sine doctore. Tractat Galenus hunc locum fusius primo de usu partium non longè à principio, ubi ut et in commentatione huius loci, de liberis animantium motibus intelligit Hippocratis verba esse prolata, dicitque illud esse mirabile in animalium naturis, quod nunquodque feratur in ea opera, quibus exequendis habeat accommodatas partes, & instrumenta, atque perinde moueat, atque si ab aliquo esset singularum partium utilitates & usus edocta. Nimirum cum non sit propensum animal quodcumque in naturales actiones, quia habet idonea instrumenta, ut dicebat Anaxagoras, sed potius ut dicebat Aristoteles & Galenus, naturali propensioni instrumenta adaptentur, dataque sint talia, quia talis naturæ propensio talia poscebat & propensio illa naturæ, antiquior sit quam organa, ut animã dixit Plato antiquiorem esse corpore, sic ut in talem motum ipsa animantis natura feratur, instrumenta verò ut pote accommodata, facile obsequantur, ipsa natura neque docta, neque omnino agnoscente instrumenta. Ut conuiuere palpebris homines, & linguam varie mouent, cum tamen perpauci sciant, quibus instrumentis claudantur oculi, aut moueatur lingua, & imitantur quascunque audiunt voces, ignorantibus quibus musculis, quomodo, & quousque mouenda sit lingua, ut proferatur hæc aut illa vox. Eadem autem ratio est & aliorum, nam neque crura sciunt, nisi pauci, quibus

bus musculis moueant, atque ob id, nictationis & linguæ mentione facta, addit Hippocrates & quæcunque alia huiusmodi. Meminit autem arbitrari, illorum potius. Quia motus illi in motibus dubijs sunt, hoc est qui non aguntur manifestis instrumentis, ut alij qui ad nutum voluntatis aguntur, quod quidem de motu palpebræ testatur ipse Galenus decimo de vsu partium cap. 10. falsus se instrumentum illius non agnoscere, promittensque si quando inueniret, in libro de dubijs motibus iudicaturum. Is liber non extat qui sit legitimus, neque scimus an eius motus causam alibi Galenus docuerit, est tamen merito ponendus in dubijs, velut etiam linguæ extremæ, volubilitas. Nam muscoli nouem, qui in linguam sese inferunt, non procedunt ultra medium illius, reliquum est caro quædam laxa & mollis, sui generis, neque vlli aliarum partium corporis similis, quæ videtur sine musculis, atque omnino sine fibris, versus quaque moueri: nisi forte inuisibiles quædam fibræ musculorum vsque ad linguæ cuspidem procedunt. satis autem est dubius motus, qui ad suspicionem inuisibilium fibrarum venit. Palpebræ motum quidam referunt in membranam carnosam, ut & frontis: alij vero eam eisdem musculis moueri, quibus oculum, & ex musculis, contorquente oculum ad angulum minorem, & sursum eleuante, fibras quasdam inferi in palpebram superiorem, quibus ea eleuatur, & oculus aperitur: atque à contorquente in angulum maiorem, & deorsum trahente, alias, quibus ea deprimitur, & oculus clauditur: argumento, quod qui conantur oculum plurimum aperire, eleuant ipsum oculum, & in externum angulum contorquent; qui claudere contra. Verum dicti ambo motus habent causam satis dubiam & neque vlli medico satis perspectam. Tamen cum ita sit, quiuis, etiam recens natus, scit eos motus exequi, ipsa ductus natura, non minus quam si quomodo, & quibus instrumentis essent agendi, optimè didicisset. Iuxta hanc enarrationem interpretatur Galenus dixisse Hippocratem natura inuenit sibi vias, perinde ac si dixisset, impetus ad agendum. Verum si hæc verba ut Gal. ipse in commentatione proximæ sententiæ, quæ huius sectionis erit tertia, dicitur, cum prioribus coniungenda sunt, & exponenda secundum illud, naturæ morborum medicatrices, ego in alium feror sensum.

sensum. Vias s. vocari, eas quibus propriè id nomen congruit, per quas scilicet euacuantur excrementa, & quicquid in corpore præter naturam continetur: atq; hæc verba perinde accipi, ac si dixisset, natura morbos curat, si quidem & si cogitatione non vtatur, perinde tamen ac si vteretur, & esset docta, inuenit sibi vias, per quas morborum causas euacuet, nunc quidem manifestas, vt cum, deiectione, vomitu, mictione, aut fluxu sanguinis ex naribus, morbum indicat, nunc occultas, vt cum citra omnem expectationem, atq; adeo cum magna admiratione omnium, quædam nulla patente via reijcit, velut ego vidi quendam ex naribus emungere ossicula quædam ex craneo, in fronte decissa. Inuenit quippe natura sibi vias non ex cogitatione, sed naturaliter, cum nihil didicerit, faciens quæ expediunt. Velut etiam motus animales exequitur, niçtatque, & loquitur quicquid lubet, impetu quodam naturali, etiam si is ipse qui tentat ita mouere, nesciat vt ea res agatur. Itaq; natura non tantum quæ ad animales, sed quæ ad naturales etiam motus spectant, facit perinde atque si esset docta: & hoc loco Hippo. naturales potius respexit, quibus curantur morbi, quæ verò de animalibus dixit, in confirmationem, & exemplum, apposuit: quod vel mox sequentia verba palam facient.

3 **L**acrymæ, narium humiditas, sternutamenta, auris sordes, oris salinæ reiectionis, spiritus introitus, exitus, oscitatio, tussis, singultus, non eiusdem omnino modi.

4 **V**rinæ deiectionis & flatus, & huius alterius alimonie, & spiritus, & mulieribus, his & secundum reliquum corpus sudores, scalptus, pandiculationes, & quæcumque alia huiusmodi.

QVIA dictum antea est, naturam esse morborum medicatricem, & ipsam quidem sine cognitione inuenire sibi vias per quas purget corpus, vt alia etiam quam plurima facit, naturali quodam, siue impetu, sine instinctu (vt cunq; lubet dicere) perinde ac si esset docta, profert nunc Hippo.
quam

quam plurima exempla, partim quidem euacuationum, partim aliorum operum, quæ ita facit natura, ut mirari quis ex illis possit, eius sine cognitione naturalem sapientiam, seu prouidentiam. Enumerat verò lachrymas, & narium humiditatem, & sternutamenta, & sordes aurium, & reiectionem saliuæ, & spiritus introitum & exitum, hoc est inspirationem & expirationem, & oscitationem, & tussim, & singultum, quibus enumeratis dicit, non eiusdem omnino modo: deinde rursus addit, vrinæ, deiectio. Quibus verbis quidam intelligunt vrinæ excretionem, alij accipiunt ac si diceretur vrina & deiectio, quia nomen deiectio (græcè ἀποδύς) non videtur dici propriè de mictione, sed de fœcū excretionem, ego suspicor vitiatum aliquid esse hoc loco, legendumque non vrinæ casu gignēdi, sed vrina, aut vrinæ casu nominandi, aut deficere vocē quandam, legendumque vrinæ excretio, & deiectio. Vt cunq; intelligo hic connumerari vrinā, & deiectionem, post quæ dicit, & flatus, & huius alterius alimonix, hoc est, (ut Galen. interpretatur) & flatus qui ex aluo exit, & huius alterius, qui ex alimento eleuatur ex vetriculo, emittiturq; eructando per os: addit, & spiritus, hoc est transpiratio quæ agitur arteriarū leuiū pulsu, & alia infensili expiratione. Et mulieribus inquit, hoc est, & ea euacuatio quæ mulierū est propria, agiturq; venis vteri exsudantibus intra illum sanguinem singulis mensibus. His (inquit) & secundum reliquū corpus sudores, quasi dicat, his quæ dicta sunt, accedunt sudores secundū reliquū corpus. Addit deinde, & scalptus, & pandiculationes, & quæcunq; alia huiusmodi. Scilicet non sunt enumerata omnia, quibus natura mirabilis est, & corpora nostra à morbis liberat, vtrunq; non accidit, omnibus, quæ sunt enumerata. Ea enim omnia mirabilem vim naturæ, & veluti sapientiam, atque (ut dicam melius) sapientiam parentis ipsius naturæ indicant, & modi quidam sunt expurgationum, atq; sua quodq; occasione, a morbis liberat. Fletu, & saliuæ spuitione, & mictu, & sudore euacuat serosa humiditas ex capite, & faucibus, & venis, & corporis habitu: narium humiditate, & aurium sordibus, crassiora cerebri excrementa: sternutamētis, & expiratione, & oscitatione, & pandiculatione, & duplici flatu, & transpiratione, vapor ex cerebro, et pulmone, et buccis, et totis artubus, & vetriculo, & intestinis, & toto corporis habitu: tussis

sis expurgat pulmonem, & arteriam aspera, ac per ea tho-
 racem: singultus discurit ab ore ventriculi, nunc flatum, nunc
 succum. Scalptus etiam discurit multa per cutem, & exter-
 git. Itaque omnes hæ sunt vacuationum species: atque adeo
 in morbis quibusdam utiles. Lachrymæ aliquando deone-
 rant caput, & laxant cor, quo fit, ut humiditate serosa secū-
 dum caput redundantibus, & ijs quibus cor angitur, utiles
 sint: narium humiditas copiosa perfanat à coryza, atque
 adeo sine recidiua, ut sectione tertia huius sexti diximus
 stertnuta menta haud ita magnam euacuationem faciunt,
 sunt tamen & ipsa utilia in declinatione morborum capi-
 tis, aut cum iam saltem penitus cessauerint fluxiones. Sordes
 quotidianæ aurium, quæ ob substantiæ similitudinem voca-
 tur cera, capitis excrementa sunt, non tamen sunt satis ad
 insignium morborum curationes, aliæ autem sordes, ut ef-
 fluens ex auribus sanies aut pus, maximos capitis morbos
 solent iudicare. Iam verò spuitione multa & conferta, vidi
 melancholia morbo laborantes, magnopere subleuatos:
 cuius causa est, quia sanguis melancholicus est etiam sero-
 sus, ut sectione secunda huius sexti diximus. Expiratio affi-
 due expurgat pulmonem, iudicatio tamen morbi non fit,
 ut neque oscitatio, aut pandiculatio (est enim oscitatio, pa-
 diculatio musculorum oris) neque singultus, verum suas
 ipsorum causas consumunt. Tussi omnes morbi thoracis iu-
 dicantur, quia sine ea nihil potest ab illo rejici. Iam verò
 vrina & deiectione, & euacuatione muliebri, & sudore, iu-
 dicari multos morbos, nemo ambigit. Flatus infernè excre-
 tus, vel solus aliquando tollit dolorem colicum: superne
 eructatus, hypochondriacos, & mulieres quæ præfoecantur
 ex viro, mire subleuat. Scalptus multis etiam morbis est
 utilis, quia ad cutem conuocat ex visceribus, & inde discur-
 tit, habet denique utilitates duræ frictionis. Itaque hæc om-
 nia sunt genera quædam euacuationum, quas molitur natu-
 ra. Neque enim quia mere liberæ sunt eorum quædam, ve-
 lut scalptus, non sunt proinde dicenda naturalia opera. Næ-
 quæ quam maximè sunt talia, aguntur instinctu quod a na-
 turali, vel nihil tale cogitante homine aliquando, sed neces-
 sitate ipsa doctus, ut ipsum coniuere oculis: pleraque autem
 sunt facultatis, quæ peculiariter vocatur naturalis. In omni-
 bus tamen his mirabilis naturæ providentia indicatur, ha-
 bent que

bentque hæc omnia mirabiles causas, & generationes: lachrymarum generatio mirabilis est profecto, cur enim per mœrorem, quæ cordis passio est, ex oculis serosa illa humiditas tam abundanter destillat? Vnde præstatur materia tam copioso aliquando fletui? Cur animalium solus flet homo, cum non solus mœreat, aut doleat, neque video quis satis aperte dicat, neque facile dictum est. Quamquam ut ad alia omnia, ita ad hæc quoque videtur Aristoteles omnium optime aperuisse viam, dicens (sect. 5. proble. 35.) lachryma sudor quidam est. Quod quidem verum esse ipsa lachrymarum substantia indicat, si quis enim pariter & flet & sudat, ut vtriusque guttæ decurrant per genas, ex substantiæ modo non possis sudoris & lachrymarum riuulos distinguere, consentaneum igitur est, generationis modum esse simile, hæc solum ratione differre, quod lachrymæ ex solis oculis distillent, sudor ex alijs partibus, ut sint lachrymæ oculorû sudor. Sudant vero copiosius oculorum partes quam aliæ, quod oculi glandulis humidissimis & mollissimis substrati sunt, ex quibus humiditas multa facile elicitur. His consonum est, à similibus causis vtrunque fieri, quod certè ita evenit, in maioris & minoris solum ratione consistente differentia. Nam & qui exercentur multum, mouenturque rapide, sudare solent, atque si humidi sunt cerebro & oculis, etiam lachrymari, atque etiam si risu magno suffunduntur, ut calorem contrahant, vtrunque patiuntur. Sed & ex angustia atque cordis afflictione, solent homines non flere solum, sed & sudare. Verum non fiunt ambo æquè ab his omnibus causis, sed ab afflictione cordis, aut dolore, fletur magis quam sudatur, à vehementi corporis motu, sudatur potius quam fletur. Quia exercitatio calore mouet humiditatem. Calent vero magis exercitatione totius corporis muscoli, quorum proprius est ille labor, quam oculi, qui & cerebro sunt proximi, & tunc quidem non nisi cum capite mouentur. Ex risu vero, & cachynis, & calore, etiam mouetur humiditas, ut citato loco Aristoteles dicit, fletur tamen sæpius quam sudatur, quia ridendi motus à corde ad oculus est maximèque agitantur oculi, & reliquæ faciei partes. Tristitia & perturbatio non mouet humiditatem calore, sed debilitate, & tentione, ut Aristoteles docet, vndecima sectione problemate quinquagesimo, his verbis

Sunt

Sunt enim qui flent corpore interiori & infirmiori. Id dicit quia cor triste, debile, & in sese contractum est, reliquum autem corpus compati est necesse, cum accipiat à corda vim & robur omne (vitalis enim vis omnium aliarum est conferuatricis) & sit illi alligatum per venas, sed & per nervos: cum arteriarum quidem radicatio cor sit, nervorum autem ramuli arterijs alligati decurrant. Itaque debilitantur & tenduntur partes omnes cum tristi & anxio corde, multo autem magis vultus, atque in eo oculi maximè, quia illis cum corde est maxima sympathia. Cum enim cordis motus aliæ omnes partes aliquatenus representent, multo autem magis oculi & vultus. Quod quidem natura in hominibus præcipuè procuravit, ut vel hac causa temperaret ab affectibus, & à criminibus, quæ difficile esset vultu non prodere. Proinde maioribus venis & arterijs vultus curam textit, quam reliqui corporis: oculi verò præter hæc alligantur cordi plurimum per cerebrum, cuius cum eo maxima sympathia est. Tentio igitur facit ut humiditas exprimitur, debilitas verò ut dimittatur. Verum cum cor vehementer est contractum in sese, velut exsorbet humiditates, tuncque oculi aridi sunt: cum laxari incipit, dimittit, tuncque oculi præ tentione & debilitate destillant, & cor amplius laxatur, & degrauatur cerebrum: quia glandule oculorum hanc humiditatem deponentes, reliquam que in cerebro redundat alliciunt. Accidunt autem hæc homini, ob dictam sympathiam vultus cum corde, & quia cordis motus in homine sunt vehementiores, ob imaginationis vehementiam, & solitudinem futurorum, & quia habet cerebrum maius & humidius, unde succus circa oculos redundat. Salivæ redundantia, similem quodammodo habet causam. Nam ut oculorum glandulæ lachrymas, itaque vocantur parythmia, generant in ore salivam. Relectio verò eius longè differt à fletu, partim enim redundantia effluit, partim musculis oris reijcitur. Reliquorum omnium, quæ Hippocrates hic commemorat, causæ, & si mirabiles sint, atque si quis eas seorsum velit contemplari, sit habiturus magnum sapientiæ diuinæ, quæ in natura rerum se insinuat, argumentum; traditæ tamen sunt à Galeno, & à me etiam ipso alijs locis, ut non sit opus nunc sermonem de

de his longius producere. Sed solum consideremus, vt illud quoque vere Hippocra. dixerit, hæc non esse eiusdem modi: sunt enim valde diuersi: atque quædam etiam contrarij. Nam lachrymæ & salua effunduntur vt dictum est, sternutatio & singultus sunt concussionibus, narium humiditas & aurium sordes expultricis motu, ei facultati maxime consueto, vt & menstruæ euacuationes, & sudores, & vrina, & deiectio & flatus. Quamquam & in his quoque interest, quod quædam à sola naturali vi, quædam adiuuante etiam ea quæ musculis vtitur, oscitatio & pandiculatio musculorum laxatione, aut alternate alijs feriantibus, alijs mouentibus, vt ita non tam expellantur flatus, quam detur via exeuntibus: scalptus velut derafio quædam est. Sed & contraria etiam facit natura similibus motibus. Nam oscitatio dilatando euacuat flatus, respiratio verò dilatando flatus trahit. Adeo sunt miranda quæ natura, pro sanitatis animalium tutela, & morborum curatione, machinata est.

Hominis anima semper reficitur usque ad mortem. Si autem vritur, simul cum morbo, & anima corpus depascitur.

QVAM tenuerit de animæ essentia Hippocrates opinionem, nullibi aperuit. Nam de natura humana scribens, temperiei ex elementis videtur tribuisse naturæ nomen, potius quam vllam animæ propriam essentiam inuestigasse. Galenus quoque vbi de animæ essentia sermo incidit, deicit eam disputationem, dicens se nullam monstracionem eius rei, potuisse vnquam consequi, præterquam libello de rigore & tremore & palpitatione, vbi (quoniam arbitror ad inuestigandam rigoris generationē, quam vlla alia erat

O o accom-

accommodatior) in opiacionem incidit Stoicorum, dicitur animam esse ipsum naturale calidum, quod quidem est sanguis & spiritus: illud enim esse substantiam ex se ipsa semper mobilem, neque unquam quiescere, sed per arterias, atque adeo corpus totum, huc & illuc per se moueri (hoc respiciens Hippocrates in hoc ipso libro, impetum faciens ipsum appellauit) atque adeo compactum esse ex igne & aere, ut calore moueretur, frigore vero (frigidum enim dicebant esse aerem) coerceretur, quominus dissiparetur, & euanesceret. Alij etiam vetustissimi philosophi, ut testatur Hippocrates primo de natura humana, censebant, sanguinem esse animam. Diogenes censebat esse aerem, seu spiritum. Mihi de anima scripta sunt quam multa in commentarijs in libros de anima Aristotelis, cuius sententia omnium mihi placet maximè, esse, scilicet, actum corporis physici & organici. Quamquam si hominis anima seorsum definienda est, sit satius dicere, esse substantiam quandam incorpoream, cui præ alijs omnibus mundi rebus simul accidit, & esse corporis actum, & separari posse. Verum hæc exactè definire, ad præsentis orationis interpretationem haud est necessarium. Illud unum sit satis nunc scire, ad medicinæ placita indifferens esse, quam de animæ essentia teneas opinionem, ac proinde Hippocratem nunc, iuxta aliorum sententiam, succos & spiritus vocare animam, atque ita dicere, animam dum homo uiuit semper refici, si autem uritur, morbum fieri, & animam ipsum corpus depasci, ipsamque consumi. Nimirum sanguis ex alimento accipit quotidie refecionem, spiritus ex sanguinis vapore, & ex aere, qui inspiratur, & arteriarum motu trahitur: cum vero igneum calorem concipiunt, fit febris, ex spiritu, diaria, ex succis, putrida, a quibus euenit corpus exuri, ac colliquefcere, atque ita nunc in febrem hecticam procedere, nunc liquefcens mori.

6 **M**orbi connutriti, in senectute relinquunt, & per concoctionem, & solutionem, & rarefactionem.

NON omnes morbos qui a prima ætate homines diuexauerint, relinquere in senectute constat, quando quidem ipsemet

ipsemet in aphorismis dicit, multos commori. Quid ergo est quod nunc dicitur? Certè quod in aphorismo, Senes iuuenibus plurimum ægrotare minus. Quod vt in commentario dixi, fit, quia plurimi morbi, eorum qui prioribus ætatibus solent crebro accidere, senescentibus, desinunt fieri: nunc explicat tres modos, quibus id solet euenire. Per cōcoctionē, solutionē & rarefactionē. Vocat cōcoctionē correctionem malæ temperiei, itaq; attemperationem: solutionem vocare cenleo, laxationem, & profusiores euacuationes: fit enim hoc quoq; multis senescentibus, iuxta id quod in alio aphorismo dictum est. Quibus iuuenibus, alius sicca est, id senescentibus, humectatur: id verò quibus accidit dixit Galenus, in commetario, eam ob causam melius degere: rarefactionem vocat meatuum amplitudinem, constat verò id quoq; euenturum per senectam, ijs qui cum prioribus ætatibus essent pingues & crassi, gracilescunt senescentes. Itaq; liberabuntur à morbis quidam senes, quia frigescent, (constat verò q̄ a calidis) quidem, quòd alius eis soluatur, quidam, q̄ gracilescant. Non eueniunt autem hæc omnia omnibus. Nam & si omnes frigescent senescentes, tamen quia non omnes laborabant morbis calidis, non omnes iuantur ea refrigeratione: neque omnes fiunt aluo laxiores, neque graciliores: sed quibus alius erat adstricta, senescentibus, laxatur, quibus laxa, adstringitur: qui iuuenes adhuc erant pingues, senescentes gracilescunt, qui graciles, crassescunt: atque ita profectò qui iuuenes adhuc erant sani, senescentes incipiunt multis corripì morbis: qui verò erant morbo si, tunc fiunt saniores.

7 **C**Ratio contraria cogitans, non consentire morbo.

Hoc est curatio obiectione contrariorum agitur, non similibus. Exemplum autem est id quod mox subiicit, dicens.

8 **F**Rigidum & auxiliatur, & tollit quæcumque à calido.

9 **I**ra contrahit, & cor & pulmonem in se ipsa, & in caput, & calida, & humidum, gaudium autem laxat cor.

IRA est feruor sanguinis circa cor, illud autē circa cor, est qua sunt magnæ arteriæ, quod est inter cor & caput, pulmo autem maximè iuxta cor est: nam ipsum cor velut digitis contegit, & duobus magnis vasis illi alligatur, arteria venali, & vena arteriali vocatis. Hinc fit, vt feruente sanguine, cor, pulmo, & caput, calefiant, & repleantur. Nimirum sanguis feruore tumet, & venas arteriasque tumefacit sed & ob vehementem calorem qui illis in locis est, eo contrahitur vndiq; sanguis. Vnde fit vt multis ob iram, oculi & venæ frontis intumescant, & tota facies rubore suffundatur, & tempora pulsent, & caput doleat, quin & febris superueniat. Gaudium calfacit etiam cor, sed minus. Non enim tam feruet sanguis, quàm effunditur, atque ita per iram cor & pulmo tenduntur, & firmitudinem habent, quasi versus caput reuellantur, per gaudium autem laxatur cor, & omnem amittit contentionem. Quo fit, vt per gaudium vitalis virtus dissoluatur, & dissipentur spiritus, per iram, distentionem patiatur cor, a feruente & tumefaciente arterias sanguine reuulsus, & ardeat caput, virtus verò dissoluatur minus. Quo fit, vt aliquando quidem, utilis sit ira ad naturalem calorem augendum, & viuidum calorem partibus comparandum, quod in secundo huius operis ab eodem Hippocrate dictum est his verbis. Dāda est opera, vt ira excitetur, & caloris, & succi cōparandi causa. Recte ergo dicit iram contrahere cor & pulmonem, & in se ipsa, quia non sunt laxa vt per gaudium, sed cum quadam contentione firmitudine, & tono, & in caput, quia eo versus euntes pleni canales, reuellunt ea viscera sursum. Et calida, & humidum, calida duo sunt, spiritus & sanguis, humidum vnicum, puta sanguis. Gaudium autem cor laxat.

L¹⁰ *Abor articulis, & carnibus cibus, somnus visceribus, animæ deambulatio, cogitatio hominibus.*

GALLENVS & post illum alij omnes, atque adeo ante illum, vt ipse testatur, distribuunt hæc verba in duas orationes, leguntque seorsum labor articulis & carnibus cibus, somnus visceribus, & rursus animæ deambulatio, cogitatio hominibus. Ego vero cur coniunxerim ipsa enarratio

ratio indicabit. Sunt multæ interpretationes, quas videntur verba ferre posse, atque ob id in eas diuersi enarratores inciderunt. Legunt omnes, labor articulis & carnibus cibus, atque quidam intelligunt dici laborem, id est exercitationem, & motum vehementem, esse cibum, id est refectiõnem, atque adeo roboris causam, articulis & carnibus, hoc est articulis & musculis, quia partes omnes propria exercitatione roborantur, atq; ocio, & intermissione actionis propriæ, languescunt. Cum igitur motus animalis instrumenta sint, articuli & musculi, dicunt eos roborari exercitatione. Alij inuerrunt hæc, dicentes, cibum hoc est satietatem, & nimiam cibi ingestionem, esse articulis & carnibus laborem, hoc est pondus & molestiam afferre, & est sanè hic sensus verissimus quoque (nulla enim ex causa sæpius nascuntur articulorum dolores, & musculorum resolutiones, quàm ex ingluuie) verù Galeno non placet, quia sequentia illa verba, somnus visceribus, iuxta priora interpretari est consentaneum, itaque iuxta hunc secundum sensum dicitur, somnum esse visceribus laborem, id verò est falsum, nisi quis id quod generatim dicitur, particulatim accipiens, intelligat somnum laborem visceribus esse, cum tenentur inflammatione aliqua, aut in febris inuasione. Secundum rationem autem ipsius somni, rectius dicitur, somnum esse visceribus cibum, quia maximè iuuat eas, quæ in visceribus aguntur, concoctiones. Quapropter verba hæc primum sensum confirmat, quem proinde Galenus sequitur. Quod autem ad reliqua verba attinet, dicit Galenus, si ea ita retineatur, vt occurrunt scripta, significare, cogitationem, esse animæ deambulationem, hoc est exercitationem. Itaque quod deambulatio est corpori, id esse animæ cogitationem. Verùm dicit, Dioscoridem, quod videretur ei, esse loquutionem affectatam, vocari animæ deambulationem, emendasse codicem pro suo arbitratu, legisseque pro *ἀεπίπρωτος*, hoc est deambulatio *περιπρωτος*, hoc est de omni re, atque interpretari, quod Galenus quoque probat, animam de omni re debere cogitare: hoc est ratiocinari, & meditari: pertinere vero hoc non ad philosophiã solũ, sed ad omnes artes, atq; ad medicinã peculiariter, posseque referri ad medicũ, vt significet, hunc nihil debere temere præterire, sed meditari omnia, vt agat prudẽter. Atq;

adeo ratiocinatione debere uti: posse etiam referri ad ægrotum, quia nonnunquam ipsum de re aliqua cogitare quæ excitare eum possit, siue tristi, siue iucunda, remedio est, in ijs scilicet passionibus quæ primi sensitiui afferunt stuporem, aut grauem somnum. Hæc omnia dicit Galenus quorum & si nonnulla probabilia sunt, ac vera, quædam tamen etiam videntur conquisita solum ad dicendum. Quapropter ego in alium sensum feror, quem iam dicam. Mihi videntur hæc omnia legenda coniunctim, continereque quandam præceptionem Platoniam, pertinentem ad procurationem boni habitus, non solum corporis, sed totius hominis, corporis scilicet & animi. Quid autem habet ab surditatis, putare Hippocratem scripsisse aliquid, quod ad medicinam pariter & ad philosophiam morum pertineat si modo verè dictum est à Galeno, libello cui titulus est, si quis sit medicus eum philosophum etiam esse, eum qui velit Hippocratis esse imitator, debere morum philosophiæ tenere, ad quam spectat, & componere suum animum, & alios ad virtutem cohortari? Atque ipse Galenus non est sibi visus medici munus excedere, scribens, de cognoscendis & curandis animi morbis. Sed quæ sit Platonis præceptio quam his verbis contineri dico, audiamus. Ille in dialogo de natura ita scripsit. Idem quoque iudicandum de eo ex anima & corpore composito, quod animal appellamus. Quædo enim anima corpore admodum potentior est, exultat in eo atque effertur, totum ipsum intrinsicè quatiens, languoribus implet. Quando etiam ad discendum, investigandumque, collectis in vnum viribus, vehementer incumbit liquefacit protinus corpus, & labefactat. Denique cum ad docendum differendumque, priuatim & publice ambitiosa quadam concertatione contendit, inflamat corpus, atque resoluit. Nonnunquam etiam destillationes fluxusque commouens, medicorum plurimos decipit, cogitque illos contrarias causas iudicare. Rursus quando corpus græde, & pigriori mole super excedens, pusillæ exilique cogitationi animi copulatur, cum geminæ sint in homine secundum naturam cupiditates, vna quidem per corpus, alimentorum, altera verò per id quod diuinissimum in nobis inest, prudentiæ: tunc sanè potentioris illius præualentes agitationes, quod suum est adaugent, quod verò animi, hebes, indocile, obliuiosum reddunt, atque

que ita infirmitatem maximam, videlicet imperitiã generant. Vna demum est ad vtrunque salus, & conseruatio, vt neque animam sine corpore, neque corpus absque anima moueamus, vt in mutua contentione exæquatis inuicẽ viribus insurgentia, bonam totius valetudinẽ tueantur. Hæc Plato quibus aperte innuit, vt totus homo bene valeat, ne quẽ sine corporis exercitatione esse meditandũ, aut literarum studijs incũbendũ, neque his omnino dimissis corpus exercendũ, quia illud faciet hominẽ morbosum & infirmũ hoc imperitum & stupidũ, quasi meditatio animæ sit exercitatio, vt motus corporis. Huc mihi videtur tendere Hippocrates, & docere, quæ procuratio esse debeat corporis & animi, vt vtrunq; firmũ sanumq; seruetur. Roborant verò corpus hæc tria, labor, cibus, & s̄nus, animã cogitatio, quia est animæ exercitatio ppria. Itaque quicunq; sibi toti bene prospectum vult, exerceat sese satis, & cõuenienti cibo vtatur, & somno qui satis fit ad concoctionẽ: & reliquũ tempus meditetur, quæ pertineant ad pietatem, & scientiã. Ita enim viuet, & sanus, & p̄bus, & doctus. Vbi solius corporis salubrẽ procurationem docuit Hippocrates labori, cibo, & somno adiecit Venerẽ, nunc vero animi quoq; cultum docens, Venerẽ tacuit, quia ea inimica Mineruæ est. Sũt verò dicta tria omnibus corporis partibus necessaria, quia omnes indigêt alimento qd ex cibo capitur, & expurgatione excrementorũ, digestioneq; alimentorũ quam facit exercitatio, & cõcoctione quã somnus: verũ cõmẽdat precipuẽ labor ad articulos, cibus ad carnes, somnus ad viscera, quia exercitatio præstat habilitatẽ ad motus, qui in articulis aguntur: cibus nutritionem qua carnes maximẽ augetur: somnus cõcoctiones, quæ in visceribus maxime viget.

I *N viceribus sanguis concurrat: subueniendum vt vacuum impleatur.*

VNAM quandam rationem cohibendĩ profluuium sanguinis ex vlcere docet, replere scilicet totã ipsius vlceris cauitatem linamentis, nunc siccis & constipatis (sola enim hæc aliquñ sunt satis, velut si quis admotis digitis cohibeat, atq; eo magis quod ipse sanguis cõcrescẽs obturandi vim

habet) nunc imbutis emplastrico aliquo succo, vt oui albumine, aut etiam agglutinante, vt albumine cum terebenthina.

- 12 **S**i auri doleat lanam digito circundans vnguine aliquo intingere, deinde iniiciens intrò, in vola ipsam lanam auri supponere, vt videatur aliquid ipsi exire, deinde in ignem proijcere dolus.

GALENO adeo nulla huius orationis explicatio placet, vt illis omnibus examinatis, tandem censeat, Hippocratis non esse Mihi vero videtur, ijs quæ ab eodem autore dicta sunt alibi consona. Nam dictum est in prognostico. Auri dolor acutus cum febre continua ac vehementi, difficilis est, periculum enim delirij, & mortis imminet. Quia igitur fallax hic locus est, cito etiam animaduertere omnia alia inditia, à primo die necesse est. Eandem sententiam hic scripsit, apponens vnum quiddam eorum quæ curandi simul & tentandi gratia, ne locus nos fallat, facere oportet. Quod igitur dicit dolus, idem est quod in prognostico fallax locus hic est. Quid igitur iubet facere? Lanam digito circumdatam intingere vnguine aliquo, oleo scilicet aut pinguedine, & in aurem infundere (eadem ratio fuerit, si specillo circundes, aut forcipibus accipias) deinde eam lanam manu detentam auri supponere, ita vt aliquid ei exire videatur, id est vsque dum videatur aliquid exire ex aure, & in ipsam lanam imbibi, postea, hoc est postquam id quod exiit imbiberit, in igne proijce, ita enim indicabit tibi ipse odor, an vlcus aliquod fordidum interius lateat, an non, atq; erit hoc vnum quiddam, eorum quæ prodere possunt eius loci dolum, facereque quominus fallat. Satius autem sit, in ignem proijcere solum humorem expressum, quam ipsam lanam, quia foetor ipsius alium quencunque foetorem obsecurabit.

- 13 **L**ingua lotium significat. Linguae chlora biliosa. Biliosum autem à pingui. Rubra verò à sanguine: nigra autem à nigrabile: arida à fuliginosa exustione, & ab vteriusna parte: alba autem à pituita.

NON in lingua solum, sed in toto etiam reliquo corpore, colores præter naturam mutati significant redundantia succo-

succorum, quorum tales colores sunt. Lingua autem multo magis quam vlla alia pars, quia excipit vapores & fluxiones, ex capite, ex ventriculo, & ex pulmone, atque adeo ex toto interno corpore. Significationes vero similes sunt in lingua, & in vrina. Vt enim vrina colore refert speciem caecochymia, ita etiam & lingua, quod significat dicens, lingua lotium significat, hoc est significat vt lotium. Nam linguae chlorae, (hoc est flauae aut virides, vel inter hos colores sitae) biliosae sunt, hoc est bilem significant redundare. Nimirum illi omnes colores sunt bilis, magis aut minus vsta: interponit obiter generationem biliosi succi dicens, biliosum autem a pingui, hoc est a tenui sanguinis parte. Affirmant enim omnes medici cum Galeno, cum vritur aut putrescit sanguis, eius tenuem partem mutari in bilem. Vocatur autem pingue quod tenue in sanguine, quia re vera est pingui simile, & innatat ipsi sanguini, vt flos vino, & vt oleum aquae superuehitur & lacti, quod butyrosolum: Galenus dicit vocari pingue per metaphoram, quia nutriens, vt plurimum nutriens triticum vocamus pingue. Addit, rubrae vero a sanguine, & merito quidem, nullus enim succus ruber est praeter sanguinem: tamen Galenus in commentario huius sententiae, videtur bilis rubrae speciem quandam ponere, non aliter ac Auicenna: re vera tamen, qui succus talis esse censetur, sanguis biliosus potius est, quam bilis. Nigrae autem (inquit) a nigrabile. Arida a fuliginosa exustione, & ab vterina parte. Nimirum linguae fiunt nigrae aliquando ob febris & vitiosis vehementiam, a fuliginibus ascendentibus etiam ex alijs succis, velut videmus, linguas eas quae affationem subeunt, ab igne nigrescere. Itaque nigrescunt aliquando nigro humore imbutae, aliquando exustae solum, & tinctae fuligine. Euenit autem hoc per febres vrentes, quales maximè esse solent, quae ab internis & magnis inflammationibus pendent, vt ventriculi, hepatis, aut vteri. Est autem discrimen linguarum nigrarum, quod quae ab humore tinguntur, sunt nigrae magis quam aridae, quae a fuligine vsta, aridae magis quam nigrae. Ob id secundas has, quasi ab eo quod eminent, aridas appellauit. Dixit autem & ab vterina parte, non quod ea pars sola inter internas, aut ea vtrunque affecta, tales facere soleat linguas (nam neque ea solet nisi vehementer inflammata,

neque

neq; minus aliæ internæ quam plurimæ possunt) sed quas vnum quoddam exemplum producit: postremò dicitur albæ autem à pituita. Rectè autem monet Galenus, non ut argumentum accipitur à coloribus linguæ ad succos, ut etiam à succis ad colores cōverti posse: necesse enim esse si color sit chlorus, redundare bilem, si ruber sanguinem, si niger, nigram bilem, si albus, pituitam: non tamen si redundet sanguis, necesse esse rubram esse linguam, neque si pituita, albam, posse enim non in eam partem incumbere. Sed & prima consequutio videtur mihi indigere quibusdam animaduersionibus. Nam primùm, cum niger color dicatur habere duas causas, & altera, puta vitio, cum alijs succorum speciebus iungi possit, constat non valere consequutionem à nigro colore ad succum nigrum, sed posse fieri nigram linguam in causo pituitoso. Præterea fieri possit ob fluxiones particulares vt causa morbi non certè ab eo indicio cognoscatur. Voco autem particulares fluxiones, vt si homo febre teneatur biliosa, tamen lingua destillationem pituitosam à capite recipiat. Perinde accidit in vrina, in cōmune enim rectè dices significari talis siccitatis redundantiam, qualis color apparet in vrina, ea vero sapere fallit ob peculiare vitium renum. Itaque vel ob hoc rectè dicitur linguam significare vt lotium.

34 **V**rina concolor cibo & potui, & vt consuevit, vt
humidi colliquatio.

TAM variè reperi scriptam sententiam hanc, cum in codicibus Græcis, tum etiam in Latinis, vt fuerit non parè difficile, eligere maximè consentaneam lectionem. Nam in quibusdam codicibus reperi scriptum ἕσθηεν, quam lectionem sequitur Cornarius, & vbi ego verti, vt consuevit humidi colliquatio, ille vertit, & qualis intus est humidi colliquatio. Porro reperi in versione quadam veteri Faui calui, lotium concolor corpori, potuque par, humoreque interioris constillatio. Qui haud dubiè habebat in suo Græco codice, pro βρώματι, id est, cibo σάματι, id est, corpori, & vbi habetur καὶ ὡς, id est, & vt, εἶσιν, id est, par seu æquale. Verum hanc lectionem reieci, quia non cōgruit cum

cum enarratione Galeni, qui in commentario reddit causam qua urina aliquando referunt colorem cibi & potus, & quantitatis nullam facit mentionem, vt facile constat Galeni codicem habuisse *βράματα*, nullam verò particulam qua significaretur par aut æquale. Priores duæ lectiones omnino habent eundem sensum, neque refert quicquam dicere, vt consuevit humidi colliquatio, aut qualis intus est humidi colliquatio, vtraque enim oratio significat, urinam eiusdem coloris cum cibo & potu qui accipitur, esse qualis solet reddi cum est humidi colliquatio. Copus nō legit humidi colliquatio: sed vbi humiditas colliquatio, sequutus arbitror alium codicem. Vbi occurrit scriptum, pro *ὁ ποσίου ὑγροῦ σιτηνῆος*, id est, vbi humidi colliquatio *κατὰ τὴν ὑγρὴν σιτηνῆος*, id est vbi humiditas colliquatio, seu ab humiditate colliquatio. Sed neque hæc lectio mihi videtur sensum permutare, sed in idem recidere, siue dicas humidi colliquatio, siue ab humiditate colliquatio. Nam his omnibus significatur affectio, quæ diabete vocatur, per eam enim multa vrina redditur, & corpus arescit: arescit verò quia humiditas non moratur interius, sed effluit multa. Itaque congruit huic morbo vocari humidi colliquationem. Siccatio enim humidi colliquatio est, atque etiam colliquationem vbi humiditas, hoc est colliquationem vbi humiditas multa, id est multa aqua mingitur, & ab humiditate colliquationem, arescit corpus à multa mictione. Est autem proprium huius morbi reddi urinam incommutatam, concolorem cibo & potui, quod per eam affectionem, & concoctrix hepatis, & retentrix renum facultas, debilitata sit, tractrix verò renum operetur plus satis. De hac itaque passione loquitur Hippocrates in præsentis oratione dicens, fieri nōnunquam urinam concolorem cibo & potui, vt consuevit in diabetica passione. Quapropter mihi hic non probatur enarratio Galeni, qui nescio qua occasione agit de oro binis contentis, & hordeo similibus, & laminis, & carunculis, & perturbatis vrinis, cum certe illa huius loci non sint.

L *Inguæ concolor redimantij, quam ob causam per hanc agnoscimus succos.*

Redun-

REDUNDANTIAS, seu vt alij vertunt extensiones, vocat eas, quibus quidam succi præ alijs videntur in corpore eminere, seu vt dicere solent, dominari. Itaque hæc oratio nihil continet noui, sed causam illius, qua dicebatur, lingua lotium significat. Nimirum cognoscimus succos per linguam, quia ea induit colorem eius succi, qui in corpore dominatur.

16 *Si salsæ carnes gustanti, redundantiæ signum.*

VNO quodam appositissimo exemplo indicatur, non solum colore linguæ, sed etiã passione eius facultatis que gustamus, agnosci redundantis succi speciem. Nimirũ cum redundat bilis, omnia videntur esse amara: cum sanguis dulcia: cum melancholia, acida. Ita si cui carnes (eadem ratio est aliorum ciborum, nisi qui habent qualitates alias insignes, quibus falsedinem cohibeant) gustanti videntur esse salsæ, signum est redundantiæ salsæ pituitæ. Causa autem est manifesta, quia tali humore imbuta est lingua, & omnium quæ gustantur succi miscentur cum saliuâ, & accipiunt illius qualitates.

17 *Si mammæ papulæ, & rubrum chlorum sit, ægrotat vas.*

PARTICULA illa, &, non est continuatiua, sed declaratiua, idem enim est dicere, Papulæ mammæ, & rubrâ mammæ. Nam mammæ eam solam partem habere solent rubram, neque eam quidem totam, sed eius extremum per quod lac exugitur. Illud igitur quod secundum naturam apparet rubrum, si chlorum fiat, ægrotat (inquit) vas. Galenus interpretatur appellari vas vterum, tamen si id non admodum sit iuxta phrasim Hippocraticam: dicit igitur colorem vitiosum papularum, significare morbum vteri, ob consensum eius cum illis per venas communes, quæ ascendant per musculos rectos abdominis, per quas habent vterus & mammæ commune alimentum: vitiosus ergo color vitiosus succum in vtrisque partibus redundare significabit, atque ob id vterum morbo aliquo teneri, nisi tamẽ
licet

lier vtero gerat, tūc enim citra morbum solet id fieri, prægnationis potiusquam morbi signum.

Hominibus aurium sordes, dulces quidē lethales, amara vero non.

NIMIÆ diligentia videtur esse hoc. Turpe enim esse videtur excrementa linguæ admouere, vt ex eorum saporibus accipias significationes, neque quispiam qui non sit sordidissimus, eo vsque procedat. Causam autē reddit Gal. dicens, non aliter fieri eas sordes dulces, quam liquecente cerebro, liquecit verò cum putrescit ac corrumpitur, nisi tamen quid sanguinis cum ipsis fordibus commisceatur, ita enim dulcescent cum minori malo: sanguine verò dempto, ea dulcedo sordium fuerit lethale signum. Quam fortasse gustare tentabit aliquis, aut ægrotus ipse suam, aut mariti vxor, aut filij mater, aut alius qui sit ægroti amantissimus, vincit enim amor vt alia omnia, etiam tedium.

Terram mutare conuenit, in morbis longis.

CORPVs legit solum patrium, & plerique medicorum intelligunt, hic Hippoc. docere, in morbis longis, vbi quis extra patriam ægrotat, in patriam transferri, quasi aer patrius, aut etiam cœlum patrium, opem sit laturum. Ego verò cenfeo, patrium habitare solum, quibusdam esse vtile, quibusdam noxium, atque ita vt quibusdam vtile est cum ægrotant in patriam reduci, ita alijs in alienum solum à patria deportari. Si enim vt Hippo. docet, lac proprium & maternum, quibusdam vtile, quibusdam autem alienum, quanto magis & solum patrium sit aliquando inutilius, quàm quod alienum. Neq; sanè experimētum repugnat, vidimus enim multos in sua patria degere insalubrius, in alias siue regiones, siue vrbes cōmeantes, saniores reddi: alios multos contra. Id quod merito euenit. Si. n. in loco calido natus est valde calidus homo, aut in frigido, valde frigidus, cur non his patriæ cōmutatio vtilis sit, ita vt eorū vterq; in alterius patriæ degat melius quàm in sua, regionis temperie in-
teperiem propriā corrigente (nisi tamen differentia sit tā-

ta,

ta, vt eam sustinere natura non possit, quod accidit Ethio-
pibus huc repente translatis) cum intemperati homines
ad contrarias causas melius, & ad similes deterius habeant.
Hipp. igitur ita dicit, terram mutare cōuenit in longis mor-
bis. Hoc est cum morbi aut suapte natura, aut à principio
sint longi, vt quartana febris, atque quibusdam podagra,
aut nephritis, vel ex acutis deciderunt, consultum est in re-
gionem aliam commeare, non tamen in quancunque teme-
re, sed cum delectu, in eam, cuius temperies illi morbo ma-
ximè aduerfetur. Quo consilio multi, ob febres quarta-
nas, & morbos alios melancholicos, Complutum veniunt.
Quòd scilicet huius oppidi temperies calida & humida
est, verum ob hydropem nullus veniet, etiam si contingat
Compluti esse natum.

20 **D**ebiliores cibi breuem vitam habent.

DUPLEX est huius sententiæ interpretatio, prima, de-
biles cibos dici eos qui facilis concoctionis sunt, quia pa-
rum resistunt commutanti, & hos breuem vitam habere,
hoc est parum manere in corpore, eo quòd cito excernan-
tur, quia vt dicitur in aphorismo. Eorum quæ velociter nu-
triunt, celeres fiunt excretiones: Altera, debiles cibos dici
eos qui præstant paucum, idque tenue alimentum: & eos
breuem vitam habere, hoc est breuem vitam præstare ho-
minibus, qui eis vescuntur, quia qui talibus vescuntur, ne-
cessariò sunt debiles, infirmi vero & debiles, non possunt
diu viuere. Eadem est ratio cibi pauci, & si ijs natura de-
bilis non sit. Quare non temere consulendum est homini-
bus, vt cibi quem possint coquere, partem detrahant, aut
cibationem consuetam intermittant. Tantum enim sibi
vitæ detrahunt, & si interim videantur nonnulli eorum sa-
lubrius degere. Probat hęc secunda interpretatio magis
(& si vtraq; verū sensū reddit) quia vt Gal. recte dicit atte-
statum est, vitam alimēti vocare, eius moram in corpore.

21 **C**um ad sunt vésuata venas quæ in auribus posterius
sunt, scarificare oportet. *vid. f. 625.*

DICUNT grammatici *κέρματα* esse dolores genita-
 lium, par est autem magis hac in parte Galeno credere, qui
 interpretatur, ita vocari ab Hipp. fluxiones in crura, & co-
 xæ articulum. Itaque dicit eos quibus fluxiones sunt ad
 coxam, iuvari scarificatione venarum retro aures. Ego de
 hac curatione lib. 5. in historia Lyconis qui in cœniadis do-
 lore coxæ laborauit dicere cœpi, distuli autem in hunc lo-
 cum. Illic quidem, & in proxima historia Eupolemi, dixi
 totam huius morbi curationem, quam proinde nunc non
 repetam, sed quod ad hanc venarum in auribus, aut retro
 aures, sectionem attinet, explicabo. *χρῆσις* seu scarificare,
 decere nunc Hipp. non solum capillarum venarum con-
 fertam sectionem quæ peculiariter ita vocatur à medicis,
 sed sectionem grandiorum venarum, constat. Quia scari-
 ficatione externæ cutis auriû, inopinabile est, aliquid emol-
 lumentum capi posse, quia exiguum omnino erit quod scari-
 ficata parte extrema & excarni, atque ob id frigida, exire
 poterit, neque vllus medicorum ita facere tentauit: atque
 ob id Galenus ubi dicitur venas quæ in auribus posterius
 sunt, non vult intelligi venas vllas in ipsis auribus, quia sci-
 licet ibi nullæ sunt manifestæ, sed eas quæ per ceruicem
 repunt retro aures: censetquæ oportuisse ab Hipp. dici ve-
 nas quæ circa aures, potius quàm venas in auribus. Sed ne-
 que si ita intelligatur, probat Gal. id quod dicitur, sed fal-
 sum & supposititium esse opinatur, quia neque ab vlllo me-
 dicorum, qui id laudant, in ipso opere tentari vnquam di-
 cit. Ob id de causa qua hoc ischyadicis utile sit dicit nihil,
 quia ne esse quidem utile opinatur. Nos verò si quid pro
 hac quoque sententiâ dici potest probabiliter, explicemus,
 ab eo quod in ipsis curationibus vidimus exorsi. Venâ post
 aurem secari ob ischyadem & inde sanguinem affatim edu-
 ci, nunquam vidi. Tamen scio empyricos quosdam ischy-
 adicis omnibus internam auriculæ partem, qua cartilago ve-
 lut replicata tumorem quendam habent cauterio vrere, &
 eorum quosdam, ut ipsemet narrat, esse iuuatos. Ego huius
 causam ratus sum, quod multis ischyadicis ex capite fluat
 materia, & eius loci vltione interceptatur. Nam sectione.
 5. lib. 2. legimus apud Hipp. si caput doleat in pectus ve-
 nit, deinde in hypochondrium, deinde in coxam. Itaque
 potest venire fluxio à capite in coxam, quod cum fiet, non
 erit

erit præter rationē, vstione interceptis vijs, subleuari eos dolores. Fiunt autem abscessus vt sectione. i. lib. 2. dicebatur, aut per venas, aut per ossa, aut nervos: censeo igitur factis in uestionibus, & intra auriculam, atque etiam extra siue post, siue ante auriculam, iuuatum iri eos quibus ex capite decurrat fluxio, quod ex antecedente, aut etiam nunc simul existente capitis passione cognosces, vt dicebat Hippo. si caput doleat. Itaque vt pro posterius, circa aures scribatur, vt Gal. censeat, facile recipiam illud autem scarificare, intelligo pro secare vtcunque, velut si cauterio intersecentur venæ & arteriæ quæ ibi sunt, tam etsi scio barbaris quibusdam nationibus esse in more positum, ob plerosque morbos scarificare aures ipsas posterius. Id quod didici a Sarracenorum filis, quos nuper Philippus dominus meus denicta rebellione à Granatâ finibus in interiorem Hispaniam secedere imperauit. Illi utebantur aurium scarificatione, quam possit quispiam in hunc Hipp. locum referre. Neque sanè ego vt noxiam vituperem, neque vt omnino inuilem, debilem verò esse dixerim, ac fortasse illi, vt mittendi sanguinem timidissimi, atque adeo vt raro profusa missione indigentes ob parsimoniam, illa scarificatione contenti iuabantur. Nostris vero prorsus erit debile auxiliū. Siquid verò conferet ad ischiadem, faciet quidem id vt lectio et vstio; intercepta fluxione in via. Iuuat enim hanc interpretationem præter id quod ex ipsis operibus potest colligi, & illa vox *κέρματα* quæ significat fluxiones in coxam: videturque ob id significare simul passionem coxæ, & eius causam, puta defluxus à partibus supernis.

22 **V**enus in morbis à pituita utilis.

VENUS est causa siccans & vacuans in principio calfaciens, vt alia quæuis exercitatio (exercetur enim totum corpus) deinde verò refrigerans. Vbi igitur virtus erit robusta, moderata Venus utilis erit per morbos pituitosos. Quia calfaciet & siccabit. Immoderata verò nūquam proderit, quia vt siccabit, ita etiam refrigerabit, atque afferet noxam maiorem quam vtilitatem, quin etiam et si vacuando siccet, per accidens augebit excrementitiam humiditatem,

tem, per incoctionem, atqui ne moderata quidem erit talibus utilis, si facultas agrotantis valde debilis sit, quia non poterunt citra noxam sustinere spirituum effusionem, quæ per coitum fit copiosa.

²³ **I**s qui sunt ventre calido, fortes cibi & potus turbationem afferunt.

Fortes vocantur hoc loco cibi & potus, qui vim habent medicamentosam & vehementem, eiusmodi autem sunt, qui valde calidi, ea enim temperies est omnium efficacissima, constat vero talia ventri calido noxam & turbationem allatura, quia augebitur eius intemperies. Vocauit vero ipse met oratione 17. sectionis 4. cibos fortes calidos.

²⁴ **A**trabilis velut simile, hæmorrhoydi.

FAMILIARE est hæmorrhoydibus atrabili simile, hoc est sanguinem melancholicum effundere, non tamen ita proprium ut bonum sanguinem effundat nunquam. Fiunt enim aliquando, natura per eam viam sanguinis fæces expurgante, nonnumquam etiam ob multitudinem sanguinis. Cunque sunt facultate expurgante, insaniam, & alios morbos melancholicos si ad tollunt, si nondum ad sunt, ab eis præseruat, ut in aphorismo dicitur: cum verò sanguine redundante fundunt bonum sanguinem, si tempestiuè sistantur, liberant corpus à multitudine, sin minus, deijciunt vires, & refrigerant hepatis, atque mali habitus, & hydropis causa sunt.

²⁵ **I**ncrescentes morbos mixtio.

MIXTIONEM vocari coitum, seu Venereum congressum inter omnes interpretes semper conuenit, ut testatum reliquit Galenus in commentario. Verum altercati sunt quamplurimum qui sint morbi increscentes, & quid sit quod Hippo. sibi velit an mixtionem morbos illos lædere, an iuuare. Nam vox illa increscentes omnino est ambigua, ipse vero omnino non explicat, quid mixtio faciat. Nulla ergo est via alia, ad interpretationem, quam ex ipsis operibus coniectare:

P p p ad id

ad id verò oportet definire prius quos vocet increscentes. Ego de re tam incerta non ausim quidpiam certò affirmare. Producam interpretum sententias, vt quiuis cõseat pro suo arbitratu. Non enim res magni momenti est, neque de trahere multum, aut apponere arti potest. Quidam increscentes morbos dicunt, esse eos, qui diuturnitate fiunt semper grauiores. Huiusmodi quidẽ sint omnes, nisi enim aut ab ipsa natura vincantur, aut artis opera curentur, morbi omnes per moras conualescunt, vt ille dicit: verum dicuntur peculiariter increscentes illi, qui solent sæpe sine curatione derelicti, diuturnitate euadere incurabiles, vt podagra, arthritidis, renum vitia, morbus comitialis, atrabilis, & alij eiusmodi, qui nisi ætatis mutatione curentur, solent commori: qui sequuntur hanc interpretationem, intelligunt Hippo. affirmare increscentes morbos lædi mixtione: videntur enim illi omnes quos commemorari, coitu lædi: quanquã quosdam eorum aliquando moderato iuuari, non est inopinabile, magna autem ex parte, atque nimio semper lædi, verè dicit quis. Proxima huic interpretatio alia statui potest, vt increscentes vocentur, qui iam incremento sunt morbi, quicunque ij sint, atque affirmetur, & si dictum sit, morbos pituitosos Venere iuuari, non tamen id esse faciendum morbis increscentibus, sed inclinantibus aut incipientibus. Hæc enim sunt duo tempora euacuationibus opportuna, vt tempus increscendi concoctioni, itaque vt ab alijs omnibus euacuationibus morbis increscentibus abstinendum est, ita & à mixtione. Alij censent vocari morbos increscentes figuratè, eos qui solent inuadere infantes, & durare toto tẽpore crescendi, vsq; ad pubem scilicet. Nam ad eam vsque ætatem crescunt corpora manifestè, iam inde parum, & qui citò incipiunt hircire ex quo solent esse corpore, quod citò tardetur eorum incrementum. Hi dicunt Hippo. docere, tales morbos Venere sanari: quia eo tempore quo mulieribus incipiunt fluere menses, & mares Venere vti, solent iudicari tales morbi, ficescente corpore. Ecce duas interpretationes, prima placuit Galeno, secunda Sabino, vt Galenus narrat. Ego in secundam hanc inclino, quia nihil magis medicis receptum, & experimento cognitum, quam pueriles morbos fluentibus menstruis, mulieribus, pueris vero in adolescentia solere

lere finire, alijs quidem incipiente adolescentia, alijs procedente, vt quibus tota adolescentia quæ vsque ad vigesimū quintū annum producitur, non finiuntur, soleant manere incurabiles, vt de morbo comitiali in aphorismo dicitur. Verū videtur Galeno, epilepsiam & podagrā puerilē & lapidē vesicæ, & vermes, & alia eiu smodi mala non curari Venere (ab hac enim potius lædi) sed mutatione etatis qua siccescunt corpora, atq; ita male dici mixtione curari. Verū & si hoc reciperemus non esset admodū durum, ætatē Veneri idoneam, vocari mixtionem, atque ita intelligi morbos crescentes, idest, morbos crescentiū curat mixtio, idest ætas mixtionis, seu mixtioni iam apta. Res autem exigit vt definiā, an ipsa mixtio curet tales morbos, an ætas. Ego certē non dubito iuuare aliquādo eam seminis effusionē ad curationē talium morborū, vt & mēstrui sanguinis mulieres: nā vtraq; harum euacuationū ficcat, atque vt detrahit materiā corporis incremento potest detrahere et morbis humidis, & pituitosis, cū præcipue ea ætate maxime cōstent vires. Alioqui quo casu verū sit pituitosos morbos Venere iuari? Verū est Venere debilitari cerebrū, & neruosum genus, multō magis quā menstruis vacuationibus, atque ita nō esse eius vsū tam salutarē, quia ficcare quidē & vacuare menstruis magis, vt copiosiori euacuationi accidit, debilitare verō minus quia neque cum tanto labore cerebri, neque cū tanta spiritus sit exhaustionē. Quā ob causam meritō menstrua euacuatio leuare poterit multos morbos, quos Venus exacerbabit. Nihilominus Venus non est per se ac semper causa insalubris ac noxia, vt censebant Epicurei, sed aliquando salubris, vt docet Gal. in arte medicinali, atque Hippo. in hoc ipso libro, estque eius quidam modus retinendus, vt aliarum omnium causarū, quæ nunc profunt, nunc lædunt. Quandoquidem ergo ficcatione & vacuatione potest conferre, labore vero & spirituū dissipatione lædere, ij quibus ob magnā humorum redundantiam, magis quam ob cerebri propriā debilitatē, videbitur accidisse epilepsia, vtilis fuerit Venus moderata: vacuabit enim & siccabit citra debilitatē insignē: quibus verō cōtra, debilitatis cerebri, quam redūdātix pituitæ, erunt plura signa, ipsa per se Venus sēper fuerit noxia, vt pote ad euacuationē nō valde necessaria, debili vero alioqui debi-

litem magnā allatura: Igitur nimia Venere uti, nulli horū (neque vero aliorum) permittendum est: ijs verò qui debilitatis alias notas non habeāt, sed redūdātū humorū, sintque salaces, & redundantes semine, & si epilepsia laborēt permittendum in adolescentia uti Venere moderata: debilibus verò & biliosis, neque valde redundantibus succis, iubendum, ut omnino abstineant, sed solius ætatis beneficium expectent: caueantque, ne si ea utantur, plus lædat Venus, quam ætatis mutatio iuuet, & in posterum habeant deterius.

36 **R** *Efrigeratio ea, quæ circa aluum, indurat.*

EA quæ circa aluum, aut in aluo sunt, haud dubiè vocat fæces, hæ, velut res alia quæuis, durari possunt duobus modis, nam aut per veram duriciem quam facit siccitas, aut per concretionem, quam facit frigus, ut durefcit frigore glacies. Fæces intra aluum contentæ, haud possunt adeo refrigerari, ut durefcant, citius enim, ut rectè Galenus censet interierit animal. Superest ergo ut siccitate durefcant (neque enim plures quam duæ hæ sunt causæ duricie per se, ut alibi non semel iam mōstratum est) quare frigus haud quam possit duriciem facere, nisi per aliquod accidens, æque quoniam per accidens, facit frigus ut durefcant fæces non semper facit, sed aliquando contrariū. Videmus enim sæpe ob occursum frigidi aeris, aut pedū nuditatē, aut potum frigidum, aut talem quancunque causam refrigerato ventre, fieri diarrhœam. flante autem borea aluum siccati testatur Hippo. aphorif. 5. sectionis tertiæ, constatque experimento. Igitur frigus fæces aliquando duriores, aliquando molliores reddit, & utrunq; quidē per accidens. Per quid ergo, contemplemur. Certè nō nisi per eas causas, quæ per se faciunt fæces duras aut molles. Nā omnis causa per accidens reducitur ad causā pfe. Oportet ergo scire causas per se earum passionum, illis enim perspectis facile intelligemus, qñ & quomodo frigus duret fæces, quod Hippo. præfenti oratione testatur. Quandoquidem ergo concretionem non possunt durefcere, sed solū siccatæ, siccitatis verò eius causæ sunt nimia consumptio quam calor faciat, aut nimia distri-

distributio: nimix cōsumptionis causa fuerit calor nimius
 ventris: distributionis, calor partiū aut siccitas: trahūt enim
 valēter quæ calida, & alliciūt humorē ad sese quæ sicca. Vt
 autē horū quiduis magis fiat, causa est longa mora fæcū in
 aluo. Nā etiam si nulla dictarū causarū sit nimia, tamen per
 longam moram nimium quid facit, ea etiā quæ mediocris:
 vt autē multū morētur fæces, facere potest debilitas expul-
 tricis, & stupor, seu insensibilitas intestinorum, per quā ir-
 ritationē nō sentiunt: & ipsius exitus adstrictio, & quiddā
 impedire potest villorum adstrictionē, velut in primis fla-
 tus: humiditatis nimix fæcum fuerint contrariæ causæ, sci-
 licet exigua, aut distributio, aut alteratio, vt parū alteretur
 causa est caloris penuria in ventre, vt parum distribuatur,
 frigus hepatis, aut totius corporis redundantia. Impediet
 autem vtrumq; & cōctionē dico & distributionē propere
 ta deiectio. Vt autē deiciatur citius quā oportet, cā est
 debilitas reentricis, aut dolor, irritatiove. Considera ergo
 nunc, quæ horū possit facere frigus. Certè frigus si externas
 solū attingit partes, facit calorē augeri in visceribus, quare
 & cōcoctiones, & solidiores fæces, præcipue si, vt alias ex-
 ternas partes, ita et attingat podicē, cōstringi enim faciet,
 & sursum moueri intestina, adq; ob id detineri, & dure sce-
 re fæces: si verò id frigus cū siccitate cōiunctū sit, vt in bo-
 rea sicciore reddet omnes partes corporis, quæ siccatae al-
 licient humorem, & siccabunt fæces. Quod si tale frigus at-
 tingat internum ventrem, siccando intestina, debilitabit ex-
 pultricem, quæ quadam humiditate indiget, & flatu reple-
 bit, qui expultricis motum impediat, atq; vtroq; modo fa-
 ciet vt fæces morentur, & siccescant: stuporē, & insensibili-
 tatem intestinorum, frigus etiam solet facere, atq; ita face-
 re deiectionem rarā, & duras fæces: flatū etiam, ac proinde
 tardum descensum, quæuis causa refrigerans faciet, nisi in-
 terim debilitet cōcoctricē, aut dolorem inferat, vt accidit
 ijs quibus venter est natura frigidus. Ijs enim deiectiones
 liquidæ ob frigus fiunt. Hanc ob causam quibusdam, aquæ
 niue perfrigerata potu, siccescunt, fæces, quibusdam fiunt
 liquidæ. Quibus scilicet venter est calidus siccescunt, quia
 neque sublata concoctione, neque excitato dolore, fit pau-
 cus quidā status qui fæces detinet, ac præterea extinguit
 bilis feruorē, & tollit irritationē: quibus venter est frigidus

incoctione & dolore, fiunt à frigidis causis deiectiones Il
 quidæ. Igitur, dicente Hippocrate, refrigeratio, ea quæ cir-
 ca aluum, indurat, addendum est ijs qui sunt calido ventre.

27 **M**ixtio, quæ in ventre sunt, durat.

MIXTIO seu congressus veneris, causa est analogæ
 nimix exercitationi, siccat enim, & commouet totum cor-
 pus, atque insuper habet coniunctam euacuationem mani-
 festâ. Ita fit, vt siccat alui fæces, nisi tamen adeo sit multa,
 vt deiciat facultates coquendi, & retinendi in ventre, in
 enim facere poterit diarrhoeam, quæ autem non sit adeo
 nimia, merito ponitur in causis siccantibus.

18 **E**um qui elleborum bibit, celerius purgare si velis, la-
 uare oportet, aut comedere.

ENARRATA mihi est hæc oratio simul cum aphorif-
 mo decimo tertio sectionis quartæ quo ita dicitur; Qui æ-
 cepto elleboro non facilè supra purgantur, ijs ante potio-
 nem, corpora præhumerare expedit, multo cibo & quie-
 te: eandem enim sententiam continent ambæ hæ orationes.
 Nimirum quam, & illa. Corpora vbi quispiam purgare
 voluerit, oportet fluida facere. Nam hæc vltima oratio, in-
 bet fluida facere corpora, duæ illæ priores, quo modo id
 faciendum sit, indicant: nimirum humectâdo. Quia quæ hu-
 mida sunt corpora, laxiora sunt, & laxiores habent vias.
 Succi etiam humectatione liquefcunt, & fiunt fluxiliores,
 humectant verò corpora, cibus, quies, & balneum. Cibi me-
 minit vtrobique, in aphorismo autem quietis, hic lotionis,
 seu balnei. Verum quia cibo solido replere eum, quem ad
 purgationem præpares, aut in balneo continere corpus im-
 purum, alienum sit à ratione, explicuimus, intelligi hæc de
 cibo medicinali, cuiusmodi sunt serapia, & apozemata, seu
 decocta, & aliæ potiones eiusmodi, & de balneo particu-
 lari, vt de obstruente fotu, aut irrigatione hypochondrio-
 rum. Iam verò quies, cum reliqua præparat ione, plurimum
 potest vt humores in ventrem fluant, quia motus in corpo-
 ris habitum tenuem humiditatem distrahit: & præter hæc,
 quia

quia quies iuuat quam maximè ad concoctionem, quam ante expurgationem esse procurandam constat, siquidem non oportet mouere cruda. Itaque, inquit, si celerius purgare velis, eum qui pharma cum bibit, hæc facito, non sanè postquam bibit: nam postquam iam cessauerit purgatio, nì hil profecerit vt agatur celerius, quæ omnino iam sit acta: dum autem agitur, lauare non oportet, quia auertentur à vètre succi distracti ad corporis habitum: cibare verò multominus, quia vt alibi dicitur ab eodè Hippocrate. Purgatione in media cibos dare non conducit. Sed neq; quies, ac cepto medicamento, facit ad celerem purgationem, cum alibi dicatur. Si velles magis ducere elleborum, moue corpus, si autem non, somnū facito, & non moueto: igitur faciendæ sunt hæc ante quā elleborus (eadem est ratio cuiuscunq; alterius medicamēti expurgantis) accipiatur: intelligēdumq; haud ita, eū qui elleborū bibit lauare oportet, aut comedere, si velis celerius purgare: sed ita, lauare oportet aut comedere (antè scilicet quam bibat) si velis eū qui bibit, celerius purgare: nō quidē dicit celerius, quasi ad solā celeritatē expurgationis faciat, ac nō etiā vt purgetur melius: sed quia cū celerius fluūt humores, melius etiā agitur expurgatio, hoc est pfectius, & cū minoribus symptomatis.

29 *Sanguis in somno intro magis fugit.*

CAVSAM continet hæc oratio, eius quod decimateria sectionis quartæ scriptum est, his verbis, Euidenter vigilans calidior exterius, interius autem frigidior, dormiens è contrario. Nimirum quia sanguis in somno introrsum fertur, & in vigilia extrorsum, vigilantes sunt exterius calidiores, & qui dormiunt interius.

30 *Rigor à superiori ventre, ignis ab inferiori magis.*

DICENS magis, aperte significat non esse perpetuum id quod dicitur, sed aliquādo accidere contrarium, fieriq; febres succis in ventriculo putrescentibus, & rigores ob passionem intestinorum. Verum horum naturam paratiore esse ad febrem, & illius ad rigorem, constat, quia est ventriculus longè acutioris sensus, & intestina remissioris ca-

loris: hæc ergo parata sunt ad putrescētiam, cum præcipuè sint naturalia receptacula excrementorum, ille ad dolorem, & mordicationis sensum. Cum igitur sentientium partium irritatio rigorem, & putredo febrem facit, fit ventriculus paratior ad rigores, & intestina ad febres. Si igitur succus aliquis vitiosus in ventriculum confluat, rigorem faciet, quo partim reiecto vomitione, partim detruso in intestina, conquiescet, ac succedet febris, eo, qui in intestina incidit, putrescente: si verò à principio confluat succus ipse in intestina, & ibi putrescat (poterit enim mox deijci) faciet febrem sine rigore, aut à minori multo rigore incipiente, quàm si conflueret in ventriculum. Vnde constat rigoris causam, non in speciem humoris solum, sed in partis in quam incidit naturam reiici debere. In satietatibus etià, seu humorum corrupti cibi in ventriculo morantur, quendam rigoris sensum habere homines, postquam verò iam descenderunt, si deijciantur affatim, succedere febrem, imprimis quidè diariam, facillè tamen putrescentia communita venis, abeantem in putridam.

31 **A**tractio, pulmo, aridum incendium. Euacuatum siccat somnus multus.

IN quibusdam codicibus legitur ἐπιπρασμός, ἢ πρᾶσιμον ἐν πῶς. ἢ ὑπόπρασμα. Idest tractio, aut pulmo ficcus, aut humidum incendium. Verum Galen. vt ex eius commentario facillè colligitur, non eam habebat lectionem in suo codice, sed hæc, quam ego sequutus sum. Videtur mihi hæc dictio in duas fuisse diuidenda, legendumque seorsum, attractio, pulmo, aridum incendium: atque deinceps, euacuatum siccat somnus multus: quandoquidem diuersum admodum reddunt sensum: quanquàm ergo simul scriptæ sint, explicentur à nobis seorsum illæ partes. Prima quidè enigmatis forma scripta est, quæ tamen si ad cõem modum dicendi redigatur: habebit facillimam interpretationem: ita scilicet, attractionem facit pulmonis aridum incendium, aridum verò incēdium est calor igneus: attractio verò quæ calor igneus pulmonis facit, est aeris attractio. Itaq: quod dicitur est, respirationem magnam fieri ob intemperiem cali-

calidam pulmonis. Id verò est apertissimum, si quidè vsus respirationis est attemperatio caloris in corde: pulmo verò est, per quem cor accipit aerem vt attemperetur, per calidum verò pulmonem, accipiet calidiorem, quam vt paucò possit attemperari. Quam ob causam contendet animal trahere multum. Primæ igitur partis hic est sensus. Secunda pars significat corpora vacua ficcari à somno multo. Nimirum corpora quæ multum cibi capiunt, aut alioqui crudis succis plena sunt, velut voraces homines, & vrsi, somno longo pinguescunt: quia accidit eis multi alimenti multa concoctio: si verò qui valde inaniti sunt, aut parùm cibi accipiunt, vtantur etiam somno longuissimo, gracilescunt multo magis, quàm si vterentur paruo somno pro cibi paucitate. Nam postquam id cibi quod erat, concoctum est, succi excoquantur, & cõsumuntur, atque ob id, & quia sanguis & succi, simul cum spiritibus, inter dormiendum, interius se continent, neque diffunduntur ad irigandum corporis habitum, fit vt corpus tabescat. Huc accedit, quod & ipsum innatum calidum, neque interius habens vberè materiam à qua alatur, neque exterius ventilatum, tabescit, atque cum eo corpus. Quid ergo agendum, cum quis paucò vtitur cibo? Num vigilandum & mouendum, vt ventiletur calidum? Non sanè, quia, vbi fames laborandum nõ est: sed vigilandum & quiescendum, vt neque motus neque somnus, sit maior quàm pro cibi copia, sed congruens.

32 **F**rigidissimi cibi, lentes, millium, cucurbitæ.

GALENVS carpit hanc sententiam, quòd milium & cucurbita frigida sunt, non tamen frigidissima, sed miliùm primo ordine, cucurbita secundo, lentes verò ne frigidæ quidè, sed in hac oppositione tenètes medium: fortasè autè dixit Hippocrates hæc frigidissima, non secundum qualitates medicamentosas, sed vt alimèta. Nimirùm vt à Galeno dicitur tertio de temperamentis, omne alimentum qua alimentum, est calidum, non quidem quòd qualitatè augeat, sed quòd substantiam calidam, hoc est sanguinem & spiritus reponat. Illud ergo quod alimenti præstabit plurimùm, erit hac ratione calidissimum, & quod minimum, frigidissimùm. Sunt verò lentes, milium, & cucurbitæ, cibi minimi

nu-

nutrimenti, & paucissimi sanguinis, quare vt alimenta, omnia sint frigidissima.

33 **V**lcera exoriuntur, si qui immundus est, laboret.

NON temere iubere oportet, vt homines sese laborando exerceant: si enim sunt pleni, à lassitudinibus, & febribus aut inflammationibus multis & magnis, aut valorum rupturis, periclitantur: si immundi, succis biliosis, aut falsis his, in cutem distractis, & eam corrodentibus, vlcera multa fiunt. Si succis pituitosis, & crassis, lentisque fiunt renum aut hepatis obstructions, & tumores scirrhusi per corpus. Euacuandum igitur prius, & incidendum, & expurgandum, quàm homo laboret, atque dum laborat, victus rectè instituentus. Nam qua ratione, si immundus laboret, vlcera oriuntur, eadem etiam orientur, si qui laborat, alioqui non immundus, vtatur cibus mali succi, acris, aut falsi.

34 **M**ulier, capra, elaterium, aut cucumerem syluestrem, comedentes, pueris purgatio.

CONTINENT hæc verba optimam quandam rationem, expurgandi lactantes infantes, qua medici frequenter vtuntur dato scilicet pharmaco ipsi nutrici, quia lac induit expurgatoriam medicamento facultatem. Si igitur mulier elaterium, hoc est succum cucumeris syluestris, aut aliud quodpiam medicamentum expurgans accipiat, aut capra depasta sit cucumerem syluestrem, aut tythymalum, aut rhyzinum, aut cyclamen, aut aliam eiusmodi herbam, & eius lac detur infanti purgabitur infans. Duabus causis euenit nutricem purgare, aut vt infans simul purgetur, cum scilicet simili cacochymia laborant ambo, aut vt ipsa solum purgetur, quò purgatum lac, deinceps præbeat infanti, cū scilicet infanti adhuc sano, datur nutrix cacochymia aliqua laborans. Cum vis, vt ambo purgentur, fac vt nutrix, dum purgatur, lactet infantem, cum autem purgas solum nutricem, ne lactet vsque dum purgationis motus conquieuerit

uerit. Alia est huic præceptioni proxima cautio, vt quæ necessitate quapiam capræ lacte vitur, eam custodiat, ne qua maligna herba vescatur. Nam si tabescens vitur lacte (ita vt fit) & capra aliquam dictarum, herbam depasta sit, soluetur aluus, quo tabescentibus nihil est nocentius: atque adeo qua ratione lac accipit expurgatoriam facultatem, accipiet deleteriam, si quid tale capra gustauerit. Narrat enim Galenus in Doride bæotia, & Thessalia, atque etiam Athenis, multos conuulsione correptos esse, esu coturnicum quæ veratro vescebantur.

35 *Calido quod comeditur intus refrigeratio, exterius labor, sole, igne, & vestibus in tempore æstiuo, contrario autem contrario modo.*

VIDETUR his verbis dici, calido homini vtile esse, eo quod comeditur refrigerari interius, exterius verò calefieri labore, sole, igne, & vestibus, in tempore æstiuo: frigido contra, vtile scilicet esse calefieri intus cibus, abstinere verò à labore, & sole, & igne & vestibus in æstate: seu potius iuuari quiete, vmbra, & nuditate in hyeme. At verò repugnat hoc sententiæ quatuordecimæ sectionis. 4. qua Hippocrates dixit, Calido natura, refrigeratio, potus aqua gescere. Ob id Galenus hanc ita interpretatur: calido vtile est cibo & potu intus refrigerari: labor autem, & noxium quiddam est, exterius calefieri, sole, igne, & vestibus præcipuè in æstate: frigido contra. Itaque calidus iuuatur frigidis, & læditur calidis, frigidus contra iuuatur calidis, & læditur frigidis. Hunc ego sensum sequor, satiùs enim est, interpretationem esse duram, quam falsam.

36 *Ibi, alij quidem celeriter vincuntur, alij contra.*

ALIMENTVM nomen est rei victæ, non vincētis, vt Aristoteles & Galenus dicunt, quia superatum nutrit, cum autem superat, corrumpit, & morbos facit. Quod ergo facile ac citò nutrit, citò vincitur, & coquitur, contrariù contra.

tra. Esse verò cibos qui facile coquantur, alios qui difficulter, eiusque causam in substantiæ modo consistere, quòd tenuia facilius, crassa difficilius coquantur, res est notissima. Iuxta quam, scriptum est ab Hippocrate illud. Eorum quæ velociter nutriunt, & quæ tardius; & illud, quicumque velociori appositione indigent, ijs humidum ad reficiendas vires medicamen optimum est, quicumque verò adhuc velociori, per olfactum. Qui autem tardiore, solido alimento utantur. Nimirum quod forma solida accipitur vincitur tardius quam quod liquida, & eadem ratione ova, assatione durata, aut frixa, tardius quam sorbilia, vincuntur, & quicumque, aut naturali mixtura, aut artificiosa præparatione, sunt solidiora.

Sectio sexta.

Carnes attractrices ex ventre, & extrinsecus. Significat sensus, ut expirabile & inspirabile.

OMNINO est hæc eadem sententia, & quam libello de alimento scripsit his verbis. In pilos alimentum, & in vngues, & in extremam superficiem, intrinsecus peruenit; extrinsecus alimentum ex extrema superficie ad intima peruenit. Confluxio vna, conspiratio vna. Vtrobique enim dicitur, alimentum trahi posse ab intima corporis parte, extrorsum vsque ad extremam superficiem, & ab externa cute, introrsum vsque ad intima, non aliter atque per inspirationem, & expirationem agitur introrsum & extrorsum motus. Quod quidem est, esse corpus conflatile & conspirabile. Conflatile quidem dicitur propter humores, conspirabile propter spiritalem substantiam, quæ in inspiratione & expiratione, atque dilatatione, & constrictione arteriarum trahitur, & expellitur. In hanc igitur sententiam dicit nunc, carnes attractrices esse, hoc est vim attractoriam habere ex ventre (hoc est ex profunda corporis parte, atque præcipuè ex eo, qui peculiariter vocatur venter, in quo cibi coquantur) extrorsum: & extrinsecus introrsum; esse autem tales quosdam motus
(extror-

(extorsum scilicet & introrsum) naturalis nobis sensus indicat. sentimus enim apertè expirationem & inspirationem, quæ quidè motus quidã tales sunt. Hæc verba & quæ in libello de alimento scripta sunt, videntur sapere antiquatam opinionem, putantium vsum respirationis esse distributionem alimentorum. Verùm quoniam Hippocratis placitis id non congruit, sed alimenti distributionem per facultates naturales dispensari, haud quaquam in eo sensu accipienda sunt: sed carnes attrahere vndiq; : alimenta quidem per naturales facultates aerè verò & substantiam quancūque halituosam, per respirationem & pulsus. Ambo enim hæc communi appellatione vocantur, expirationes, & inspirationes. Hac ratione si quod venenum ingestum est, aut etiam cuti affixū (quædam .n. èt ita necât) tanto citius solet interimere quãto homo calidior, ac maiori pulsu est, quia pulsu attrahitur. Hoc etiam facit vt admota cuti medicamenta internis partibus non leuiter proflint, quæ nisi carnes essent tractrices prodesse nihil: hac quoq; cã cenfeo nõ esse vanū aliqñ, res nutrientes exterius admouere.

Calidior venula sanguinis multitudine exustū procreat, & illico secerint.

QVIDAM (vt Galenus narrat) interpretabantur hæc verba de febris ardentis generatione, quasi diceretur, venas solito calidiores, ex sanguine redundanti procreare bilem, eamque postea secernere, atq; vomitu aut deiectione reijcere, ponit enim Hippocrates ipse, in libro de ratione victus acutorum, in signis febris ardentis, deiectiones liquidas serosas, & valde pallidas Non est certè sensus hic omnino spernendus. Nam id quod dicitur, nihil congruere cū proxima oratione, siue quæ antecedit, siue quæ sequitur, nihil moror. Euenit enim toto hoc opere fere semper. Galeno verò placet (quod non minus probo) secundum proximam sententiam hanc orationem esse scriptam, continereque vsum constrictionis pulsus: dixisse enim censet, Hippocratem antea vsum dilatationis, carnes scilicet dilatatione trahere, nunc dicere vsum constrictionis, scilicet expellere fulgines. Dicit igitur calidiorem venulam vocari arteriam

arteriam, exustum, vocari fuliginem: itaq; dicere arteriam ex sanguine gignere fuligines, hasque illico compressione excernere. Certè vterque sensus est verus, & consentaneus.

3 **E**T quibus quidem pingue bilis flava, sanguis autem atra.

7 H I S verbis nihil significatur aliud, quàm quod Gal. dicitur
5 cere solet, sanguinis, cum vritur aut putrescit, tenuem partem
3 abire in bilem, & crassam in melancholiam. Nam oratione quatuordecima sectionis quintæ, cum Hippocrates diceret, biliosum autem à pingui, ostendimus pingue ab eo vocari tenuem partem sanguinis: sanguis igitur vocatur nunc reliqua sanguinis pars excreta pingui: crassa igitur: itaque tenuis pars abire dicitur in bilem flavam, crassa in atram.

4 **F**Rigidior, frigido tempore, & regione calidior erit.

7 M I H I quidem videtur sonare hæc vox, idem quod
5 aphorismo illo dicitur, ventres hyeme, & vere calidissimi
3 sunt natura: scilicet qui tempore & regione calidis est ventre
3 frigidior, frigido tempore & regione calidior. Causa dicta est in eius aphorismi commentarijs. Præter hunc videtur se insinuare alius sensus, quem Galenus sequitur, scilicet eum qui sit naturali temperamento frigidior, frigido tempore & regione calidiore fieri. Quod videtur rursum intelligi posse duobus modis, calidiorem esse quam tempore & regione calidis, aut quam is qui sit natura calidior. Videtur autem vtrumque falsum. Nam si rectè a Galeno in
7 commentario aphorismi secundi sectionis tertie dicitur,
3 Ad æstatem frigidas, & ad hyemen calidas naturas optimè
3 affici, malè verò contra, constat frigidioram naturam calidiorem fieri æstate quam hyeme, alioqui haberet ad æstatem deterius, & ad hyemem melius: atque adeo constat frigidioram naturam hyeme esse frigidioram quam naturam
ram

ram calidam, alioqui frigida haberet melius hyeme quam calida: at verò natura frigida habet hyeme deterius quam calida, & deterius quam æstate, ergo utcumque intelligatur videtur falsum esse, quod hic dicitur. In commentario aphorismi citati ex prima particula dixi, & si plerisque hominibus essent hyeme ventres calidiores, non tamen omnibus, debere enim excipi eos, qui sint natura valde frigidi, tales enim toto corpore habere deterius in hyeme, & gracilescere, refici verò in æstate: hinc fit ut cum Hipp. dicit, naturarum hæ quidem ad ætatem, hæ verò ad hyemem bene, maleue se habent, & Gale interpretatur frigidos ad hyemem habere deterius, id quidem non de omnibus frigidis intelligi, sed de ijs qui tales admodum sint. nam qui id sunt mediocriter, retrocessu caloris fient hyeme calidiori ventre, atque ob id habebunt ad pleraque melius: Non tamen perinde de calidis dicere possis. Nam omnes qui supra mediocritatem sunt calidi, frigido iuuantur tempore, quia tale tempus naturalem calorem auget, & morbosum extinguit. Vnde sequitur ut multò plures sint qui hyeme iuuantur, quam qui æstate. Nam & calidi omnes & frigidorum multi. His dictis arridet multo magis prima interpretatio, frigidior, id est qui æstate est ventre frigidior, frigido tempore & regione est calidior. Nam sunt æstate ventre frigidiores, omnes calidi, & qui non sunt vehementer frigidi, atque hi omnes sunt hyeme calidiores: qui verò non sunt hyeme calidiores, quia sunt natura frigidissimi, illi neque æstate sunt frigidiores, sed tunc velut reuiuiscetes, calefcunt non nihil. Quod si tamen non placet suppleri vlla verba, sed simpliciter dici, eum qui est natura frigidior, hyeme fieri calidior, id intelliges de frigido qui non est admodum talis, intelliges quæ eum esse hyeme calidior quam æstate: calidior verò esse in hyeme, quam alios homines qui sint natura calidiores, haud quaquam possis intelligere, nisi velis dicere calidior esse, id est minus dolere a frigore, & frigoris esse patientior. Hoc enim ita habet. Nimirum corpora frigida densa etiam sunt, & calida rara, ob idque densa & frigida hyeme frigoris molestiam minus sentiunt, videnturque esse calidiora quam rara, & calida, quanquam re vera non sunt. Itaque si quis illud calidior, non re ipsa, sed phantasia accipere, aut etiam partibus externis

externis (nam vt calidus & rarus internis , ita frigidus & densus externis calidior est, quia detinetur ad obstructam cutem effluuium calidum) potes conferre natura frigidum cum natura calido. Prodeuntque iam ex dictis, tres præscriptæ orationis sensus veri, & nihil dissonum habentes.

5 **I**N doloribus proximum ventrem expurgare, sanguinisque ventrem scindere, vstio, sectio, calfactio, refrigeratio, Sternutamentum, plantarum succi in quibus facultatem habent, & cyceon, maleficorum, lac, alia, vinum feruesfactum, acetum, sal.

REFERT Hippocrates hic multa & varia, neque eadem æqualia dignitate & viribus, quibus dolorificæ passionis solui possunt. Non quidem quod in vlllo dolore vtrumque his omnibus sit, sed quod in quouis horum aliquo, aut alio simili. Imprimis refert, quæ sunt maxima ac præcipua, expurgationemque, & missionem sanguinis: est verò in vtraque harum euacuationum seruanda rectitudo. In doloribus (inquit) proximum ventrem vacuare. Est duplex venter per quem vacuare possis, inferior, qui & aluus vocatur, & superior quem vocamus ventriculum: horum verò, vacuandus is est, qui dolenti parti sit proximus: quibus autem partibus qui venter dicatur esse proximus, explicatur aphorismo. 18. sectio. 4. quo ita habetur. Supra septum transversum dolores qui purgatione indigent, per superiora purgatione indigere significant: quicumque verò inferiora molestant, per inferiora. Itaque in doloribus proximus venter est purgandus, quia si dolor sit supra septum transversum, vomitu expurgandum, si infra, deiectione. Sanguinis quoque ventrem, hoc est venam, scindere oportet, seruata etiam rectitudine, superiorum cum superioribus, inferiorum cum inferioribus, dexteriorum cum dextris, & sinistrorum cum sinistris, vt alibi non semel explicuimus, Neque obstat quod ob coxæ dolores, & vuluæ, & colli, vomitus cietur, & ob cephalalgiam, & hemicraniam, expurgatur aluus. Hæc enim sunt agenda ob reuulsionem, illa posterius ob curationem. Post totius corporis vacuationes, quæ antecedere debent,

debet, accedendum est ad locales curationes, quæ igne; aut ferro, aut medicamento, aguntur. Quæ tria enumerat Hippocrates, non quo ordine agenda sunt, sed a maximis procedens ad minima. Nam ut in aphorismo dicitur, medicamento primum, deinde ferro, postremò igne tentandum est curare. Hic verò ab vstione sectionem nominat, deinde medicamen. Vstione ad coxæ doloris curationem utebatur Hippocrates. Sed & ob aliarum partium rebelles dolores, ea uti consueuimus, aliquando ad intercipiendas in via fluxiones, aliquando ad deriuandum in proximas partes materiam. Sectio autem curat omnes dolores, quos aliquid in alto putrescens, quod educi possit, creat. Medicamentorum dolores sedantium, duplex est genus, quædam enim sunt mediocriter calida, quæ propriissimè sunt anodina, quædam frigidissima, quæ dicuntur etiam anodina, sunt autem stupefacientia. Dicit ergo, calefactio, refrigeratio: addit sternutamentum, quod sanè per sese leue auxilium fit, neque nisi ad exiguos capitis ex flatu dolores sedandos, sufficiens, tamen inter alia, sternutatorijs etiam utimur, ad discutiendos maximos capitis affectus. Addit, plantarum succi in quibus facultatem habent. Constat non in solis plantarum succis vires medicamentosas esse, neque vim anodinam, sed in alijs omnibus plantarum partibus, & in multis etiam terræ generibus, & metallis, & animalium partibus: quare ut vnum quoddam medicinalis materiæ genus nominauerit Hippocrates plantarum succos: dicens verò, in quibus facultatem habent, videtur leue quidam, & quod nullius momenti sit, dicere. Nam omnia medicamenta admouenda sunt, in quibus facultatem habent. Nam in quibus non habent facultatem, quorsum quis eis utatur? Inuit autem Hippocrates illis verbis, quod libro quinto de simplicium facultate à Galeno indicatum est, esse facultates quasdam quæ respiciant, certa quædam membra, neque indifferenter medicamenta omnia omnibus partibus admoueri, sed quædam habere vires in capite, quædam in ore, quædam in hypochondrijs, atque adeo inde accipere nomen, vocarique alia cephalica, alia stomachica, alia hepatica, aut splenitica. Docet itaque Hippocrates siue calidis siue

frigidis sit occurrendum, deligenda semper esse, quæ dolent parti rectè accommodentur. Cyceon, interprete Galeno, erat polenta quædam ex vino & farina, constat ei aliquando solitam accipere salem, aliquando secus, quandoquidem libro secundo de morbis mulieribus dicitur, cyceonem bibat non falsum. Itaque commendatur ad dolores, vini potus insperso farinae poline, quod quidem consonum est illi aphorismo quo dicitur, dolores oculorum vini potio soluit, qui suo loco enarratus est. Tantum hic adijcitur farina. Quod quidem ut Galenus in commentario dicit tutius est, quam si quis solo vino utatur. Quia ut mentis alienationem & capitis grauitatem, & alia omnia mala magis facit vinum, si quis eo solo utatur, quam si cum cibus, aut à cibo, ita & fluxiones magis auget. Itaque si quando dolores oculorum, aut alterius cuiuspiam partis vino curare tentandum est, cyceone id faciendum potius, aut à cibo, quam ieiuno dandum merum. Hæc dicta sunt pro doloribus citra malignitatem vllam, aut veaenofam qualitatem concitatis. Apponit deinde quædam, quæ sunt antidota maleficorum, hoc est dolorum pendentium ex causa maligna, ut ex veneni potu, aut morsu venenati animalis. Hæc sunt, lac, allia, vinum feruefactum, hoc est perfectè coctum, ne sit mustum (feruefactione enim perficitur) acetum & sal. Commédatur à Galeno. 2. de antidocis ex Alclepiadis sententia, lac ad eos qui herbam Apollinarem biberint, aut leporem marinum ediderint, aut dorycnium, aut bupestres, aut cantharides, aut cerussam. De allio hæc scripsit Dioscorides. cõtra viperarum ictus, & priuatim hemorrhoi prodest, ita ut non aliud magis si cum vino iugiter assumatur, aut tritum in eodem ebibatur. Contra rabiosorum morsus, & illitu & cibo valet. Vinum antidotum esse dicitur, eodem loco libri de antidotis, cicuta, & coniandri, & toxicum, & fungorum. Acetum ad concretum lac, & ad epotum taurinum sanguinem. Sal solus non datur, sed in muria contra hirudines, iniicitur in theriacam Appollonij. Sit autem vtilissimus eius vsus in externis partibus scarificatis, ut putredo prohibeatur, & absumatur venenum.

Homo ex lassitudinibus ex itinere, debilitatus, grauitus, expuit, tussiebat enim ex vertice. Febris acuta, ad manum submordens. Secunda autem die, capitis grauitas. Lingua exusta fuit. Naris vnguibus excissa, sanguinem non fudit. Sinister lien magnus & durus infestabatur dolore.

MIROR Hippocratem prætermisse morbi huius euentum, neque dixisse, fueritne mortuus an superuixerit: multo magis miror, Galenum voluisse ex vrina id diuinare, cū conflet morbum hunc fuisse lienis inflammationem, vrina vero eorum solum morborum sit indicium, qui pendent ex succis, infra venas & arterias putrescentibus: ego mallem dixisset, quo modo haberet pulsus, & respiratio, & mens, quàm vrina, vt de morbi exitu iudicium ferrem. Sed quandoquidem Hippocrates id non narrauit, habuerit vt cunque, nos quæ narrauit interpretemur. Causa procathartica, qua cœpit ægrotare, fuit, defatigatio ex longo itinere, vnde grauitatem cum debilitate primum sensit, & expuit tussiens ex vertice. Deinde febris illi successit acuta, ad manum submordens, secunda die febris, sensit capitis grauitatē, & exusta illi fuit lingua, & habebat hypochondrium sinistrum magnum, & durum, & cum dolore: quæ signa sunt propria inflammationis lienis. Medici tentaerunt sanguinem, narem vnguibus scalpendo, vacuare, tamē non exiuit sanguis. Consentaneum est hunc multitudine excrementorum laborantem, ingressum esse iter, id enim maximè solet grauitatis sensum & debilitatem facere, & fluxiones commouere. Fluxio vero & destillatio ex capite, faciebat vt expueret, & tussiret ex vertice, hoc est, destillante acri humore ex suprema capitis parte. Id vero non aliter significari poterat, quàm dolore & calore eius partis. Hæc autem omnia per neutram adhuc dispositionem eueniebant. Crescente magis humorum alteratione, & agitatione, cœpit acutè ægrotare, lienis inflammatione, & febre continua, cui mox successit capitis grauitas, & linguæ vltio, ob capitis cum liene, atque adeo cum toto corpore compassionem, & febris vehementiam. Malum au-

tem fuit exciffanare, sanguinem extrahi non potuisse, quia inflammationis internæ magnitudo solet esse in causa, vt non fluat. Interim nota ruditatem illius seculi, quo vnguibus lacerabant venas in naribus ipsi medici, vt missionem sanguinis mollirentur. Nunc scalpellis vtimur. Quod dicit finifter lien, videtur dictum per pleonasmum, vt dicimus lac candidum forbere, quamquam nigrum nullum lac fit. Verisimilius autem esse censeo, quod & Galenus cõiectat, vitiatum esse codicem, legendumquè fuisse, naris sinistra vnguibus excissa, sanguinem non fudit. Lien magnus, & durus, infestabatur dolore. Nam ob lienem verissimile est medicos tentasse ex sinistra nare fundere. Inde enim marime expediebat fundi, vt etiam erat grauius inde non posse fluere.

7 **Q**uartana laborantes, magno morbo non capiuntur: si prius autem capiuntur, & quartana superueniat liberantur.

DICTVM est sectione tertia libri primi, securissima omnium, & facillima, & longissima est quartana. Non enim solum ipsa ex se ipsa huiusmodi est, sed & ab alijs magnis morbis liberat. His addit nunc liberare, siue proueniat, siue subsequatur. Si enim quis quartana corripiatur, liberari ab alijs morbis magnis, qui alioqui ei accidissent, si verò cum iam acciderint superueniat, illos solui, insumpta scilicet materia in quartanos paroxysmos. Galenus hic intelligit nomine magni morbi epilepsiam, & non est quidem ea interpretatio parum utilis. Nam is est morbus maximus inter diuturnos, & à quo per quartanam solent homines maximè liberari. Verum quia libro primo plurali nomine dixit, ab alijs morbis liberat, innuens, à multis alijs, non ab vno aliquo liberare, idem prorsus vtrobique dici intelligo, atque hic, & si vtatur nomine singulari, ita accipi, morbo magno n capiuntur, quasi dicat, nullo morbo magno capiuntur: cum præcipuè in aliquibus codicibus ita inueniatur scriptum, ὅτι πρὸ τινος μεγάλου νόσου οὐκ ἀλισκόντας, idest ab aliquo magno morbo non capiuntur. Galenus haud dubie non ita habuit in suo cedi.

codice, sed ὑπὸ τῆς μεγάλης ναύσου. idest à magno morbo atq; ille articulus, τῆς, videtur indicare certum quendam. Certè si quis certus hic est notandus, qui solvatur à quartana, nullus potius, quam quem Galenus dixit, epilepsia scilicet.

8 **P**RO quibus qui morbi.

NON parum refert medicū scire, pro quibus qui morbi fieri soleant, & qui morbi post quos bene & salubriter fiant, qui malè & lethaliter. Magna enim pars prognosticæ artis est hæc, ad quam pertinet plurima, eorū quæ in aphorismis, & in prognostico, & in alijs libris, de præfensione scripta sunt. Tractat vero hunc locum præcipuè libro primo de morbis, ubi in primis catalogum facit morborum, qui ex alijs fieri solent, deinde eorum qui ex alijs quibusdam necessario fiunt: deinde eorum qui salubriter aut insalubriter succedunt: nō quidē omnium, sed multorum, quibus tu per otium possis reliqua adiungere, ex alijs locis colligens. Nunc verò tantum apponamus quæ illic habentur. Transitus (inquit) fit in his, ex pleuritide in febrē ardētem ex phrenitide in peripneumoniam. Verum ex peripneumonia febris ardens non fit. Ad dysenteriam tinea accedit, & à dysenteria lyenteria sequitur, ex lyenteria in aquā intercutem transitus fit: ex pituita alba in aquam intercutē, & à peripneumonia a pleuritide, in pectoris suppurationem. Mala porro supra mala fieri necesse est, velut si rigor corripuerit, ardor igneus superuenit: atq; si nervus distentus fuerit, convulsionem facit: atque si cerebrum concussum fuerit, ac doluerit, eū qui percussus sit, necesse est mutū fieri, & neq; videre, neq; audire: si vero sauciatū fuerit, febrē necesse est superuenire, & bilis vomitū, & aliquam corporis partē syderatā fieri, ac perire. Si verò exciderit omentum, necesse est putrefieri. Etsi sanguis ex vulnere aut vena effluerit in supernū ventriculum, necesse est ipsum in pus verti. Quibusdā interpositis, nō ita multo post, addit Talia autē sua spōte ac casu hominib⁹ in morbis fiūt, tū bona, tū mala. Febricitātī ac bilioso tēpestiuè foras dispersa bilis bonū, diffusa vero ac dispersa sub cutē, toleratu leuior est habēti, & curatu facilior sanātī: dispersa autē, & ad vnā cor

Qqq 3 poris

LIBROS
DEL BI

Ayuntamiento de Madrid

poris partem allapsa, malum. Aluus turbata in pleurítico aut peripneumonico, aut suppurato, malum. Febrienti aut vulnerato aluus resiccata, malum. Subaquoso aut lienoso ab alba pituita detēto, aluus fortiter turbata, bonum. Erysipelas si extra diffusum intro vertatur, malum. Si verò intra diffusum foras vertatur, bonum. A profluvio alui forti correpto, vomitus superuenies, bonum. Mulieri sanguinenti vomenti, menses erumpere, bonum. A fluxione verò infestata ad nares aut os fluxionem transire, bonum. Mulieri à conuulsione præssæ ex partu, febrem superuenire, bonum. Tetano ac conuulsione occupato igneum ardorem superuenire, bonum. Huc etiam pertinet quod Hippoc. hic dixit, morbos magnos ac præcipuè epilepsiam quartana superueniente tolli, & multa alia quæ tum in alijs locis, tum in sexta particula aphorismorum docet Hippo. quæ omnia huc transferre esset longum & tediosum, cum liceat cuiq; per seipsum legere: hinc solum doctum, oportere vt discas, pro quibus qui morbi soleant fieri, bene aut malè.

9 **B**ilis, vt dicebam de auibus, quod biliosæ.

HÆC verba non satis perfectam videntur reddere orationem, sed aut ipsa quidem decissa esse ab alijs, à quibus penderent, aut ab his alia esse detracta. Siquid tamen de hac, vtcunque scripta oratione, dicendum est, mihi videretur nihil aliud continere, quam aues esse biliosas, atque illis verbis, vt dicebam, referri orationem vigesimam quintam sectionis sextæ, qua dicebatur, terra siccitatibus squalente, volucrum genus bene habet: quia oratio præsens coninet illius causam. Nimirum aues terra siccitatibus squalente bene habent, quia sunt natura sicca & biliosæ.

10 **C**aliditas acrimoniæ signum.

QVIA propria rei acris caliditas, acrimoniæ illius causa est, calidi autem est calcacere, fit vt quæ acria sunt calorem corporibus inferant, & ita calor acrimoniæ signum fit. Nam etsi acrimoniam, gustandi facultate quæ in lingua est, facilimè sentimus, agnoscimus verò plurima acria esse

ante

ante etiam quam linguæ admoueamus. Quòd calida vehementer sint, præcipuè cum partium tenuitate.

Turbationes transitusque. Quòd delirantibus laterum dolores cessant: quibusdam verò etiam febres: quibusdam verò non, sed cum sudoribus, quibusdam cum perturbatione. Quibusdam cutis arida, circumtenta, salsaque efficitur.

M O D O S omnes quibus solet finire morbus aliquis, cõplexus est Hippocrates hac oratione, proferens exempli gratia laterum dolores. Ij sunt, iudicationes & permutationes: atque permutationes, vel in alias principes partes, & morbos graues, aut etiam grauiore prioribus. Vel in cutem, & partes externas. Vocat iudicationes turbationes, quia ijs quibus crisis imminet, turbationes accidunt: permutationes vocat transitus, quia aguntur ab alijs in alias partes transeuntibus succis. Itaq; dicit turbationes transitusq;, quasi dicat duo hæc solent finire morbos, turbationes & transitus. Vt aliquando cessant laterum dolores delirantibus hoc est, permutatur pleuritis in phrenitidem: quibusdam verò etiam febres cessant, scilicet delirantibus, hoc est, finitur febris in phrenitidem. Dicitur autem hoc secundum illam phrasim qua in aphorismo vsus est, dicens. Qui in febribus ardentibus tremores fiunt delirio soluuntur: ibi enim dicitur, febres ardentes quas tremor comitatur, delirio solui, quòd in deliria finiantur, tametsi cù ipsa phrenitide adsit etiam febris. Ita etiam nunc dicitur quibusdam delirantibus febres cessant: nimirum cessant esse generis earum, quæ febres simpliciter vocantur, fitque phrenitis. Quibusdam verò (phreniticorum scilicet, aut febricitantium) non cessant cum transitu, sed cum sudoribus, cù perturbatione. Hoc est per iudicationem. Nihil enim aliud est iudicatio quam extinctio morbi affatim facta, cum perturbatione, & euacuatione: internis autem inflammationibus, & febribus, accommodatissima euacuatio est sudor, quamquam iudicantur non raro etiam per alias euacuationes. Quibusdam (inquit) cutis arida circumtenta, salsaque efficitur. Hoc est, quibusdam illi morbi finiuntur in scabiem,

& pruritus cutis. Vocatur cutis salsa, quæ, tanquam sale insperfo, mordeatur.

12 *S* *Stupefactiones quales ex qualibus, & quales ei cui coxa.*

Stupefactiones sunt qui intelligant vocari, stupores medicamentis illatos ut cum ad dolorem sedandum, medicamentis narcoticis utimur, atque hæc verba prolata esse aduersus quempiam, qui curaret talibus medicamentis coxæ dolorem. Velut facere solent quidam medici imperiti, aut nequam, qui cum idonea ad affectiones dolorificas medicamenta ignorent, aut velint ægroto, etiam cum magno eius malo, blandiri, utuntur sæpe narcoticis: illis enim appositis, euenit mox sedari dolores (quod ægrotantibus est gratissimum) etiam si imposterum affectio maneat deterior. In huiusmodi medicos censent scripta esse hæc verba. Quasi dicatur, considerandum quales stupefactiones, & ex qualibus medicamentis sint faciendæ, neque faciendæ tales, quales fiebant ei cui coxa dolebat, cuiusdam scilicet, quæ fortè medicus quidam curabat narcoticis. Nimirum faciendæ aliquando sunt hæc curationes, sed non nisi cum dolor intolerabiliter vrget, & veris anodinis non cedit, neque ex qualibuscumque medicamentis, sed ex correctis, & aliorum mixtione temperatis, quale maximè est quod vocatur *Phylonium*. Hic sensus verus est, ipsis autem verbis non videtur satis congruens. Proinde ego in alium feror, intelligoque, stupefactiones dici, stupores quarundam partium: qui, quia diuersi, & ex diuersis causis esse possunt, iubet distinguere quales sint, & ex qualibus causis, & memoriæ gratia mentionem facit cuiusdam *Schyaci*, cui stupor cruris accidit, ut sæpe profectò talibus solet. Stupor, ut *Gale* dicit, est affectio quædam media inter bonam valetudinè & paralyfim. Itaque est velut inchoata paralyfis. Quanquam videtur mihi communem loquendi modum consulenti, stuporem ob sensus, paralyfim ob motus, diminutionem, potius dici: nam resolutam partem immobilitate & demissione agnoscimus: stupidam verò dicimus eam, cui sensus est hebes, etiam si motum nulla læsio attingat. Itaque stupor accidit

cidit aliquando partium solum sentientium, aliquando etiã mouentium atq; hic aliquando fit, ob intemperiem frigidam partium stupefcentium, quia frigus aduersum est omnibus viuentium actionibus, aliquando ob feruorum deferentium sensum, aliquando ob deferentium sensum & motum, obstructionem, minorem tamen, quã vt faciat paralyfim: atq; hanc obstructionem aliquando facit succus qui ipsos neruos occupat, aliquando membra adiacentia quæ ipsos comprimunt. Distinguenda igitur hæc, quia si refrigere ratio in causa est, solis calorificis occurreret, si obstructio, expurgatione: si compressio, hanc tollere curabimus. Facit eam sæpe vicinarum partium tumor ex plethora, & tollitur sola missione sanguinis. Ijs quibus coxa dolet, solet crus è regione positum vsque ad extremum pedem stupefcere, ob neruos crurum, qui omnes, iuxta ipsum coxæ os, ab vltimis lumborum vertebris, decurrunt, præcipuè verò ob ordinè quartum, qui etiam est postremus & maximus eorum qui descendunt à lumbis, quia cum tribus sequentibus sacri ossis neruis coalescit: is enim simul cum arteria & vena magnis, penetrat per foramen, quod ossis ilij, & sacri, coarticulatione, velut in hunc solum vsus, formatum est. Euenit igitur ibi fluxionis coxæ dolorem inferentis aliquid in neruum redundare, aut à venis, & arterijs, ac carnis bus etiam, multitudine tumentibus, comprimi, atque ob diuersum affectionis modum, quidam stuporè cruris, quidam dolorem quandam per totum crus productum, secundum illius nerui longitudinem, sentiunt. Cui malo occurrendum videtur sectione venæ in contrario crure, quam nisi crus doleat, ob dolorem coxæ, secanda est in eodem.

13 **P**ropter aures, & ex auribus, sæpe moriuntur tertia die.

Hippocra. in prognostico ita reliquit scriptum. Aurium dolor acutus cum febre continua ac vehementi, difficilis est. Periculum enim delirij & mortis imminet. Quia igitur fallax hic locus est, cito etiã animaduertere omnia alia inditia à prima die, necesse est. Natu minores septimo die,

aus

aut citius ab hoc morbo interimuntur. natu verò maiores multo tardius. Galenus in commentario inquit, Multi interimuntur per dolores aurium vehementes, in consensum perducto cerebro. Quocirca nonnulli ægroti delirant, nec non aliqui repenti moriuntur, in eundem modum quo apoplectici, quoties in cerebrum decumbat vniuersa, dolorem aurium committens, fluxio. His consona est præsens oratio. Nimirum Hippocra. dixit septima die, aut citius mori, Galenus explicans quanto citius soleant, inquit nonnullos breuissimè ac repenti, illud nunc definitè dicitur, tertia die. Hoc enim est breuissimè mori, cum sit tertia prima de cretoriarum. Itaque mihi hæc oratio nihil aliud significat quàm locum hunc adeo esse fallacem, & periculosum, ut nonnunquam ex eius dolore contingat mori intra primum quaternarium. Id quod est verissimum, quia facillimè inde serpit in cerebrum malum, & homo conuellitur. In quodam fragmento commentariorum, quæ quasi nunc denuo inuenta, sub Galeni nomine nuperrimè sunt in lucem edita, dicitur, illud ex auribus significare fieri ex primario aurium affectu, propter aures per consensum. Quod scilicet aliquando eueniat mori ob ipsam aurium affectionem perse, aliquando tracto cerebro in consensum. Mihi verò non videtur fieri posse, ut ob passionem vllam auris moriatur homo tertia die (imo verò nec ut moriatur omnino) nisi cerebrum in compassionem traheretur. Qua propter geminationem illam verborum, propter aures & ex auribus, illud potius significare intelligo, ppter aures mori homines tertia die, nò tamè proxime ac perse, sed quod ex auribus malum incipiat, reffundatur verò in cerebrum

14 **Q** *Vibus cutes intentæ aridæ & duræ sine sudore; quibus verò laxæ cum sudore moriuntur.*

CERT ò si quibus cutes intentæ moriuntur sine sudore, & quibus laxæ, cum sudore, fit ut omnes ægroti moriantur, omnibus enim sint cutes laxæ aut intentæ, si quidem hæc sunt contrariæ dispositiones. Non est igitur hoc quod docet, sed cum ex alijs signis constet hominem esse lethalicet affectum, cognoscere ex his, sitne cū sudore, an sine eo moriturus.

riturus. Cum verò dixerit in primâ orationis parte, cutes intentæ, aridæ, & duræ, quasi tres hæc sint diuersæ qualitates constat in secunda quoq; parte, etsi tantum dicat quibus verò laxæ, suppleri debere humidæ & molles. Nam reddi debent tribus illis contraria. Non est autem vnum pluribus sed vnū vni cōtrarium, vt millies dicit Arist. Præterea quia laxæ tantum cutes, fieri possent ob ficitatem & extenuationem: nam vt dicebatur sectione tertia huius sæcti, omnis extenuatio laxat cutem, deinde circuntenditur, laxæ verò & humidæ & molles non nisi ob humiditatem extrorsum vrgentem fieri possunt, quare illæ differentiz merito significant sudorem, atque in morituro mortem cum sudore: contrariæ vero humoris in cute vacuitatem, ac proinde neque sudorem futurum, sed sine eo moriturum hominem, si alioqui sit moriturus. Hæc eadem sententia scripta est eisdem fere verbis in sectione quinta aphorismorū iuxta calcem.

15 *IN morbis dolosis mutationes vtilis sunt, his mutare ad decentia, ante quàm euadant deteriores, vt Cherioni.*

MORBI dolosi sunt, qui cum videantur esse sedati, aut etiam soluti, redeunt, præcipuè si id sæpe fiat, vt accidit Cherioni, qui fuit quintus ægrotus libri tertij. Illi enim, vt licet tibi illuc redeunti legere, ter visus est à febre liber, & totidem habuit recidivas. Monet nunc Hippocrates vt in talibus si quam oporteat facere mutationem, velut in locum alium, aut in aliam domum, aut tale aliquid huiusmodi, quod magis deceat, id cito facere, dum subleuati videtur ægroti, antequam euadât deteriores morbis malignis redeuntibus. Velut si fortè Cherionem iter agentem in diuersorio febris corripuisset, fuisset sanè satius in domo sua ipsi ægrotare, atque ita in domum mutari decens, non fuisset autem expediens id facere, dum febris erat vehemens, & dolor capitis maximus, neq; poterat dormire, & cōuulsionibus tentabatur, & delirabat. Effet autem faciendū die octaua, aut septima mox ac soluta esset febris, neq; expectandū donec die nona rediret. Huc etiam expectât quacūque

quæ alia ægrotos facere decet, neq; tamen vigentibus morbis possunt. Nimirum quicquid ægrotus sit facturus, aut quæcunque mutatio circa eum tentandi sit, si morbus quæ alio qui malignum, & fallacem esse suspiceris, die aliqua subleuatus esse videatur, arripienda occasio est, faciendumque quod deceat, ne fortè, re inconfecta, ægroti euadant deteriores. Velut si quis ægrotaret vt Cherion (non est enim quod recedamus ab exemplo) qui cœpit tertia die delirare, & vltimè que ad octauam non resipuit, & præoccupatus esset delirio antequam peccata sua esset cõfessus, aut bonorũ suorũ hæredes designasset, pfecto stultitiæ esset magnæ, nisi mox ac resipisceret, id faceret, ante quã scilicet malum reuertetur. Ita etiam si quæ alia mutatio facienda sit. Fiant autem illæ tantum mutationes, quæ ad decencia sint. Nam neque cum antea iuberet Hippocrates per morbos longos mutare solum, quamcũque soli mutationem commendauimus sed eam quæ in accommodatius ad cuiusq; morbi curationem. Itaq; hac oratione non cõmendat vllas mutationes, qui sect. 3. huius sexti ita scripserat, Mutationes cauendæ, sed docet, si quam facere deceat aut omnino oporteat, quã morbo vigente facere non liceat, si quã remissionem is indicet, non esse præstolãdũ, donec fortasse reuertatur penitus sed in occasione faciendum. Sed rogabis quæ causa erit, vt timeam, cũ morbus solutus videtur, fore vt reuertatur? Certe si non videatur se cundum rationem solutus, iuxta id quod in aphor. dicitur, Non est fidendũ bonis quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim talium durare non solent, velut Cherioni febris maxima & maligna sine concoctionis & sine iudicationis vlla indicatione, soluta est die septima redijt verò nona.

16 **I**rritantia ex quibus faucium asperitates terminantur.

VSVM acrium & mordentium, atque adeo extergentium vehementius, denique irritantium, dicit finiri in festum quendam asperitatis in faucibus & larynge, qui vocatur propriè *κέρχρον* hac ratione probat Galen. oleũ, etsi alias partes videatur lenire, & si quis sit dolor, & quæ lassitudo tollere, habere tamen aliquid mordax, & irritatorium, quod cum

cum dealbatur deponit. Quia si quis illud lingendo acci-
piat, finitur eius vsus in κέρχρον: quia irritantia ex qui-
bus κέρχρον δει terminus. Hoc est, irritantium vsus κέρχρον
facit.

17 **Q**uibus quod sanum relinquitur, inferne subducta
causa, aut purgato, aut deligato, aut eijcico, aut se-
cato, aut vrido, quibus vero, non, non.

CHYRURGI cum partem quampiam putridam aut val-
de alteratam curant, cum habent scopum; vt vsque ad sanā
partem pertingāt, secando, aut vredo, aut medicamentis
excendo. Nunc ergo monet ne prius desistant, quā vsque
ad partem sanā peruenerint, sed si quod sanum est relinqui-
tur, id est, quod sanū est nō attigeris, sed adhuc relinquatur
sub sordibus, aut sub parte putri, curationē perface, deorsū
versus facta sectione, vt sanies quæ eius mali causa est, sub-
ducatur, aut vsu extergentium purga affectam partem, aut
deliga, id est vinculo excipe quod emortuum aut alteratū
est, vt ita excidat, aut excisum eijce, aut seca, id est, scarifica
aut vreo: quibus verò non, id est quibus sanum non relinqua-
tur intactum, sed ad illud vsque iam sit curatione peruen-
tum, non, id est, ne facias quidpiam tale, sed vtere replenti-
bus, aut cicatricem inducentibus, vt res exiget.

18 **Q**uibus sanguis fluit multus ex naribus, quibus qui-
dem decolorationes imperfectæ, ijs parum prod-
est, quibus autem rubri colores, non ita: & quibus capita
quæ bene tolerant, prodest, quibus secus, non,

VBI ego verti, quibus de colorationes imperfectæ, ijs
parum prodest, habetur in meo codice, εἰσιμέν δ' χροιαί δ'
κρητοί, οὐ τοισιν ὀλιγον ἀρκουσι, in alijs fortasse codicibus
(nō enim in eo incidi) ἀκράτος quia sunt qui vertant, q̄ qui
dē decolores sunt mero mō: in alijs ēt fortasse (nā neque in
hos incidi) ἀκράτος τούτοις ὀλιγον ἀρκουσι q̄a sunt qui ver-
tant

tant, ijs merum modice datum prodest. Prima quidem versio, quæ Iani Cornarij est, sensu quidem haud multum distat ab hac mea. Nam decolorationes imperfectas ego dici intelligo, quasdam coloris in albidum, & debilitatem, ac naturalis caloris defectum præse ferentem colorem, mutationes: quales videmus quotidie in ijs quibus hæmorrhoides largiter fluunt, aut mulieribus quibus menses. Tales etiam dici possint decolores mero modo, quia omni viuido colore carent. Altera autem versio plurimum mutationis sensum, significat enim eis, quibus ob multitudinem fluentis sanguinis sublatus est color, prodesse vinum merum modicè datum: ijs vero qui rubri sunt non prodesse, atque rursus ijs, qui firmo sint capite, ut meri potum ferre possint, prodesse, alijs verò secus. Mihi verò videtur merum fluente sanguine noxium esse, ut pote quod fluxiones magnopere augeat, atque, si timetur ne tentet caput, timentum potius esse, ne sanguinem agat sursum, & faciat effluere abundantius: neque sane merum talibus dandum est, nisi forte in aliquo deliquio animi. Proinde mihi placet magis præscripta lectio, videturque pertinere oratio non ad curatiuam, sed ad agnosticam partem, continereque quæ considerare oportet, ut agnoscas an fluxus sanguinis creber ex naribus conferat. Alterum pertinet ad affectum, unde nascitur conferentia, aut contrarium, alterum ad facultatem, unde tolerantia, aut contrarium. Coloris ergo illa sublatio, sanguinis penuriam, & succorum in aliam speciem mutationem significat. quare ita affecti missione sanguinis non iuuantur: color verò ruber significat abundantiam sanguinis, quare eius euacuatione iuuantur. Quoniam autem non est satis, quod euacuatio iuuat, ut eam affectio postulet, nisi etiam facultas ferat, considerandum etiam, an habeat homo firmum caput an debile. Nam cum missio sanguinis partes omnes, & omnes facultates quæ nostra corpora regunt, possit debilitare, quæ omnium maximè sanguinis penuriam persentiscit, caput est: quia est pars princeps & exanguis, cerebrum, & ex sanguine habet animalium spirituum refectionem. Unde natum suspicor maximum illum vulgi timorem secundæ venæ cephalicæ, quia, arbitror, intempestiuè secta cerebro attulerit noxam satis insignem: quod quidem ubi ea non sit opus, aut non bene

feratur, effluxio ex naribus magis fecerit, quanto ea pars cerebro est propior. Qualia autem sint capita quæ fluxum sanguinis bene tolerant, dixit Hippocrates in libro secundo sectione. 1. cont. 18. vbi ego hunc locum citavi, quòd ad illius explanationem plurimum faceret.

19 **Q**uibus nares humidiores natura, & semen humidius & plus, hi sanitatem habent morbosiore, plurimis autem quibus post morbum contraria.

HÆC sententia enarrata mihi est, in commentatione aphorismi secundi sectionis sextæ, vt non sit opus eam rursum enarrare. Illud solum lubet monere, hoc loco manifestè deprehendi fragmentum illud commentariorum huius libri, quòd nunc nomine Galeni venditur, legitimum non esse. Contrarium enim prorsus ibi affirmatur, atque in commentario aphorismi à Galeno, adeo vt si Galeni esse censeam, essem duo ea loca, in libellum de locis manifestè pugnantibus, repositurus, verum ob quamplurima, mihi iam id fragmentum videretur esse supposititium.

20 **S**puta rotunda delirium significant, vt illi qui in Plinthio, huic fluxit sanguis ex sinistra nare, & solutus est morbus die quinta.

SPUTUM rotundum vituperat Hippocrates in prognostico, dicens esse inutile: nunc quatenus sit malum explicat, dicens esse adeo graue, vt delirium significet, huius causa est, quia significat ingens incendium circa partes spirituales, à quibus facillè trahitur cerebrum in compassionem: velut cuidam in Plinthio accidit, cui reliqua quoque iuxta eandem rationem euenerunt. Nimirum cum raptus esset factus in caput, liberatus est per fluxum sanguinis narium, ex sinistra verò, quia fortè fortuna contigit secundum id laus laborare magis: die vero quinta, quia erat morbus acutissimus exactè.

Urina

21 **V**rina multam subsidentiam habens soluit deliria, qualis fuit Dexippi post defluuium capillorum.

VELUT hæmorrhoides, & varices, & quæcunque alia, succos biliosos aut atrabiliarios ad inferiora detrahunt, à delirio liberant, ita & vrina in qua multum subsidet. Nam si verè dicitur in prorrheticis, vrinam in qua tenue quiddam natat insaniam minari, certè in qua multum crassumque residet insaniam solui indicabit. Nam vt insaniz solutio, ipsi passioni contraria est, ita & tenue crasso, & supernatans subsidenti. Rursum si rectè dicitur in aphorismo, vrinam albam & tenuem malam esse, si in delirantibus appareat, quia significat raptum humorum in caput, sit sanè in eisdem bona quæ crassa. Non autem quæ crassa secundum se totam, & perturbata, qualis est iumentorum. Nam talis, vt in alio aphorismo dicitur, significat dolorem capitis, qui adest aut aderit: quare malum, minatur capiti: igitur bona fit in talibus, crassa in qua crassum subsidet. Nam neque flatum & perturbationem significat, quæ in caput eleuet, neque succorum in superas partes raptum, sed contraria omnia, æstiuationem scilicet & agitationem in venis conquiescisse, & succos deorsum detrahi. Hoc dicit accidisse Dexippo cuidam, post defluuium capillorum. Scilicet ille, cum laboraret insania, defluuium capillorum passus est primum, deinde multo tempore (paucis enim nihil profecisset) vrinam reddens plenam multa & crassa sordicie, quæ in matula resideret, liberatus ab insania est. Neque certe habet hæc narratio quicquam quod non sit rationi consonum. Nam defluuium capillorum sæpe fit per abscessum, interno capite in cutem mittente sua excrementa, eo igitur per cutem proximam expurgato, & maxima succorum copia in inferna retracta, merito melius habuit mens.

22 **Q**uartana non producitur vltra annum.

QUIDAM, vltimas duas voces orationis proxime, ad hanc reuocantes, scribunt, post capillorum defluuium, quartana non producitur vltra annum. Ego vero non video, cur capillorum defluuium, liberare possit a quartana febris
lon-

longitudine. Nam si dicas, quia cerebrum expurgatum est, non placet, primum quia quartanæ, neq; generatio, neque productio, refertur ad caput, sed ad lienem potius, aut totum corporis habitum: deinde, quia non semper fit defluuium capillorum per abscessum, sed aliquando per redundantiam, regurgitantibus excrementis vsque ad verticem: atque cum per abscessum fit, non opus est vt perpurget interna: siunt enim plerunque imperfecti abscessus: atque ob hæc euenit, vt plerique sint, quibus capilli exciderunt, excrementosiori capite, quam quibus nihil tale accidit. Nimirum exciderunt iam multis bis & ter. Ego sanè eum qui quartana corripitur, non putabo ab eius productione securiorem, quod passus sit capillorum defluuium, nisi me quando experimentum ita docuerit esse, hæctenus non contigit videre multos quartana laborantes, quibus excidissent capilli: proinde probò multò magis seorsum legi; Quartana non producitur vltra annum. Dicit ergo nunc Hippocrates quæ sit quartanæ constitutio. Dixerat enim libro primo, quartanam esse longissimam, in prognostico etiam eam morbi longi exemplum esse fecit, dicens, Est etiam quartana febris ex hoc ordine, atque in aphorismo dixerat, æstiuales quartanas esse breues, autumnales longas: itaque esse alias alijs longiores, tamen eius constitutionem definite non dixerat: neq; nunc dicit omnino, sed vltra annum non prorogari. Itaque æstiuales non producentur vsque ad annum, neque autumnales vltra. Cuius rei causa fuerit, quòd vt acutæ febres motum sequuntur lunæ, ita longas sequi motum solis est consentaneum: igitur vt acutæ febris fines sunt intra mensem, ita cronicarum fuerint intra annum. Atque vt acutæ quædam mensis dimidium, atq; aliæ etiam minus durant, quæ verò mensem superant, sunt decedentes ex acutarum constitutione, ita longæ. In hoc genere sunt quotidianæ, & quartanæ, quædam dimidium anni durant, quædam menses duos, & quæ longissimæ sunt, annum integrum: quod si eum superant, id quidem fiet ob prauum vitium, vel ob ineptam curationem, aut etiam aliquando ob coniunctam visceris cuiuspiam intemperiem, fueritque ea quartana producta, vltra communem quartanæ constitutionem. Certè testari possumus, paucas esse, quæ in ijs, qui prudenter se gerant, non concludantur intra vnum annum.

23 **A**urium eruptiones æstate quinta die fiunt, aliquando quidem etiam tardius, & quæ circa gingiuas, & secundum nares, suppurationes.

DE aurium inflammationibus ita scriptum est ab Hippocrate in prognostico, Auris dolor acutus cum febre continua, ac forti, horrendus est. Periculum enim est, deliraturum esse hominem, ac periturum. Proinde cum hic locus minimè tutus sit, citò mentem aduertere oportet etiã alijs signis, à prima statim die. Pereunt autem iuniores die septima, & adhuc citius ex hoc morbo: senes verò longè tardius. Nam & febris & deliria minus ipsis accidunt, & hac de causa aures antea suppurantur. Verum his quidem etatibus recidiuæ morbi contingentes plurimos occidunt. At verò iuniores prius quam suppuretur auris pereunt. Hęc Hippocrates quibus apertè dicitur, eum affectum adeo esse periculosum, ut plurimi moriantur antequam morbus suppuretur, & ij qui supersunt, euadant per suppurationem. Nam addit, nam si pus album effluxerit, spes est iuuenem superstitem futurum. Itaque non senes solum, sed iuuenes etiam, erumpente ex aure pure, solent liberari, senibus verò tardius si pus, iuuenibus verò citius, intra septimum scilicet, quia nisi præueniant suppurari intra id tempus, moriuntur ob symptomatum vehementiam. Neque solum ætas, temporis suppurandi faciet differentiam, sed & tempus anni. Omnes enim & concoctiones, & iudicationes, citius fiunt æstate quam hyeme. Si igitur iuuenibus, qui ab hoc morbo liberantur, solet septimo erumpere pus alijs temporibus, æstate erumpet quinto, aut etiam citius. Quoniam verò ea ætate, & anni parte, rarò fiunt eruptiones superuicturis, tardius, & neque hoc perpetuum est, ita ut non possit aliter contingere, ut neque aliud fere quicquam in arte, addit, Aliquando quidem etiam tardius, addit rursus, Et quæ circa gingiuas, & secundum nares suppurationes: habent scilicet eodem modo, & sunt eiusdem constitutionis. Hoc interest, quod inflammationes circa nares & gingiuas, non sunt adeo periculosæ, neque ea loca tam fallacia, quam auris.

Quibus

14 **Q**uibus in dentium dolore à supercilio tenuia veniunt, his à pipere probe affricto postridie veniunt crassiora, si etiam reliqua non obtinuerint. Nam Hegesippo somni ferum ibi non obtinuit, sed potius conuocauit quidam vehementius.

COMMENDAT piper ad dolores dentium, ex fluxione tenui descendente ex syncipite (eam enim capitis partem vocat supercilium per synedochem) vt eo affricto do lenti parti dicat, postridie descendere crassiora, posseque il lud ita iuuare etiam, cum stupefacientia (quæ tamen cen sentur esse postrema, ac maxima, ad sedandos dolores, au xilia) non obtinent. Nã Hegesippo dicit ibi ad motum som niferum (vocat nunc somniferum, stupefaciens, quod sopo riferum diceret proprius) non obtinuisse, hoc est non effe cisse, id cuius gratia admouebatur, sed potius conuocasse quiddam vehementius, hoc est, auxisse fluxionem, & dolo rem. Videtur autem consentaneum intelligere, et si id Hip pocrates aperte non dicat, hunc postea curatum fuisse pi pere. Huius sanè causa fuerit, q̄ dolorem & fluxionem He gesippi excitauerit frigida causa, atq; ob id stupefacientia auxerint passionem, atq; ea aucta, ob id etiam & dolorem, aut si paulo post admotionem, stupore inducto, dolorem abstulerint, ita tamen, vt postea redierit vehementius, au cta causa. In eo ergo merito processerit rectius curatio, af fricto pipere, per materiæ concoctionem, & attemperatio nem partis. Nam in materia adeo frigida fuerit piper con coctorium, atque ita materiam reddiderit crassiorem, cum omnia quæ coquantur, crassiora fiant. Non igitur hinc de bes colligere, omnem dentis dolorem curari melius pipe re, quam opio. Si enim intemperies & fluxio sit calida, con tra fiet, sed tunc conferre piper coquendo, cum stupefacien tia non obtinent, quia tunc, & passio, & fluxio, frigida est. Atqui tunc quoque constat, si in mittente parte multa sit redundantia, non posse vinci piperis affricto, nisi prius ea vacuetur, & expurgetur. Intellige igitur piper affricto factum, vt fluxio vna die crassescat, postquam p̄spectum iam est capiti, aut cum fluxio non tam est multa, quam frigida.

25 **A** Capite ossium naturam, deinde nervorum, & venarum, & carniū, & aliorum succorum, & superiorum, & inferiorum ventrium, & mentis, & morum, & eorum quæ secundum annum fiunt, tempore quodam, hoc quidem priori omni parte, vt exanthemata, & quæ huiusmodi sunt, non aliter atque in ijs quæ quotidie, citius aut tardius accipiuntur.

NATURAS hominum, & anni tempora, & singulorum dierum partes considerare, hac oratione iubet Hippocrates. Naturam quidem quæ est in compositione, & quæ in temperamento: eam quæ est in compositione, ex consideratione magnitudinis singularum partium, ac naturalium succorum, & cavitatum: eam quæ est in temperamento, ex consideratione mentis & morum, quia hæc maximè omnium sequuntur corporis temperaturas. Ergo dicit a capite ossium naturam, deinde nervorum, & venarum. Qui putaret, nervos, venas, & arterias, originem ducere à capite, atque inde in totum corpus distribui, vt libello de ossium natura docere videtur Hippocrates (si modo Hippocratis is liber est) & nonnulli veterum sunt opinati, certè in eam sententiam acciperet hæc verba, vt ossium, nervorum, venarum & arteriarum (nam vno venarum nomine intelligit Hippocrates venas sanguifluas, & pulsantes) naturam considerare oporteret, initio sumpto à capite, vt à communi illorum omnium radice. Vocatur enim ossium natura, citato libello, nihil aliud, quàm ipsorum compositio naturalis. Verum cum constet eam non esse Hippocratis sententiam, sed solos nervos oriri ex cerebro, venarum vero radicationem esse iecur, & arteriarum cor, constat non ita esse accipienda hæc sed illud a capite, solum esse coniungendum cum illis verbis, ossium naturam, significarique considerari oportere naturam ossium, deinde nervorum, & venarum: ossium quidem naturam, a capite initio facto. Nam capitis ossea pars, est velut ossium radix, a qua produci videtur spina, a qua pendent costæ, & artuum ossa: deinde nervorum, initio etiam facto a capite, non tamen illius eadem parte, sed a medulla: quod cerebrum vocatur: deinde

deinde venarum, vtrarumque scilicet, sanguifluarum, initio facto ab hepate, pulsantium, à corde: deinde etiam carniū, musculorum scilicet, quorum dissectionē nosse magni est momenti. Quoniam vero non partium solum, sed succorum etiam naturas considerat medicus, dicit, & aliorum succorum. Videtur quidem inepta loquutio, cum succorū antea non meminisset, sed fortasse insinuat inuestigandam esse naturam aliorum succorum, præter cuique parti proprium. Suo enim succo quævis pars nutritur, & præter proprios partium succos, quorum natura simul cum ipsis partibus est inuestiganda, sunt succi naturales & communes quatuor, pituita, sanguis, & duplex bilis. Et superiorum & inferiorum, inquit, ventrium. Vocat Hippocrates ventres cauitates, & partes naturaliter cauas, sunt autem duplices: superiores, thorax & ventriculus, inferiores inanis pars sub septo transuerso, quæ peritonæo circumscribitur, & intestina, & uterus, & vesica. Itaque numerum omnium partium, & succorum secundum naturam in nobis existentium, tenere oportet, quæ omnia pertinent ad corpus: deinde etiam ea considerare oportet quæ pertinent ad animum, mentem scilicet & mores: quia hæc plurimum valent ad temperamenti cognitionem, vt Galen. indicauit in arte medicinali, & commentario libri de natura humana, & libello, Quod animi mores corporis temperaturam sequantur, & alibi sæpe. Quod vero, & ea omnia, quæ secundum annum fiunt oporteat animaduertere, constat, nisi frustra Hippocrates scripsit huius operis partem magnam, & tertiam particulam aphorismorum, & libellum de aere, locis, & aquis, & sparsim alia quam plurima. Considerandum vero quibusdam anni partibus, quosdam morbos esse familiares, vtque aliquando, ob intempestiuam anni, aut alicuius illius partis, constitutionem, morbi quidam fiant citius solito, vt gratia exempli exanthemata, quæ medio vere fieri solent si hyems sit austrina & veri similis, merito fient, citius solito. Non dissimilis est consideratio partium diei cuiusque, & totius anni, quod Hippocrates ipse docuit prima sectione libri secundi huius operis, non longe à principio, vbi docuit quosdam morbos citius & summo mane, quosdam tardius & ad vespertinam solere apprehen-

dere. Quod idem dicit modò his verbis , non aliter atque in ijs, quæ citius aut tardius accipiuntur.

26 *Similiter biliosum, & sanguineum corpus, melancholicum, non habens euacuationes.*

ILLUD similiter ne ita accipias, quasi eodem modo, sed quasi sit particula copulandi. Nam & biliosum & sanguineum corpus, nisi habeat euacuationes fit melancholicum, non tamen eodem modo. Nam biliosi fiunt maniaci, sanguinei simpliciter melancholici. Quia bilis exulta migrat in atram bilem, sanguis crassescens in sanguinis facem. Verissimum autem est, utrosque ætatis mutatione fieri melancholicos, sanguineos in ætate consistendi, biliosos in media iuuentute, nisi habeant conuertas aliquas euacuationes quibus præferuentur ut biliosi, vomitus, aut diarrhœas biliosas, sanguinei, fluxus sanguinis ex naribus, aut hæmorrhoidas, aut (si sit mulier) menstruas euacuationes. Scire autem licet, posse esse victus probam institutionem pro euacuationibus: sanguineis quidem tenuem, ut minus sanguinis proueniat, biliosis refrigerantem & humectantem, ut vitio prohibeatur.

27 *Urcino postremò splen magnus dolens, in quarta aut quinta.*

UT solet Gal. dicere, quæ ita sunt prolata, ut constare non possit quid significant, perinde oportet putare, ac si nunquam essent scripta. Huiusmodi sunt hæc verba, non quidem quòd obscura atque inusitata, sed quòd mutilata, & ab alijs quæ iam interierunt, decissa.

Sectio septima.

1 *Urses inceperunt circa solstitia hyemalia, aut decima quinta, aut vigesima die, ex crebra mutatione au-*
stra

straliũ & borealiũ, & niuorum. Ex his quãdam breuiora, quãdam longiara fiebant, & peripneumoniã crebrã post hæc. Ante æquinoçtium rursum reuertebantur plerisque, magna ex parte quadraginta diebus à principio: & quibusdam quidem breuia, & boni iudicij fiebant: quibusdam autem fauces inflammabantur. Quibusdam autem angina: quibusdam autem paraplectica: quibusdam autem nyctalopiã, magis autem pueris. Peripneumoniã autem valde breues fiebant. Fauces vero post tusses, aut breui admodum fiebant pro tussi. Fauces autem breues. Magis autem nyctalopes. Anginã autem & paraplexiã, aut durã & sicca, aut parua & raro concocta educentes: quibusdam autem etiam valde. Qui igitur aut vocibus amplius sese fatigarunt, aut riguerunt, in anginas magis finiebantur, qui autem manibus laborauerunt, solis manibus sunt facti paraplectici, qui verò equitauerunt, aut amplius iter fecerunt, aut aliter cruribus sunt fatigati, his in lumbos aut crura indicationum vacuitates paraplecticã, & in femora & tibias lassitudo & labor: durissimã autem & vehementissimã, quã in paraplectica agebant. Omnia autem hæc in recidiuis fiebant. In principijs autem non admodum. Multis autem horum in medio tusses remiserunt, perfectè autem minimè desierunt, sed aderant simul cum recidiua. Quibus voces rumpebantur tussi, horum plurimi non febricitabant. Quidam autem breuiter. Sed neque peripneumoniã fiebant horum cuiquam, neque paraplexiã, neque aliud quippiam significationem præbebat, sed in voce sola indicabantur. Nyctalopiã autem residebant, vt alia quã ex procatharticis causis fiebant. Factã autem sunt nyctalopiã pueris præcipue. Oculorum autem nigra partes variegatã, quã pupillas exiguas habebant. In summa nigrum magna ex parte. Magis autem magnos habentes oculos

& non paruos oculos habentes, & plurimi habentes re-
 ctos pilos, & nigros. Mulieres autem non similiter labo-
 rabant tussi, sed pauca febricitabāt, & harum valde pau-
 ca in peripneumoniam peruenerunt, atque hæ seniores, &
 omnes superstites manserunt. Causabat autem hoc fieri,
 quod non similiter uiris exit, & quod non eodem modo
 ac uiri alterantur. Anginae autem factæ sunt duabus
 liberis, & ea quidem mitissimo modo, abundantius uerò
 seruis, & quibuscunque fiebant uolentissimæ, & breui-
 sime iugulabant. Uiris autem plurimis euenerunt, & alij
 quidem effugerunt, alij autem mortui sunt. In summa ijs
 qui solum bibere poterant, valde erant mitia, & toleratu
 facilia. Qui uerò præter hæc loquebantur obscure, ijs &
 magis molesta, & diuturniora. Quibus uerò uena quæ in
 temporibus & ceruice, attollebatur, subpraua. Quibus
 autem spiritus sublimis fiebat, pessimum. Hi enim etiam
 tepescebant. Enim uerò, ut scriptum est, sic erant passio-
 num consortia. Quæ quidem primum scripta sunt, & sine
 posterius scriptis fiebant, posteriora uerò non sine priori-
 bus. Celerrimè moriebantur cum superrigebant febrili ri-
 gore. Hos ita præstos nihil iuuat manifeste, eorum quaten-
 tauri, neque alui perturbatio, neque uena sectio. Secui au-
 tem & sublingua quosdam, & sursum purgari. Hæc igitur
 in æstate omnino, ut & multa quæ eruperunt. Pri-
 mum quidem in squaloribus ophthalmiæ inuulgatæ sunt,
 cum dolore.

Tempestatem describit morbosam quæ incepit circiter
 quindecim, aut uiginti dies, post solstitium hyemale, perdu-
 citur autem narratio usque ad æstatem eiusdem anni. Intempe-
 ries & eorū morborum causa fuit, mutatio sæpe & repen-
 te facta australium & borealiū, & niuosarum tempestatū.
 Nimirum eo anno nunc erat tempus placidū & austrinum,
 nunc flabat boreas, nunc etiā ningebat, eaq; omnia alter-
 natè

natè & pluries. Par est autè putare eam tēporis conditionē,
 fuisse multo prius quàm morbos. Ita enim est natura com-
 paratū, vt causa antecedit, id verò quod ab ea fit, sequatur.
 Atqui corpora paulatim disponuntur ad morbos. Cum igitur
 morbi inceperint aliquanto post solstitium hyemale,
 fuerit quale dictū est tempus ab initio hyemis, quod est
 pleiadum occasus ineūte Nouembri, ac fortasse etiā prius.
 Mutationes magnæ in temporibus, frigoris aut caloris, vt
 dicitur aphorismo primo sectionis tertiæ, maxime pariunt
 morbos. Ex vero quæ sunt ab australibus ad boreales, &
 niuofas, natæ sunt facere fluxiones multiplices, vt quisque
 est paratus hac aut illa parte laborare. Nam per australem
 constitutionē augetur humiditas, per aquilonarē exprimi-
 tur pelliturq; a parte in partem, per niues refrigerantur &
 læduntur partes quædā, præcipuè quæ spectant ad pectus, &
 vocalia instrumenta, atq; proinde recipiunt destillationes
 ex capite, aut etiā fluxiones ex toto corpore, vt certè fa-
 ctum est. Quamuis autem ob communem causam, magna
 ex parte communis erat in quam plurimis hominibus mor-
 bi species, tamen ob diuersos corporum apparatus, neces-
 sario fiebant nonnullæ passionum differentiæ, patiebatur-
 que multifariam, partim diuersis morbis commune tamen
 quiddam habentibus, partim eisdem, sed minoribus, bre-
 uioribus aut diuturnioribus, boni aut mali iudicij. Primum
 igitur ceperunt tusses multæ circa solstitium hyemale, quin-
 decim scilicet aut viginti, paulo plus minusve, post solsti-
 tium, desinente scilicet Decembri: & multis tussi laboran-
 tium finiebatur destillatio in peripneumoniam. Et hoc quī
 dē tēpore, licet intelligere ex narratione, nondū esse hæc
 mala graua, leuiter. n. percurrit vsq; ad tempus recidiuarū,
 quarū mox facit mētione. Et meritò quidem fit (vt in alijs
 etiā epidemialibus constitutionibus animaduertimus) vt
 morbosus status a leuiori incipiens, deinde ingrauescat.
 Plerisq; ergo ante equinoctium vernū reuertebatur tusses
 Magna ex parte quadraginta diebus à principio, hoc est cir-
 ca mediū Februarij, quæ vltima hyemis pars est, & veris tē-
 perie iā incipit imitari, flante Fauonio. Et quibusdā erant
 tunc quoq; tusses breues & boni iudicij, hoc est soluebatur
 breui, & in nullū malum aliud transibant: quibusdā autem
 inflammabantur fauces, hoc est partes oris quæ interiacēt
 inter

inter gulam & laryngem : quibusdam autem anginae , hoc est inflammationes strangulantes, quarum quæ grauissimæ sunt, & citissimè strangulant, fiunt intra ipsum caput asperæ arteriæ . Alia huic proxima fit in eius musculis. Dicuntur etiam anginae esse species, quæcunque in ore, aut tota ceruice, sunt inflammationes, tanto autem minus proprie, quanto minus strangulant: atque tam late patente nomine, etiam faucium inflammatio, angina quædam dicitur, sed quia non tam proprie, dixit, quibusdam faucium inflammationes, quibusdam etiam anginae. Quibusdam etiam facta sunt paraplectica, hoc est resolutiones quarundam partium . Nam tametsi paraplexia ab autoribus vocari solet, ea solum quæ dimidiati corporis est, ita verò hic vocari cuiusvis partis resolutionem, facile constabit ex ipsa narratione . Quibusdam autem nyctalopiæ, magis autem pueris. Nyctalopia est oculorum morbus, quo laborantes videre noctu nihil possunt, sed mox atque tenebrescic hallucinantur . Causa est nimia oculorum opacitas, ob quam nisi in splendore magno non possunt videre: is morbus fiebat multo magis pueris, quia sunt humidi & excrementosi, atque debiles, cerebro & oculis. Peripneumoniæ etiam fiebant alijs, & ex quidem valde breues, fauces verò, hoc est faucium inflammationes, fiebant post tusses : hoc est, postquam homines tussi laborassent, alijs breui admodum fiebant pro tussi, hoc est paulo postquam tussi fuerant correpti homines, fiebant, tussi cessante. Erant verò hæc etiam inflammationes breues . Magis autem (inquit) nyctalopes . Si diceret, breuiores esse nyctalopes quàm faucium inflammationes, repugnaret sibi ipsi paulo post dicens, nyctalopiæ autem residebant. Intelligere ergo hic est consentaneum, magis autem durabant nyctalopiæ. Tria mala fuerunt in hac epidemia difficilia & grauias, facta post recidiuas & procedente tempore (nam ante recidiuas, ut diximus, nihil fuit graue) anginae, paraplexiæ, & nyctalopiæ. Anginae quòd multi ex illis morerentur: paraplexiæ & nyctalopiæ, quòd solui non possent, sed multis firmarentur, & inueterascerent. Hæc igitur rursus describit, dicēs qualia fuerint & ex quibus occasionibus initium cœperint, & quos habuerint exitus. Anginae autem (inquit) & paraplexiæ, aut duræ & siccæ, hoc est per quas nihil excrea-

re-

retur, et si essent magnæ: aut paræ, & rarò concocta educētes: quibusdam autem etiam, valde multa concocta educētes. Nimirum erant hæc quoq; non omnibus æque grauiâ, sed alijs plus, alijs minus. Occasiones morborum deinde narrat, dicens. Qui igitur aut vocibus amplius sese fatigarunt, vociferantes scilicet, aut rigerunt, hoc est plurimum frigus sustinuerunt, in anginas magis fiebantur, id est incidebāt ex tussi (omnibus enim inceperunt à tussi mala) qui autem manibus laborauerūt, solis manibus sunt facti paraplectici: qui verò equitauerunt, aut amplius iter fecerunt, aut aliter cruribus sunt fatigati, his in lumbos aut crura iudicationum vacuitates paraplecticæ, & in femora & tibias lassitudo & labor. Hoc est resoluti sunt secundū lumbos, & habebant crura resoluta, idq; indissolubiliter, ac pertinaciter, & habebant, secundum femora & tibias lassitudinis sensum, & laborem. Itaque mouere non poterāt crura, sentiebant autem cum dolore, quòd fluxio in ea decumbens neruos obstrueret, adeo vt facultas quæ per eos deferretur, motui non sufficeret: non tamen adeo, vt neq; sensui. Eadem verò fluxio faciebat vt sentirent cum dolore. Facta sunt autem hæc dictas ob causas, quia vt dicitur in aphorismo, si quæ pars ante morbum laborauerit, in eâ morbus firmatur. Iam verò frigus extremum nullam partē lædere magis poterat, quam eam per quam inspiratur aer, refrigerata verò ea pars facilè recipiebat fluxionem, vt alia quæuis quæ ob quancunque intemperiem debilitata sit. Addit, durissimæ autem, & vehementissimæ erant (tusses intellige) quæ in paraplectica agebant. Verisimile est ex vehementiori pependisse causa, ea quæ maiores consequerentur abscessus. Omnia autem (inquit) hæc quæ grauiâ & difficilia, contingebant in recidiuis, in principijs autem non admodum. Tunc enim, vt dictum est, nihil fiebat præter tusses, & mites peripneumonias. Et multis horum in medio (hoc est inter primas inuasiones & recidiuas) tusses remiserunt, & ob id visæ sunt secundæ passionis esse recidiuæ perfectè autem minimè desierunt, sed perseverantes à principio, aderant simul cum recidiua. Rursum percurrit singula mala, quæ in recidiuis simul cum tussi aderant, & explicat singulorum euentus. Hæc fuerunt, raucedo quædam tanta, vt post interciperetur, & omnino eam

emittere

emittere non possent (hoc n. vocat vocem tulsirumpi) & nyctalopia, & paraplexia: & angina. Dicit itaq; plurimos eorū quibus voces rumperentur tulsirumpi, omnino non febri taffe, quosdā autē febre, sed breui, correptos esse, neq; peripneumonias neq; paraplexias, neq; aliud quipiā eis successisse, & in solā vocis interceptionē finitum esse malū. Et hoc quidē meritō fiebat, quia quibus per raucitatē vox omnino intercipitur, plurimū succi imbibitur in ipsam asperam arteriā mēbranā: quæ pars non facilē commouet sua excrementa, sed sustinet vsq; dum paulatim discutiantur. Quinetiam vidimus horū plurimos multum tēporis voce carere, & impostērū toto vitæ tēpore raucos manere, durata & indissolubili facta passione. Fiebat ergo hoc ijs quibus cerebrum non tanto impetu excrementa pelleret, vt in pulmōnem truderet, aut artus, neq; materia esset adeo calida, vt anginā, quæ inflāmatio est, pareret, aut febrē ciceret, sed frigida materia, lente pulsa, in ipsa aspera arteria hæreret, febre non inferens. Nyctalopias autem residebant, id est manebant indissolutæ, vt alia quæ ex procathartice causis fiebant, id est, vt paraplexiæ. Dictum enim antea est: fieri eas ijs qui manibus laborauerunt, aut equitauerunt, aut iter fecerunt. Itaq; dicit & nyctalopias & paraplexias resedisse. Factæ autem sunt, inquit, nyctalopias pueris præcipuē. Huius causam esse censeo humiditatem nimiam cerebri, & omnium capitis partium, quæ in ea ætate est: oculus enim est exortus quidam, ipsi cerebro valde proximus. Fiebant verò per nyctalopiam nigra oculi partes (quæ scilicet inter iridem & pupillam sunt) variegatæ, ob fluxionem inæqualiter membranæ hærentem: magna tamen ex parte tendebat ea pars in nigram, quod crassitie influentis succi, opacusc fieret oculus, quod speciem refert nigræ. Inter ipsos autem pueros illi maximè fiebant nyctalopes, qui erāt grandioribus oculis. Et habentes capillos rectos & nigros, non tamen qui paruis oculis. Nā oculi grandiores fiunt ob humidam naturā, aut ob calidam, quibus vero calida est natura pili nō sunt recti, sed crispi, quibus igitur simul sunt oculi magni, & capilli recti, natura est sine calore humida, quæ parata est ad nyctalopias: qui vero sunt paruis oculis necessario sunt sicci, & ob id humidis morbis non capiuntur: esse vero siccos (nisi materiæ defectus fecerit exiguitatem)

tem(utcuque habeant reliqua, constat. Quia si sint oculi parui, & capilli crespi, erunt sicci & calidi: si verò recti, frigidi & humidi. Vbi dicit Hippocrates *μελανότριχες* idest capillis nigris, ego censeo legendum esse (quem etiam errorem alibi in Galeni scriptis animaduerti) *μεγαλότριχες*, idest magnis capillis. Nam nigricies capillorum potius significat calorem, estque contrarium signum rectis: magni vero capilli sunt ijs qui sunt excrementosi & humidi, qui bus eisdem fiunt recti, vt in mulieribus videas. Itaque fiebant nyctalopiæ pueris, habentibus oculos magnos, & capillos rectos & longos: non tamen fiebant habentibus oculos paruos. Videbatur his consonū, mulieres hæc tempestate deterius habere quam viros, & crebrius ac periculosius ægrotare. tamen non ita fiebat, sed multo pauciores corripiebantur tussi, & cum ijs quæ corripiebantur, agebantur etiam melius, quam cum viris, quia pauca febricitabant, & harum rursus pauca in peripneumoniam incidebant. & hæc seniores, & omnes superstites manserunt. Huius rei causam ipsemet Hippocrates apertè exponit, dicens, id accidisse, ob euacuationem menstruam, quæ fœminis est familiaris. Ea certè euacuatio a plurimis morbis mulieres præseruat, & plurimos indicat, a quibus alioquin non euaderent, vt etiam cum intempestiuè supprimitur, multorum malorum illis causa est. Itaque laborabant tunc tēporis tussi mulieres pauca, & ex seniores, quibus scilicet desijt fluere ea vacuatio: neq; tamen moriebantur, quia talibus cum fluere desijt, mutatum est temperamentum ad ficius, neq; ea, qua carent, admodum indigent, euacuatione. Aliam et causam esse dicit, ob quam mulieres, non perinde ac viri ægrotabant, quod non eodem modo ac viri alterantur, id est non vt viri, se exponunt alterantibus causis, neque in negocijs versantur, sed domi se continent: huic autem causæ attestabatur ipse euentus. Nam anginae duabus solum liberis acciderunt, & ex quidem mitissimæ, seruis vero fiebant multo plures, & violentissimæ, & citissime iugulantes: Quia scilicet liberae utebantur meliori victu, & minus in aere versabantur, seruæ vero domo exibant, vt viri, ob idque afficiebantur, vt illi, atque eo etiam grauius quod deteriori vterentur victu. Viris enim etiam plurimis euenerunt anginae, & alij quidem effugerunt, alij verò

mortui sunt. Morituri verò a superuicturis his distinguebatur notis. Ijs qui solum bibere poterant, idest qui non aliter quam deglutendo, noxam sentiebant, quod nihil nisi potum deglutire poterant, valde erant mites, & toleratu facillimæ, atque ita minimè periculosæ: qui vero etiam loquebantur obscure, ijs & magis molesta, & diuturniora. Magis quidem molesta, quia spiritus viam magis obturabant, & suffocabant magis. Nam ex prohibita deglutitione longè minus est periculum, quam ex prohibita respiracione, nedum ex vtriusque, quam ex altero: diuturniora vero quod essent inflammationes maiores, quæ attingebant vtrâque partem, gulam inquam & laryngem. Quibus vero venæ in ceruice & temporibus attollebantur, subpraua, hoc est maligna & periculosa, quia illud magnæ suffocationis inditium esse, inde agnosces, quod & in ijs qui laqueo, aut manibus strangulantur, apparet. Quibus verò spiritus fiebat sublimis, erat longe pessimum, id enim est iam mortis proximæ, significatque strangulationem, & debilitatem extremam. Quam significationem augebat, quod & tepescebant: idest refrigerabantur secundum extremas partes. Erant vero hæc omnia dicto ordine mala, præter cætera, quia sic erant dictarum passionum consortia, vt quæ primû scripta sunt sine posterius scriptis fierent, posteriora vero non sine prioribus. Qui scilicet habebant ex angina sublimem spiritum, his etiam attollebantur venæ, & quibus attollebantur venæ, ij obscure loquebantur, & qui obscure loquebantur, hi malè deglutiebant: non tamen contra, si malè deglutiebant, loquebantur etiam obscure, neque si hoc, etiam attollebantur venæ, neque rursus si hoc, etiam respirabant sublime. Igitur vel ob hanc solum causam necesse est, posteriora esse deteriora prioribus. Signum autè superueniens, quod in his pestilentibus anginis (talis enim erat iam hæc constitutio, cum essent morbi communes, & ex eis plurimi morerentur) significabat mortem iam iam imminentem, erat, superrigere febrili rigore, hoc est superuenire rigorem similem ei, qui solet per febres fieri. Nam ex tali rigore cum ægris iam debilibus superuenit, solent non recalescere, sed cum ipso rigore extinguui. In quam autem malignam euaserit hæc constitutio, quæ benigna à principio fuisse videbatur, inde vult Hippocrates coniectes

tes, quod ita oppressos morbos (hoc est laborantes angina non leui) nihil iuuat manifeste, tamen multa circa illos molitus est. Nam & aluum mouit, & venæ sectione est usus, cum in brachijs, tum etiam sub lingua, vt per anginas fieri consueuit. Quinetiam quosdam dicit se sursum purgasse. Ipsa vero phrasis indicat, eum non ita multos purgasse sursum per vomitum (nam neque id legitimum est per anginam fieri) sed quosdam, ob peculiare fortasse considerationes. Hic anni decursus iam processerat vsque ad ætatem: fiebantque dictæ anginæ iam in ætate, quo tempore, iam fiebant multa alia quæ eruperunt, id est multa alia mala externa, vt exanthemata, & vlcera, Inter quæ primum quidem in qualoribus, inuulgatæ sunt ophthalmiæ cū dolore. Annumerantur enim, tertia particula aphorismorum, ophthalmiæ morbis æstiuis. Et tales quidem sunt sicca, & ex sicca & acri pendent fluxione, quare & dolent.

V Enarum sanguinem sistunt, deliquium animi, figura alia interceptio, linamenti contorsio, appositio, deligatio.

Quibus rebus possit supprimi fluxus sanguinis ex naribus, docet breui hac oratione, prima est deliquium animi. Nam per animi deliquium colligitur assatim sanguis versus cor, atque ob id reuellit in introsum, à parte ex qua fluebat. Hæc est causa, qua plurimis tales fluxus sponte cessant, quia scilicet, superueniente deliquio animi, tolluntur. Alia est figura, scilicet figuræ mutatio facit nonnunquam sola, semper autem iuuat, vt sanguis fluere cesset. Velut si cui fluit ex naribus caput erigat, sitque ceruice recta. Alia est linamenti contorsio, id est contortum linamentum, & inditum in partem ex qua fluit: alia est appositio, emplastri scilicet, aut omnino medicamenti agglutinatorij, aut cucurbitulæ. Alia est deligatio, si pars est apta ligaturæ. Interiecit (Et alia interceptio) quia præter dictas sunt aliæ causæ interceptionis. Nam & potu frigidæ, & eiusdem infusionis, & vinculis extremarum partium, & reuulsoria sanguis-

guinis missione (quia ut antea etiam diximus, nulla secun-
rior interceptio est) euenit fluxum sisti.

B *U*bones plurimi fiebant, quod hepatitis. Si ve-
ro & ab arteria maligne affecta, malum signum
ut Posidonie.

MEMINIT Hippocrates auxiliorum quibus sangui-
nis fluxus sistitur, ob quandam tempestatem morbosam
(non dicit quo loco, neque quo tempore) per quam ob
sanguinis plurimam redundantiam, quibusdam fluebat san-
guis, multus adeo, ut morerentur inanissimi: alij excreabantur
per asperam arteriam: alij fiebant adenum phlegmonosi
tumores, qui vocantur bubones: alij alia affectiones, ha-
bentes tamen omnes communem causam, redundantiam
sanguinis. Dicit ergo, de ea tempestate agens, bubones
plurimi fiebant, quod hepatitis, hoc est quod vena caua re-
dundantia laboraret. Scilicet bubones plerunque fiunt,
quod hepar, & quæ ab eo oritur vena, multitudine labo-
ret. Si vero sanguis ab arteria (aspera scilicet) maligne affe-
cta, ulcerata scilicet, exiret, malum erat signum. Ut accidit
cuidam mulieri, vocatæ Posidonie. Nimirum passioni hæ-
moptoycæ, ex tali causa ortæ, succedere solent magna ex
parte tabes.

Q *U*i ex sanguinis fluxu moriebantur, non sudabant
circa frontem, & velut compressi

DICTVM est proxima sectione, quibus cutes intente
aridæ & duræ, sine sudore, quibus verò laxæ, cum sudore
moriuntur cum siccitate, qui igitur a sanguinis fluxu sicca-
ti, merito morerentur sine sudore, sed velut compressi, hoc
est absumpti, & siccati.

E *T* spirituosus, & a sudoribus deficientes, primum.

DVO signa mortis sunt hæc, siue separatè intelligantur
scripta esse, siue quod in aliqua tempestate acciderent spi-
rituo

rituosos esse, id est difficile respirantes ac anhelosos, & a sudoribus deficere, id est animo linqui. Hęc enim ambo per morbos acutos pessima sunt, significantq; defectum facultatis, illud animalis (anhelosi enim dicuntur præcipuè, qui respirant sublimè) hoc vitalis. Quid potest autem esse periculosius, quam per febrem cōtinuam, qualis ab acuto morbo nunquam abest, non posse respirando recreari, aut cum multa euacuatione opus sit, non posse mediocrè sustineres.

V *Entrium abundantia turbationem ferunt, vt Posidonia, & quæ feras ibi faciunt.*

CUM est redundantia in ventre, aut cruditas multa, qualis quæ solet vermes gignere, purgatione est opus. Nihil enim magis celebratum apud Galenum, & medicos omnes, quam ventrem expurgatione, quam ventris turbationem vocant, indigere. Modus autem mouendi fit, si in ventriculo sit vitium, vomitorio, si verò in intestinis, si quidem in crassis clysteribus, si in tenuibus, subductorio medicamēto. Redundantia quidem in quacunq; ventris parte esse potest: vermes verò ascarides in podice semper: rotundi in gracilibus plerunque, lati per omnia intestina generantur. Quare vomitu curari nunquam debent (nisi forte ob antecedentes cruditates) pro ascaridibus, clysteres & glandes erunt satis.

I *nextenuatione circuntensio ante mortem, & umbilicus protensus, extractus est ipsi, & gingivarum dentes ambientium exulcerationes.*

DICTVM est sectione tertia huius sexti libri, Omnis extenuatio laxat cutem, deinde circuntenditur. Idem est dicere, in extenuatione circuntensio ante mortem, cum scilicet prius laxata cutis sit, fit deinde eius circuntensio, ante mortem, dicit verò ante mortem, quia vicinam iam mortem indicat circuntensio, laxitatem excipiens. Narrat vero, hoc, & duo alia sequentia signa, accidisse cuidam mulieri, tametsi non dicit. Quam ob causam videtur hæc

SSf verba

verba decissa esse ex aliqua narratione longiori, & perfectiori: quasi post alia quæ hic desint dicat, in extenuatione accidit circumtensio ante mortem, & umbilicus qui prius laxata cute, protensus est, postea circumtenta, est retractus ipsi, scilicet laboranti extenuatione, & factæ sunt gingivarum dentes ambientium exulcerationes: scilicet finduntur, gingivarum præ ficitate, ut & labia quibusdam, & partes aliarum. Itaque extenuatis sunt imprimis cutis laxitas, & umbilici protensio, proximis vero iam interitui, fit circumtensio cutis, & umbilici retractio, & gingivarum exulcerationes, ut cuidam mulieri accidisse Hippo. narrat.

Multa de quocunque recte præcipi possunt, alia quidem eadem potentia, alia autem non. Quale est talia diffundi, exolui, & educi, & indurari, & maturari, & ubi opus est e lecto pellere, & torpentes, ad ea quæ agunt serius, excitabis.

OPTIME quidem ac verissimè dicit hæc Hipp. & est nobis sæpe opus apud vulgares homines, & indoctos, hac defensione. Sæpe enim accersuntur, ad visendum eundem ægrotum, duo aut plures medici seorsum. Et perrarum est in idem medicamentum incidere, sed diuersa fieri iubent, vulgus vero hominum statim iudicat, errasse alterum, quod non eandem rem dixerint: & ob hanc vulgi opinionem, ambitiosi medici, nihil non mutant, eorum quæ, qui prius accesserant ad ægrotos, fieri iusserant, alia quæ eisdem sint facultatis, aut fortasse etiam inferioris, imperantes, id curantes solum, ne quid eorum, quæ ab alijs imperata sint, videantur probare. Horum ambitionem detegit, & indoctæ vulgi opinioni occurrit, dicens, non esse unicam rationem occurrendi cuicunque morbo, ac multo minus unicum medicamentum, sed multa de quocunque recte præcipi posse. Alia quidem eadem potentia, alia autem non. Nimirum fieri potest, ut duo medici eandem prorsus sequantur indicationem, & eadem intentione curent morbum eundem, utantur vero medicamentis diuersis, sed eiusdem facultatis. Nimirum cuiuscunque facultatis sunt innumera medi-

medicamenta, & quiuis vtitur suis. Fieri etiam potest, vt ad eundem morbum vtantur duo medici auxilijs diuerfis neque eiusdem facultatis, quod non eadem intentione curationem suscipiant, neque tamen quispiam illorum erret. Nam fieri potest vt idem morbus diuerfis vijs ac methodis curetur: vt si velit quispiam phlegmonem resolutione curare, atquè alius maturatione. Vtrouis enim modo sæpe proceditur recte. Quinetiam quæ resolutione aut maturatione curata bene sunt, aliquando si percussione, & induratione, à principio ad finem essent curata, nihilo deterius cessissent, ac fortasse aliquando curata essent cum minori dispendio. Aegrotum aliquando curauit medicus misso sanguine, hunc ipsum fortasse curasset alius sine missione sanguinis, nihilo deterius. Verum hanc ob causam, nihil periculo sius excogitari potest, quam duos medicos accersere seorsum, vt multi faciunt, quo vtriusque deuitet inuidiam. Nam sæpe fit, vt cum eorum quiuis eum recte curaret, ambobus seorsum tentantibus auxilia diuersa, per datur ægrotus. Quapropter consulo, vt in consultationem vocentur ambo, vt in vnicam conueniant curandi ratione aut eorum alteri tota curatio commendetur. Itaque dicit Hippocrates multa de quocunque rectè præcipi possunt,

- 3 alia quidem eadem potentia, alia autem non. Quale est, talia diffundi, exolui, & educi, & indurari, & maturari. Hæc eadem scribit exempla eadem potentium, & diuersa: quæ si diceret, vt si velint diffundere & resoluere, quod idem est, & alius vtatur oleo irino, alius laurino, alius ricino.
- 3 Aut educere expurgando, & alius det catapotia vocata aggregatiua, alius potionem ex infusione agarici & electario ex succo rosarum: aut indurare, & alius admoueat solanum, alius sedum, alius plantaginem: aut maturare, & alius admoueat puliculam ex hydreleo & farina triticea, alius ex vitellis ouorum cum oleo & exigua portione terebinthinæ: aut alius velit resoluere alius maturare, alius aliquid aliud facere. Nam hoc quoque fieri potest, vt diximus, nullo eorum male suscipiente curationem: Consulit, his dictis, quiddam aliud, quod & si videtur leue, nonnunquam est magni momenti, ne facultates torpeant, & ægroti plurimum debilitentur. Nimirum morbi quidam sunt difficilissimæ iudicationis, quorum solutionem si expectes, antequam

ægroti è lecto surgant, illi certè languescunt, & facultates obliuiscuntur suorum munerum, & intereunt. Oporteret sæpe, ita ægrotantes, cogere vt lecto surgant, etiam nondum curati integre: atque torpentes, ad ea quæ agunt ferius, excitare, hoc est, cogere vt rebus agendis se inferant, etiam si pigri sint, & demissi, & id faciant tarde, ac segniter. Euenit enim paulatim eâ pigritiem deponi, & facultates velut reuiuiscere, atque ita deinde morbos paulatim superari, qui alioqui à iacentibus, & otiosis, ac de sua tantum miseria cogitantibus, nunquam superarentur. In longis autem locum habet hoc præceptum, aut deciditibus ex acutis.

9 **H**Ydropicos celeriter secare: tabescentes vrere statim: secare caput, & huiusmodi.

TRES curationes recenset Hippocra. mobiles, & magni momenti, quæ tamen raro admodum conferunt, quòd vix vnquam agantur tempestiue. Hæ sunt, hydropicorum sectio, tabidorum vstio: & capitis vulnerati apertio. Vt narrat Celsus Aurelianus libro 3. tardarum passionum, de hydropicorum sectione, quâ paracentesim vocabant, magna fuit inter veteres contentio, Euenore, Erasistrato, & Thessalo, vituperantibus, Asclepiade, Themisone, & Sorano, laudantibus id genus curationis. Cur autem vituperarent, dicit plurimas fuisse causas, præcipuas verò, quòd peritonæum neruosum cum sit, non sustinebit, sine periculo, punctioem aut sectionem, deinde quòd nõ fiet facile, quin secetur vllum intestinum, deinde quòd non videatur aquæeductio tollere affectionem, sed symptoma, cù non tollat hepatis intemperiem, sed aquæ redundantiã, postremo quòd periculũ maximũ sit, ne eũ effusa tota aqua effusã etiã spiritu, homo moriatur. Has ob causas affirmabant illi, neminem hydropicorũ sectione esse seruatum. Nihilominus testatur Aurelianus, se vidisse quosdam: qui sectione euaserant, atq; ob id probat eam curationem, quæ etiam Hippocratem vsum esse constat, cum eius crebra in illius scriptis mentio fiat. Quod autem plurimi moriatur, causatur Aurelianus, nihil eorũ quæ alij obijciunt, sed quòd ea curatio serius semper tentetur, & cum iam morbus est diutur-

diuturnitate factus incurabilis, id quod dicit his verbis. Plurimi vero moriuntur: si quidem medentium tardante consilio, serius paracentesis adhibetur. Quibus aperte significat, si tempestiue fieret sectio, antequam plurimum aquæ collectum, & hepar plurimum intemperatū esset, nullum periculum eorumquæ alij timebant, accessurum. Nam aqua tunc non efflueret affatim plurima, & homo nōdum esset adeo debilis, vt sustinere non posset, neque hepar adeo intemperatum, vt non posset restitui, semota aqua, quæ & si intemperato successerat hepatis, eius tamen intemperiem seruat, & auget. Itaque sectio si incipiente hydrope fieret, multos liberare fortasse posset, quoniā vero adhibetur sero, iuuat nullum. Hoc idem de tabescentium vstione dicere par est, siquidē tabidi sunt ex suppuratis, suppuratorum verò & hydropicorum idē periculum esse dixit Hippocrates his verbis. Quicumq; suppurati aut hydropici fecantur aut vruntur hi pure aut aqua aceruatim effluete, omnino moriuntur. Hippocrates vt in hoc ipso opere iam indicauimus, & ex alijs multis eius viri constat, in vstione plurimum vtebatur, & in suppuratis ac tabescentibus semper, mox ac suppurationis notæ incipiebant esse conspicue, atque ob id plurimos magnificē iuuabat. Hoc vero tempore, merito sectionis & vstionis in hydropicis & tabescentibus, vsus dimissus est, quia vel ob ægrotantium molliciē, vel quod non valemus autoritate apud eos, vt veteres illi medici, nunquam horum quippiam iubenti obtemperatur, vsque dum morbus omnino vicat: tunc postulant nonnulli id sibi fieri, velut in re disperata quo tempore nihil aliud sit, quam quod quæ tempestiue suscepta contulissent, suscepta serius infamantur auxilia. Simile quiddam euenire scimus in sectione capitis. Nimirum vt Hippocrates docet libro de vulneribus capitis, multa eorum vulnorum secari postulant, vel quod vlcus satis dilatatum non sit, vel vt cognoscatur an os læsum sit, vel vt pateat melius curationi, cum tamen hæc quoque vulgaribus videatur dura curatio esse, plerumque recusant id sustinere, vsque dum lethalibus iam signis terrentur, tuncque magna ex parte, nihilominus moriuntur, & vulgus quidem hominum non intelligens, factum id esse, quod serius sectum sit, vidensque paulo post sectionem egrotos mori, putat le-

fos esse sectione, & manent impostero sectionis timidiore. Qua propter satius sit medicos, nisi tempestiue voluerint ægroti parere, intèpestiue nihil facere. Non enim solù in his quod dixi, sed in alijs quibusuis euenit curationibus. Euenit verò sapiensimè in tribus dictis, quas ob id mihi videtur Hippocrates rectè notasse, atque consuluisse hydropicos celeriter secare, mox atque hydropici esse incipiunt, tabescentes statim atque sunt suppurari, & tabescendi periculum minantur, vrere, & caput vulneratum secare tempestiue. alioqui, neque secare, neque vrere, neque vlcus aperire: sed prædicere, ac finire mori.

10 *H* *Hydropicorum omentum non tangere, neque interiora, simile enim multis genibus.*

ἡ τρυφή multas partes significare solet, hoc loco nihil aliud videtur mihi significare posse, quam omentum. Si enim significare hypomphalon, hoc est partem imam vètris, haud diceret hanc tangi non debere, siquidem Paulus libro 6. quatuor digitos infra vmbilicum secare iubet: sed neque abdomem videtur posse significare, nisi enim feces peritonæum, nihil exibat aquæ. Peritonæum autem non possis secare, nisi feces prius abdomem, intra quod est situm. Quod autem Hippo. dicit, nihil est aliud, quam sectionem committi debere chyurgo perito, q̄ sciat secare abdomem & peritonæum, quin tangat omentum, aut aliquid interiorum, vesicam dico, vterum, aut intestinum. Est enim hoc periculum in ventris sectione, lædatur aliqua subiectarum partiu, vt etiam in alijs partibus, velut etiam in multis tumoribus genium. Nimirum in eius quoque partis collectionibus, quæ apertionem postulant, aut vlcibus, quæ contra apertionem quam vocant, cauere plurimum oportet, ne tendo nes, aut nerui aliqui crurum, aut vasa quæ prætereunt, lædantur. Comparat itaque sectionem ventris in hydropicis, cum sectione genu, non alia in re, quam quòd habeant simile periculum. In sectione ventris illud nosse oportet, nõ debere sectionem abdominis esse regione sectionis peritonæi, sed inferiorem, vt per fistulam curuam, per sectionem abdominis immisam in sectionem peritonæi, educi possit quod

quod oporteat aquæ, deposita vero fistula, sectio peritonæi, a parte sana abdominis obturetur. Ita enim cauetur periculis copiosæ, & affatim factæ effusionis.

Vox qualis sit iratis, si talis non irato, secundum naturam sit: & oculi tales fuerint natura turbulenti, quales sunt ubi irascuntur ij qui tales non sunt: & alia secundum rationem morborum, ut tabidus morbus facit formam: si talis natura insit, in talem morbus euadit, & alia eodem modo.

Hæc oratio partim pertinet ad physionomiam, partim ad prognosticam medicinæ partem. Prima eius pars ad illam, secunda ad hanc. Actum verò est antea, in hoc ipso opere, de physionomia, dictumq; est, utilem esse ad medicinales considerationes, quia docet agnoscere, quæ hominibus insunt secundum naturam: quorum cognitio necessaria est ad cognitionem eorum quæ præter naturam: quia hæc collatione illorum cognoscuntur, quam sint graua, aut secus: iuxta id quod initio libelli de officina medici dicit, considerandum similia sint an dissimilia; & rursum initio sectionis tertæ libri primi, dixit, Morbos dignoscimus ex cõmuni natura, & ex cuiusq; propria: & in initio prognostici, an similia sint beneuolentium, potissimum sui. Itaque si vis accipere argumentum aliquod a voce, oportet scias quali voce sit homo. Si ab oculis, qualibus oculis: nam si talis esse videatur, qualis natura, aut non valde dissimilis, haud est graue malum: si vero plurimum dissidet, graue est. Reddeamus ergo ad priora. Vnum quoddam argumentorum quibus physionomi vtuntur, vt licet videre apud Aristotilem libello de physionomia, est ab specie motus animi ad affectum. Hoc modo, Si quis non iratis, habet naturaliter vocem, similem ei quæ est in iratus, is iracundus est: ita etiam, Si oculos natura turbulentos, & quales habent qui irati sunt, habent ij qui non sunt tales, illi sunt iracundi. Si ergo per morbum aliquis habet vocem talem, & tales oculos, nosse oportet, an tales habeat homo natura, si enim habet nihil significatur mali, sed solum agnosces per physionomiam

cam rationem, eum esse iracundum: si verò non habet id secundum naturam, neq; modo ex occasione aliqua est iratus (oportet enim semper excipere occasiones) agnosces, per rationem medicam, eum furori esse proximū. Alia etiam multa sunt huiusmodi secundum rationem morborū, hoc est in morbis consideranda, an secundum rationem morborū fiant, an verò secundum naturam ægrotantium. Ut tibi videtur morbus speciem quandam & formam vultus facit, nimirum acutum nasum, cauos oculos, & caua tempora: si tamen talis vultus homini insit natura, in talem euadit morbus, id est facillè in morbum talem incidit, neq; ob id graue malum est. Nimirum ut morbi naturæ similes facillè fiunt, & minus sunt periculosi, ita etiam & morbi illi, quos naturalis hominis species representat. Nam ut species significat mores, ita & reliquam naturam, quare & in tales aut tales morbos, propensionem: ob id addit, & alia eodem modo.

12 **T**ussēs laboriosæ incumbunt in partes lasas, sed maxime in articulos; sed in laboriosis febribus tussēs siccae fiunt. Tussēs siccae firmantur in articulos cum febre, si intus relinquuntur.

TUSSĒS laboriosæ dicuntur quæ comitantur febres laboriosas. Laboriosæ verò febres sunt quas comitantur lassitudines spontaneæ. Quas à multitudine succorum pedere haud dubiè indicat lassitudo. Hinc fit ut abscessus in articulos plerumq; faciant, ut in aphorismis 31. & 74. sectionis quartæ dicitur, nisi fluxus sanguinis copiosus anticipet: eadē quoq; causa comitatur has febres tussicula sicca, quæ omnis multitudo fluxiones comouet. Idem igitur abscessus expectari debent ex tussibus laboriosis qui ex laboriosis febribus, siquidē in laboriosis febribus tussēs tales fiunt. Tussēs igitur siccae cū febre firmantur in articulos, ut scilicet ipsæ febres, si intus relinquunt (cā scilicet morbi) hoc est nisi euacuatio insignis, & accommodata anticipet, ut fluxus sanguinis ex naribus aut multa vrina. Cū itaq; dicitur tussēs siccae cum febre, intelligere debes iuxta sermonis confectionem, cum febre laboriosa. Nā tussēs siccae febri ardeat.

ardentium: quas in aphorismo quinquagesimo quarto eiusdem sectionis dicit sitim tollere, nisi etiã sint laboriosa (plurimã autẽ ardentium laboriosa nõ sunt) nõ minantur diuturnos abscessus. Cũ itaq; prius dicit, tusses laboriosã incumbunt in partes læsas, & postea, tusses siccã cũ febre firmãtur in articulos, eadẽ tusses intelliguntur, quæ fiunt in febribus laboriosis Neq; enim intelliguntur quæ in alijs febribus, vt dixi, neque vero quæ sine omni febre. Nam vt sectione prima libr. secundi dixit Hippocr. tusses diuturnæ (nam ex non diuturnis, & sine febribus nihil timeas) quæ sine febre fiunt finiri solent in tumores testicularum, & amant abscessus in partes humiles, contra ac tusses febrilis laboriosarum, quæ finiri solent in abscessus circa maxillas. Rectẽ autem hic dicitur, incumbunt in partes læsas, sed maximẽ in articulos, & si in aphorismo tantum dicitur circa articulos. Nam in eo aphorismo dicitur, id quod maximẽ solet fieri: hic vero adijcitur, & quod alias etiã fit. Nimirum vt alio aphorismo dicitur. Si quæ pars per morbum dolet in eam fiunt abscessus. Quia si quæ pars est parata recipere, in eam potius expectes abscessum, quam in vllam aliã, parata autem est & quæ dolet, & quæ aliter vtcunque læsa est, vt si quam habet homo partem insigniter debile, si sit mancus, aut claudus, aut ex labore defatigatam, velut nuper dicebatur in hac ipsa sectione. Qui igitur aut vobis amplius sese fatigarunt, aut riguerunt, in anginas magis finiebantur, qui autem manibus laborauerunt, solis manibus sunt facti paraplectici, qui vero equitauerunt, aut amplius iter fecerunt, aut aliter cruribus sunt fatigati, hi in lumbos aut crura.

43 *Spirationes obscura in tabidis, & non parientibus, male: & quacunque alia huiusmodi ab eadem constitutione.*

SPIRATIO obscura vocatur, respiratio obscura, & apenex proxima. Talis respiratio in tabidis significat extremã facultatis debilitatẽ, & proximã mortẽ: in non parientibus, vt mulieribus semine abudantibus, abstinentibus vero à congressu, vt sacris, aut viduis, significat præfocionem ex vtero periculosam, quæ aliquando finitur in mortẽ
repen.

repentinam, cum symptomatis similibus, ijs quæ ex veneno. Quoniam vero non solum respiratio obscura, sed innumera alia mala sequi consueuerunt, tam à tabe quàm ab uterino morbo, addit, & quæcunque alia huiusmodi ab eadem constitutione.

- 14 **T**abescentibus autumnus malus: malum autē & verum cum sunt fici folia pedibus cornicis similia.

AUTUMNVS malum est tabescentibus, ob intemperie ficcam, & caloris ac frigoris diuersitatem magnam, & facultatum omnium languorem. Est autem malus, & quod eo tempore plurimi tabescunt, ex morbis æstiuales male conualescentes, & quod ij qui superiori tempore tabuerant, eo tempore solent mori, vt dicitur secundo libro prothetorum. Ver non ita videtur esse posse malum, siquidem est saluberrimum, ac minimè lethale, vt sectione prima libri secundi dictum est: est tamen etiam quodammodo malum tabescentibus, non tam quòd eo tempore moriantur, quam quòd tabescendi initium multi eo tempore accipiant, ob hæmoptoycam passionem, quæ veri est familiaris, & ob destillationes quas pariunt humorum redundantia, & multi venti. In vere solere ficus præferre folia similia pedibus cornicis, constat: atque ea verba nihil continere aliud, quàm veris descriptionem.

- 15 **I**N Perintho vero plurimi. Causa tussis hyemalis in populum grassata, & alijs quæcunque diuturna. Et enim ambigus confirmata sunt. Est autem quibus chronicis non fiebat, velut dolores renum habentibus, sed & quibusdam alijs. Cuiusmodi homo ille, ad quem cyniscus me induxit.

HÆC oratio ex proxima pendet, continetque exemplum quoddam, eius quod vniuersim dictum est, puta verum esse malum tabescentibus. Dixit igitur in Perintho, vere plurimos factos esse tabidos, causam verò fuisse tussim, quæ

quæ hyeme in populum grassata est, & alijs quæcunque diu-
turna erant desisse in tabem & ambiguis confirmata esse,
hoc est in illis in quibus ambigebatur an tabescerentur, cõ-
firmatam esse suspicionem, factis apertè tabidis. Quibusdã
verò cronicis non ita accidisse, neque factam esse tabem,
velut dolores renum habentibus, & quibusdam alijs, cu-
iusmodi homo quidam ad quem cyniscus eum induxerat:
qui scilicet cum diuturno morbo teneretur, non est factus
tabidus. Cronica vocat modo, quæcunque solent homines
diu pati, velut asthma, & hæmoptoycam passionem, & ce-
phaleam, & renum dolores antiquos, & alia huiusmodi,
quibus valetudinarij homines solent continenter, aut cre-
bro, molestari. Dicit itaque hyemem fuisse tussiculosam,
& sequenti vere multos eorum, qui tussi diuturna labora-
uerant, & qui alioqui erant morbosi, & macilentos, qui du-
bitabatur an tabescerent, factos esse tabidos. Euasisse verò
tabem, eos qui dolore renum diuturno vexabantur, & pau-
cos quosdam aliorum. Nimirum sæpe, qui renum malo
diuturno, aut coxæ, aut podagra, aut hæmorrhoydibus,
aut aliquopiam tali tenentur, ob hæc ab acutis morbis, &
alijs periculis liberantur. Verum quoniam non narrat qua-
lis fuerit eius anni temperies, haud potest magna hinc vti-
litas accedere.

Dolorum in lateribus, & pectore, & alijs partibus,
tempora æ multum differant considerandum, quo-
niam cum melius habuerint, statim deterius habebunt,
non errantes.

PERTINET hæc oratio ad aphorismum illum secun-
dæ sectionis, quo dicitur, ijs quæ non secundum rationem
leuant, non oportet fidere, neque admodum timere ea quæ
praua fiunt præter rationem, plurima enim talium incon-
stantia sunt, & non valde permanere, neque morari solent.
Vnum quiddam, eorum quæ maximè indicare possunt, bo-
na aut mala præter rationem esse, est ipsa mutatio tempo-
rum morbi, quæ plurimum dissideant, & plusquam ratio
postulet. Nam si ij qui dolore lateris, aut pectoris, aut alte-
rius partis, aut denique alio morbo (nam eadem est om-
nium

nium ratio) plurimum vexabantur, repentè, sequenti die, aut hora, videntur subleuati, ita vt illæ morbi partes multum differant, plusque quam ratio ferat, fiendum non est, quia cum melius habuerint, statim deterius habebunt, non errantes, id est etsi nullum erratum committant in victu. Hanc eandem sententiam continet aphorismus quintus sectionis sextæ, etsi paucioribus verbis, in cuius commentatione, hæc quoque enarrata mihi est, etsi non omnino eodem modo. Neque mireris, multa enim, eaque vera, ac consona sensa ferunt, grauis imæ Hippoc. sententiæ.

Sectio octaua.

1 **I**N longis dysenterijs cibi fastidium, malum: & alias, atque si superfebrerint:

Hic quoque est aphorismus tertius sectionis sextæ, verbis quam minimum mutatis. Solum enim, quod hic dicitur, & alias, atque si superfebrerint, illic explicatur magis, diciturque, si autem cum febre deterius. Explicatum verò mihi est in commentario intelligi, non quidem ipsum fastidium cum febre esse deterius quam sine febre, sed fastidium & febrem grauius malum esse, quam fastidium solum. Sed euenit hoc loco dubitare, quomodo fastidium à longa dysenteria malum, si vt dicitur primo de morbis, & aphorismo decimo quinto eiusdem sectionis, à longa diarrhæa vomitum fieri, bonum est? Videtur enim diarrhæa cum dysenteria, & vomitus cum fastidio, habere analogiam. Certè & diarrhæa à dysenteria, & vomitus à fastidio dissidet multum. Nam per dysenteriam, præter fluxionem, est iam in intestinis exulceratio, & fastidium, vacuatio nõ est, vt vomitus, sed accidens quoddam, corrupta iam facultate, sup veniens, vel alteratione ventriculo communicata. Vomitus verò a diarrhæa reuulsio naturalis.

2 **V**Lcera circum glabra mala.

Hic

Hic est aphorismus quartus sectionis sextæ, eodem ibi ordine post proximam orationem, quo hic, scriptus, & a me enarratus.

Lumbos dolenti recursus in latus, & tubercula quæ seps vocatur.

SEPS tabifici cuiusdam serpentis nomen est, datur verò etiam id nomen tuberculis, cum putridis & saniosis vlceribus obortis. Duo itaque dicit quæ lumborum dolori (intellige diurno & magno) succedere solent, recursus in latus, & tubercula saniosa. Rectè verò dicit recursus in latus, fit enim materia sursum recurrente, contra ac per bonos abscessus fieri solet. Laudauerat enim libro secundo sect. prima, abscessus infra morbos, velut varices, & lumborum grauitates ex supernis. Ergo ex lateris dolore lumborum dolor, & ex hoc varices, aut tale aliquid in cruribus, viliter fieret, ex lumborum autem dolore dolor lateris perperam fit, & contra ac expedit. Fiunt tamen etiam abscessus prauis, eisdem vijs quibus boni, ex contrarijs contraria. Velut quia surditas, alui pro fluuiio soluitur, ab alui suppressione surditas dèr timeri, vt dicitur vigesimo octauo aphorismo quartæ sectionis. Ita quia lateris dolor vtiliter solet in dolorem lumborum desinere, a lumborum dolore timeri debet dolor lateris. Tubercula saniosa non tã videtur fieri ob loci patientis naturam, quam ob naturam materiæ: quæ scilicet, fit cruor aliquis atrabiliaris, & saniosus. Verùm quia in humiles partes corporis sanguinis fæces solent residere, fit sæpe vt graues lumborum dolores, ex tali quapiam materia fiant, quali hæmorrhoides, & varices, & tubercula quædam crurum canerosa, quæ nonnunquam vlcerantur, atq; ita non raro ex graui dolore lumborum, dictorum aliquid fit, in quibus sunt tubercula illa saniosa. Ita Hippocrat. narrat duos abscessus, alterum, ob contrarium motum ei quem abscessus amant, inutilem, alterum ob materiæ malignitatem, laboriosum, etsi locus nō sit incommodus. Nam tametsi Hippocrat. locum tuberculorum nullū nominet, ego ea quæ in ipsis operibus fieri solēt aî aduertēs, intelligo cum de tuberculis talibus in cruribus obortis loq.

Renuntio

4 **R**enum morbos non vidi curatos ultra quinquagesimum annum.

HÆC sententia pertinet ad aphorismum sextum sectionis sextæ: quo ita habetur, Vicia renum, & omnes circa vesicam dolores, difficilè sanantur senioribus: hoc idem nunc docetur: præterquam quòd dolorum vesicæ non meminit, ut illic, sed morborum renum solum. Dictum verò mihi sæpe iam est a principio, longè aliam rationem scribendi tenuisse Hippocrat. in hoc opere, atque in aphorismis. Hoc enim composuit, scribens obseruationes & experimenta, librum verò aphorismorum, scribens generatim præceptiones, quas ex obseruationibus multis dabatur colligere. quoniam ergo dum captaret experimenta, nullum renum morbum vidit curatum ultra quinquagesimum annum, assertionem illam aphoristicam collegit, vicia renum senibus difficile curari. Constat verò hoc de diuturnis renum vitijs intelligi, velut imprimis de lithiasi, atque de perfecta curatione, ita ut malum nunquam amplius reuertetur. Nam ex renum dolore, subleuari in satis multos dies, eneit sæpe senibus, reiecto lapide. non ita tamen ut non maneat in renibus ad similem morbum apparatus. Intelligi etiam velim, citra permutationem Nam succedente stranguria, aut podagra, solui solet morbus renum, etiam senibus. Atque Hippocrates arbitror, id viderit. Neque enim est adeo rarum.

5 **Q**uæ in somnis exacerbantur, & quibus externa res ingerantur, & mens perturbatur, & alia quæcumque iuxta somnum talia, & quibus contraria.

Nihil aliud continent verba hæc, quam quod aphorismo primo sectionis secundæ, his dictum est. In quo morbo somnus laborem facit, mortale: si autem somnus iuuerit, non mortale, qui à me suo loco enarratus est, ita ut ad præsentis orationis enarrationem nihil desideretur.

Quibus

6 **Q**uibus autem nihil intra constitutum tempus accedit, singulis partus vitales fiunt. Apparentia in quibus mensibus fiunt. Labores in cunctibus, quod in septem mouetur, in triplicitate perficitur, & quod in nouem mouetur, in triplicitate perficitur. Et quod post muliebria aliquando dextra, aliquando sinistra hiant. Humiditas per exeuntia victus ratione sicca. Quod autem citius discretum & motum statim, augetur tardius. In longius autem tempus labores, tertio, quinto, septimo, nono mense, secundo, quarto, octauo, quæ ex parua tabula consideranda.

Hæc omnia occurrerunt iam antea, non longe a fine sectionis tertiæ libri secundi, in multas orationes facta, non nihil diuersæ, quanquam quicumque vtrumque locum leget, intelligit luce clarius, autorem idem prorsus voluisse scribere hic & illic, quinetiam fortasse altero tantum loco, esse hæc ab illo scripta (quorsum enim eadem verba repperentur) sed ab aliquo malè compilante Hippocra. chartas, esse geminata. Neque mirum corrupta esse hæc, & multis modis permutata, vt & alia quamplurima huius autoris, in tanta vetustate. In cæteris quidem quam minimum dissident duo hæc loca: plurimum autem in vltimis his verbis, in longius autem tempus, labores tertio, quinto, septimo, nono mense, secundo, quarto, octauo. Nam illic illud in longius tempus coniungebatur cum prioribus, postea verò legebatur. Labores circa tertium diem supra quinquaginta, & sextum supra centum: menstrualis secundo & quarto, quæ nouisse oportet ad septimestrem partum. Quoniam verò eam lectionem probavi, neque, quam eo loco scripsi, horum verborum enarratio displicet, non est quod nunc dicam aliud, quam censere, vt hic locus secundum illum restitatur, puteturque perinde, ac si hic nihil esset scriptum.

7 **V**ictus constat repletionem & inanitionem ciborum, & potuum. Mutationes horum qualia ex qualibus, vt habeant.

DE

DE ratione victus scripta sunt ab Hippocrat. multa, cū in operibus non paucis, ei solum tractationi destinatis, tum etiam sparsim in alijs omnibus, atque adeò gloriatur se hac medicinæ parte priores medicos superasse, quòd illi de victu ægrotantium perperam tractauerint, de victu sanorum omnino non egerint. Plurimi itaque facit rationem victus, neque immerito, magni enim est momenti, & in curandis morbis, & in tuenda valetudine. Dicitur nomen victus de commodatione omnium rerum non naturalium, peculiariter verò cibi & potus. Ob id de his agit hac oratione, alijs quæ mox sequuntur aget de alijs rebus externis, quas oportet medicum moderari: agit verò de eis omnibus adeo breuiter, vt duorum alterum videatur, aut scripsisse hæc sibi soli, memorix gratia, dilatanda alibi, & vt hinc acciperet materiam alijs libris componendis: aut facere velut epilogum multorum, quæ alibi dicta sunt. Victus itaq; constat peculiariter, ijs quæ ore accipiuntur. Quorum duo sunt genera, cibus & potus, quæ alibi vocat, alimentum humidum & alimentum siccum. Est autem potus, seu alimentum humidum, duplex, quoddam enim est potio nutriens, quoddam tantum potus: vnde oriuntur tres differentiz, de quibus exactè differit lib. de ratione victus in acutis, cibus, sorbitio, & potus. Victus qui his constat, primas differentias accipit ex quantitate ingestorum, ex repletione inquam aut inanitione, hoc est adiectione aut detractioe, vnde fit victus, crassus, aut tenuis, aut moderatus. Horum mutationes dicit considerari debere, qualia ex qualibus vt habeat, hoc est, qui & quando debeant potu pro cibo vti, aut contra à potione ad sorbitionem, aut ab hac ad cibos crassos transferri, & omnino à victu crasso in tenuem, aut a tenui in crassum, & quomodo id agendum, an procedendum detrahendo an adijciendo. Huc spectant omnia quæ in libris de ratione victus disputata sunt aduersus medicos eguido, & quæ prima particula aphorismorum, & alibi, quæ omnia nunc repetere esset longum, neque admodum vtile, cū sint suis locis satis explicata.

8 **O**dores delectantes, molestiam inferentes, placantes, mutationes ex qualitatibus quomodo habent.

ODORES

3 **O**dores delectantes, molestiam inferentes, placantes, mutationes ex qualitatibus quomodo habent.

ODORES etiam ponit Hippocrates in victus materia libello de alimento, vt & in aphorismis, & alibi dicens. Quicunq; veloci appositione indigent, ijs humidum ad reficiendas vires optimum est. Quicunq; verò adhuc velociori indigent, per olfactum. Eorum nunc refert differentias, & præcipit considerare, vt fieri debeant mutationes. Odorum per paucas differentias agnoscunt homines, vt Aristot. dicit, atque ob id de bono aut malo, seu grato, & ingrato odore solum loquuntur. Boni odores sunt duplices quidam iucunditatem solum præferunt, sine vlla alimenti qualitate, aut saporis significatione, vt odor musci, galie, & ambrae (his odorib. solos homines delectari putat Aristoteles. Haud scio an id possit indicare) quidam alij sunt propriè, odores ciborum, vt carniū, & recentis panis. Primos odores vocat Aristoteles delectantes, secundos replentes. Quia primi delectant magis quam nutriant, secundi nutriunt potius. Hinc fit vt primi odores sint iucundi saturis, secundi non nisi famelicis. Horum vtriq; sunt placantes, hoc est, sedantes anxietates, & multas animi inquietudines. Multæ enim nascuntur ex debilitate, aut ex qualitate aliqua maligna interius genitarum fuliginum, quas odores, aut nutrientes aut iucundi, placant. Alij verò sunt odores ingrati, aut molestiam inferentes. Quorum etiam video esse duplex genus, quidam enim sunt foetores putidi, quales stercoreis, aut saniei, & tales semper nascuntur à putredine: alij odores molesti, qui, citrà omnem putrescentiam rebus quibusdam naturales sunt, vt galbano & bitumini. In his quoque iubet considerare, mutationes quomodo fieri debeant, sæpe enim expedit voluptatis gratia vt delectantibus ac nonnunquam gratia refectionis pro eis vt replentibus, quin etiam, pro placantibus oportet aliquando vt molestiam inferentibus. Velut si censens mulierem animo linqui admoneas illius naribus odores delectantes, aut replentes, videasque illam ob id magis suffocari,

suffocari, intelliges morbum esse vteri præfocationem, & commutabis cum molestiam inferentibus. Quia odores grati sunt placantes, placatis autem cerebro & reliqua respiratione, suffocatur multo magis mulier: contra inferentes molestiam, irritant, & excitant cerebrum, & respiratio nem augent, & excuti faciunt morbi causam citius. Igitur oportet scias odorum species commutare, & qualibus vti debeas in quacunque occasione.

9 **I**rruentes, ingredientes, & egredientes spiritus, aut etiã corpora.

EXTERNA etiam spectant ad victũ, vt dixi, ob id post ea quæ intra corpus assumuntur, externorum, quæ contactu lædunt aut proflunt, mentionem facit. Irruentes spiritus vocat ventos, illi enim irruunt in nos: aer vero quiens nos circumstat. Ingressus & egressus horum iubet curam gerere. Non certè exigua pars medici muneris est, curare vt ingressum & egressum habeat aer, quantum, quando, & qua parte oportet, in domum, quam inhabites sanus, aut in qua decumbas ægrotus: idq; iuxta naturam morbi, & qualitatem venti considerandum. Nam ad pleuriticum nõ ad mittes boream, neque ad pestilenti febre occupatũ, austrũ Porro cui sudores ciere, aut copiosam euacuationem in senfilem velles, concludes cubiculum, cui velles attemperatorem moliri, aperies, vt pateat vento introitus & exitus. Neque solum ventos considerare iubet, sed etiam corpora, hoc est, res alias omnes quæcunque corpus possint tangere, denique res omnes exterius accedentes. Vocat vero corpora ad differentiam ventorum, quasi venti corpora non sint, iuxta eam phrasim qua Arist. in physica doctrina dicit aerem esse incorporeum, quia tenuem.

10 **S**ermones qui audiuntur meliores: quidam autem contristantes.

CURARE debere medicum, vt apud ægrotum habeas semper sermones meliores, & non qui contristent, dicitur.

Etum est antea sectione secunda huius sexti libri his verbis. Circa ægrotantem æconomia, & quæ in morbum interrogationes, quæ narrat, qualia, vt accipiendi sermones, quæ ad ægrotantem, quæ ad assistentes.

11 *ET lingua, qualia ex qualibus adsciscat.*

LINGVA, vt dictum est sectione quinta, significat vt lotium. Chloræ quidem à bile: rubra à sanguine: nigra à melancholia: causa est, vt in commentario eius loci explicuimus, quod lingua allicit ad sese, seu excipit ab interno corpore fuligines, succorum qui redundant. Itaque à qualicunque excremento allicit fuligines illud referentes. Si igitur volles significationes accipere à lingua, scire debes qualia ex qualibus adsciscat. Nimirum adsciscit, ex biliosis flaua aut chloræ, ex sanguine rubra, ex pituita, alba, ex melancholia, nigra.

12 *Spiritus, tanta caliditas, frigiditas, crassities, tenuitas, siccitas, humiditas, replens plus & minus: à quibus mutationes quales ex qualibus, vt habeant.*

AEREM qui nos circumstat, vocat nunc spiritum, à quo magis ac facilius, quam ab vlla alia re, nostra corpora alterantur, quia & vndique nos continet, & intra in ipsum cor continenter assumitur. Ob id maximè sunt obseruandæ aeris mutationes, procurandæque vtiles, & cauendæ noxiæ. Nam, vt antea diximus, morbos longos, & quos nulla alia causa curare potest, aeris sola mutatio sanare solet. Repentinæ autem temporum mutationes (mutatur vero aer, secundum anni tempora & regiones) maxime pariunt morbos, vt dicitur in aphorismo, & per aeris infectionem transmittunt omnes contagiones. Considerandum ergo ab aeris differentijs mutationes, quales ex qualibus vt habeant, id est, quales mutationes sint bonæ, & quales malæ. Id vero scire nequit, nisi qui sciat prius, quæ sint aeris qualitates à quibus differentias potest accipere. Eæ sunt caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, crassities & tenuitas, & replens

plus, aut minus. Esse tempestatem tempestate & regionem regione calidiorem aut frigidior, & humidior aut ficiorem, res est notissima, sed & crassiori aut tenuiori aere frui, dicitur, alia quam alia regio, & minus aut plus replente, replente in quam capita, eorum qui in eo aere versantur. Quanquam hæ differentia videntur esse illis posteriores, & ab eis nasci. Tenuis enim aer est qui siccus & purus, velut qui in locis sublimibus, & quæ borea per flantur: crassus, qui humidus & impurus, ut qui in locis humilibus, & iuxta aquarum stagna. Et qui aer boreæ qualitates imitatur, frigidus, & siccus, & tenuis, & purus, hic minimè replet capita, sed pura reddit, & sensus acutiores, & ingeniosiores facit homines: qui contra, est calidus, humidus, crassus, & impurus, hic replet capita, & sensum parit hebetudinem, & homines ad disciplinas ineptos reddit.

13 **C**ontinentia, contenta, impetum facientia.

HÆ sunt tres substantiæ, quæ naturaliter in nostris corporibus sunt. Continentia sunt ipsæ partes: contenta, succi, seu humores: impetum facientia, spiritus. Qui duplices sunt, alij vitales qui in cordis sinistro ventriculo gignuntur, & in omnes partes impetu feruntur per arterias, & facultatis vitalis sunt instrumentum: alij animales, qui gignuntur in cerebri ventriculis, & in nervos irruunt, quosdam eorum totos penetrantes, alios quadantenus, & facultatis animalis sunt instrumentum. Horum monstraciones in libris physiologicis pluries scriptæ sunt a me, & multo antea a Galeno.

14 **V**erbis, silentio. Dicere quæ vult, verbis quibus dicit siue magni, siue multi, veri aut conficti.

IUBET Hippocrates medicum loqui & tacere ad gratiam ægotantis, & dicere quæ ille vult, & eis verbis quibus ille dici velit, siue opus sit magna, siue summissa voce uti, siue multis dicere, siue narrare vera, siue aliquid fingere. Quid ergo? Num hæc scurrilitas est? Nō certè. Non enim in assentationem, sed in utilitatem debent hæc tendere. Neq; n. dicendum est quod ægrotō obfit, etsi placeat, sed quod

quod ita placeat, vt etiam proficit, aut nō obfit. Pertinet hæc sententia ad illam sectionis quartæ, qua dicebatur; Laborantibus gratiæ: introitus, sermones: & ad illam quam nuper citauimus ex secunda sectione qua dicitur, circa egrotantem administratio, & de morbo interrogationes, quæ narrat, qualia, vt accipiendi sermones.

A Beuntia scire vnde cœperint, & vbi cessauerint, & quantum diuulsa sint, & colores, quib. aut calorem, aut falsedinem, aut dulcedinem, aut tenuitatem, aut crassitatem, equaliter, aut inæqualiter, corpus, tempus: mutationes quales ex quilibus habent.

Quæ oportet cōsiderare in euacuationib. quibuscumque hac oratione cōplexus est, imprimis vnde cœperint, & vbi cessauerint, hoc est, quantum productæ sint. Illud enim maximè exoptandum in euacuationibus, siue sponte, siue cum medicamēto factis, vt tēpestiuè incipiāt, & quousque oportet producātur, neq; cessantes prius, neq; procedentes vterius quam oporteat. Incipiūt autē tēpestiuè: spōtanæ, post signa concoctionis in die decretorio: nō spontanæ: a medicamēto alterato, hoc est, tanto post acceptū pharmacū, quantum, vt illud ad actū deducatur, videatur esse satis. Cessandi verò tēpus est, non ante perfectam, siue iudicationē, siue expurgationem, sed mox atq; perfectæ sunt. Vt neq; superpurgatio, neq; superflua iudicatio fit. Et quātum (inquit) diuulsa fiant, hoc est quātū intermiserint. Vocantur nunc diuulsa, siue deiectiones, siue vomitiones, siue deniq; euacuationes quascunq; eas quæ non continenter fiūt, sed intermissiones hēnt, & sunt intercissæ. Hoc quoq; ad earū multitudinem spectat. Nā quæ multos dies durauerint nullos interim intermittentes, multos magis prostrauerint vires, quā quæ intermiserint. Iubet deinde cōsiderare qualia sint quæ exeūt, plurimum enim refert scire, an qualia oportet purgentur. Huc pertinent colores, ij enim speciem succorum exeuntium maxime indicant: quā ob causam tam multa de deiectionū, & vrinarum, & sputorum coloribus, scripta sunt ab Hippocra. & Gal. & alijs omnibus medicinæ autoribus. Calorem quoq; cōsiderare iubet. Nā calor signifi-

cat bilis redundantiam, aut exustionem. Hunc verò debet sentire ipse ægrotus: non enim medicus debet excrementa tangere: atque multo minus gustare, vt sentiat falsedinem aut dulcedinem: quapropter duo hæc verba accipi hic debent metaphoricè, veluti sectione prima, vbi dicebatur, febres aliæ falsuginosæ. Illud enim falsuginosum dicebatur ad tactum, quod rodit tactum, velut à falsuginoso roditur gustus. Dicimus hoc modo vrinam exire, ijs qui eius ardore laborant, calidam & falsam, hoc est rodentem. Ita etiam sentit is qui deijcit, exire quiddam vrens, & rodens podicem. Dulcedo vero dicitur, quod huic contrarium, hoc est quod expers est mordentis, & rodentis qualitatis: tenuitatem etiam & crassitiam considerari debere, constat, cum ea sit insignis humorum, differentia, & ad morborum & curationum differentiam, plurimum valēs. Hæc omnia possunt accidere excrementis, æqualiter aut inæqualiter, idque corpus aut tempus, hoc est, secundum corpus, aut secundum tempus. Deiectio secundum corpus suum inæqualis est, cuius partes diuersæ sunt, secundum vnam aut plures dietarum qualitatum, vt variegata, aut alia parte crassa, alia tenuis: secundum tempus inæqualis est, quæ nunc habet hoc nunc illud: vt quæ semper habet eodem modo est æqualis. Quam æqualitatem in prognostico exposuit, dicens æqualis per totum tempus, donec iudicatus fuerit morbus. Postremo considerari iubet mutationes quales, ex quibus habeat hoc est, vt habeat, quæque bonæ quæ malæ mutationes sint. Nam vt dicitur in aphorismo, mutationes excrementorum iuuant nisi ad mala mutatio fiat. Itaque sunt mutationes ad bonum & ad malum: quas agnoscere, & considerare, oportet.

16 **I**ncepit eructationem, non obtinuit.

DICTA sunt, quæ spectant ad præcipuas & maximas euacuationes, vt ad deiectionem & vrinam. Nunc de quibusdam pusillis agit peculiariter, vt de ructu, & de lachrymis. In ructu illud dicit considerandum, an is qui eructare incipit obtineat, id est perficiat eructationem, an non, sed solum incipiat. Nimirum vt est quidam motus, per quem reijcitur quod in ventriculo continetur, siccum aut humidum, qui vocatur vomitus, & alius velut inchoatus tantum per quem

quem nihil rejicitur, quæ vocatur nausea: ita est quidam ructus, per quem rejicitur facile ex ventriculo aer, alius inani, ructus, & per quem incipit homo eructare, nihil tamen emit. Quod fit cum est flatus qui ventriculum irriter, non possit tamen expelli, velut nonnunquam etiam euenit in intestinis, quod flatus plurimum distendat intestina, neque diffundi, & extenuari a calore possit, vel quod expultrix debilis est. Quod in colicis sæpe fieri videmus. Ij enim torquentur vehementer, vsque dum possunt eructare, & pedere, interim verò neutrum possunt facere: cum vero possunt, subleuantur: vt etiam hypocondriaci cum eructant, si vero aggrediuntur incipiuntque eructare, non tamen obtinent, anguntur, & malè habent. Neque tamen solum hoc in eructatione considerandum, sed quanta etiam sit, vt an multa magnaque, an pauca & parua: & qualis, vt an nidorosa, an accida, an qualitatis expers. Nam longè diuersas præstant hæ differentie significationes. Multa enim & magna multum flatum: nidorosa calidam corruptionem: accida frigidam: qualitatis expers, flatus generationem sine corruptione. Putet aliquis non immerito hanc orationem partem esse narrationis alicuius longioris, pendereque ab alijs verbis quæ desiderentur, quandoquidem quasi de aliquo homine agatur, dicit, incepit eructationem non obtinuit. Vtunque hoc habeat, nihil refert. Nam incipere eructationem & non obtinere, significat quod dictum est.

Lachryma volenti, nolenti, multa, pauca, calida, frigida, crassities, sapor.

QVÆ in lachrymis considerata sunt continet hæc oratio, & ex quibus diuersæ nascuntur significationes: imprimis volenti an nolenti exeant, multum refert, quia vt in lib. primo huius operis comment. 2. dictum est, lachrymæ spontaneæ in salubriter affectis significant fluxum sanguinis, in alijs mortem. In prognostico etiam vitæ & mortis sponte exeutes, atque etiam in aphorismo. Multæ etiam an pauca sint, oportet considerare, siue spontaneæ sint, siue non spontaneæ. Si enim sint sponte exeutes, & multæ, deteriorem significationem præstant, quàm si pauca. Quamcumq;

enim malam causam indicent, eam indicant maiorem, si vero non sponte exeant, sed ob mœsticiam quis lachrymetur, copiosæ lachrymæ in bene valentibus, significant cerebri multam humiditatem: in ijs, qui sunt in acutorum morborum vigore, significant constantem facultatem. Qui sunt morti proximi non possunt lachrymari, aut non copiose. Frigidæ, & calidæ lachrymæ, vt recte censuit Aristot. sectione. trigesima prima problematum, easdem significaciones habent quas frigidus & calidus sudor. Nimirum, vt dixerat sectione quinta, lachryma sudor oculi est. Itaq; frigida, crudam humiditatem, calida concoctiorē significat. Hanc ob causam dicit Aristot. eo loco, lachrymas eorum qui ob mœrorē flent calidas esse, eorum verò qui ob morbos oculi, frigidas. Id quod de morbis pendentibus, ex crudis succis intellige. Nam sunt quidam morbi oculorum calidi, per quos destillant lachrymæ, vel vrentes. Verum vt caliditas tanta significat vstionem, ita naturalis significat concoctionem, & frigiditas cruditatem. Easdem habet significaciones tenuitas & crassities lachrymarum. Hæc enim concoctionem, & illa cruditatem indicat, vt & in vrina. Quandoquidem enim vrina & sudor ex eadem materia sunt, & lachryma sudor quidam est, profectò omnium horum tenuitas & crassities indicent eodem modo. Hanc ob causam lippa, vt Aristot. 4. meteororum est autor, concoctionis & maturitatis est nota, quia ex crassa fescetia, lachryma fit, crassitiem vero parit concoctio. Sapor quoque lachrymarum considerari iubet, quem sanè, is ipse qui lachrymatur, potest facillè sentire, cum defluit per genas. Naturalis earum sapor, vt Aristoteles loco citato ex quinta sectione problematum dicit, est salsus, vt & reliqui sudoris, & vrinæ. Induit tamen alios sapes iuxta speciem succi redundantis, amaritudinem quidem, ob biliosam cacochymiam: acciditatem ob melancholicam, ducedinem ob sanguinis redundantiam. Significant vero hæc lachrymæ in capite præcipuè.

18 **S**putum an per se excreat, an tussiendo reijciat.

MODVS excreationis, locum vnde exit indicat, quapropter ad loci male affecti notitiam plurimum confert. Nam ex thorace nihil exire potest nisi tussiendo, excreatur vero
 citra

etia tufsim, quod ex capite defluit, aut ex vetriculo regurgitat. Sputi conditiones & differentias omnes, in prognostico complexus est, vno capite.

19 **V**omitus.

VOMITUM etiam ponit inter euacuationes, quarum haberi ratio debet, differentias vero hic non scripsit, tantum monuit ne omitterentur. Scriptæ autem sunt diffuse satis in prognostico, & in vnum caput repositæ.

20 **S**olis æstus, frigus, irritatio, siccitas, mutatio per qualia ex qualibus, in qualia, vt habet.

De temporum mutationibus scripsit hæc, quas maxime morbos parere libro tertio aphorismorum dicit. Hæ sunt autem temporum conditiones præcipuæ, secundum quas euenit mutationes fieri: solis æstus, frigus vehemens, irrigatio, hoc est pluuiæ multæ, & siccitas, hoc est pluuiæ defectus. Nam aliæ conditiones quæ præter has considerantur, ad has etiam referuntur. Tempus enim quò ningit, frigidum & humidum est, quò flatus sunt boreales, frigidum & siccum plerunque, vt cum austrinis plerunque calidum & humidum. Qui vero conditiones anni & temporum mutationes considerat, non solum consideret qualia fiant, sed etiam ex qualibus, neque solum hoc, sed etiam per qualia. Multum enim refert, vt hi aut illi morbi fiant. Velut si transeat ab hyeme sicca, & aquilonari, in æstatem calidam & siccam, per ver pluuiosum & australe, fiens in æstate febres acutæ, & lippitudines, & dysenteria. Si vero contra, ab hyeme australi, & pluuiosa transfiretur in æstatem, per ver siccum & aquilonare, fierent minus malignæ febres, abortirét tamen mulieres. Si vero ab hyeme australi, & pluuiosa transfiretur in æstiuum calorem, per ver etiam bladum, longe periculosior esset annus, & malignæ febres, quia hyemis humiditatem, veris flatus aquilonares emendant, faciuntque ne calor tantam excipiat humiditatem, & acutæ illæ febres, quæ fiunt, cum ex hyeme sicca & aquilonari

Ionari transitur in æstatem, per ver austrinum & pluuiosum, multo magis fierent, si hyems etiam fuisset blanda & veri similis: atque minus etiam, si æstas nõ superueniret calida, sed a multis ventis perflaretur: itaque refert plurimũ in qualia, & ex qualibus, & per qualia, mutationes fiant. Vt in qualem æstatem, ex quali hyeme, per quale ver: & quodcunque horum, differentia alicuius, morborum qui superueniunt, causa est. Eadem autẽ est ratio considerandi aliorum temporum mutationes, vt ex quali æstate, per qualem autumnum, in qualem transeat hyemem. Nam ita etiam dicitur in alio aphorismo. Si verò æstas sicca fiat & aquilonaris: autumnus autem pluuiosus & australis, capitis dolores ad hyemem fiunt.

21 **L**abores, ocia, somni, vigiliae, insomnia quae in somno, cubilia & in quibus, & ex quibus.

MODERARI oportet medicum labores & ocia: somnos & vigilias, maxima enim pars est hæc artis tuendi valetudinem, & curandi morbos: considerare etiam debet insomnia. Quantum enim conferat ea consideratio ad prædictionem in morbis, dixi ego in commẽtario prognostici, sed & ab Hippocrate Galeno, Aristotele, & Theophrasto licet id discere, qui omnes de præfagatione ex insomnijs scripserunt, præter alios quosdam neotericorum, qui etiam scripserunt de eo argumento. Cubilia quoque docet videre, in quibus debeat ægrotus decumbere, & ex quibus in quæ mutantur. Quidam contemplantur diligenter cubilis positum, an spectet caput decumbentis ad meridiem, an ad septentrionem, an ad orientem, & de his superstitiosa quædam loquuntur, & difficilem somnum, insomnia, aut inquietudinem, in tales referunt mutationes. Verũ hæc omnia vana sunt, & vulgaria. Ego cubilis positum non ad coeli, sed ad cubiculi angulos, & fenestras ac ianuas, & vt antea dicebatur, ad irruentium spirituum ingressum & egressum, velim eligi. Verum cubili rectè locato, in obscuro aut claro loco, vt cuiusque fert consuetudo, aut morbus, ex videntur differentia esse, sublime esse cervical aut demissum, molle esse cubile aut durum. In quibus eligendis,

dis, consuetudo est facienda maximè, quo ægrotus decumbat sine dolore. Non contempsisse autem Hippocratem hæc minutula, intelliges ex ijs quæ secundo de ratione victus in morbis acutis, his verbis scripsit. Nam & lectus præter morem mollis dolorem inducit, itemque præter consuetudinem durus, sed etsi sub dio præter morem lectus steratur, corpus indurat. Considerandum ergo in quibus & ex quibus. Si enim quis sub dio consuevit in solo decumbere, lædatur in valde concluso loco & molli lecto, atque hic si ægrotet, rectius feceris, iubens decumbere in duro cubili, & loco qui plurimum ventiletur, quia alioqui dolebit, angetur, neque dormire poterit: is vero qui assueuerit mollissimo lecto, in reconditissimo loco, non poterit sine periculo dormire sub dio, quia durabitur & densabitur eius corpus, unde, ventilatione prohibita, graues morbi fient.

Mentis cogitatio ipsa secundum se ipsam sine organis & rebus, mæret, gaudet, & terretur, & confidit, & sperat, & desperat. Velut Hippothoi puella, in animo sciebat perse ipsam, quæ in morbo fiebant.

VIDETUR hæc oratio multorum mirabilium problematum causam continere & pendere ex philosophica contemplatione. Nam si mentis cogitatio, seu mens ipsa quæ cogitat, perse ipsam moueri potest, sine rebus, hoc est sine externis obiectis, facile intelligi potest causa diuinationis simpliciter, & eius quæ accipitur ex insomnijs. Nimirum si mens perse mouetur, perinde intelligere possit, atque si à corporis vinculis absoluta, libere vagaretur, quare cognoscere possit, tum quæ alibi agantur, tum quæ intra proprium corpus, etiam si nullis externis sensibus sint obiecta. Velut inquit accidisse Hippothoi puellæ: quæ in animo, id est, non per externos sensus, per se ipsam, hoc est, nullo illi narrante, sciebat quæ in morbo fiebant, vt fortasse partem internam, quæ male esset affecta, & eius affectionem. Multa huiusmodi narrant Hippocrates, Galenus, Aristoteles, & Theophrastus, libellis de præfagatione ex insomnijs. Conceduntque hi omnes, videri animam multa vaticinando dicere.

NARRA.

Narrantur etiam ob omnibus quamplurima, & ad me non nulla delata sunt, à viris non contemnendæ autoritatis ad diuinationem pertinentia. Quæ sanè omnia motus esse videtur animæ ipsius perse, non ex corporalibus incipiens instrumentis, neq; ex obiectis rebus. Siquidem dicunt, quæ neq; vident, neq; audiunt, neq; vlllo alio sensu percipiunt. Pendet autem quod hic dicitur ex philosophica contemplatione, quia quibus placet Platonis de anima sententia: hominem præcipuè esse ipsam animam, eamque esse intra corpus, & illi vinculis quibusdam alligatam, non vt corporis actum, sed vt externum quiddam, & superabile, & vt nautam in naue, aut moderatorem vrbe. Denique ipsam vti corpore, vt re quadam extra suam substantiam consistente, ij inquam, quibus hæc sententia placet, dicunt animam ipsam esse perse omnisciam seu omnium rerum gnaram (nihil enim denuò discere) immersam autem in corpore, & ei alligatam, vix posse quicquã cogitare, præter id quod ipsi sensus offerant: aliquando vero moueri etiã perse, & quædam contemplari: atq; hac in re homines quosdam alijs præstare, quod non omnium animæ sint æquæ vinculis illis ligatæ: sed aliæ plus alijs, ob diuersam corporum naturam. Velut in primis melancholicis corporibus censent minoribus vinculis alligatas esse animas: atque ob id horum multos, cum dormiendo, tum etiam vigilando, diuinare: quod scilicet animabus vt pote minus alligatis liceat vagari magis. Hanc dicunt esse causam qua dormiendo magis quàm vigilando diuinetur, quod, scilicet mēs minus ab externis sensibilibus interturbetur, quominus perse moueri possit, & in ea quæ longe absunt, ferri. Multa huiusmodi dicunt Platonici, quibus facilis est huius orationis interpretatio. Quibus vero sententiã veriorẽ hac in parte certum est sequi, hominem scilicet constare corpore & anima, atq; hanc etsi separabilis sit, separatam tamen imperfectũ quiddam esse, & alterius partis indignũ, quod naturalis quidam actus corporis sit, non concedent posse animã dum hoc corpore continetur, seu, vt dicam melius, dũ hoc corpus continet, posse quidpiã agere sine corpore nam ne ipsum quidẽ intelligere, secundum quod separabilis esse cognoscitur, potest agi sine phantasmatis corporalibus: nedũ timere, gaudere, sperare, & desperare, q̄ ad cordis vim

vim, spectant. Hi de diuinatione aliter sentiunt. Duplicem scilicet esse præfensionem, alteram naturalem, quæ fuit ex naturalibus quibusdam signis: alteram diuinam. Signa rursum naturalia, quædam esse extra nos, quædam intra, atque adeo ex externis præfentiri externa aut interna: & ex internis interna aut externa. Ex externis externa: vt agricolæ ex vento qui flat, præfentiunt pluuiam, aut ex auium volatu, aut coeli facie: Ex externis interna vt medicus ex coeli statu, præfentit futuros morbos: Ex internis externa, vt podagricus, aut hernia laborans, ex doloribus præfentit pluuiam: Ex internis interna, vt ex dolore partis, futurum in eam abscessum. Pertinet itaque ad hanc naturalem præfensionem astrologia iudiciaria si quæ est, & medicinæ pars prognostica, cuius vna quædam pars est (vt in commentario prognostici Hippocratis indicaui) quæ vitur insomnijs. Fit enim etiam hæc naturaliter, neque anima quidem seorsum (neque enim potest) sed simul cū corpore sentiente. Proponatur enim nobis gratia exempli is quem Galenus narrat somniasse, crus sibi factum esse lapideum, quod citissime illi resolutum est: allegorice itaque præmonstrauit anima resoluendum crus, dicens esse factum lapideum. Nunquid anima cum sese colligit ab externis spectæulis, quibus, cum vigilaret homo, detinebatur, perlustrat proprium corpus, videtque, quæ interius aguntur, & quæ vult declarat, nunc apertè, nunc allegorijis vtens poetarum modo? Non sanè. Nam hoc ipsum poeticum est, & insomnio simile. Sed oportet hic meminisse, indicatum mihi alibi esse, imaginandi vim & si in cerebro vigeat, non tamen in eo solum contineri, sed inseparabilem esse à sensu, atque ob id in omni parte sentiente esse. Cum igitur sensu prædictæ in nobis sint, non minus internæ partes, quam quæ ad cutem sunt, euenit, vt cessantibus motibus sensuum, qui inter vigilandum, ab externis rebus cientur, quibus animus occupatur, quominus motus minores animaduertat, sentiât partes internæ, suas ab internis causis passiones, cū imaginatione quadam, atque ea imaginatio insomnium est. Cū igitur passionem distinctè sentit, distinctè etiam imaginatur, atque tunc apertè somniat quid patiat, vt fortasse puellæ Hippothoi euenit: cum autè nō sentit distinctè, imaginatur quasi similem quandam passionem, & inde nascitur allego-

allegoria. Plurima horum censendum est accidere dormientibus, quorum ob leuem imaginationem, non est exacte perrectis recordatio. Cum vero est passio vehemens quæ cerebri excitat imaginationem, accidit somnij recordatio, & ab eo accipere significationem. Præsentio diuina, quæ verè talis est, nullam habet intra nos causam, neque ex ipsis sensibus accipit exordium: sed fit extrinsecus accedentibus phantasmatis, & spectris quibusdam oblatis ipsi animæ, à demone, siue bono siue malo. Est alia diuinitio vana, quæ vulgaribus & indoctis imponit, quasi vere habeat aliquid diuinitatis: ea verò nullam habet causam certam, sed calè & temere incidit, credulitas autem facit, vt quasi certum quippiam accipiatur. Euenit verò hoc ijs præcipuè hominibus, quibus imaginatio est facillima, ita autem voco eam, quæ vix vlla in re consistit, sed per omnia agitur temere: sunt tales homines plerunq; & loquaces, & hi ipsi, vix magis quam dormiunt sine insomnijs. Atque quod ipsis, seu somniantibus, seu tacitè imaginantibus aliquando euenit, simile est ei quod loquentibus. Nimirum, vt quia loquaces sunt temere loquuntur quædam, quæ cum postea eueniunt, videntur recordantibus cum quodam omine esse prolata, ita imaginantur & somniant quædam, quæ qui hæc minus intelligunt, putant referenda in numen. Res autem habet vt dixi. Quare solum superest, vt præscripta oratio iuxta probabiliorem de anima sententiam explicetur. Mentis cogitatio (inquit) ipsa secundum se ipsam, sine organis, & rebus moeret gaudet, & terretur, & confidit, & sperat, & desperat. Hoc est, cogitatio ipsa perse, sine organis, hoc est sine sensibus externis, & sine rebus, hoc est sine vllis externis obiectis, causa est vt homo moereat, gaudeat. Et alijs quibusvis animi motibus moueatur. Nimirum vt accidit melancholicis, qui non minus moerent & timent, nulla re tristi aut terribili sensibus externis occurrète, quam similitæ tales occurrerent. Et hinc fit vt multi somniantes, aut alioqui cogitabundi, omnia quæ ipsis per morbos sunt agnoscant, anima ipsa velut præfagiente. Quod Hippothoi puellæ accidit.

²³ **A** *Etatem quidem ab ætate, atque an prius an posterius quàm conueniat, dentium eruptiones, pilorum ortus,*

semen plus & minus, incrementum, crassities, potentia, minutio.

NOTAS quibus ætates ab ætatibus distinguntur, continet hæc oratio, quas accipit Hippocrates ab ijs quæ in quibusdam vitæ articulis contingunt, cuiusmodi præcipuè sunt, dentium eruptiones, ortus pilorum, in quibus sunt, coma, barba, & pubes, & semen, quod plus aut minus redundat, adolescentibus, & iuuenibus, cum quo ferè & barba & pubes incipiunt. Merito autem dicit Hippocrates hæc distinguere ætatem ab ætate. Non enim definiendæ sunt medicis, vt grammaticis, ætates annorum numero, sed mutationibus temperamenti, quas mutationes consequuntur signa illius modi: atque ob temperamenti differentiam illa ipsa, fiunt quibusdam prius & posterius. Nimirum differentia temperamenti causa est, vt neque æque viuaces sint omnes, neque æquales habeant ætates. Considerare iubet, an hæc aut horum quiduis fiat, prius aut posterius, quàm conueniat. Conueniens esse dicitur omni in re quod mediocre, & ad id dicitur quod plus aut minus. Velut nunc est quoddã tẽpus dentitionis, non idẽ omnibus, sed mediocribus, septimus mensis vt dẽtitio incipiat, septimus annus vt dẽtitũ cõmutatio perficiatur: si cui ante id tẽpus incipit aut perficitur, id dicitur fieri prius quàm conueniat: vt si post fiat, dicetur posterius quàm cõueniat fieri. Pubes etiã & lanugo oriri incipit anno quatuordecimo, vt & semen emitte. Quòd prius aut posterius fit, prius aut posterius quam conueniat, fit. Id verò considerare expedit. Quia non parũ confert, ad agnoscendum temperamentum hominis. Quibus enim dentes citius solito oriuntur, calidiores sunt & humidiores: quia calor vim agendi habet, & in humidis abundat materia: quibus tardius, sunt frigidi & sicci, contrarias ob causas, aut alioqui debilem habent facultatem naturalem: impotentia enim quædam est. Seminis etiam præcox redundantia, indicat temperamentum calidum & humidum. Nam illa est redundantia boni alimenti. Contrarium est ex contrarijs causis. Pubes etiam & barba redundans, & prius quàm expediat orta, caloris est, sed non perinde humiditatis, quia fuligo cum sit ex qua pili accipiunt

piunt materiam, calidis etiam & siccis, ac proinde biliosis, accidit: tardius fieri, est frigiditatis, ut cunque habeat altera qualitas. Nam & frigidi & humidi, & frigidi & sicci, serius pubescunt. His dictis enumerationem facit Hippocrates ætatum omnium. In quatuor eas omnes distribuens, quas his quatuor nominibus significauit, incrementum, crassities, potentia, diminutio. Incremēti nomine intelligit pueritiam, & adolescentiam, denique id quod vsque ad iuuentutem est, quæ ferè vigesimo quinto anno incipit: crassitiem vocat iuuentutem totam, quæ vsque ad trigessimum quintum producit: potentiam tempus consistendi reliquum vitæ est diminutio, & senium. Nimirum vsque ad iuuentutem crescunt in longum corpora, quantum possunt, tota iuuentute crassescunt, & corpulentiora fiunt: consistendi tempore stant, corporis molem nullatenus amittentia, ac neque vires insigniter: iam inde minuuntur omnia & corpora inquam, & vires. Hæc oratio in omnibus codicibus, tam græcis quam latinis, habet verba quædam alia interiecta, quæ ineptam, & inconcinnam reddunt sententiam, ego censui expungenda, & hoc modo restituendam lectionem.

24 **Q** *Uod cognatum, & quod perse, & quanto magis aut minus.*

IN morbis oportet considerare quod cognatum, & quod perse, hoc est, quæ pars laboret perse ac primario, & quæ per consensum. Vocat verò quod per consensum laborat, cognatum, quia causa sympathiæ communitio quædam naturalis partium est, velut os ventriculi & caput ob communes neruos, uterus & mammæ ob communes venas, sese trahunt mutuò in compassionem. Refert verò quam plurimum ad rectè suscipiendam curationem, an pars laboret perse an per consensum, & quanto magis aut minus: nimirum hoc ipsum laborare per consensum aut propriam passionem, recipit magis aut minus. Quædam enim sympathiæ sunt, per quas omnino nihil passionis proprie est in parte: ut cum parstantum priuatur, velut oculus, si neruus opticus obstructus sit: alia quæ habent aliquid exiguum

guum verò, & sine primaria passione non valens persistere, ut cum dolet caput ex ventriculo, & morbus nondum firmatus in capite est: aliæ etiam, quæ & si secundariæ sint passiones, & ab alijs fluxerint, abierunt tamen iam in passiones proprias, ut si firmatus iam in capite sit dolor, qui aliunde inceperit.

Anni tempus in quo & prius aut posterius, aut tempus in quo factum est pluviosum, aut siccum, frigidum aut calidum, ventosum aut sine ventis, & qualibus ventis, temporis in principio, aut medio, aut fine, aut semper, præterito aut præsentem.

Ad præsentendum futurum temporis statum, aut ad cognoscendum statum præsentem in quam causam referre debeas consideres oportet anni tempus quodcumque, ut ver, æstatem, autumnum, & hyemem. Quæ tempora, quia temperamentis à nobis definiuntur, possunt prius aut posterius fieri, dicimusque verissimè, breuiorem hoc anno fuisse hyemem quam superiori, quod ver prius inceperit. In tempore autem quocumque hæ conditiones consideranda, ut paulo ante in hac ipsa sectione dixeramus, quam pluviosum aut siccum, quam calidum aut frigidum, quam ventosum aut sine ventis. Et qui venti flauerint. Atque cum soleant hæ, aut toto aliquo tempore sine intermissione fieri, aut quadam eius parte, considerandum, an in principio, medio, aut fine. Neque parum refert, quia finis temporis cuiusque sequitur conditionem subsequens: & principium, & antecedentis. Considerandum ergo, si rationem & causam morborum qui grassantur velis inuenire, quid præsentem tempore accidat, & quid præterito acciderit. Cum enim ita natura sit comparatum, ut causæ affecta antecedant, morbi præsentem à præterita temporis conditione fluunt, accipiunt verò etiam differentiam à conditione præsentem, quare utriusque oportet habere rationem. Hæc autem ita habere in enarratione tempestatum epidemialium, abundè explicatum est.

26 **H**ora morbi tempus, quæ superueniunt circuitus, & circuituum qui maiores, & plus temporis durantes, incrementa, & alterius morbi incrementum: remissio: vigor; & qui magis & minus finitur, & quando, & quo modo, & in quo tempore, & ætate.

Quæ consideranda in ipsa temporis constitutione, dixit prius, nunc quæ in quocunq; morbo consideranda sint, docet. Dicit considerandam horam morbi, & rursus paulo post eadem voce utens dicit, *ἡ ἐν τῷ ὄρνι*. Hoc est, & in qua hora, seu in quo tempore. Videri possit repetitio inutilis & inartificiofa, quandoquidem eadem utitur voce: verum non est, illa enim vox *ὄρνι* significat diei horam, unde horologium dicitur & tempus anni, præcipuè æstiuum, unde horarij fructus appellati sunt. In prima huius orationis parte, significat horam diei, in vltima tempus anni: quod ut ego explicarem, in prima verti hora morbi, in secunda & in quo tempore. Dicit itaque considerari debere horam morbi, hoc est qua hora inuaserit febris, aut qua hora exacerbationes fiant, an mane, an vesperi, an noctis prima an postrema parte. Non esse autem hanc considerationem superuacaneam docuit Hippoc. in initio sectionis primæ libri secundi, atque rursus in hoc sexto, vbi dixit, quatuor diei partes respondere quatuor partibus anni, & suum in quacunque earum moueri humorè, nocte media pituitam medio die bilem, mane sanguinem, vesperi melancholiam. Hora igitur motus morbi confert non nihil ad agnoscendum speciem humoris: considerari etiam iubet morbi tempus, quandoquidem autem temporis nomen, aliud significat quàm horam, & quàm anni tempus, siquidè velut aliud quiddam dicitur postea, & in quo tempore, non est aliud quod hic possit significare, quam ipsam morbi constitutionem, hoc est an morbus chronicus sit, an acutus, & natura breuis, in hac aut illâ partè finiendus citò. Hoc autè scire, imprimis est necessarium, quia non possis aliter victum instituire, neque agnoscere, quantum debeas auxilijs instare. Vtrūque enim horum, ad futuram morbi iudicationem, accommodatur. Ad hoc verò, idest vt præsentiri possit morbi constitutio, considerari etiam debent quæ superueniunt, & circuitus,

cuitus, & circuituum, qui maiores, & plus temporis durantes. Quia ut dictum est in aphorismo, atque in multis alijs locis Hippocratis, cum huius operis, tum etiam aliorum. Paroxysmos & constitutiones indicabunt morbi & anni tempora, & circuituum ad se mutuo incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue ex longiori tempore fiunt. Tamen ex ijs quæ mox apparent, ut in pleuriticis, sputum si statim ac incipit morbus apparet, contrahit: si autem posterius apparet, producit. Explicat deinde sigillatim circuituum partes, hæ sunt, incrementum, cuius nomine intelligitur tota accretio denovo repetentis paroxysmi, quæ constat principio & incremento. Et vigor seu status paroxysmi: & remissio: & tempus interualli. In incremento considerandum, an tantum crescat ipse morbus cuius est paroxysmus, secundum speciem propriam recipiens accretionem, an etiam accrescat alter morbus: ut utrunque enim fieri solet. Quibusdam enim per paroxysmum nihil noui accidit, sed tantum crescit quæ inerat febris: alij accedit delirium, aut coma, quæ passiones cerebri sunt, quibusdam etiam stranguria, alijs hæmicrania: alijs cardialgia: alijs alia eiusmodi. In interuallo considerandum, qui morbus magis, & qui minus finiatur, quædam enim remissiones in solutiones integras perueniunt, quædam prope, alia etiam longè. Hoc autem ipsum refert quando & quomodo fiat, hoc est quo morbi die, & an per aliquam euacuationem. Si enim cum euacuatione insigni, in die decretorio fit solutio, longè melius est quam si aliter, aut alio die. Ad hæc autem omnia confert multum, ut anni tempus (velut etiam in nuper citato aphorismo dicitur) ita & ætas ægrotantis. Nam ut sui cuiusque temporis sunt familiares morbi, & solutionis modi, ita & ætati, ut præter multa alia loca tertia particula aphorismorum Hippocrates ipse docuit.

27 **M**orborum populariter grassantium modi.

CONSIDERARE oportet modos morborum populariter grassantium. Ea enim consideratio inter cætera confert quæ plurimum, ad agnoscendam speciem cuiuscunq; qui se obtulerit. Vbi enim alioqui est dubia cognitio, talem esse, qualè tunc temporis populariter vagari scias, recte suspiceris.

28 **A** *T*que si quis incipientium inceperit sine vomitu, velut aut cum biberint aliquid retinentes, aut parum purgati.

CAUSAE quoque procatharticae morborum consideranda, quia illae si adhuc manent cum morbo, conferunt ad indicanda curacionem, sin non manent, ad cognitione. Velut si quis morbus inceperit, quod cum biberit homo aliquid vomitorium, retinuerit, neque euomuerit, aut cum acceperit alui subductorium, parum purgatus sit. Nimirum multi apparatus aliquem morbosum sentientes, utuntur praeter nationis gratia, medicamento vomitorio, aut subductorio quae res illud inter caetera habet periculi, ut si vacuatio non succedat, motis excrementis neque vacuatis, quae antea non aderat, febris excitetur, quod & cauere debes, & ubi euenit, perpendere mox, qualem reliquerit in corpore affectionem. Solet enim ventris aut hypochondriorum inflammatione inde oriri: quare qui ob male succedentem expurgationem oborta febre, purgationem aliam adiungunt, quasi priorem perfecturi, plurimum errant, phlegmonem enim augent, deberent potius mox sanguine misso, eius generationi occurrere.

29 **F** *E*briculosi fortasse albidus: quorum & labia qualis modus, tempora.

ILLUD fortasse significat, non semper sed aliquando albidus esse febriculosos. Quod re vera ita habet, siue illud febriculosi, significet homines febricitantes, siue febris opportunos, & qui illi crebro corripiantur, etiam si nunc non febricitent. Nam quidam eorum quibus facies albida est, & omni rubore vacua, febre tenentur assidua: quidam non ita, sed crebro in febres incidunt: alij talium, omnino febriculosi non sunt, sed cum vitioso illo sint corporis habitu, febris vix unquam capiuntur. Quidam enim sunt decolores & albidus, quod multus illi assidue fluat sanguis ex haemorrhoidibus, ut mulieribus ex utero, aut etiam ex nari-

naribus: quidam ob frigidā intemperie, & pituitosam cacochymia hepatis, & totius corporis. Atque hi omnes longè absunt à febris, & si hydropi sunt opportuni. Alij sunt decolores ob hypochondriorum, aut mulieres ob uteri obstructiones, qui per sanguinis suppressionem febricitant, quod is qui opillatus est succus putrescat, aut febris corrumpitur crebro, quod scirrholosi tumores viscerum, à sanguine male commeante fiant phlegmonosi. Itaque albidij fortasse febriculosi, hoc est quidam sunt febriculosi. Considerari verò debent horum labia, & qualis eorum modus, & tempora. Nimirum quæ postremo his albescunt sunt labia, utpote quæ naturā sunt rubicundiora, quam aliæ partes faciei, ac proinde cum ea sunt iam alba, maiorem temperamenti corruptionem indicant, & sunt quidem aliquibus ea sola ruborem quendam retinentia, alijs iam partibus colore vacuis. aliquibus alternatè ex quibusdam temporum intervallis, sunt nunc alba, nunc rubentia: idque vel ob interius excitatum motum, ut sanguine aut calida fuligine in caput ascendente, (id quod obstructis visceribus fieri consuevit) vel ob externam aliquam causam, ut cum ieiunis & nondum exercitatis albida sunt, recens exercitatis aut refectis ruborem quendam comparant, id quod accidit etiam frigidis & exhaustis. Igitur refert considerare quomodo habeant talium labia, & tempora, quibus nunc rubent, nunc albida sunt, si modo tales subeunt mutationes: nam inde cognosces quam grauter sint affecti. Quia si sunt etiam labia velut mortua sine colore, grauis est corruptio: sin nondum, leuior. Atque etiam inde dignotionem habebis febriculosorum, & eorum qui tales non sunt. Nam si erraticos quosdam fumorum calidorum raptus in superna sequatur labiorum rubor, obstructi sunt & febriculosi, sin autem non, sed solum motum aut refectionem, hi sunt refrigerati, & absunt longè à febre.

CORPUS, OPUS, IN CONSIDERATIONEM, ADDUCERE, VISUS, AUDITUS, NASUS, TACTUS, LINGUA, RATIO CONSIDERETUR.

ANTE omnia considerandas esse à medico, quocumque se illi ægrotus offerat, actiones læsas, constat, siquidem ipsum ægrotare læsione actionum definitur, & dignotio

loci affecti inde incipit. Ob id enumerationem facit Hippocrates actionum naturalium, quot enim naturaliter habent nostra corpora actiones, tot possunt præter naturam lædi. Sunt autem duplices, quædam quæ animalium sunt propriæ, ac proinde animales vocantur, in quibus sunt motus voluntarij, & sensus: aliæ, quæ nõ vt animalibus, sed vt viuentibus accidunt, hæ sunt quæ circa nutritionem, & naturalis caloris custodiam versantur. Has quæ non tam sentientis animæ partis sunt, quam ipsius corporis, vocat vno hoc nomine, corpus. Itaque dicens corpus, intelligit actiones naturales, & quæ sine sensu sũt in quibus sunt etiã vitales vocatæ. Motum liberum vocat opus, omnia enim quæ hominum opera vulgo vocantur, in aliqua corporum aut partium translatione consistunt. Sensus enumerat, externos quidem sigillatim, visum, auditũ tactum, & odoratum, ac gustatum, quos partium nominibus vocat, nasum, & linguam: internos omnes sensus intelligit nomine rationis, qui autem & quot illi sint, alibi est à me disputatum.

31 **T**umores in palpebris supernis relictĩ, alijs extenuatis, recidiuæ. In extremitate autem subrubri duri. Et valde his lenta, & exurgentia, & cõtenta in his, vt Phasalo Polymeda.

Recidiuæ timeri debent, vbi corpora non manent purgata, sed morborũ causæ interius relictæ sunt, id quod indicant vitia quædam immanentia, velut sitis, & oris amaritudo, & fastidium, & quæ nunc commemorat, & quæcunque alia eiusmodi. Tumor palpebrarum supernarum relictus ex morbo alijs partibus extenuatis, significat, corpus neque purum manere, atque ob id paratum ad recidiuæ. Videmus enim eam partem ante alias intumescere, vbi corpora vitioso abundant succo, & concoctiones malè in corporis partibus aguntur, velut in ijs quibus leucophlegmatia fieri incipit. Fieri etiam solent in corporibus impuris alij oculorũ morbi, vt in extremitate, hoc est, in palpebræ ipsius tarso, tumores subrubri & duri, quales qui vocantur ptilloses. Quibusdam verò fiunt hi tumores per abscessum ex alijs relictĩ morbis, & sine recidiuæ periculo, vt pote
puro

puro iam corpore. Distinguitur autem id, vt in aphorismo dicitur, ex excrementis, ita enim dicit Hippocrates, vbi fauces ægrotant (eadem est ratio aliorum omnium abscessuum & particularium morborum) si enim ea bene habent, tutum est corpus nutrire, vt pote purum iam, sin minus, opus est expurgatione: sed est etiam alia ratio distinguendi ex adiutis. His enim, quibus scilicet vitium aliquod est in palpebris ob interius relictam morbi causam, adesse solent etiam valde lenta, hoc est, lentores quidam in ore iuxta dentes, aut in ipsis oculis ad eorum angulos, & exurgentia, seu erumpentia, seu extuberantia, hoc est tubercula aliqua alijs etiam in partibus innascentia, & contenta, Græcè ἐν ἄλλοις μέρει, hoc est (vt ego interpretor) mala quæ sub cute continentur, & latent, velut quibusdam in partibus nascuntur tubercula, aliæ compressæ aut motæ dolent, etiam si neque tumorem neque maculam præse ferunt. Hæc animaduertit Hippoc. in Pharsalo Polymeda. Hic, arbitror, ex morbo superfuit, palpebra superna tumente, & ptillosi affecta, habebatque in ore lentores, & tubercula, doloresq; in varijs corporis partibus, & postea in recidiuam incidit. Cautum fuisset in hoc homine, purgatione corporis, recidiuam anteuertere.

Rupta, tumores, aut liuores, aut in ophthalmijs, aut vlcerebus: sed & quæ efferuntur ex tuberculis & suppurationibus, quòd signum.

RUPTA vocat ruptiones quæ sponte fiunt, vt cum fiuntur partes quædam, & sanguis erumpit, aut pus, aut sanies. Tumores vocat, eos qui præter naturam, quorû sunt multæ species: liuores, maculæ liuidæ. Hæc omnia dicit consideranda in ophthalmijs (ita autem & in alijs inflammationibus) & in vlcerebus: nimirum quædam ophthalmiæ fiuntur, & cruorem emittunt, suntque hæ multo magis dolorosæ, quædam etiam fiuntur suppurata iam: tumores etiam habent, quædam ophthalmiæ magnos, quædam aliæ exiguos, quæ aridæ ophthalmiæ vocantur: porrò liuores etiam habent quædam, vt & aliæ omnes partes, siue inflammata, siue vlcera, siue refrigerata, in quibus naturalis

calor emoritur. In vlceribus labiorum etiam consideranda sunt hæc tria. Solent enim fissuras habere, & tumores, & liuores. Quæ omnia consideratione digna sunt, quia habent insignes significationes. Rupturæ enim aut extenuatam exesamque cutem à suppuratione significant, aut siccitatem nimiam ab humore acri aut falso: tumores in ophthalmijs redundantiam ac multitudinem: in vlceribus tumores non sunt mali, quia vt in aphorismo dicitur, qui eos habent non valde conuelluntur, neque infaniunt, si verò in vulneribus fortibus ac prauis tumor non appareat, magnum malum: atque etiam si cum apparere cœperunt, repente dissipati sint. Liuores (vt dixi) semper sunt refrigerationis soboles. Neque solum ex his, sed ex qualitatibus eorum quæ efferuntur, ex tuberculis suppuratis, cum finduntur, & ex suppurationibus per excreationem (vocæ enim suppurationes antonomasticè, puris intra thoracem collectiones) inditia accipiuntur. Nam quo melius pus exit, aut excreatur, eo affectio est mitior, quo deterius, eo est immitior. Est autem optimum pus, quod album, læue, & æquale, & quam minimè foetidum, quod huic contrariū est, deterrimum. Huc spectat illud suppuratorum prognosticum, ex suppurationibus, quæcunque, dum sputū adhuc biliosum est, suppurantur, perniciosæ valde sunt, siue biliosum illud in parte, siue simul cum pure expuatur.

33 **C**irca mensem tormina circa vmbilicum, & dolores nonnunquam à porris, sed & ab alijs his posterius.

PORROS & alia, credit hominum vulgus, esse æstate frigida. Hoc arbitror argumento, quod vident menses illis vtī, & qua die vsi sint, melius solis ardorem tolerare, & quòd nonnulli eorum, ea tempestate, sentiant ab eorum esu tormina circa vmbilicum, & dolores alios, quoscūque antea sint soliti pati, siue capitis, siue lumborum. Horum autem euentuum aliæ sunt causæ. Nimirum rusticis, & talibus vtī consuetis, ex eorum vsu roboratur, & augetur naturalis calor, & proinde extraneus melius fertur. Tormina autem & dolores, aliquando fiunt ab acribus succis, quos gignunt, aliquando à flatibus, quos commouent. Atque

vtraque

utraque ratione per ætatem maximè possunt, dictas noxas inferre, quia tunc bilis maximè abundat, simulque venter est frigidus, & ob illud lædit mordacitas, ob hoc flatu. In hanc sententiam dictum est ab eodem Hippocrate quarto de ratione victus acutorum, allium flatum parit, caliditatemque in thorace, capitis item grauitatem facit, & anxietatem, atque si alius quispiam dolor infestare consueuerit, ipsum irritat. Hoc idem est quod nunc innuit, dicens, & ab alijs his posterius. Hoc est ab alijs, qui prius inerant dolores, posterius excitantur. Explicatum verò mihi est in illius loci commentatione, alia non esse flatuosa quod gignant, sed quod dissipent, & commoueant, flatum. Possunt vero nihilominus commouendo inferre tormina, & dolores alios quoscumque.

Erysipelas quibusdam à ceruice, & circa hæc in facie iudicabitur. Quibus vero nigra à ceruice mala erant, atque si pustula, mala. Et quibus turbatoria.

VERBA hæc videntur decissa, ex longiori quapiam narratione morbosæ tempestatis. Possunt nihilominus seorsum intelligi, quæ hic dicuntur. Erat scilicet quædam tempestas, per quam fiebant multæ, erysipelata à ceruice incipientia, aut circumcirca ceruicem, a proxima aliqua parte, quæ serpebant in faciem, & ibi iudicabantur. Erat sanè mirum sursum ascendentia, tam cito ac bene iudicari. Nam ut dicitur ab Hippocrate in prognostico, maximè euadit, si quibus fauces & ceruix rubuerint, si & ceruix & pectus ruborem habuerit, itaque si rubor deorsum repat, nunc vero, sursum & ad faciem ascendente, liberabantur multi. Erysipelata à facie insipientia vidimus multa, sursum & in capitis cutem serpere, sine periculo ægrotantium, atqui descendere a facie fortasse esset periculosius, ne serperent in fauces, guttur, & pulmonem. Tamen a ceruice ad faciem ire, bonum non est, quanto minus expectares, vt ibi bene iudicarentur. Notauit itaque hoc Hippocrates vt rarum. Quod autem subdit manifestas habet causas. Nigra scilicet à ceruice oborta, mala fuisse, maximè si pustula nigræ simul oriretur. Nā id erat nigri & exusti succi, qui morbos pierunque

plerunq; facit superabiles. Illis etiam dicit malè cesisse, quibus essent hæc turbatoria. Constat turbatoria vocari, quæ fierent cum turbatione. Dicitur solet id nomen ab Hippocrate de turbatione alui, & de turbatione mentis, & de circumstantiis ea perturbatione, quæ fieri solet, cum proximè iam sunt morti, qui ægrotant. Hic non congruit de hac ultima perturbatione dici, leue enim sit dicere mala fuisse erysipelata, quæ perturbarent circumstantes. Congruum autem est dici erysipelata turbatoria, quæ inciperent cum alui perturbatione, aut afferrent perturbationem mentis, aut vtrunque: vtrunque enim malignitatem humoris indicat, & eius redundantiam. Constat autem hæc maximè posse accidere nigris & pustulosis. Niger enim & vltimus humor, maximè paratus est perturbare mentem, & aluum maximo cum periculo turbat. Porro quæ essent, & nigra, & pustulosa, & turbatoria, ea essent deterrima omnium.

M*elancholicus Adamantus à peplis pluribus vomuit aliquando nigra, quandoque à cæpis.*

HIPPOCRAT. vsum esse vomitorijs medicamentis sepe, & inter cætera peplio, sciet, quicumq; vel tantillum sit in eius libris versatus, cæpis tribuit facultatē Dioscorides expurgandi, & facillè reddendi aluum, vomitorias esse non dicit, fuerint verò si largius ingeratur, siquidem, vt ille dicit sunt fastidiosæ. Quæ enim fastidium inferunt, eadem in paratis, & nauseam mouent, & vomitum. Neque obstat, quod idem Dioscorides dicit, cepas appetentiam excitare. Vtrunque enim sit & experimento facillè est cuius agnoscere. Cepas scilicet parè acceptæ mouent appetitum, ingestæ abundanter, fastidium, nauseam, & vomitum mouent. Quare vt Dioscorides venditur à contradictione, haud quaquam opus est interpretatione, quæ accipitur ex Auicena, transferente nomen appetitus ad libidinem, dicentique cepas libidinosas esse: neq; Marcelli Virgilij, dicentis, *α' ο' α' δ' /* quo nomine Dioscorides est vsus, significare quæ repletionem inferunt fastidium. Nã re vera id nomen significat fastidiosa, aut anxietatē inferentia. Quòd hic Adamantus nigra vomuerit, causa fuit, non propria peplij, aut cepearum facultas, non

non enim sunt melancholagoga, sed redundantia eius succi, quod ut insinuaret Hippocrates dixit melancholicus Adamantus.

36 **F**ebres, in quibus ulcerantur labia, fortè intermittentes, & tertianis refrigerationes, vrentes verò statim, ad manum solutæ semper.

HÆ omnes sunt notæ tertianarum intermittentium. Solent enim per æstiuales tertianas exire ad labia quædam pustulæ, ex quibus ulcerantur. Quod quia non ita est earum proprium, ut non fiat aliquando per continuas, dixit fortè intermittentes, innuens scilicet id non esse necessarium, sed solere ita fieri. Ut aut explicet modum intermittēdi, addit & tertianis refrigerationes, hoc est & tertio quoq; die habēt refrigerationes, vnde fit ut tertio quoq; die habeant intermissiones, iuxta sententiam illam aphoristicam, Quibus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluntur, ita enim & quibus tertio quoque die tertio etiam soluentur. Itaque sunt hæ tertianæ intermittentes. Addit aliud, quod talium etiam febrium est, dicens, vrentes verò statim, ad manum solutæ semper. Nam ut dictum est in enarratione sententiæ vigesimæ nonæ sectionis primæ huius sexti, biliosæ febres, statim ac quis admouet manum vrent, si tamen manus persistat, vincuntur, & vrere desinunt: tertianæ autem fiunt à bile, ut in commentarijs de febribus demonstratum est.

37 **Q**uæ inest articulis: considerandum igitur an non suppurentur.

CONSIDERARE iubet, an non suppurētur abscessus facti ad articulos. Quod duab. causis mihi videtur dicere, cum quod sæpe euenit falli chyrurgos, putantes illis in locis, ut in genu, aut cubito, pus esse, cum tamen non sit, sed pituita quædam crassa, inundationis quandam speciē præstans, ut in œdematis: tū etiam quia curare expedit, quoad fieri possit, ut sine suppuratione illi abscessus soluantur, quia ulcera iuxta articulos sunt periculosa. Considerandum itaq; ne fallaris,

laris, an non suppurentur, sed id quod suppurationis speciem exhibet, succus aliquis sit pituitosus. Considerandū quoque, an fieri possit, ut non suppurentur, sed citra suppurationem soluantur.

38 **C**onsuetudo ex qualibus benè valeamus, victu, laboribus, somno, Venere, mente.

AD artem tuendæ valetudinis pertinet hæc oratio, continetque enumerationem earum rerum, quarum usu constat victus benevalentium. Eæ sunt sex res, non naturales vocatæ, & causæ à quibus perpetuò alteramur, quas Galenus in arte medicinali vno capite collegit, scilicet, cibus, & potus, quod in ambitu est, motus & quies, somnus & vigilia, quæ excernuntur aut retinentur, & animi motus. Hæc sex causarum genera insinuat Hippocrates non obscure, victus nomine intelligit cibum & potum: nomine vestitus, quidquid nos circumstat: laborum nomine, motum & contrarium: ut etiam nomine somni, vigiliam: nomine Veneris, alias etiam excretiones, quæ fiunt aut non fiunt: mentis autem nomine, motus animi apertè significantur. Consuetudines benevalentium ex his constant, & cum quis interrogat qua consuetudine homo esset, dum adhuc valeret, de modo quo his sex rebus vteretur, interrogat. Nam medicamentorum non est consuetudo bene valentibus, multo minus causarum, quæ non semper, sed casu quodam nos alterant, ut ensis, incursionis ferarum, & fulminis. Superest ergo consuetudinem bene valentium esse in ijs quæ perpetuò nos alterant, quæ quidem tantum sunt, sex illarum genera.

39 **Q**uomodo morbos, à quibus quas figuras, in qua loca conuersi sint, inceperint, adsint, cessauerint.

Consideranda dicit hæc, quomodo morbos, hoc est quales morbos quis patiat, quod quidem potest pertinere ad speciem, aut ad constitutionem: duabus enim his rationibus dicuntur quales, ut an biliosos an pituitosos, an acutos an chronicos: deinde quas mutationes faciât, fecerintve. Quæ quidem fieri possunt secundum figuras ipsorum mor-

borum, aut secundum affectas partes. Considerandum ergo à quibus quas figuras, vt si ex tertianis quartani sint facti circuitus: & in quæ loca conuersi sint, vt si ex costis in pulmonem, aut ex pulmone in caput, ex renibus in coxâ, aut ex hac in genu. Ac præterea considerandum, inceperint, adsint, cessauerint. Hoc est initium, & finem, & id tēpus vniuersale quo nunc sunt. Itaque cognoscere oportet tempus quo iaceperint morbi, aut illæ morborum mutationes, quæcunque illæ sint, atque si adhuc adsint morbi, quo tempore vniuersali sint, sin iam recesserint, quo die finiti sint. Esse enim magni momenti has tres considerationes, intelliges ex quàm multis, quæ ad eas pertinētia ab Hippocrate scripta sunt. Ad primam pertinet illud. Considerare verò futuræ suppurationis iniciū oportet, ab ea die qua primum homo febricitauit, aut si forte primum ipsum rigor præhenderit, atque si pro dolore pondus sibi factum esse dixerit, in loco quo dolebat. Hæc enim in principijs suppurationum. Ex his igitur temporibus eruptionem fore expectare oportet, ad prædicta tempora. Itaque vt scias in quæ tempora expectare debeas eruptiones, refert considerare quando inceperint suppurationes. Quam utilitatē præter agnoscere tempora morborum qui adsunt, indicant illa, Inchoantibus morbis si quid videtur mouendum, moue, si vero consistunt ac vigent, melius est quietem habere, & illud, Quum in vigore fuerit morbus, tenuissimo victu vti necesse est. Itaque & curationis opportunitates, & victus instituendi rationem indicant tempora morborum, quæ adsunt: tempus autem quo cessauerint, facit ad securitatem aut contrarium, quia nisi diebus imparibus febris reliquerit, solent recidiuare.

In quibus intemperans, horrendus.

Quædam sunt quæ ægroti per intemperantiam faciunt, quæ tamen ferenda sunt à medicis, quia non sunt adeo noxia, siquidem Hippoc. ipse dicit, quoad fieri possit, gerendum esse morem ægrotanti, atq; paulo deteriolem cibū & potum, suauiorē tamen, meliori & insuauiori esse præferendum. Quandoquidē autem dicit paulo deteriolem, constat non quiduis esse permittendum agere pro arbitrato, sed quædam

quædam esse valde mala, & nequaquam ferenda, in quibus intemperans horrendus est. Quia ex quibusdam erratis cõtingit plurimum periclitari. Considerandum ergo in quibus intemperans sit horrendus, quia ea minimè sunt ferenda, sed potius abstinendum à curatione, ne quæ per intemperantiam ægroti euenerint, medico impudentur.

41 **C**ontrarij victus in morbo.

MORBI petunt contrariam victus rationem, vt & curationem omnem. Iuxta hanc sententiam dictum est illud, Omnis victus humidus febricitantibus conuenit. Nimirum vt alibi dicitur, medicamentum in alimento optimū. Itaque victus rectè in vnoquoque morbo institutus quædam curatio est, omnis autem curatio agitur per contraria.

42 **Q**uod facile, quod difficile toleratur.

HOC quoque magni semper fecit Hippocràtes nã siue quid medicus sua arte circa ægrotantem mollius sit, siue quid illi sponte fiat, bona tolerantia conferentia, mala tolerantia noxæ, inditium est.

43 **V**ictus, quantum cognosci potest, non ignorare, calamitates enim multæ.

QVAM multæ calamitates nascantur, ex artis bene instituendi victus ignoratione, disertissimè indicauit Hippoc. in eo libro, quem de ratione victus in morbis acutis, scripsit. Reducam verò tibi in memoriam exemplū quoddam ex libro primo sectionè tertia, ibi enim legimus, Philonis filiam, quòd intempestiue cœnata esset, mortuam esse septima die.

44 **B**onis autem medicis, similitudines errores & dubitationes. Sed contraria facit causa. Scio difficile esse rationando cognoscere vias, vt si acuto capite, si simus, si subficcus

subsecus, si biliosus difficile vomens, biliosus niger, iuuenis, utcumque viuens, simul ex bis, & ad se mutuo, ratiocinari difficile.

Empyricorum instrumentum quoddam vituperatur hac oratione, & rationis via laudatur, & indicatur eius difficultas. Empyrici enim, & vulgares omnes, vtuntur in morbis, translatione à similibus, similibus vtentes auxilijs ad affectiones quæ similes esse videntur. Quæ res imperitis plurimum placet, quia cum paucas affectionum differentias norint, quæ non sint manifestè diuersa, iudicant esse omnino eadem. Bonis autem medicis non ita, sed similitudines sunt maximè suspectæ, vt pote quæ errores & dubitationes faciunt, quod prima quidem fronte similia similibus videantur curanda, sciant tamen illi multos morbos, specie etiã similes, contrarias curationes desiderare, quod à contrarijs causis nati sunt. Causa ergo erit quæ contraria faciat, hoc est, errores illos & dubitationes tollat. Velut si duo homines laborent dolore colico, alter ex potu aquæ gelidæ, alter ex flatu, alter ex bile, empyricus quidem eundem videns morbum, eadem admouebit, rationalis vero contrarias agnoscens causas, contraria. Male itaque procedit, qui solas similitudines considerat, bene autem, qui causas disquirat: adeo profecto utilis est causæ cognitio, vt sapissime obfit multò magis causæ ignoratio, quàm speciei morbi, & loci affecti. Multo enim minus suscipere potest curationem, qui ignoret sitne dolor a causa calida an frigida, quam qui ignoret sit colicus an nephriticus: atque ad febrium curationem maioris est momenti, contemplari humoris speciem in exeuntibus, quàm modum circuitus, & reliquam figuram. Itaque ad agnoscendam viam, seu methodum, qua morbus cuius curandus sit, plurimum refert à causæ inuentione incipere. Difficile tamen est ratiocinando cognoscere vias, hoc est inuenire methodos, siquidem difficile est inuenire, quæ sit affectio, quæ causa, qui locus affectus, quæ cuiusque hominis natura, & consuetudo, hæc autem omnia habent proprias indicationes, seu insinuationes faciendorum, quas omnes oportet considerare seorsum, ac deinde ad sese mutuo conferre, atque contrarias

raras & minores à contrarijs & maioribus subtrahere, similes vero opere exequi plus aut minus, vt quænis indicatio potentior est, aut debilior. Hinc enim nascitur curatio omnis. Profert exempla rerum quarundam, à quibus indicationes accipi possunt. Vt si quis sit acuto capite, vt qui vocabantur macrocephali, aut simus, aut aliud vitium compositionis habens, si subsiccus, ita etiam si humidus calidus, aut frigidus: atque si biliosus, hoc est bile redundans, tuncque an facilè vomens an difficile (nam hoc quoque est in peculiaribus naturis) an biliosus niger, hoc est atrabilarius, an iuuenis: ita etiam an puer, an senex, & an vncunque viuens, an temperatè. Omnia enim hæc indicationes habent, quas seorsum considerare difficile est, mutuo coniungere difficilius. Conferre figuram corporis ad naturæ cognitionem, intelliges ex ijs quæ de phytionomia scripta sunt in primo libro. Natura verò indicat similitudinem vsus, calidiora enim calidioribus, frigidiora frigidioribus indigent auxilijs. Biliosum & difficile vomentem esse, quodammodo sunt contrariæ indicationes. Nam biliosa cacochymia petit expurgationem per superiora, difficultas vomendi prohibet: tales ergo erunt purgandi per aluum, quia cacochymia petit purgationem, difficultas prohibet per superiora fieri. Biliosus niger, indicatione à succi specie, postulat expurgationem per inferiora. Iuuenilis ætas sustinet maiora auxilia, quàm senilis: puerilis indiget minoribus. Qui per bonam valetudinem sunt temperantes, ex quietiore victu vt debent per morbos: qui vteunque viuunt, liberiori etiam victu curandi sunt.

45 *CVi fistula rumpebatur, eum tussicula prohibebat quiescere.*

FERI poterat vt tussicula prohiberet hunc hominè quiescere, quia fistula, hoc est, aspera arteria rumpebatur, aut vt rumpebatur fistula, ob tussiculam assiduam quæ prohiberet quiescere, aut vtrumque. Certè maxima causa difficilis sanationis vlcera instrumentorum spiritalium est, quia curari sine expurgatione & quiete non possunt, vt neque vlla alia vlcera, neque expurgari sine tussi, tussis vero prohibet quiescere.

Eum

46 **E**VM cui apex hepatis complicatus erat, concussi, repente dolor cessauit.

MIRABILIS casus, doluisse hepar complicato apice, & concussione explicatum, ac dolore liberatum esse. Vellem autem diceret notas, quibus complicatū apicem agnouit, & hepatis ita mutati positis symptomata. Nō arbitror fuisse alia, quā dolendi modum, & ipsam ægro phatāsiā.

47 **S**Atyrus in Thaso, cognomento vocabatur Grypalopex, cūm esset annorum circiter viginti quinque, semen per foranum effudit sæpe, & interdū quoque sæpe ipsi prodibat, cūm autem ad annum trigessimū peruenisset, tabidus fiebat, & mortuus est.

TABESCUNT ex gonorrhœa, siue viri siue mulieres, quibus, a quacunque causā inceperit, ad magnam retentricis debilitatem res peruenit, & ijs, quibus ob magnam corruptionem, semen effluit. Illi quidem vnam ob causam, quæ scilicet solidæ partes, per nimium seminis fluxum, priuantur alimento: hi ob duas, quod præter euacuationem, ipsa seminis corruptio facit computrescere alimentum partium: quo fit ut vtantur pauco, & eo corrupto, est autem vtraque arefescendi causa. Vt vero effluente semine, ob debilitatem retentricis vasorum seminariorum, membra solida alimento priuentur, eadē causā euenit, quā per diabetem, ob debilitatem retentricis renum, priuantur omnes partes seroso humore. Scilicet partes genitales, cum id quod traxerant facile deponunt, rursū trahunt, atque trahentia multum, alijs detrahunt. Est vero semen succus congener rori partium solidarū. Hoc accidit ei, de quo hæc historia narratur, in ætate calidissima, qui nescio an ob morbū vocetur ab Hippocrate. Satyrus, an id fuerit homini nomen, nam Satyriasis nomen de Priapismo potius dici consuevit, quā de Gonorrhœa. Hic vero Gonorrhœa tenebatur potius, nisi fortè tenebatur vtraque: complicari enim possunt.

48 **A**Bderis palestra custos, qui Stheneus vocabatur, cūm multum luctatus esset cum alio fortiori, & in caput

X X X

cecidisset

cecidisset, veniens inde, bibit frigidam aquam multam, posthac autem illa nocte difficulter dormiuit, & difficilem habuit tolerantiam, & extrema frigida. Postridie venit in domum, & glande sedi supposita, nihil deiecit, parum minxit, cum nihil minxisset prius. Sub noctem lauit, nihilominus vigilauit, & difficilem habuit tolerantiam. Delirauit. Tertia die refrigeratio extremorum eum corripuit, calfactus sudauit. Epota vero mulsa, mortuus est tertia die.

IVRAVERIM, hunc hominem mortuum esse conuulsam. Nam haud dubie sustulit eum raptus humorum in caput, ob magnam contusionem, quam, in illud cadens, accepit, si autem letargicam, aut phreniticam, aut talem vllam contraxisset affectionem, vixisset diutius, sunt enim illæ longioris constitutionis, quando vero tertia die interiit, cum potuerit secunda in domum suam venire, apoplectica aliqua passione, aut conuulsione magna correptus est. Apoplexiæ vero nullæ notæ narrantur. Sed cum esset hic grauius læsus capite, & ita vt sit, cervicis nervos ac tendines maceratus, cœperunt succi, qui forte redundabant, biliosi, in caput occurrere, cum vero ingrueret in nervos, accidit prima nocte difficilis somnus, capite scilicet biliosam fluxionem recipiente, & difficilis item tolerantia ob eandem causam, & extremarum partium refrigeratio, ob nervorum mordicationem refugiente calore. Sed & quod sequenti die euenit, indicat raptum in caput. Nam neq; supposita glande deiecit, neque minxit nisi parum, cum antea minxisset nihil. Suppressio enim euacuationum per inferna, significat raptum in superna. Sub noctem die secunda lauit, conciliandi s. somni gratia, nihilominus cum materia, quæ se in caput collegerat, esset multa, nihil profuit, sed habuit, nihilominus quam nocte superiori, difficilem, & somnum & tolerantiam, & insuper delirauit, atque, vt ego suspicor, cœperit conuelli. Tertia die refrigerata rursus sunt extrema, & calfactus sudauit. Mirum nisi medicorum qui aderant quiscquam, bonam hinc spem conceperit, suspicatus aut bonam esse iudicationem, aut certe tertianum circuitum. Verum hæc accidentia, non figuræ, sed malignitatis erant inditia, sequeban-

quebanturque eundem raptum in caput, qui fieri cœperat a principio. Refrigeratus est ob mōrdicationem neruorum, calfactus sudauit præ anxietate. Poterant malignitatis huius medicos admonere, delirium, & cōuulsiuus motus, quæ a secunda die cœperant, & per illum sudorem non sedarētur, sed crescerent potius. Nam necesse est, vt signa quę per se se sunt ambigua, ex alijs quæ accedāt, bona aut mala, distinguantur, cum igitur mortuus sit, necesse est maligna affuisse. Quando aut hęc ita habent, cōsentaneum est, nō esse hunc hominem læsum potu aquæ frigidæ. Ea enim non male bibitur a recenti casu, quippe quæ tardat motum sanguinis, prohibetq; fluxiones fieri. Quare non ideo suspicor narratum ab Hippocr. esse, sed q̄ ita factum sit, atq; vt scias, quo auxilio vsus sit. Fuisset tamen consultum, huic mox copiose mitti sanguinem, & assiduo friccionum, & acrium clysterium vsu, a capite retrahere, ad ceruicem vero vti anodynis.

⁴⁹ *Melancholici plerunque consueuerunt fieri epileptici, & epileptici melancholici. Horum autem quiduis præcipue sit, in alterutrum infirmitas inclinauerit, siquidem in corpus epileptici, si autem in mentem, melancholici.*

Hunc locum interpretatur Galenus lib. 3. de locis affect. dicitq; conuerti in mentem esse afficere secundum temperamentum, conuerti in corpus, afficere secundum compositionem. Epilepsiam ergo fieri ab humore obstruente, melancholiam vero ab intemperante, & obrebrante mentis sedem. Itaque fiunt ab eodem humore eandem partem, sed non eodem modo afficiente. Non tamen æque, parata est omnis epilepsia in melancholiam abire, atque melancholia in epilepsiam. Nam epilepsia fieri potest ab omni succo crasso, melancholia non nisi a melancholico.

⁵⁰ *Phæusa Pythæi coniunx Abderita, cum olim puella secunda fuisset, eius marito in exilium acta, muliebria defecerunt multo tempore, postea verò in articulos dolores, & rubores, quæ cum ei contigissent, tunc corpus virile factum*

factum est & hirsutum, & barbam emisit, & vox aspera facta est, & cum omnia fecissemus, ut muliebria extraherentur, non venerunt, sed mortua est, cum non multum postea tempus vixisset.

SI **E** Venit autem & Namysia Gorgippi uxori in Theso idem. Videbatur autem omnibus medicis, quibus & ego forte adfui, vnica spes esse, si effœminaretur, & secundum naturam prodirent, sed neque huic potuerunt venire, omnia facientibus. Sed obiit non multo post.

MIRABILIS euentus, factas esse mulieres, hispiditate, barba, & vocis asperitate, viro similes, ob menstruorum retentionem: vt videatur barba, nasci viris, & tales euacuationes non fluant; fœminis autem non nasci, & fluant. Quasi sanguis ille redundans & vitiosus, materiam præster pilis. Quod tamen alia consideranti non probabitur. Nam nasceretur barba etiam eunuchis, siquidem neque illis fluunt menstrua. Non nascitur autem, quia excisis testibus amittunt virilitatem, contrahuntq; muliebri temperamento. Non igitur tollunt barbam menstruæ euacuationes, sed illud ipsum temperamentum, quod menstruorum necessitatem affert, tollit barbam. Sed rogabis, cur non ergo eunuchi, vt carent barba, habent euacuationes menstruas? Certe quia eunuchi sunt frigidiores etiã quam mulieres, & exercitiores, quorum illud, facit vt minus sanguinis gignant, hoc vt plus discutiant: sunt vero frigidiores, quia nullos habent testes, fœminæ vero habent aliquos: exercitiores vero, quia cum mulieres nõ sint, virilib. negocijs sese vtunt; inserunt. Itaq; videtur barba non a menstruis euacuationibus tolli, sed a muliebri temperie. Sed si nõ tollitur a menstruis euacuationibus, qui factum est, vt in his mulieribus, illis tentis nasceretur? certè cã præcipua barbæ, & hispiditatis, temperamentum virile est, vt glabriciei muliebri, & hæc est quæ vim habet efficiendi. Accedit autem menstruorum fluxio ad glabriciei causas, & eius euacuationis vacuitas, ad causas hispiditatis. Quia materia pilorũ est fuligo, ea vero nasci-

nascitur ex sanguine calefacto, quem menstruæ euacuatio-
 nes cuti detrahunt: insensibilis autem effumatio, quæ per cuti-
 tem viris copiosius fit, abundè suppeditat. Non ergo nasci-
 tur barba quibuscunque menstruæ euacuationes cohiben-
 tur, quia sine faciente causâ materia non est satis. In his au-
 tem euenit, ob raram quandam naturæ & mulieris, & san-
 guinis, proprietatem, virili naturæ proximam, qua contigit
 mulierem, & sanguine menstruo alioqui abundare, & viri-
 lem referre calorem. Quod certè vt rarum, ita & mirabile:
 atque eo mirabilius, quòd mulieres fuerant antea fœcun-
 dæ. Nam viragines non solent fœcundæ esse. Ob id Hippo-
 crates, velut admirationem augens, narrauit fuisse puellam fœ-
 cundam. Causa ergo peculiaris, ac propria his mulieribus,
 mirabilis huius euentus, fuit sanguinis calor: qui cum ob
 marici absentiam effluere cessauit (quia, arbitrator, cum non
 satis muliebris esset naturæ indigebat viro, vt in muliebria
 ferretur) articulares fecit dolores cum rubore, quales sci-
 licet per calidam podagram fieri solent. Quod vero pri-
 mum podagrici fierent dolores, nihil habet admirationis,
 siquidem in aphorismo dicitur, Mulier non laborat poda-
 gra, nisi menstrua defecerint. Si igitur menstrua liberant à
 podagra, menstruorum defectus eam affert. Mirabile vero
 quod postea subsequutum est: effuso enim in totum corpo-
 ris habitum eo sanguine, & multa fuligine in totam cutem
 lata, corpus virile factum est, & hirsutum, & nata barba, &
 vox aspera. Quia calefactione, dilata, & robustiora facta
 sunt, vocis organa, visum est medicis omnibus omnia face-
 re, vt menstrua effluerent, cum vero ea alteratio naturæ ef-
 fet admodum aduersa, in neutra fieri potuit, vt effluerent,
 neque vt diu viueret, sed vtraque velut longissimè à sua
 natura acta, cito mortua est. Videtur mihi in his vtendum
 fuisse misione sanguinis, ex quibusdam interuallis, quæ na-
 turalem ordinem imitarentur, repetita, & balneis aquæ dul-
 cis, & victu refrigerante. Sed vtunque tractentur, suspen-
 dii semper haberi debent, magni à propria cuiusque natura
 recessus.

LIBER SEPTIMVS
EPIDEMIARVM.

Post Canem febres fiebant sudorificæ, & non perfrigerabantur omnino post sudorem, & rursum incallescabant, & mediocriter longæ, & difficilis iudicationis, & non valde sitiosa, paucis in septimo & nono cessabant, alijs undecimo, & quatuordecimo, & decimo septimo.

PARVM afuit quin hunc librum septimum relinquere sine commētarijs, q̄ viderentur esse in eo multæ, dictorum iam antea repetitiones, & narrationes multæ, partim vitiatæ ac confusæ, partim imperfectæ ac mutilæ, atq; ob id nihil utilitatis continentes. Visum tamen deinceps de hacre cogitanti, hoc quoq; præsentis operis perfectioni adijcere. Nam etsi sunt multa, quæ vt inutilia reiicientur, sunt etiam nonnulla, quæ meritò studio si desiderarent. Faciam igitur quod soleo, quæ dicta fuerint antea, & explicata, præteribo: quæ omnino corrupta, expungam: reliqua pro meo captu interpretabor. Hæc oratio, à qua liber incipit, occurrit antea in quinto libro contextu sexagesimo octavo, nulla ferè vocum differentia, atque vt ego iudico, exactius ac melius quam hic scripta. Quare hic nullam commentationem oportet me apponere, sed hunc locum secūdam illum emendare ac restituere. Quod dicit, *Mediocriter longæ, & difficilis iudicationis*, dixit illic, *longæ, & mediocriter difficilis iudicationis*. In quibusdam codicibus legitur, alijs undecimo, & duodecimo, & quatuordecimo, & decimo septimo. Libro quinto legebatur, & vigesimo. In alijs etiam adiectum est, & vigesimo secundo. Qui scias, quæ sit legitima lectio? Neq; n. vlla dies harum est, in qua iudicari non possent, neq; in qua necessario iudicarentur. Poterant quibusdam paribus, quibusdam imparibus moueri, atque ita quibus paribus, quibusdam imparibus iudicarentur. Postremò in calce orationis legebatur illic, iudicabantur, quod verbum desideratur hic.

Polycrati

Polycrati febris, & quæ ad sudorem attinent qualia scripta sunt. A medicamento deorsum purgatio vehementer, & febris adeo lenis facta est, ut obscura confisterent, præterquam in temporibus, & sudores exigui ad vesperam, circa caput, ceruicem, & pectus, ac deinde in totum ventrem, & rursus incalescebant. Ac circa duodecimam, & quatuordecimam, intentionem cæpit febris, & deiectiones exiguæ. Sorbitionibus autem post purgationem usus est. Circa quindecimam autem dolores ventris secundum lienem, & sinistrum ile. Calidorum admotiones, minus quam frigidorum proderant, cum clysteri molli usus esset, dolor cessauit (idem quoque Cleocydi profuit, ad dolorem eodem modo habentem, atque febrem) circa decimam sextam calores mitiores esse videbantur, & deiectiones syncera bilis, & mens audatior. Spiritus autem moderatus. Aliquando aceruatim, attractum rursus aceruatim expirabat, velut ab animi deliquio, aut velut in umbra residens spirare solet, qui per æstum iter fecit. Decima septima itaque vesperi, desidens in sellam animo lectus est, & multo tempore sine voce, & sensu iacebat. Melicratum vix capiebat, fibras in collo distendens, ut pote faucibus resiccatis, & omni imbecillitate præsentem. Vix itaque ad se ipsum reddit, & calores mitiores. Posthæc cessauit vigesima secunda.

POLYCRATES, & Cleocydes' duo quidam ægroti fuerunt, eorum qui ægrotauerunt illa tempestate, quam proximis verbis descripsit. Narrat verò Polycratis historiam diffuse, de Cleocyde tantum dicit, obiter ac per parentesim, eodem laborasse morbo, atque eodem modo. Cæpit etiam post perscripta verba in libro quinto, narrare hanc historiam. Verum quia illic, ad quindecimam solum, ducta narratio est, distulimus commentationem in hunc locum. Habuit Polycrates sudorem & febrem, qualia

scripta sunt in ea narratione, scilicet febrem sudorofam,
 continuam, mediocriter longam, & difficilis iudicationis,
 & non valdè siticulosam. Hic cum forte videretur medicis
 purgationi opportunus (non dicit qua die) pharmaco sub-
 ter purgatus est, & febris est facta mitior. Quadam autem
 die, cum, ob hæc, non putaretur futurus paroxysmus, post
 meridiem cœperunt rursus sudores exigui, circa caput, &
 collum (vnde scilicet solent plerumque sudores inchoari)
 deinde in totum ventrem processerunt (in libro quinto
 non reperitur vox illa ventrem, sed in totum) & rursus su-
 percalfactus est aucto denuo paroxysmo, vt antequam pur-
 garetur, & morbus totus denuo creuit. Nam circa duode-
 cimam, & quatuordecimam, rursus accepit febris intentio-
 nem. Circa quindecimam superuenit illi dolor circa lie-
 nem, & ile finistrum, qui ad intestina eo loco sita haud du-
 biè pertinebat, quandoquidem clystere molli sedatus est.
 Pendebat verò ex bile, vt & morbus totus. Nam ex admo-
 tione frigidorum opem sentiebat, potius quàm calidio-
 rum. Et sequenti die (decima sexta scilicet) calores erant
 iam mitiores, & deiectiones synceræ bilis, & mens auda-
 cior, & spiritus moderatus. Nimirum quia deorsum excer-
 nebatur syncera bilis, fiebant calores mitiores, & mens au-
 dacior, & respiratio moderata. Nam syncera bilis per sub-
 limes partes agitata, & in cerebrum & cor fumos mittens,
 consuevit inferre anxietates, pusilanimitates, & spiritus fre-
 quentiam, ob anxietatem. Hæc, bile deorsum repente, de-
 stiterunt, factaque est febris tactu moderatior, & recupera-
 tus animus, & moderata respiratio. Verum cum morbus,
 ob temporis conditionem, non esset bonæ iudicationis,
 non adeo processit hæc bilis subductio, neque cum tanta
 conferentia & tolerantia, vt non etiam bonabilis pars rur-
 sum recurreret in superna, & symptomata attulerit etiam
 prioribus magis horrenda. Nam aliquando eadem ipsa
 die, corripiebatur repentè respirandi difficultate, ve-
 lut ab animi deliquio ingruente (nimirum cum re-
 spiratione reficiantur spiritus, qui deliquium incipiunt
 persentiscere, respirant crebro, & aceruatim) aut ve-
 lut qui per æstus iter fecerit, & in vmbra se conij-
 cit æstiuans (multò enim tunc sudatur euidentius, quàm
 in iplo sole, vaporum extenuatione, & euacuatione
 insen-

insensibili, remittente) in umbram se conijcit æstuans. Decima septima integre iam lectus animo est. Nam vesperi descendens in sellam, cecidit sine sensu & motu: quod multum tempus duravit. Interim neque melicratum deglutire poterat, etsi illi in os infunderetur. Habebat fibras in collo distentas, tendines scilicet venientes a ceruice in claviculas. Quod quidem dicit factum ob siccitatem faucium, & ob id ipsum non potuisse deglutire. Mihi verò videtur id conuulsionis fuisse, atque indicasse illud deliquitum fuisse passionem aliquam apoplecticam, atque deglutiendi difficultatem ortam esse ex eorum tendinum conuulsione. Impedit enim eorum tendinorum motum, ad deglutionem necessarium. Atque eam conuulsionem, quamuis post febris ardentis aliquot dies facta sit, non censeo fuisse ex siccitate (non enim arbitror esset tam breui soluta) nisi placet Hippocrati redundantiã bilis, aut rigorem illum & duritiem, siccitatem appellare. Accedebat, ad difficilis deglutionis causas, imbecillitas omnium facultatum, quæ aderat, non profecto tanta re ipsa, & in essentia, quanta ob passionem cerebri, & cordis, à bile, esse apparebat. Atque id res ipsa indicauit. Nam cum vix iam tandem ad se ipsum rediisset, calores cœperunt mitiores fieri, & vigesima secunda cessauit morbus. Mirum si sine aliqua euacuatione. Ego sanè suspicor vigesima, utpote quam indicat decima septima, quæ adeo insignem attulit mutationem, euacuationem aliquam cœpisse, ut sudorem, aut alui fluxionem, eamque durasse vsque in vigesimam secundam, qua cum morbo finiretur. Difficilis sanè fuit morbus, atque inter cætera illud habuit autumnalis, & maligni, quod per dies partes maxime mouetur, illud verò, constitutio ne legitimi, quod cum illis moueretur, die etiam pari iudicatus est, & quod cum duodecima cœperit crescere, iudicatus est vigesima secunda. Nam par dies, quæ in viginti duobus medium tenet, duodecima est. Hæc itaque modo hoc acta sunt. Sed rogabis, cur hæc febris non desijt post expurgationem, si tempestiue purgatus est? Huic dubitationi occurrit Hippocrates dicens, deiectiones exiguæ, sorbitionibus post purgationes vsus est. Quasi diceret, quia non est euacuatum quantum oportuit, & post purgationem deliquit in victu. Nam ut dicitur secundo de ratione victus in acutis, cum cessauerit purgatio, minus est sorbedum quam quis

quis consueuerit, postea paulatim est redeundum ad maiorem copiam. Hic verò non ita fecit, sed mox à purgatione copiosis forbitionibus usus est. Quod sanè erratum committunt hodie vulgares omnes medici, mox ab ipsa purgatione, quin & in ipsa purgatione, augentes cibum, quasi id quod est detractum, citò sint exequaturi. Quod quam noxium sit, vel ex hac historia intelliges: nã quasi graue quoddam, & periculosum esset erratum, animaduertit Hippocrates forbitionibus post purgationem usum esse hominem.

- 3 **P**ythodoro, eodem tempore febris continua. Octaua sudor fiebat, & rursus incalescebat: decima rursus sudor: duodecima sorbuit succum, & vsque ad quatuordecimam obscura erat, in temporibus vero erat. Sine siti tamen, & ipse sibi sanus esse videbatur. Sudores fiebant omni die. Quindecima verò iusculum pulli sorbens, vomuit bilem, & aluus deorsum turbata est, & febris exacerbata rursus desiit, & sudores fiebant multi, & corpus totum refrigeratum erat præter tempora. Pulsus non defecit. Videbatur modico tempore laborare, vt opinio esset, eum supercalescere. Vigesima quarta cum multos iam dies cibos gustasset, pranso magna erat febris, & ad vesperam delirium, accedente simul etiam somno. Detinebat itaque iam continua & vehemens. Nunc vnã, nunc duas noctes, sine somno transigebat. Reliquo autem tempore somnus nimius, vt difficile excitaretur, & in somno delirium. Et cum ex somno excitaretur, vix erat apud se ipsum. Siti carebat, & spiritus erat mediocris, qualis aliquando Polycrati. Lingua non decolor. Post septimam recidua, succi offerebantur, post decimam quartam cibus. Primis septem diebus eructabat, & euomebat quandoque cum potu sub biliosum sine anxietate, vsque dum deorsum soluta est aluus. Sudores, ex quo recidua est facta, defecerunt, nisi quis, vt signum quoddam circa frontem. Lingua à somno

no, nisi collueretur, subalbutiens præsiccitate, & ruptiones ulcusculorum in ipsa, & in labio inferno, & iuxta dentes. Alui egestiones exiguae, circa decimam quintam, velut per recidiuam, frequentiores & viscosae. Decoctum malicorij sedauit ipsas. Urinae velut diurnae. Sub vltimum tempus dolor pectoris deglutienti potum. Et manus in pectore. Cuminum & ouum absorbenti, sedatus est. Lingua quod rarum proferebat. Quinquagesima à prima circa arcturum, sudores exigui circa lumbos & pectus: & corpus perfrigerabatur, praeter tempora, exiguo admodum tempore. Quinquagesima prima remisit, & secunda non apprehendit.

Pithodorus fuit eiusdem tempestatis alius aegrotus, habuitque iuxta temporis conditionem febrem sudorificam, quae a sudore potius exacerbabatur quam remitteret. Habuit verò recidiuam longiorem quam plerique alij eiusdem tempestatis. Nam primus morbi impetus fuit vsque ad quindecimam, recidiua facta est vigesima quarta, durauit vsque ad quinquagesimam primam, qua solutus integre morbus est. Habuit itaque febrem continuam eodem tempore, hoc est post Canem, ad ortum scilicet Arcturi, hoc est incipiente autumno: sudoresque fiebant omni die, qui ad febris solutionem nihil conferebant, quod scilicet non tam vi facultatis expultricis fierent, quam vi febris, & multae humiditatis redundantia, ut in malignis febribus solent. Vsque ad diem octauam, aut nihil habuit mentione dignum, aut Hippocrates dicere omisit. Octaua sudor fiebat, maior scilicet quam prioribus diebus, & a sudore rursus incalefcebat, hoc est augebatur denuo febris vsque ad decimam, qua rursus factus est sudor magnus, a quo non narrat an denuo creuerit febris, tamen utcumque hoc actum sit, duodecima remissa iam erat febris, & ob id succum forbuisset: & iam inde vsque ad quatuordecimam obscura erat febris, solum vero sentiebatur in temporibus. Nimirum illic ob magnam venam & arteriam quae praeterit, sentiri solet febrilis calor, etiam vbi in alijs partibus non est conspicuus. Sine fiti tamen

men erat, quod etiam, illi tēpestati familiare fuisse, antea narrauit. Deniq; eo videbat remissionis peruenisse febris, vt ipse sibi sanus esse videretur. Sudores verò, vt dictū est, fiebāt omni die, quod quidē plus aut minus factū est, per totum primū morbi impetū, vsq; ad recidiuā inquā. Quindecima die exacerbata rursus febris est, & indicationem quandā fecit, ita vt iam inde iudicaretur esse in inclinatione, atq; ob id iam inde cibos homo gustaret. Nimirū, vt in cōmentarijs in librū de ratione victus in morbis acutis explicui, & ad præsentē historiam dicere necesse est, veteres medici longē parcius cibabant ægrotos quam hodie, sæpe quidē, vt arbitror, cū maiori vtilitate, aliquando tamē fortasse cū minori securitate: sed nunc alio properamus. Omnia quæ offerebantur, in tria diuidebant, potum, succū seu sorbitionem, & cibos. Potum, vt aquam, vinum, aut mulsam: sorbitionem, vt ptisanam, mazam aut polentā, aut iuscula: cibos, vt oua, pisces, & carnes. Cibos in acutis non præbebant ante vniuersalem inclinationem: solo potu utebantur in acutissimis, in acutis simpliciter sorbitionibus. Et hæcenus quidem Hippocrat. illis consentiebat. Dissentiebat verò, quod illi procedente morbo adijcerent, Hipp. detraheret. Hic igitur quindecima, iusculū pulli sorbens, vomuit bilem, simulq; aluus deorsum turbata est, & febris his sientibus exacerbata, rursus desijt cū multis sudoribus, a quibus refrigeratum est corpus totū, hoc est attemperatū præter tempora, in quibus, vt dictū antea est, reliquæ quædam manebant febrilis caloris. Per hanc iudicationē putatus est in inclinatione esse, & ob id cibus nutritus, quanquā pulsus non defecit, hoc est arteria: ū motus nō omnino sedatus est. Nomen pulsus rarò inuenitur apud Hippocra. & plerisque in locis significat motum arteriarum, non qualescunque, sed conspicuū. Itaque, pulsus esse, significat apud Hippocrat. esse insignem ac manifestū, vt in febricitatibus, aut valde iratis aut cursu defatigatis, esse cōsuevit: pulsus deficere, est sedari, ac desinere esse talē. Igitur, quod dicit, pulsus non defecit, perinde est ac si diceret, pulsus non omnino conquieuit. Videbatur (inquit) modico tēpore laborare, vt opinio esset eū supercalescere, hoc est modico tēpore singulis diebus, fortasse a cibo, aut vesperi, cū solent omnia ingrauescere, videbatur pulsus laborare, hoc est cū quadam

quadam contentione concitatus moueri, ita ut opinio esset ei tunc temporis febrem quandam accedere. Itaque superfuit homo ab illa iudicatione, non omnino liber a febre, & quotidie, modico tempore, videbatur exigua quaedam febris accessio fieri, putabatur vero esse in morbi inclinatione. Neque mirum. Videmus enim nonnunquam etiam in conualescentibus (non tamen perfecte iudicatis) huiusmodi quaedam. Vigesima quarta, cum multos iam dies cibos gustasset (scilicet a die quindecima) post prandium magna denuo febris redijt, & ad vesperam delirium, accedente simul somno. Detinebat itaque iam continua & vehemens febris hominem, nunc cum peruigilio, nunc cum comate, quia nunc unam, nunc duas noctes sine somno transigebat, reliquo autem tempore somnus nimius. In quibus accidentibus duo erant mala, alterum, quod erant nimia & somnus & peruigilium, alterum quod utrumque intempestiue fieret, ac praeter id quod natura & consuetudo poscebat: vigilabat enim noctu, & sopore tenebatur interdium, ita ut difficile excitaretur, & in somno erat delirium. Sed quo pacto erat in somno delirium? Nam qui dormit non videtur posse delirare? An quia (ut inquit) cum ex somno excitaretur, vix erat apud se ipsum, hoc est expergiscitur delirans? Aut fortasse etiam habebat insomnia delira. Sircarebat, & spiritus erat moderatus, qualem interdium fuisse Polycrati nuper dicebatur. Lingua non erat decolor, hoc est a naturali colore non admodum aberat, ex quibus constabat spiritalia non valde laborare, sed multo magis mentis sedem. Cum videretur incidisse homo in recidiuam cibatus est denuo, ut a principio morbi acuti illo seculo cibabantur. Et septem primis diebus reciduae solus dabatur potus, post septimam reciduae hoc est trigesima prima, offerebantur succi: post quatuordecimam, hoc est a trigesima octaua, offerebatur cibus. Quae sane ordinem procedendi in ciborum adiectione viuperat Hippocrates libello dicto, cum usque dum morbus inclinaret, faciendum contra sit, nunc vero narrat quod factum est. Ut constare hinc possit quae in hoc opere Hippocrates facta esse narrat, non semper ab eo probari neque imitanda esse, nisi cum dicit adiutum esse aegrotantem eius rei usu. Sed redeamus ad historiam. Primis septem diebus reciduae, cum cibum iam insolitu-

tum

rum male ferret, eructabat crebro, euomebat quandoque cum potu subbiliosum sine anxietate (quod arbitratur, facile vomeret) vsque dum deorsum soluta est aluus, quod intra primum septenariū recidiuæ euenit. Sudores qui prius aderant, ex quo recidiua facta est, defecerunt, nisi quis sudor, velut signum quoddam fieret circa frontem. Lingua a somno, nisi collueretur, præ siccitate erat balbutiens, & eruptiones vlcusculorum in ipsa, & in labio inferno, & iuxta dentes, & alui egestionibus exiguæ. Hæc vero putare oportet accidisse in secundo septenario recidiuæ. Nam in primo, vt dictum est, siti carebat, & lingua non erat decolor, & aluus est soluta deorsum. In secundo itaque septenario crescente vltione, facta est affectio siccior. Initio tertij septenarij, scilicet circa decimam quintam recidiuæ, quæ erat iam morbi totius trigesima octaua, factæ sunt deiectiones frequentiores & viscosæ, velut per recidiuam, deiectionum scilicet, hoc est quasi facta fluxus alui recidiua. Suspicio autem hunc fluxum qui repetijt, fuisse dysentericæ initium, fuisseque ob irritationem crebras deiectiones, viscosas verò ob intestinorum pinguis partis decissionem. Si enim excretionibus succi crassi fierent, non curassent medici cohibere, neque decocto malicorij essent vsi, siue in potu siue in clysteri. Vtrouis enim licebat vti in hac dysenteria, cum iam putaretur corpus vacuatum esse non parum. Urinas dicit fuisse tunc velut diuturnas, hoc est quales esse solent multo tempore detentæ, crassas scilicet & perturbatas, ac fortasse etiam foetidæ, corpore illac expurgando. Exacto tertio septenario, cumque iam esset morbus quadraginta quatuor dierum, sub vltimum tempus, hoc est vltimo septenario, superuenit dolor pectoris, qui sentiebatur inter potandum. Quem dolorem verissimile erat ex flatu proficisci, quia potu exacerbabatur. Præstat enim potus quam maximè materiam flatui. Sed & curatio huic cõiecturæ attestabatur. Nam manus apposita conferebat, vt fomentum scilicet calidum & familiare: & curatus est accepto cumino ex ouo. Lingua, inquit, quod rarum proferebat, hoc est, expedita erat iam, & proferre poterat quiduis, cõsumpto pene iam humore. Quinquagesima à prima quæ erat vigesima septima à recidiua, sudores exigui circa lumbos & pectus facti sunt, quas ambas partes pati significauerant

rant antea vrina & dolor, & accidit eadē die breue quod-
dam frigus per quod totum corpus, præter tempora, refri-
gerabatur. Producta verò est hæc indicatio vsque ad diem
sequentem, qua cessauit febris, neque iterum redijt. Dixit
quingagesima a prima circa Arcturum, nihil aliud innuēs
quam quod dictum erat, incepisse hunc morbum in Arctu-
ri ortu. Hic morbus difficilioris fuit iudicij, quam Polycra-
ti, & Cleonactis, atque diuturnior, quia ex pluri succo cæ-
tera tamen valde similis.

ERatolai filius circa autumnale æquinoctium dysente-
ricus fiebat, & febris tenebat. Egestionēs erant bilio-
sæ, tenuēs, multæ, mediocriter subcruentæ: dolor autē ven-
tris vehemens, cum bibisset serum, & cum bibisset lac, in
lacte ignito moderatiōres fiebant dolores, & deiectionēs
subcruentæ: biliosæ autem comitabantur, & exsurgebat
crebro, & cum minori labore. Febricula vero videbatur,
& agrote, & multis, omnino nunquam adesse, post primos
sex dies, adeo erat obscura. Secundum tempora autē pul-
sus erat, & lingua ob siccitatem subalbuciens, & siticu-
losus mediocriter, & sine somno. Sorbitionibus autem iā
vtebatur, & vinis. Quum iam ad decimam quartā diem
peruenisset, tubercula circa aurem oborta sunt, tum alte-
rans, tum vtramque dura & cruda. Omnia euauerunt,
dolorosa vero mediocriter. Cum autem non deficerēt ege-
stiones, & semper essent biliosæ, absorbenti in farina her-
bam, moderatiōres facti sunt, & dolores, & biliosæ ege-
stiones. Humidæ autem multæ sepe, & vehementer cibum
aborrebat, & magna vi accipiebat. Calor verò, et lingua,
sitis, sequebantur qualia dicta sunt, & sudores nulli. Obli-
uio verò quædam huiusmodi. Cum interrogasset quod pau-
lo ante audierat, & intermittens rursum interrogabat, &
rursum repetebat, vt qui nunquam interrogasset, atque cū
sederet obliuisceretur, nisi quis ipsum admoneret. Et ipse
sibi ipsi erat conscius passionis, neque ignorabat. Spiritus
qualis

qualis sano. Ultra trigessimam verò vsque ad quadragessimam, dolor ventris multum crescebat, & supinus decubebat, & neque tantillum sese conuertere poterat, & quia dolor erat vehemens, alijs qui cibum indulgenter exhiberent, indigebat. Alui egestio multa, decissa, tenuis, & colores vini, quæcunque tandem ingessisset, & aliquando subcruenta. Et corporis (tonus) tabescentia extrema, & impotentia, neque surgere, vel alio quidem subleuante, poterat. In medio autem vmbilici, & ossis pectoris, circa hanc regionem apposita manu, talis erat palpitatio, qualis neque a cursu, neque, à pauore circa cor generari posset. Bibenti, lactis asinini excocti, quasi nouem Atticas cotylas, duobus diebus biliosa purgatio vehemens oborta est, & dolores cessauerunt, & ciborum accessit appetentia. Posthæc bubuli lactis crudi quatuor cotylas Atticas bibit, singulis diebus duos cyathos, primum aqua sextam partem miscens, & vini nigri & austeri parum, semel autem in die cibum capiebat ad vesperam. Panis subcineritij velut chænicis dimidium, & pisciculum saxatilem simplicem, aut carunculam capræ, aut ouis. Potus autem lactis, post dies decem vsq; ad quadraginta, sine aqua, cum vini nigri modica parte. Sudor verò exiguus fiebat post quinquagesimam à prima, post balneum, ad noctem. Exiguuo vero potu utebatur, & post cibum potu austeriore, quòd eius cupiditate caperetur.

Non narrat qui fuerit huius morbi exitus, an liberatus ià eadē, post sã longã ægrotationē, homo sit, an tabuerit profusus. Ego certè oēs ferè ita affectos, vidi, postremo perire tabidos: euenit tamē nonnunquã in ætate florente, & hominē alioqui natura robustū, paulatim, velut reuiuiscere Vnicus mihi nūc in mentē subit ita affectorū, quē liberari viderim. Sed quæ fuerit hæc affectio, quã adeo periculosam dicimus, enarremus. Imprimis dysenteria cū cōtinua febre laborauit. Vnde cōsentaneū erat, mox timere morbi mori-

te nit atepi

gnitatem, quòd scilicet febris inuaderet à principio cum
 euacuationibus. Scitū enim est illud secūdi libri huius ope
 ris, decretoria ne statim appareāt. Sed & qualitas exeūtiū
 malignitatē indicabat, cū essent deiectiones biliosæ, tenues
 multæ, & mediocriter subcruētæ. Fiebant enim multa bile
 tenui regurgitante per intestina, adeo acri, vt vlcerādo, ac
 radendo, sanguine tingeretur, & vehementem moueret
 ventris dolorem. Veterrimi, vt nuper notauimus, contine
 bant ægrotos primam septimanam cum solis potionibus,
 secunda sorbitiones præbentes, veniebant deinceps ad ci
 bos: potiones vero tribuebant non easdē omnibus, sed cu
 iusq; morbo accommodatas, vt & sorbitiones, & cibos. Huic
 datum est primò potandū serum lactis, deinde lac ignitū,
 hoc est in quo extincti essent igniti lapilli, aut orbiculi fer
 rei. Quod quidem iuxta dysenterix indicationem est factū
 rectè. Nam vtendum primum extergentibus, & expurga
 tionem faciliorem reddentibus, quale certè serum est, dein
 de temperantibus succorum mordacitatem, & oblinenti
 bus vlcera, & non nihil adstringentibus, quale est lac ita pa
 ratum. Nam lapillorum ignitorum immersione absumitur
 serum, & deponitur facultas expurgandi, & comparatur
 adstrictio quædam: ipsum vero per se lac, est temperans, &
 pingue, præcipuè vero crassius igne factum. Ita merito
 factum est, vt huius potu dolores mitescerent, & deiectio
 nes essent minus cruentæ: quoniam vero materia supererat
 adhuc multa, biliosæ deiectiones procedebant, & exurge
 bat crebro, etsi cum minori labore: vt diceret, iam curatam
 esse lactis qualitate dysenteriam, superesse verò, ob bilis
 redundantiam, diarrhoeam. Febris post primā septimanam
 adeo est remissa, sedata scilicet iam in intestinorum vlcera
 tione, affectione phlegmonosa, quæ talia vlcuscula sæpe
 comitatur, vt ipsi ægroti, & multis eorum qui aderāt, nulla
 prorsus esse videretur. Cum verò nondum maneret purū
 corpus, & intestina adeo acrem & exustam fluxionem pa
 ti cessarent, factus est exustæ bilis in superiora recursus, &
 ob id cœperunt superiores biliosiores esse, quod indica
 bat pulsus circa tempora (dictum iam sæpe est vocari ab
 Hippoc. pulsus: insignem & conspicuum arteriarum mo
 tum) & lingua ob siccitatē subalbutiens (nimirū vt nimia
 linguæ humiditas facit balbutiem, ob molliciem & infir
 mitatem,

Y y

mitatem,

mitatem, ita siccitas ob immobilitatem) & quòd siticulo-
 sus erat, quamquam id non nimis, quia febris erat exigua,
 satis verò, ob siccitatem, cui etiam attestabatur peruigilia.
 Erat enim etiam sine somno. Ita transegit totam secundam
 septimanam, deinde secundum consuetudinem, utebatur
 forbitionibus, & vinis. Sorbitionibus quidem, quia erat
 elapsa septimana prima: vinis verò quia febricula, vt dixi,
 erat exigua (nam alioqui vinum in potionibus ponebant,
 non in forbitionibus) cum iam ad decimam quartam per-
 uenisset, oborta sunt tubercula circa aurem vtramque, du-
 ra & cruda, dolorosa verò mediocriter: itaque erat phleg-
 mones scirrhusi, cerebro deponente excrementa in partes
 adenosas facti. Nihil tamen attulerunt utilitatis, quia eua-
 nuerunt, hoc est disparuerunt, repente, neque resoluti pau-
 latim, neque suppurati, quod periculosissimum esse testa-
 tur Hippocr. sæpe, atque fortasse tuberculorum retrocessu
 factus esset internus aliquis phlegmon, nisi deiectiones bili-
 osæ perseuerassent. Verum hæc nunquã cessabant, & sem-
 per erant biliosæ. Cumque vellet iam diarrhœæ occurrere,
 forbuit (inquit) in farina herbam. Non dicit quã herbam,
 licet vero intelligere aliquam earum, quæ ad cohibendam
 aluum sunt accommodatæ, vt plantaginem, aut anchusam,
 aut pentaphillon. Parata ergo illi est sorbitio ex farina tri-
 ticea, & tali quapiam herba coctis, & moderatiores facti
 sunt dolores, & egestionis biliosæ esse destiterunt, & factæ
 sunt multæ & crebræ humidæ, hoc est aquosæ. Atqui neque
 hoc quicquam contulit, cum ne tunc quidem expurgatum
 esset satis corpus, vt liceret cohibere biliosas deiectiones.
 Suppressa iterum est bilis, & rursus recurrit sursum, in hy-
 pochondria & caput. Quod indicarunt, fastidium, ingens
 adeo, vt cibum vehementer abhorreret, nec sine magna vi
 acciperet, & calor, & lin aucta sunt. Sudores vero nulli fie-
 bant, natura scilicet nihil notatu dignum per corporis ha-
 bitum expellente. Accidit etiam tunc obliuio quædam illi
 (quæ haud dubie ex mentis alienatione erat, potius quam
 ex memoriæ ipsius per se læsione) similis illi obliuioni,
 quæ fieri solet in phreniticis, aut ijs quibus iam iam insania
 imminet. Nam cum interrogasset quod paulò ante audie-
 rat, rursus interrogabat, & rursus repetebat, vt qui nun-
 quam interrogasset, atque cum alicubi sederet, obliuiscer-
 batur

batur inde surgere, nisi quis ipsum admoneret. Atqui erat
 ipse sibi conscius huius passionis, neque ignorabat. Hæc
 certe melancholica erant, significabantque mentem, nigra
 evaporatione in caput delata ex bile vsta, lædi. Nunquam
 autem hæsit multum talis bilis circa spiritales partes, & ob
 id respiratio erat qualis sano. Hæsit verò plurima circa hy-
 pochondria, quæ à trigesima vsque ad quadragesimã diem
 tantum dolorem ventris excitavit, vt nisi supinus decube-
 re non posset, neque tantillum se posset conuertere, neq; ci-
 bum quidem præ doloris vehemètia sua manu caperet, sed
 opus esset, vt alius ei indulgèter tribueret. Adeo erat dolo-
 re fractus. Alui egestio erat multa, decissa, hoc est diuersa &
 malè coherens, tenuis & coloris vini, quæcunque tandem
 ingessissent: hoc est colores apparebant in deiectione, po-
 rum & eduliorum, quæcunque essent ingesta. Quod inco-
 ctionem significabat, & debilitatem maximam facultatis
 ventriculi, quæ quidem in ita affectis fieri consuevit, vt &
 acida cruditas naturali calore debilitato per caloris ignei
 exuperantiam: aliquando etiam erant colores subcruenti:
 similem etiam (arbitror) iam patiente hepate debilitatem.
 Nam per talè, vt ex prima concoctione exeunt tenuia refe-
 rentia coloribus ipsos cibos, ita ex secunda subcruèta quæ-
 dam, similia carniū loturæ. Inter vmbilicum verò & os
 pectoris, appositâ manu, talis sentiebatur palpitatione, qualis
 neque à cursu, neque à pauore circa cor generari posset.
 Constat hic palpitationem vocari, non eam solū quæ a Ga-
 leno exactius distinguète nomina, ita vocatur, sed omnem
 subiectarum manui partium motitationem. Nam is cordis
 motus qui à cursu fit, non est palpitatione, sed pulsus, neque
 qui à pauore, sed tremor. Atque is etiã motus, qui in præ-
 sentis historię ægroto sentiebatur, erat pulsus. Fic verò mul-
 tis ægrotantibus, eo in loco pulsus quidã insignis, eius arte
 rix, quæ per spinam descēdit, ob affectum phlegmonosum
 eius loci, qui quidē aliquando fit in acutis morbis, & vt di-
 citur in prognostico, significat periculū & furorē, aliquan-
 do etiam manet post acutos morbos, bile vsta collecta in
 hypochondrium, fitque affectio eo loco cancrosa, ex qua
 per pauci euadunt, pleriq; tabescunt. Velut hic, cuius corpo-
 ris tonus tabescētia extrema, & impotentia, hoc est, totus
 corporis habitus talis erat, qualis in tabidis, & extrema

macies, & debilitas tanta, vt neq; alio quidem subleuante
 furgere posset. Hac occasione purgatus est copioso hauſtu
 lactis asinini excocti. Accepit verò duobus diebus quasi
 nouē Atticas cotylas, quæ capiūt uncias 81. Erat veteribus
 familiaris vsus huius lactis ad purgandā bilē, vt constat fa-
 cilē, legēti librum secundū de ratione victus in acutis: quē
 vsū ego non sine magna vtilitate sum aliquando imitatus
 cogens ægrotos accipere huius seri, aut huius lactis, quod
 etiā est valde serosum, plusquam duos sextarios. Lac coqui
 debet, vbi nō potest esse recens multū, & per se calens, ne
 aceſcat: serū datur melius frigidū: huic certē biliosa purga-
 tio vehemens oborta est, & dolores ventris cessauerunt, &
 recedente bile accessit ciborū appetentia. Postea accepit
 dies duodecim summo manē lac bubulum quod facultate
 expurgandi longē inferius est asinino, pingue tamen est, &
 nutrit multo plus, quapropter tabescētī ex dysenteria, post
 expurgationē erat accommodatissimū. Tabes enim post cor-
 poris expurgationē, petit nutritionē: dysenteria post exter-
 sionē petit inunctionē, ex aliquo pingui. Accipiebat vero
 quotidie cyathos duos, hoc est uncias 3. Itaq; accepit his
 omnibus diebus, fere cotylas quatuor Atticas. Addebatur
 vero huic potioni matutinæ, aquæ pars sexta, & vini nigri
 austeri parū. Itaq; potio accipiebat lactis bubuli uncias 3,
 aquæ vnciā semisse vini austeri nigri parū. Fiebatq; ita po-
 tio pinguis, nutriēs, & nō nihil adstringēs, antea etiā per to-
 tū ferē morbū (nā à decima die vsq; ad quadragesimā) ac-
 cipiebat summo mane potionē dictæ similē, præterquā quod
 non accipiebat aquā, sed solū lac (nō explicat quale, fuerit
 vero asinū, aut equinū quod illi est proximū, fortasse etiam
 caprinū, nā & hoc probatur) & vini nigri partē modicā,
 vt fortasse sextā. Hæc quoq; potio ex lacte & vino comi-
 stis familiaris erat antiquis, vt ex alijs etiā huius operis lo-
 cis constat: hoc autē tēpore nullus est eius vsus, quod timeāt
 medici, ne facilē aceſcat. Sed victus quoq; quo vtebatur, si-
 piebat plurimū veterimā illā medicinam. Nam accipiebat
 cibū semel in die ad vesperā, cōtra ac nunc fit, nisi in raris
 quibusdā morbis. Verū hoc nō est mirū, eadē enim ratione
 veteres dabāt cibos vesperi, & nunc dātur in meridie, vtrū-
 que enim fit iuxta temporis conditionem, & hominū mo-
 res. Accipiebat vero panis subcineritij velut choenicem
 dimidium.

dimidium. Et pisciculum saxatilem simplicem, aut carunculam capræ, aut ouis. Panis subcineritius, autore Galeno cap. 2. primi de alimētorū facultate, omniū est deterrimus, quia præterquā quod inæqualiter coquitur, malam qualitatem à cineribus accipit. Fortasse vocat hic subcineritium ad ignē tostum, postea quā fit in furno coctus. Talis enim per diarrhœas non inutiliter datur. Sin autē vocat subcineritium, eum qui proprie talis est, ruditati illius seculi imputandum est, quo male paratis & pane & obsonijs in cōmune homines utebantur, non tamen hoc, & alia huiusmodi, imitanda nunc sunt. Fruendū enim potius cultiori victu, quem tempus attulit, & hominum ingenia, chænicis dimidium est, paulò plus quam libra, nunc vulgaris, & mercatoria. Nam duo sextarij constituunt chænicem, sextarius verò capit uncias duo de viginti. Pisciculum saxatilem Galenus commendat. l. b. 7. meth. pro arefcentibus, simplicem intellego vocari, simpliciter paratum, sine muria aut garo, quasi non salitum dicas, neque aliter conditū. Carnem caprinam & ouillam, vituperat Gal. etiā 3. lib. de alimēt. fac. c. 2. quasi mali fucci, & alteram excrementosam, alterā acrem. Quare neque hoc imitandū est, nisi forte, Carūculam dixit, ut tennellam ætatem animalium significaret, deditque carnē capellæ, & aguinam. Has enim, in tam longo morbo, & arefcente homine, non erat nimis licentiosum, concedere. Itaque hoc victu peruentum ad quinquagesimam diem est. Postea cum balneis vteretur, quotidie corripiebatur ad noctem, post balneū, sudore modico. Non utebatur autem multo potu, neq; crebro, sed solū post cibum, & tūc austeriori, quod eo delectaretur. Non narrat quē exitū habuerit morbus. Fortasse, quandoquidē non dicit esse mortuū, liberatus est paulatim. Ego vero quod certo affirmem non habeo. Sudor enim ille, fieri solet ad noctē, non solum ijs quibus corpora excrementosa paulatim purgātur, sed etiā tabidis. Abhorreere verò à potu, & austiore delectari, eorum est quibus bilis redundat, & effusa per totum est, aqua enim illis & omnis moderatus potus insuavis fit, solus verò austerus gratus, quod austeritas bilis amaritudini occurrit. Itaq; erat adhuc corpus excrementosum, gracile, & debile. Nescio quid de eo actū sit. Certe nō euasit breui: sed si quā maxime erat natura robustus, vix lōgo tpe fuerit liberatus.

- 5 **C**tesicrati autē quod in farina magis contulit, quā caprinum serum, cum dolor esset circa totum ventrem, & labores & surrectio multa, & subcruenta, & tumor pedum ferè iam dies viginti esset. Contulerunt eadem Adriano. Puerο autem Canei lac asininum coctum.

Hi quoque laborauerunt dysenteria, & eisdem remedijs vsi sunt, putā lacte asinino, & sero caprino, & sorbitione ex herba & farina. Quorum facultates in historia filij Eratolai dictæ sunt. Fuit autem diligentia Hippocratis notare, quiuis eorum, qui simili morbo ea tempestate correpti sunt, quo maxime auxilio leuaretur. Ctesicrati quod in farina dicit contulisse, magis quam caprinum serū. Hæc phrasis, quod in farina, significare solet nihil aliud, quam farinam ipsam. Hic fortasse refert id quod nuper est dictum, significatque herbam in farina, coctam. Dicit verò habuisse hunc dolorem, & labores per totum ventrem, & multam surrectionem & subcruentam, quod est habuisse dolorem intestinorum ob eorum affectionē, labores verò ex crebra surrectione ad deiectionem, eam verò fuisse subcruentam, cum tumore pedum, qui viginti iam dies hominem teneret. Quæ notæ euidenter significabant dysenteriam, cum debilitate concoctricis in hepate: vnde hydropis periculum ob refrigerationem impendebat. Hoc casu merito serum esset inutile, vtpote refrigerans, & aqua magis replens. iuuaret verò herba aliqua corroborans in pulcritudine, vt alterum firmaret hepar, alterum muniret intestina. Eadem inquit contulisse Adriano, quòd, vt arbitror, eodem modo laboraret. Puer verò Canei iuuatus est asinino lacte, quòd, arbitror, sine hepatis debilitate esset biliosior.

- 6 **C**rdis filio circa solstitium hyemale rigor & febris, & auris dextræ dolor. Huiusmodi autem dolor statim a paruo puero illum comitabatur, rheumatofus, & fistulosus, & grauis odoris, cum autem ita se haberet, plerumque erat sine dolore: tunc autem dolor erat vehemens, & cephalalgia, secunda aut tertia die bilis vomitus: desidi

denti factum est subbiliosum letum, velut ex ovo subpal-
 lidum. Quarta & quinta die ad noctem aliquantulum de-
 lirabat & dolor capitis, & auris grauis, & febris. Sexta
 suppurgatio à mercuriali, & calor & dolor cessasse vide-
 batur. Septima velut sanus. In temporibus autem pulsus
 non defecit, sudor non est obortus. Octaua succum sorbuit,
 ad vesperam autem betæ, & nocte somnus. Et admodum
 sine dolore. Et nona latus erat ad solis occasum. Ad no-
 ctē verò capitis & auris dolor grauis. Euenit autem &
 hac occasione pus fluere ex aure, cum maximè doleret sta-
 tim à principio. Totam autem noctem nonam, & diem se-
 quentem, & maximam noctis partem, non agnouit quem-
 que, suspirare vero perseuerabat, die vero ad seipsum re-
 diit, & dolores cessauerunt, & calor factus est modera-
 tius. Cum sorbuisset autem mercurialem vndecima, deor-
 sum fluxere pituitosa, mucosa, maleolentia. Duodecima
 & terdecima mediocriter, quatuordecima à summo mane
 incipiens vsque ad meridiem toto corpore sudabat cum
 somno & multo sopore, vt ægre excitaretur: vespere autē
 experrectus est, & corpus moderatè perfrigeratum est, in
 temporibus autem pulsus perseuerabat. Decimaquinta,
 & decimasexta succis utebatur. Decimasextima autem
 venit rursus dolor ad noctem eorundem, & delirium, &
 pus fluebat decima octaua, & decimanona, & vigesima,
 maniacæ. Vociferabatur attollere sese tentans. Non po-
 tens autem caput sustentare, manus protendens, semper
 aliquid frustra venabatur. Vigesima prima sudor circa
 dextrum latus, & pectus, & caput. Vigesima secunda su-
 dor circa faciem plurimus erat. Voce autem hoc tempo-
 re, siquidem plurimum conaretur, loquebatur quæ vole-
 bat perfecte, si vero repente, semi perfecta, & ore resolu-
 to, & genæ, & labia, semper mouebantur, quasi vellet lo-
 qui, & oculorū creber motus ac intuitus, & color in oculo

dextro, vt dictum est, subcruentus, & superna palpebra intumuit, & in maxilla sine rubor, & venæ omnes faciei manifesta, adeoque compacta, & oculis non amplius nitabatur, sed attente intuens, & distrahens palpebras in supernam palpebram, vt fieri solet cum quid in oculum incidit. Et cum biberet, descendens in ventrem & pectus sonitus, qualis & Chartadi. Spiritus autem mediocriter moderatus semper. Lingua qualis est peripneumonicis, semicandida semipallida ab initio, & semper dolor capitis. Cervix semper immobilis, vt cum capite circumferre cogeretur, & spina quæ ex ceruice, recta & inflexibilis, & decubitus quales dicti sunt, & non semper supinus. Pus autem iam serosum album, operosum erat spongijis extergere. Odor valde excellens postremo iam tempore, pedum tactus non valde sentiebatur.

Hic haud dubie mortuus est, tametsi id dicere Hipp. omisit, nisi fortè id insinuauit, dicens postremo iam tempore, postremo scilicet vitæ tempore. Hic puer statim à parvulo laborauerat auris dextræ humiditate, quem morbum Hipp. apho. 24. sect. 3. dicit esse pueris recens natis familiarem. Habebat vero dolorem dextræ auris rheumatofum, ac fistulosum, & grauis odoris, hoc est patiebatur, cum dolore, & fistula, diurnitate iam facta, puris foetidi effluxum. Verum etsi semper haberet, non semper dolebat, sed plerunque effundebat sine dolore. pus. Quodam autem anno circa solstitium hyemale, concitata illi in aurem (vt scilicet fieri solet in partes, quæ sunt alioqui debiles) noua fluxione, atque adeo in totum caput, præcipuè secundum id latus, obortus illi est in auditorio poro, & proximis partibus, phlegmonosus affectus, qui tametsi adhibitis idoneis auxilijs aliquoties mitigaretur, tolli verò omnino non potuit, quin postremo, communicato malo ipsi cerebro, quod est mentis sedes, & neruorum principium, cum delirio & conuulsione moreretur. Principio rigor eum apprehendit, quòd, arbitror, partes sentientes humor acer tangeret, mox firmato humore, & inflammatione oborta, succellit febris

febris & dolor, vehemens, & patiente simul toto capite, cē
 phalalgia. Secunda aut tertia die (non alia causa vtiturez
 particula disjungendi, quam quod nō satis recordaretur)
 accidit vomitus biliosus. Hoc quoq; symptoma fieri cre-
 bro solet per cephalalgia, & hemicraneā, vt & per capitis
 vulnera, ob eam cōpassionem quæ inter caput & os vētri-
 culi intercedit. Hoc ipso tempore cū desideret deijciebat
 ex aluo subbiliosum lētum velut ex ovo subpallidum. Ne
 putes hac periphrasi descriptionem bilis vitellinæ contine-
 ri (vt fortasse quispiam censeret sequutus sententiam Aui-
 cenæ qui eā bilem mistione bilis & pituitæ fieri putat) sed
 deiectionis cuiusdā pituitæ & bilis mistione factæ, similis,
 non vitello oui, sed albumini bile tincto. Lētū enim in ovo
 non vitellus sed albumē est. Dicit ergo esse quod egereba-
 tur subbiliosū lentū, quasi albumen oui quistingēs subpal-
 lidū reddat. Itaq; ab exeūtibus supreme & inferne bilis &
 pituitæ redūdantia significabat in toto corpore. Quarta &
 quinta die ad noctē delirabat aliquātulū, & dolor capitis
 & auris grauis, & febris, insignis scilicet. Quod morbus
 hic noctu ingrauesceret, consonum est rationi, Dictū iam
 enim est non semel antea in hoc ipso opere morbis capitis
 & oculorū (est autem eadem ratio & aurium) id esse fami-
 liare. Crescebat vero hactenus malū, & cū eius impetus in
 septimam vltq; diē timeretur, iuxta id quod in prognosti-
 cō dicitur, natu minores septima aut citius ab hoc morbo
 intereunt, ob morbi vrgentiā volentibus medicis periculū
 antevertere, & deorsum reuellerē materiā, sexta die mer-
 curiali purgatus est per inferiora: & res optimē cessit. Nā
 peracta purgatione calor & dolor cessasse videbat, & se-
 ptima erat velut sanus. Hoc exēplo sese tuebūtur, satis scio
 vulgares medici qui omnes ægrotos qui continuis febrī-
 bus tenent die sexta pharmaco purgāt, vt magna noxij hu-
 moris pars detrahatur antequam prælium quod dies septi-
 ma solet afferre, superueniat. Verum id non est facien-
 dum incaute, neque temere. Interest enim quæ sit morbi
 constitutio. Nam ne acutis quidem omnibus est septima
 iudicatoria, sed alijs vndecima, alijs quatuordecima, alijs
 etiam vigesima septima. Interest, turgeat materia an non,
 vrgeat multitudo, sit aliqua concoctio, cessauerint prin-
 cipij fluxiones, an vsecus: his omnibus perspectis, iuxta
 commu-

communes præceptiones expurgandum erit, aut secus, non
 sexta die solū, sed & quinta, & quarta, & tertia, aut etiā pri-
 ma, si res ferat, quod in commentarijs quarti de ratione vi-
 ctus explicuimus. Huic non malè videtur, neq; præter artē,
 datū medicamētū, quia nōdū sentiebarur cessasse fluxio, &
 reuulsoria expurgatio non est quod expectet concoctionē.
 Possēt non deterius dari die tertia, cū lenta, & biliola deij-
 ci cœperunt, fuissetq; fortasse deuitata molestia quartæ, &
 quintæ: nisi id prohibuit vomitus biliosus, qui eadē accidit
 occasione. Quæ vero antea nō potuit, recte est acta, die sex-
 ta, expurgatio: à qua cū quā maximè sanus esse videretur,
 restitit tamē quiddā (ita vt fieri, in ijs quibus est futura reci-
 diua, Hippocr. ipse antea dixit) quod nōdum esse hominē li-
 berū à morbo, sed rursus deterius habitū, indicabat: pulsus
 scilicet in temporibus, qui, affectus phlegmonosi, nondum
 soluti itegrè, erat symptoma: cui accessit, nō esse obortū su-
 dorē, neq; vero vllam aliam decretoriā euacuationē, qua
 id quod in capite fuerat firmatum, solutum iam esse puta-
 retur. Vbi animaduerte Hippocrat. etiam post euacuatio-
 nes arte factas, quæ videantur plurimum contulisse, deside-
 rare spontaneas & decretorias, easq; non succedere, sus-
 pectæ salutis censere esse signum. Atqui cum medicus, siue is
 fuerit Hippocr. siue alius quispiam (plurima enim, vt in su-
 perioribus historijs vidimus, narrat in hoc opere Hippo-
 crat. quæ ab alijs gesta sunt) videret nondum esse solutum
 morbum, in victu ægrotantium hominem continuit, dedit-
 que octaua sorbendum succum (fortasse ptissanæ) ad vespē
 ram autem dedit succumbetæ, quem constat esse medica-
 mentosum, & aluum subducere. Quoniam, arbitror, vide-
 rat mercuriali esse hominem adiutum, velut quia, viam mō-
 strabat fortuna, sequi. Quod consilium ego in curationi-
 bus magnopere probo, modo nihil agatur nimis. Non nar-
 rat an hac die alius sit soluta, tamen vt cunque euenerit, ho-
 mo habuit melius. Nam ea nocte somnus, & fuit admodū
 sine dolore, & nona ad solis occasum letus erat, & sine om-
 ni quærela confabulabatur. Atque cum omnes (ita vt fit)
 essent domi læti, & inciperent morbi curam deponere, ea-
 dem nocte redijt capitis & auris dolor grauis, simulq; cum
 maximè doleret, statim à principio, hoc est, antequam dolo-
 res vlla ex parte mitescerent, pus fluxit ex aure, & rotam
 eam

eam noctem, quæ nona erat morbi, & diem sequentem, & maximam noctis, sequentis diei, partem, non agnouit quenquam, & perseverabat suspirare: quod delirij erat. Nam suspirare est spiritu magno & raro uti, quod, ut in prognostico dicitur, delirium indicat. Sed miraberis, qui fieri potuerit, ut in ipso doloris impetu pus efflueret, ut n. ut in aphorismo dicitur, tunc maximè generari cū dolores ac febres fiunt, exire vero cum iam est confectum. Certè coniectandum est, hoc pus, per dolores quartæ, & quintæ diei, esse genitum, erupisse vero per dolores nona, & decima, in interuallo quo confectum pus erat, neq; adhuc rumpebatur abscessus, mitius habuisse omnia. Non tantum autem per hos secundos dolores, prius geniti puris accidit eruptio, sed cū corpus adhuc esset impurum, noua fluxio est concitata, & noua puris generatio: itaque alius motus priori omnino similis, præter quam quod interuallum vsque ad dolorum rerudescentiam (ut Hippocratico modo loquar) habuit longius. Nam à fine decimæ diei vsque ad decimam septimam, qua febres, dolores, deliria, & puris eruptio redierunt, melius habuit. Itaque inter primos & secundos dolores, vnicus fuit quaternarius, inter secundos & tertios duo quaternarij. Causam autem fuisse existimo iudicationem quandam imperfectam quæ die quatuordecima intercucurrit. Sed quid duob. his quaternarijs actum sit, exponamus. Cum dolores, & deliria, bonâ partem noctis decimæ diei perseverassent, sequenti diei initio ad se ipsum redijt, & dolores cessauerunt, & calor febrilis factus est moderatus. Medicus vero eadem die, eodem prorsus consilio quo antea fecerat, dedit mercurialis succum sorbendum, & successit tunc quoque bene. Nam fluxere deorsum pituitosa, mucosa, maleolentia. Duodecima & terdecima habuit mediocriter. Quatuordecima à summo mane incipiens, vsque ad meridiem, toto corpore sudabat, cum multo sopore, ut ægrè excitaretur. Vespere autem experrectus est, & corpus moderatè refrigeratū, ut videretur scilicet extincta febris. Mirum nisi hæc iudicatio adeo placuit medicis, qui aderāt, ut putarent iam inde ægrotum futurum sine periculo. Nam erat sudor calidus (dixisset enim Hippocrates haud dubiè, si esset frigidus) per totum corpus, sine anxietatibus, (si quidem cum somno) & tactu quidem, videbatur fe-

brem

brem subtulisse, & hæc omnia in die decretorio sunt acta. Restitit tamen nunc quoque idem imperfectæ solutionis, & futuræ recidiuæ signum quod prius, puta pulsus in temporibus: qua propter decima quinta, & decima sexta, non cibis, vt qui bene iam haberet, sed succis vltus, vt qui adhuc ægrotaret, decima septima ad noctem correptus rursus est dolore earundem partium, & delirauit de nouo, ac pus effluxit iterum, processitq; delirium ad maniam, & durauit vsque ad vigesimam primam, & vociferabatur attollere se tentans: non poterat tamen miser caput sustentare: protendebat manus, & semper frustra venabatur, quod qua ratione accidat phreniticis, in prognostici commentario, & multis alijs locis explicatum à me est. Vigesima prima accidit sudor circa dextrum latus, & pectus, & caput: hoc est circa dextrum latus, pectoris, & capitis. Qui sudor non decretorius (fuisset enim æqualis) sed symptoma multitudinis & debilitatis, iuxta id quod in aphorismo dicitur, Vbi sudor ibi morbus. Laborauit enim toto hoc morbo dextrum latus præcipuè. Iam hinc abire cœperunt signa omnia in deteriora manifestè. Nã sudor secunda die accidit secundum solam faciẽ, quæ deterioris sudoris est species, & cœpit cõuulsiuos habere motus in partibus faciei, qui processerunt vsq; ad tetanũ, & puris conditio mutata est, abiitq; in serosum, vsquedum postremo, extremis partibus amitti cœpit sensus, & homo mortuus est. Vt iam hinc constet, quã verè dixerit Hippocrat. in prognostico, & in huius operis libri sexti, sectione quinta, aurem esse locum fallacẽ: fallaces. n. vt in commentario sectionis sextæ libri eius dixi, morbi sunt, qui cum videantur esse sedati, aut etiam soluti, redeunt Cuius præsens historia præstat accommodatissimum exemplum. Sed redeamus ad pensum. Est notatu dignum, quod siquid (inquit) voce conaretur plurimum, loquebatur quæ volebat perfectè, si vero repente, atq; vt aliud agens, & sine magno conatu loqui inciperet, loquebatur semiperfecta, hoc est non perfectè proferebat, sed velut ore resolutio. Hoc accidens vidimus in quibusdam per abolitam memoriam, alijs etiam per irrationalem obliuionem, quale habebat Eratolai filius, cuius historia nuper narrata est. Nam quibus abolita est memoria, accidit aliquando, vt vel in media prolatione verborum obliuiscatur, atq; ita semipro
 lata

lata dimittant, cum vero quis ipsis dicat, & simul proferre iubet, perfectè proferunt, vtpote nullo vicio consistente in sermonis instrumentis: melancholici etiam aliquando per mentis alienationem balbutiunt, & quædam imperfectè prolata effutiunt, tamen cū aliquando conantur aliquid proferre, & aduertunt animum; nullum in prolatione vitium est, vt neque in eius instrumentis. Ab hoc homine mentis alienatio non aberat, verum aliorum symptomatum concursio indicat, in aliam potius causam reijci debere, quàm in dictorum vllam. Nam genæ & labia mouebantur semper tremulè, quasi semper aliquid loqui vellet, oculi quoque crebrò mouebantur, & in varios vertebantur intuitus: quæ non aliter quam incipiente resolutione, aut conuulsione partium, fieri poterat. Fuisse vero conuulsionis initium, exitus declarauit. Nā desijt hæc agitatio in immobilitatè oculorum, vt non amplius nictarent, sed attentè intuerentur, & in tetanum: vt ceruicem cum capite circumferre cogeretur & spina quæ ex ceruice, hoc est spina ceruicis, recta & inflexilis, vt simul cū capite & pectore moueretur. Consentaneum ergo est, dicta omnia in conuulsionè reijcere. Nimirū antequam conuulsio musculos apprehendat, mouetur conuulsoriè, imprimis quidem, facultate vim magnam retinente, causa verò præter naturam, adhuc lædente exiguum: deinde paulatim præualente morbo, & succumbente facultate. Igitur imprimis conuelli musculis qui os claudunt, & qui buccas mouent, tantum incipientibus, loquebat semiperfecta, & ore velut resoluta, quod scilicet conuulsio apertientiū, claudētibus repugnaret, & labia, & genæ, & oculi, conuulsio more mouebantur. Deinde, crescente conuulsione, infixi sunt oculi, & distorta palpebra superna sursum versus, velut consulto fieri solet, cum aliquid in oculum incidit. Postremò, secundū caput, ceruicem, & totam spinam, superuenit tetanus. Factam esse conuulsionem multitudine sanguinis in caput irruente, indicabant, color subcruentus, & tumor palpebræ in oculo dextro, & genarum rubor, & venarū in tota facie tumor: siquidē erant manifestæ & compactæ, hoc est tumentes, & solidæ, atq; obstructæ multo sanguine. Cōmemorata itaq; signa, erant conuulsoria: reliqua extinctionē facultatū, quibus corpus regitur, & naturalis caloris sequebantur. In quibus est illud insigne, quod

quod cum biberet, erat descendens in ventrem & pectus sonitus (quod & Chartadi dicit accidisse, cuius historia paulo post narrabitur,) hoc signum vidi ego in multis moribundis, atque haud scio an viderim in vlllo eorum, qui superuixerint, certe in vno tantum, eorum qui acutè ægrota-
rent, & id accidens acutæ feбри superueniit. Causam vero esse censeo eius accidentis, quod corruptis iam facultibus naturalibus, potus pondere, & propria fluxilitate feratur, velut in demortuum corpus, atque ob id sonitum edat. Accedit etiam sonitus edendi aliâ causa, quod moribunda corpora flatum iam admittunt intra naturales cauitates, qui ingressu humoris, qui non fugitur paulatim à naturalibus instrumentis, sed propria natura incidit, verberatus, edit sonitum. Has ob causas ego hoc signum in pessimis pono. Subscribitque meæ opinioni præfens narratio. Pus etiam redditum serosum, & grateolens, huius erat generis, naturalis caloris debilitatem indicans: ac multo magis illa pedum mortificatio, quæ in extremo iam tempore superuenit, per quam tactus non sentiebatur. Cum dicit spiritus mediocriter moderatus semper, ne intellige fuisse per totum morbum moderatum (nam vt dictum antea est nona nocte suspirabat) sed nunquam fuisse maximas spiritus immoderationes, vt orthopneam, aut sublimem spiritum, aut offendentem, aut talem altum. Linguam semicandidam semipallidam, qualis esse solet peripneumoniciis fuisse a principio, secundum naturam redundantium humorum fiebat. Siquidem indicatum antea est, pituitam & bilem redundasse, Dolor capitis cur semper affuerit, nemo dubitet, cum locus præcipuè affectus fuerit caput. De huius ægroti curatione illud vnum lubet nunc monere, purgationes reuulsorias bene ac tempestiue esse actas. missiōnem tamen sanguinis (si modo vt sermone, re etiam ipsa omissa est) perperam, neque sine perniciē hominis esse omissam. Fuisset huic prima & secunda die, quibus vehemens erat auris dolor, & cephalalgia, mittendus sanguis ex cephalica dextri lateris, quantum vires ferrent, & ea vtrius suppurgatio ex mercuriali quæ die sexta facta est, fuisset faciēda die tertia aut quarta, cum adhuc humores motu principij agitabantur, ferebanturque sua sponte in aluum, & exibant lenta velut ex ouo biliosa subpallida.
Fortasse

Fortasse enim, his tempestiue actis, inflammatio ante sup-
purationem esset resoluta, & ea quæ accidit septima die,
fuisset firma morbi inclinatio: quod si tunc quoque exa-
cerbatum esset denuo malum nocte diei nona, redeunte
motu simili, eadem curatio esset rursus repetenda, mitten-
dusque tunc denuo sanguis ex eodem loco, quâquam par-
cius, utpote facultate minus iam constante. Quod si vide-
retur peti a morbo copiosior missio sanguinis, quam à fa-
cultate posset ferri, afflixendæ essent dorso & spatulis cu-
cubitæ cum scarificatione, & rursus (ut est factum) mol-
lienda aliquaalui subductio. His actis, corporeque adeo
vacuato, fuisset fortasse iudicatio diei quatuordecimæ per-
fectior, quod si fuisset nihilominus imperfecta, & decima-
septima superuenisset tanta exacerbatio, putari oporteret
malum perniciosum, & insuperabile. Neque enim omnia
vinci possunt, quantumuis quis arte repugnet. Interim non
esset omittenda (ut neque medicis, qui hunc ægrotum cu-
randum susceperunt, verisimile est esse omissa) collyria
ad aurem, mitigantia imprimis ac mediocriter repellentia
ut rosaceum, aut lac: deinde coquentia, aut tantillum resol-
uentia, simulque anodina, ut mulsam calidam, aut chamæ-
mellinum: postremo extergentia, & prohibentia putredinæ
ut mulsam cum aliqua mirrhæ portione. Essent quoque to-
to morbi tempore utiles frictiones crurum reuulsoriæ, &
clysteres. Esset quoque infundendum in caput oxyrrhodi-
num, cum phrenitica incipiebant apparere accidentia, &
nerui iuxta spinam emolliendi, amigdalino, aut viola ceo
aut alio eiusmodi vnguento, cum inciperent conuulsione
rigere.

H Arpalidæ sorori circa quartum mensem, aut quin-
tum prægnanti, tumores aquosi circa pedes fiebant
& causæ oculorum partes intumescabant, & totum cor-
pus in tumorem eleuatum est, ut leucophlegmaticis. Tussis
sicca. Orthopnea autem & asthma eiusmodi, & stran-
gulationes aliquando ab spiritu, ut sedens perseueraret in
lecto, decumbere autem non posset, sed etiam si aliqua
somnia esset opinio, erat sedens. Mediocriter erat sine febre

Fæ:us

Fœtus multo tempore immobilis erat, velut corruptus, & translabebatur. Comitabatur vero anhelatio fere duos menses, fabis autem melle admixto vsa, & eclectate ex melle, & cum ex vino b. bisset Aethiopicum cuminum, melius habuit, postea tussiens excreauit multa cocta pituitosa, alba, spiratio cessauit. Peperit vero fœmellam.

FIERI in prægnantibus tumores edematofos pedum rarum non est, neque verò eos in corpus totum procedere, quasi leucophlegmaticæ sint. Euenit enim, in ijs quæ pituitosæ sunt, ob menstrui sanguinis suppressionem, vt certè in alijs citra prægnationem, quibus supprimitur. Hoc tamè interest, quod ob solum affectum præter naturam suppressi, quam ob prægnationem, grauius est, neque expectatur auxilium à partu, vt in prægnantibus. Verum tantam anhelationem illi partium tumori accedere, rarum est, etiam si id quoque vidimus aliquando, & simul cum prægnatione finiri, atque ab his omnibus simul mulierem liberari. Nimirum morbi quibus affectus aliqui naturales occasionem præbent, adeo periculosi non sunt. Est vero dignum admiratione, hanc non fecisse abortum, ob tussim adeo crebrâ & diutinam. Nisi fortè admirationem minuit, portasse fœmellam. Maiores enim hæ, quam mares sustinent occasiones, & minus abortiuntur, saltem post primos menses: fœmelle enim rarò, nisi initio prægnationis, & antequam formationem receperint, neque mollem, excidunt, mares vero facilius, vbi iam augeri & moueri cœperunt, velut à quarto aut quinto mense, quibus hæc mulier cœpit partum causam esse existimo, quod acetabula masculiorum sunt sic ciora, & motus vehementiores. Itaque hanc ne abortiret, non parum fortasse iuuit, fœmellam gerere. Atque ob id videtur Hip. animaduertisse, & vt exemplo etiam indicaret, id quod medici omnes docent, difficiles & morbosas prægnationes, fœmineos conceptus indicare. Est præter hæc multorum medicorum opinio, quæ non videtur ratione omnino destituta, eas quæ fœmellas conceperunt, vt morbis huiusmodi, qui ex retentione excrementorum fiunt, solent

solent magis capi, ita magis ab illis (pares sint) liberari, quia scilicet earum habitui magis congruunt, quam earum quæ mares conceperint. Deteriori enim & morbosiori habitu sunt illæ, quam quæ mares cõceperunt magna ex parte: quare filias enixæ in lethales morbos magis incidunt, ab æqualibus verò magis liberantur: potuit igitur præter dicta, hoc quoque Hipp. innuere, dicens, peperisse foemellam scilicet ob id minus mirum fuisse euadere. Multis itaq; de causis fuit rationi consonum mulierem hanc parere semel lam, ut quæ prægnationem habuerit adeo morbosam, ut quæ non fecerit abortum, ut quæ euaserit. Percurramus igitur breui omnia quæ mulier hæc passa est. Circa quartum aut quintum (dubitantis est illa phrasis) mensem prægnanti, tumores aquosi circa pedes fiebant. Primis tribus mensibus solent fieri utero gerentibus, vomitiones, nausæ, & piccæ utpote ventriculo citò consentiente cum utero: tumores verò pedum, & alia eiusmodi, non ante quartum aut quintum, cum iam menstruæ euacuationes pluries defuerint, & hepar diuturnitate cacochymia debilitatum sit. Sed euenit dubitare, si tumores tales fiunt mense quarto aut quinto, velut maiori iam facta patiendi causa, cur eo iam tempore cessant nausæ & piccæ? Quæ enim à minori causa nata sūt fieri, accessione maioris causæ, non solent extinguui, sed augeri, aut cum alijs morbis qui superueniant, commorari. Gal. primo de symptom. caus. dicit, earum plerasq; sic affici usque ad secundum & tertium mensem, in quarto verò desinere partim vomitione vacuato humore, partim tempore concocto, muliere ipsa præ fastidio pauca comedente: atque foetu, utpote iam grandiori plus trahente: atq; ita totum corpus desinere plenitudine laborare, & adeo vitioso esse succo. Verum hæc ratio non videtur posse omnibus congruere. Sunt enim nonnullæ adeo excrementosæ, ut illis plus aut deterius sit quod singulis mensibus efflueret, quàm ut à foetu trahi possit. Quibus constat futuram in dies per totum prægnationis tempus maiorem cacochymiam. His si ne superueniant tumores pedum, siue non, nõ est cur fastidia & piccæ, & nausæ, cessent. Minus autem excrementosis, in quibus scilicet vomitiones primorum mensium, & inedia, & maior succus grandioris iam facti foetus, plus poterant cacochymiam minuere, quam diuturnitas suppressionis

menstruorum, augere, cessabunt illa mense quarto: atqui fieri poterit, ut his ipsis tunc incipiant aquosi pedum tumores, quod diuturnitate sit hepar debilitatū. Multo enim citius trahitur in compassionem vteri ventriculus, quam hepar, verum diuturnitate intemperatum hepar retinet compassionem, quam ventriculus, vomitione iam expurgatus, deponit. Hoc verò non accidet quibus hepar erit firmum, sed deponent ventriculi passiones, nullis tumoribus succedentibus. Quamquam contrarium quoque potest quibusdam euenire, ut nullis insignibus ventriculi passionibus laborent, & deinde tumoribus pedum & asthmate corripiantur, quibus scilicet eueniet ventriculum esse firmum, & infirmum hepar. Iraque tumores pedum raro fiunt ante quartum picæ plerunque finiuntur intra tertium, neutrum tamen horum est perpetuum, neque eas quibus tumeat pedes, ventriculo antea laborasse, neque secus. Huic non narrat quid ante quartum acciderit, potuit vterius accidere. Tumoribus pedum, crescente crudorum humorum copia, superuenit oculorum & totius corporis tumor, qualis est leucophlegmaticis, & respirationis instrumenta occupata sunt adeo, ut laborauerit maxima orthopnea, tanta scilicet, ut dormiret et erecta. Succis etiam principio erant adeo crudi, ut vexaretur sicca tussi. Febris exigua erat, quia non ex humorum in venis putrescentia, sed ex crudorum oppilatione in visis spiritus, nascebatur. Erat ergo qualis esse solet hydropicis, & asthmaticis, vtrisque enim nisi quis alius accedat morbus, exigua tantum est febricula. Illud vero videbatur in hac muliere horrendum magis foetus motum multo tempore non sentiri, & velut mortuum translabi ex latere in latus, cum mulier conuerteretur. Quod sane magnum incuteret timorem, videretur enim id fieri quod foetus esset decissus ex vtero, & mortuus. Mortuum non fuisse constat, siquidem est suo tempore in lucem editus, tamen ægrotasse eo tempore fetum intra vterum, non est dubium, adeo ut non posset sese proprio impetu loco mouere, neque verò continere, cum matris corpus verteretur, sed pondere excideret, ut valde debilibus ægrotis videmus accidere: ipsi enim non possunt sese erigere, si quos eos conetur erigere, neque sustentet, facile decidunt. Laborare verò fetus intra vterum morbis satis grauibus, quæ

quæ plerunque quadraginta dierum habent constitutionē; Hipp. docet libello de partu septimestri. Durauerit ergo fetus ea debilitas fortasse plus quam mensem, quod significauit dicens, multo tempore immobilis erat. Anhelatio uero durauit duos menses. Dicit melius habuisse usu fabarū ad misto melle, & eclegmate ex melle, & potu cumini ethiopicum ex uino: concocta enim esse excrementa, & tussiendo excreata. Faba (dicit Gale. septimo de simpl. facult.) si quid aliud, excreationibus ex thorace & pulmone, est idonea. Mel esse thoraci congruentissimum ad extergendū, & ad coquendum, inter omnes medicos constat. Atque ob hæc serapia omnia, & eclegmata pectoralia, parantur ex eo, & alia quæcunque, siue catapotiorum forma, siue bolorū, pro thorace parantur, nullo succo melius quam melle conformantur. Duobus modis potuerit hic uti faba, atque uterque fuerit utilissimus, aut ex fabacea farina melle subacta formatis catapotijs, aut bolis, aut melle cui farina inspergatur. Ego uero intelligo, usā esse farina melle subacta, atque seorsum eclegmate ex melle, aut solo & despumato, aut cū re alia, succo uel alio, uelut eclegmate ex adianto, aut hyslopo, aut alio simili. Dicit enim, quasi duo diuersa medicamenta inuēns, faba melle admixto usā, & eclegmate ex melle. Cumini genus omne habet vim calfaciēdi tertio ordine, & discutit flatu valenter, probatur maxime inter omnia eius genera ethiopicum, ut inquit Dioscorides. Quoniam uero eius puluerem ex uino potare iuberent medici constat eos cōcoctu contumacē esse censuisse succum, qui in mulieris thorace redūderet. neque sanē aliter, uti oportet in hac, tam ualenti auxilio, cum præcipuē in diureticis esse à Galeno dicatur cuminum, quorum usus in grauidis periculosus est.

P Olycratis uxori, æstate circa canicula sydus, febris, Spiritus matutinus minor. A meridie uero erat spiritus magis, & paulo densior. Tussis & excreatio statim ab initio similis purulentis. Intus circa arteriam & fauces sibilus erat, & cerchnon. Facies boni coloris. In genis rubor non abunde coloratus, sed moderatē floridus. Procedente autem tempore etiam uox aspera facta est;

& corporis colliquatio, & circa lumbos eruptiones, & alius extremo iam tempore liquidior. Septuagesima die febris exterius plurimum refrigerata est: in temporibus autē quies. Spiritus autem densior fiebat. Post hanc verò requiem spiritus densior adeo, ut sedēs perseveraret, quare & mortua est. In arteria verò sonitus multus inerat, & sudores pravi. Et intuitus admodum sanam mentem indicantes, ad extremum vsque tempus. Superuixit iam refrigerata dies plures quam quinque. Post primos autem, purulentum excreare perseverabat.

Vxor Polycratis, ut ex symptomatum narratione licet colligere, laboravit primū peripneumonia, deinde ex ea breui incidit in suppurationē, & à suppuratione postremo in tabem, à qua cito est mortua. Insumpti enim sunt in has omnes mutationes, paulò plures quā septuaginta dies, cum soleant quidā tabidorum, durare etiam annos. Neque tamen hoc non fuit rationi valde consonum, quia ex peripneumonia, ut ea est breuioris constitutionis quā pleuritis ita citius fit suppuratio, & illius vomica rumpitur prius, & nisi prius ēt perpurgentur, tabescunt ab ea prius suppurati, ut in commentarijs sectionis quintæ aphorismorum indicauimus. Iam vero tabidi facti, qui ex interna inflammatione tales facti sunt, breui moriuntur, atq; tanto breuius, quāto ex inflammatione acutiori. Qui enim tabescētes durāt diu, ij sunt qui ex destillationibus à capite, aut toto corpore, vel ex congesta inter latera pituita, inceperunt. Merito igitur quæ a peripneumonia procedit ad tabem, adeo breui cōsumpta fuit: futuram verò citò mortem significauerunt lethalia signa citissimè apparentia, & celeriter alia ex alijs sententia. Laborasse enim à principio pulmonē, indicauit hæc syndrome signorum, febris continua, difficultas spirandi, tussis. Si enim fuisset pleuritis, adfuisset etiam dolor, qui tamen non adfuit. Sed & rubor genarum, & sibilus, & cæchnon, hoc est, asperitas rancida circa asperam arteriam, & fauces, pulmonis & arteriarū eius indicant affectionem. Quod spiritus vespertinus maior erat & densior matutino signū erat malum, passionem simul indicans, & periculum.

Nam

Nam peripneumonia rarò non est pituitosa inflammatio, curus febris, quotidiana habet incrementa. Fieri vero hæc vesperi à prandio, familiare est omnibus catarrhosis, & quacunque causa tabescentibus: quorum vtrumq; huic ad erat, fluxionem scilicet secundum pulmonem pati, & ad tabem vergere. Nã erat statim ab initio tussis, & excreatio similis purulentis, hoc est, qualis in ijs qui tendunt in suppurationem. Huiusmodi autem est tussicula quædã molesta, partim omnino sicca, partim cum tenui excreatione, & alba. Cum ergo maligna inciperet pulmonis inflammatione laborare, citò processit in suppurationem, & tabe pariter. Cum supra suam constitutionem quæ septem dierum est, prorrogata sit peripneumonia, procedete tẽpore etiã vox est facta aspera, & accidit corporis colliquatio. Siccescente simul toto corpore, & aspera arteria. Nam vox clangosa, quæ ob siccitatem arteriæ fit, vocatur aspera. Factæ sunt circa lumbos eruptiones, quæ etiam recensentur ab Hippocrate inter signa suppuratorum in prognostico, vbi ita dicitur, Cæterum omnes suppuratos ex his signis cognoscere oportet. Primum quidem si febris non admittunt, sed diu quidẽ tenuis est, noctu verò amplior, & sudores multi oboriuntur, tussiq; ac tussendi promptitudo ipsis adest, & nihil memorabile expuunt, & oculi caui fiunt (hoc fit simul cū corporis colliquescentia) & maxillæ ruborem contrahunt, & vngues quidem manuum curvantur, digitũ verò calefcunt, & potissimum summi: in pedibus tumores fiunt & cibos non appetunt, & pustulæ, per corpus enascuntur. Horum plurima adfuerunt vxori Polycratis. Cui pustulæ factæ præcipuè sunt circa lumbos. Illud quoque accidit, vt reliquis tabescentibus consuevit, quod extremo iam tempore alius liquidior facta est. Aphorism. 12. sectionis quintæ dicit Hippocrat. quibuscunque tabe laborantibus capilli de capite defluerint, hi, alui profluuiò accedente, moriuntur. Capillos defluere tabescentibus, signum est in extremo constitutorum, quod huic mulieri non narratur accidisse, neque vero necessarium est adesse omnibus, & mulieribus quidem multo minus, vt pote quarum capilli radices habent firmiores, & ex crassiori ac lentiori fuligine. Postremo acciderunt postrema iam signa, quæ accidere solent moribundis. Nam septuagesima die refrigerata sunt

extrema, videbaturq; extincta febris, quia & in temporibus facta est quies, hoc est cessauit pulsus in temporibus sentiri, id quod extinctione naturalis caloris factum est. Respirationis ratio uero fiebat densior, atque adeo post hanc requiem, hoc est, post hanc apparentem infebrecitationem, tanto densior, ut nisi sedens, esse non posset, idque durauerit, usque dum mortua est. Erat uero etiam sibilus in aspera arteria. Fiebant hæc pure in asperas arterias pulmonis regurgitate, & uias spiritus obstruente, atque ita demum suffocante. Quod quidem in tali statu constitutis facile fit, quia debilissima facultas non potest diu laboriosam respirationem sustinere. Aderat quoque sudores prauis, quales. s. per syncope solent, frigidum secundum faciem & frontem. Nihilominus constabat mente, atque ad extremum usque uitæ finem constitit, quod intuitus indicabat. Scilicet cum iam loqui non posset præ angustia, non erat unde quis iudicium sanæ mentis acciperet, nisi ex oculis. Modum uero quo ægroti intuentur, magnam præstare significationem mentis, ex ijs quæ in prognostico docet Hippo. facile intelliges. Congruens autem fuit huic mortis generi, mentem ad extremum usque constare. Ita enim consuevit in ijs, qui tabescunt ex suppuratione, sicut & in extremo, & cum iam iam uidentur extinguui, durare plusquam quis speret. Velut hæc quæ iam refrigerata, & pulsus deficiente, etiam in temporibus, durauit plusquam quinque dies. Id uero fit in ijs qui extinctio ne moriuntur, potiusquam morbi magnitudine. Exsoluitur enim vis sensim. Concludit Hippocrates narrationem, dicens, post primos autem purulentum excreare perseuerabat. Quæ uerba non ad extremos hos dies debent referri (in his enim excreari iam desineret) sed ad totum morbum significant enim, post primos dies, uelut post primam septimanam, toto reliquo tempore excreatum esse pus.

- 9 **E** I quæ supra portas habitabat, iam seniori febricula aborta est, quæ cum iam desineret, ceruicis dolor usque ad spinam & lumbos, & harum partium non valde potens erat. Maxillæ erant compactæ, & dentes in se ipsos, magis quam ut specillum admitterent, & uox balbutiens, quod resolutum, & immobile, & debile esset corpus.

pus. Constabat autem mente. Calfactorijs, & melicrato tepido, tertia die ferè laxavit, & post hæc succis & iusculis sana euasit. Euenit autem hoc cum autumnale tempus finiretur.

H y i c mulierculæ factus est, in febriculæ lentæ, quales senibus sunt familiares solutione, abscessus: cõgruens sanè solutio, & febris naturæ (siquidè erat læta) & ætati mulierculæ, siquidè senior iâ erat. Factus vero & abscessus ad articulos spinæ, à ceruicis initio vsque ad lumbos, neq; solû in articulis fecit dolorè humor, sed in neruorum èt initia refluxus, omnium eorum fecit resolutionè, in quibusdam maiorem, in quibusdam minorè. Nam aliarum omniû partiû, quæ motum ab spina recipiunt, non valde potens erat, id est non bene eas poterat mouere, quod resolutû, & immobile, & debile esset corpus. Manifestè autem resoluti sunt muscoli mouentes linguam, & aperientes os. Nam balbutiebat, & habebat os clausum, & dentes adductos, adeo vt specillum non admitterent. Quod quidem accidens fieri poterat, ob conuulsionem claudentium, aut ob resolutionem, aperientiû, ex alijs verò quæ vnâ aderât, verisimilius est in resolutionem reijci. Præterquam quod Hipp. id noluit sub dubio relinquere, dicens, quod resolutum, & immobile, & debile esset corpus. Velut etiã quod affecta erat lingua cû maxillis, constat affectionem ad totam ceruicè pertinuisse. Nam muscoli eas partes mouentes, descendunt ab ipso cerebro, qua iâ iâ incipit spinalis medulla. Itaq; ipsam etiam cerebrû abscessus partem accepit. Atq; ob id Hipp. cum dixisset maxillæ cõpactæ, & vox balbutiès, velut quidam notatu dignû adiecit, cõstabat autè mente. Nimirû cû laboraret cerebrû, videbatur cõsentaneû, vt mens quoque esset læsa. Verum non adeo mirum est, vt non occurrant sæpe, læsiones motus sine sensuum læsione, vergente, vt dixit in proximo libro Hippocrates succo ad corpus. Calfactorijs (vt fortasse frictione olei vulpini, aut ricinini) & collutione oris ex melicrato tepido, atq; etiam eiusdè melicrati portione tertia die fere laxavit, cepit scilicet laxare os, vt posset iam abducere dètes, & accipere plusquã melicratû, & postea succis & iusculis vtès q. s. nondû haberet ma-

xillas adeo solutas & firmas, vt posset cibus vti) paulacim euasit omnino sana. Videbitur curatio fuisse leuior quā p magnitudine affectus. Verū scire oportet, affectus partium iudicatione factos, multo facilius curari, quā cū ob multitudinē aut cacochymia fiunt, præcipue cū nondū iudicatorij abscessus, ob medici incuria, aut quod eius copia nō fuerit, induruerint, aut inueterauerint. Nā p pauci sunt particularum affectus curatu difficiles, nisi quod foueantur à multitudine, aut à cacochymia corporis totius, aut aliarū partium. Quod in iudicatorijs abscessibus non euenit. Hinc fit vt morbus regius in febris solutione ortus, per quē & vrina & deiectio sunt quales in bene valentibus, facillimē soluitur, ac breui: qui verò ob biliosam fit cacochymia, nō nisi sæpe ac vehementer expurgato corpore. Dicit euenisse hoc, cū autūnale tēpus finiretur. Merito profecto. Nā autūni finis partim retinet autūni cōditionē, partim hyemis cōditionem imitatur. In autūno verò fiunt dyscrisiz. seu difficiles iudicationes, quales p̄cipuē quæ per abscessus: in hyeme fiunt dolores laterum, & lumborum, & resolutiones, vt in aphorismo dicitur. Contigerunt igitur huic omnia secundum temporis conditionem.

10 **V** Nctor, qui iuxta Harpalidem, impotentior crurum & manuum factus circa autumnum, bibit tunc phar macū, sursum ac deorsum purgans. A purgatione febris, & in arteria fluxit tale vt loquentem impediret, & vt inter loquendum anhelaret, similiter ac anginosus raucus. Suffocatio deglutienti, & alia anginosa, tumor autem non erat. Febris autē & tussis intēdebat, & excreatio humida & multa pituita. Progressu tēporis ēt dolor circa pectus, & mammam sinistram. Cū autē exurgeret aut moueretur, anhelatio multa, & sudor à fronte & capite: & quæ circa fauces habebat, mollius autē, dolore in pectus descēdēte. Ab initio igitur fabis tinctis melle utebatur. Postquā autē febres detinebāt, magis oxymelite calido, & multo mellis limētū. Trāfactis quatuordecim dieb⁹, oīa desierūt, & nō multo post, crurū & manuum potēs est factus.

Hic

Hic ob redundantiam crassorum & frigidorum succorum, quibus, eum in autumno contingit esse plenum, coepit pati crurum & manuum pariter resolutionem. Casus sane satis periculosus. Nam ubi omnes pariter artus pati incipiunt, merito timeretur communi omnium principio, cuius resolutio apoplexia est. Hanc, arbitror, ob causam, bibit tunc (nam illud tunc festinationem significat) pharmacum sursum & deorsum purgans. Cum vero esset excrementorum copia, maior quam ut posset vni quantumvis forti expurgationi cadere, factum est, ut febris, & multae fluxiones excitarentur, alteratis scilicet & exagitatis succis, magis quam euacuatis, & periclitatus inde est, siquidem febris fuit acuta, fluxio autem in spirituales vias abundanter incubuit: primum quidem in superiores, & quae ad cervicem sunt, unde cum asperitate arteriae anginosus & raucus factus est, & suffocabatur deglutitias, omniaque appatebant ut in anginoso, quamvis tumor exterius nullus apparebat, quia non tam erat causa horum inflammatio, quam multa fluxio in gulam, & asperam arteriam incumbens. Adeo angebatur, ut cum exurgeret anhelaret, & pra anxietate sudaret, ex capite, & fronte. Deinde coeperunt, descendente fluxione ad pectus, quae circa fauces, habere mollius, & tunc adhærente lateribus pituita, superuenit dolor circa pectus, & mammam sinistram. Ab initio cum scilicet fluxio partes faucium & colli magis afficiebat, & curationis gratia, atque ob raucedinem, utebatur eo medicamine, cuius nuper in historia vxoris Policratis, facta est mentio, ex farina fabarum & melle. postquam vero febris videbatur produci, & fluxio altiores partes obsidere, coepit uti oxymelite calido abundantius, & multo linctu ex melle, seu solo, seu cum succis quibusdam parato, ita ut sit in pleuritide, & peripneumonia, & alijs huiusmodi passionibus. Transactis quatuordecim diebus omnia hæc desierunt cum febre, atque adeo crurum etiam & manuum vim paulò post recuperavit: eadem profus ratione, qua, qui a conuulsione tenetur, febre superueniente liberatur. Nam, ut soluatur febre, eadem ratio est, resolutionis & conuulsionis à repletionem, & aliorum morborum à multitudine crudorum habeantium ortum.

Chertidi

11 **C**Hartidi febris ardens, vomitus bilis multa, & infra alui egestio, vigilia, & in splene tumor rotundus. In ipso mane surrexit strepitu circa ventrē sine dolore facto. Vbi verò aluum exoneraret, subijt sanguinis velut victimæ plusquàm congius, & vbi iterum ac tertio cohibuisset, compacti grumi. Anxietas autem circa cor, & sudor exiguus per totum ferè corpus, & febricula, frigescere videbatur. Et primum quidem mente constabat, procedente autem die, & anxietas maior, & inquietudo, & spiritus paulo densior, & confidentius ac benignius quàm pro tempore alloquebatur, & excipiebat, & quædam animi deliquia videbantur superuenire. Offerentibus autem quibusdam succos, & ex farina aqua, non soluebantur. Sed spiritus ad vesperam valde multus erat, & iactatio multa, & in dextra ac sinistra conuertens sese, nullo tēpore quiescere poterat. Pedes frigidi. In temporibus & capite calor maior. Propinqua iam morte exigui sudores multi, & cum biberet sonitus in thoracem, & ventrem descendens potus. Quod autem pessimum. Dicens vero velle sibi aliquid descendere & intendens oculos, non diu se cobibens, mortuus est.

Hic est Chartides, cuius nuper meminit in historia filij Cydis, ob illud signum, quod huic quoque accidit in ventre, dum biberet, strepitus scilicet, velut descendens in thoracem & ventrem. Quod signū tanti momenti facit Hipp. ad mortē significandā, vt nō cōtentus narrasse, dicat, quod autem pessimū, quasi diceret, hoc autem pessimum est. Sed enarremus historiam à principio. Hic, quantum intelligo, intra diem naturalem mortuus est, ex febre ardente cum cholera morbo, quæ in profusam sanguinis deiectionem processit, ex qua per syncopem interiit. Quamquam legitur in quibusdā codicibus, tertio mane, iuxta quam lectiōnē, fuerit mortuus Chartades intra diem tertiam. Et fieri quidem potuerit vtrūque. Nam choleram, quātumuis vehementem,

hementem, in diem tertiã protrahi, mirum nõ est, præcipuè
 si sanguinis deiectione non acciderit vsque ad tertiũ mane,
 quod intra secundũ esset diem. Neq; mirum adeo fuisse ve-
 hementem, vt intra diem hominem tolleret, si in ipso pri-
 mo mane superueniret deiectione sanguinis. Iuxta hanc er-
 go lectionem, videtur Chartades cœpisse febricitare ve-
 speris, & totã noctem trãlegisse vigilem, mouendo, ac deij-
 ciendo, & primo mane descendisse ad deiectionẽ, ac deie-
 cisse sanguinis optimi, ac velut effusi ex iugulata victima,
 plusquã congiũ, hoc est plusquã duodecim cotylas (cõgius
 enim capiebat sex sextarios) atque ab ea tam copiosa san-
 guinis effusione, cum signis instantis syncopis, perseuerasse
 diem totum, vsquedum vesperi, superueniente alia effusione
 sanguinis, non extra corpus iã ob debilitatẽ, sed in ipsa in-
 testina, mortuus est. Quam autẽ causam affectionis huius
 fuisse suspicer, superest dicã. Cum errore facultatum natu-
 raliã, ob malignã aliquam sanguinis totius qualitatem, &
 debilitatẽ lienis, multa sanguinis copia ad eũ sese collegis-
 set, intumuit adeo, vt rotundi tumoris speciem præberet
 tactui satis conspicuã, vt ex manifesta ac facili eius cogni-
 tione, cõstaret esse magnũ, ex rotunda figura, pertinere ad
 viscus potius quã ad vllũ musculorũ. Putrescentibus igitur,
 ijs qui oppilati erãt, succis, orta est febris ardẽs. Irritata
 vero lienis facultas multitudine ac qualitate, cœpit, in ven-
 trẽ, superiorẽ pariter & inferiorẽ reuomere, primũ biliosos
 succos, secernens inutilia ab vtilibus, paulo autẽ post non
 potens iam se cõtinere, (ita vt fit, cũ euacuationes incipiunt
 a maxima irritatione) reiecit omnia affatim, adeo vt vel
 ipse sanguis colore integer, & similis sanguini victimæ ef-
 funderetur, peneque exhaurirentur venæ per ipsum lienẽ.
 Nisi fortè tunc quoq; hepar conspirauit cũ liene, atque, vt
 ita dicã, simul cũ illo sese præcipitauit. Vt cũq; hoc habeat,
 iã inde, velut cũ syncope reliquũ eius diei colluctatus, ve-
 speris mortuus est. Fuerint verò syncopis duæ causæ: nimia
 euacuatio sanguinis, cũ qua nõ potuit nõ exhauriri vitalis
 spiritus maxima copia, quia boni atq; integri sanguinis erat
 effusio, & ex impotẽtia facultatis nascebatur: & grumi de-
 tenti intra ventrẽ. Nam cum ille viriũ exolutionẽ sentiẽs,
 semel atque iterũ cohibere curasset, atq; valẽter sphynctere-
 rem astrinxisset, compacti sunt grumi. Sanguis enim mox ac
 in

in ventrem incidit, hoc est extra venas & arterias effunditur, concrefcit in grumos, & corrumpitur, atque eius corruptio multo maiorem, quàm vllius alterius succi, infert noxam cordi. Symptomata, quæ totam eam diem, vique dum spirauit, affuerunt, apertam habent interpretationem. Nam anxietas, & iactatio, & febris extinctio, & sudor exiguus, & spiritus densior, exolutionis vitalis facultatis sunt, vt etiam frigiditas pedum cum calore maiori temporum & capitis. Exiguum enim, quod vitalis calidi reliquum est, ad pedes aut manus non effunditur, expirat verò per arterias capitis, & temporales, vnde & sudores ea parte solum orti, syncopales sunt. Iam vero strepitum descendens potus, esse corruptionis facultatum, quæ regunt nostra corpora, interpretati antea sumus. Delirauit quoque, tametsi non maniacè. Scribit enim id solum habuisse delirij, quod alloqueretur, & exciperet homines confidentius, & benignius, quàm pro tempore, hoc est quàm conueniret hominem in tanto periculo constitutum. Omnia vero huiusmodi desipientiam indicant, non verò qualem phrenitis facere solet, sed qualem nonnunquam debilitas, quam medici mentis vacillationem vocant. Narrat etiam Hippocr. quid sit actum. Offerentibus (inquit) quibusdam (medicis scilicet, aut adstantibus) succos, & ex farina aquam (polëtam scilicet, ad reficiendum hominem, & ad cohibendas euacuationes. (Nam farina vt & amyllum cohibet, non quidem adstrictione, sed agglutinatione & lentore) non soluebantur deliquia, sed procedebant, augebanturque signa syncopes Memini me, aliquando, ad ægrotatē in hoc eodem periculo constitutum, accersitum esse, simul cum alio medico non vulgari, qui eum à principio suscepit curandum, in quo, quod consilium cœperimus, dicere non grauabor quandoquidem optimè cessit, & ille euasit. Tehebatur quidem ille iam aliquot diebus febre continua, superuenit illi quadam die morbi (neq; enim memini quā) defidenti ad deiectionem, fluxus sanguinis, non minus copiosus quam Chartadi, & ex effluxu, similiter atque ille, periclitatus est. Cibum concoctu facilē, & tenuem, & reficientē facile dari crebro iussimus, vt iuscula gallinæ refectoria qualia quæ succi alicuius permistione parātur. Interim odoribus rerum esu raptarū, vt carnū, panis recentis, &

& vim refocillari. Cordi aliquid eorum quæ proprietate quadam dicuntur illud roborare, admoueri, & clysteres dissoluentes grumos sine irritatione infundi, vt ex mulsa, & ventrem totum vnguento diaphoenicon illinire. Erat itaq; tota curatio in refectione virtutis, & ventris adstrictione, & grumorum paulatina dissolutione, & euacuatione. Si enim, sine reliquis, agatur sola refectio, non erit satis, grumi enim inferet mortem: ac multo magis, si quis simul adstringat: si vero grumos curet dissoluere sine roboratione, non poterit euacuatio sustineri, ac multo minus, nisi quis etiam adstringat. Itaque ea omnia simul facere expedit, in hoc, & quocunque alio casu simili. Chartadi fortasse non fuisset ea curatio satis, quod non mediocriter iam debilitato ex cholera, ea sanguinis effusio superuenisset.

Remoptolemi uxori hyemis tempore febris: & capitis dolores, & cum biberet, vt difficulter bibens, surrexit, & cor se sanasse dicebat. Lingua liuida à principio. Occasio autem videbatur horrore post balneum esse. Vigil & nocte & die. Post primos dies interrogata, non solum caput, sed totum corpus dolere dicebat. Sitis quandoque vehemens, quandoque moderata. Quinta, & sexta, & vsque ad nonam, ferè delirium: & statim ad se ipsam: loquebatur cum sopore semiperfecta. Et manum aliquando extendebat ad dealbatum parietem, & cervical frigidum existens, capiti & lateribus admouebat. Et aliquando proiebat stragula, & in dextro oculo subcruentum erat. Et lachrymabatur. Urina autem qualis pueris pessima est semper. Deiecit vero à principio quidem subrusa, deinde autem aquosa admodum, & talis coloris. Undecima videbatur moderatius esse calida. Et sine siti aliquando fiebat, adeo vt nisi quis daret, non peteret. Somni primi quidem tempore fiebant interdum mediocriter, ad noctem autem vigil erat, & laborabat magis ad noctem. Nona venter perturbatus est, excernens aquosa, eodem modo, & undecima, sequentibus autem moderatè

moderatè, multa exsurrectio erat, & huiusmodi. Erant autem in prioribus diebus indignationes, & clamores velut pueruli, & vociferatio, & timores, & circūspectioes cum ex somno excitaretur. Quatuordecima vero operosū erat ipsam continere, exilientem & clamantem repente & pertinaciter, velut ob plagam, & grauem dolorem, & timorem quasi quis ipsam apprehendens, tempus quoddā modicum detineret. Deinde rursus quietem agebat, & comate pressa, dormiens perseuerabat, omnino non videns, aliquando vero neque audiens. Mutabatur vero ferè totā eam diem crebro in vtrumque, tumultum, & quietem. Sequenti nocte subiit quiddam subcruētum, velut mucosum, & rursus velut limosum. Postea valde porracea & nigra. Decimaquinta vero acutæ iactationes, & timores, & vociferatio fiebat lenis. Consequabatur autem effertio, & indignatio, & eiulatus, nisi cito ei quod vellet esset porrectum. Et cognoscebat quidem omnes & omnia, statim iam post primos dies, & illud oculi sedatum est, menia autem secundum occasionem, & dicta mutatio sequebatur ad soporem. Audiebat inæqualiter, quædam quidem vehementer, etsi summissè quis loqueretur, quædam vero clarius oportebat eloqui. Pedes semper æqualiter cum toto corpore calidi vsque ad vltimos dies, verū in decimasexta minūs, decimasextima moderatius quam alijs habens, ad noctem vt horrore ipsi superueniente, contrahens sese, magis febricitauit. Et sitis multa erat, alia autē similia consequuebantur. Tremores autem in manibus fiebant, & caput concutiebat, & oculorum intuitus prauus, & sitis fortis, & cum potasset, rursus petebat, & rapiebat, ac largiter bibebat, auellere autem non poterant. Lingua sicca, & manus ambas in os ferens, manducabat, cum esset tremula. Atque si quis offerret aliquid comedendum aut sorbendum, largè ac maniacè degluciebat, ac sorbebat. Et

quæ circa intuitum praua. Tribus autem diebus aut quatuor ante finem, horrores quandoque incidebant ipsi, ut contraberet corpus, & contegeretur, & anhelaret. Crura conuellerantur, & refrigeratio pedum, sitis autem similis & quæ ad mentem attinent similia. Et surrectiones, aut inanes, aut pauca & tenuia, cum quadam exigua tentione. Vltima autem, vigesimatertia, oculus magnus mane erat, & circumspectio breuis, & quietem habebat, aliquando quidem absque contectioe & sopore, ad vesperam autem dextri oculi motus qualis intuentis, aut aliquid volentis, ab externo angulo ad nasum, cognoscebatque, & interrogantirepondebat. Vox post multa sub læsa, & præ uociferatione fracta, ac rauca.

LONGA certè, & difficilis, est hæc narratio. Magna enim ex parte est incondita, & præpostero contexta ordine, & verbis obscuris. Qua propter maximus labor erit in ipsius dictionis expositione. Quod ad huius morbi speciè, seu essentiam attinet, constat fuisse febrem ardentem, cui successerit phrenitis. Quod verò ad internam causam, & succos qui in mulieris corpore redundabant, multiplices, ac multam omnium copiam. Nam bilis erat multa, & ea quidem partim flaua, partim nigra exustione. Sed & crudi ac pituitosi inerant, non pauci. Ex hac succorum varietate & copia, nata sunt adeo multa & varia symptomata, atque adeo contraria, & hanc ob causam morbus fuit adeo magnus, & perniciosus. Cerebrum præcipuè passum est, ut in reliquis phreniticis, sed & cor satis insigniter, ut in melancholicis, ad hæc, facillè sit percurrenti, referre symptomata omnia quæ continet hæc narratio. Dicit hyemis tempore accidisse hanc febrem, non quod talis cum hyemis natura congruat, sed ut intelligas, ideo fuisse adeo periculosam, quòd non congrueret. A principio adfuit febris, & capitis dolor, ut par erat futuro phrenitico, quia si quæ pars per morbum dolet, in eam fiunt abscessus, atque si ante morbum, in eam morbus firmatur. Initio morbi cum offerretur illi potus, surrexit ad bibendum more eorum qui difficulter

culter bibunt, & hausto potu dicebat se cor sanasse, quia scilicet magnum sensit secundum cor solatium ex potu, ut faciunt plerumque qui anguntur, & patiuntur deliquia. Hæc melancholici succi erat nota, quia hic succus cor debilitat, & angit: sicut & quod mox apponit, lingua à principio liuida. Occasionem febricitandi, dicit, videri fuisse horrorem post balneum. Vulgus hominum diceret, illum horrorem causam fuisse febris, & esse hominem refrigeratum, re vera tamen non ita erat, sed balneum intempertium rigorem fecit, & toti morbo dedit initium. Neque mirum. Nam ubi corpora prauis succis, aut crudis, aut multis, sunt referta, balneum periculosum est, nisi prius vacuetur, aut expurgetur. Quia balneum in talibus fundit, & mouet magis quam euacuat, & ita fluxiones multas mouet, & putrescendi sæpe præstat initium: Cum igitur hæc mulier esset plena prauis & varijs excrementis, non mirum læsam esse adeo, ut primum, excrementis per sentientes partes delatis, rigeret, putrefactis deinde, febricitaret acutè. Primis diebus erat vigil die ac nocte, ob magnitudinem febris & capitis dolorem: post primos (duos aut tres fortasse) dies, interrogata, dicebat non solum caput, sed totum etiã corpus dolere, crescente febre & debilitate. Sitis quandoque vehemens, quandoque moderata. Hæc enim & alia fere omnia inæqualiter secundum tempus inerant, ob succorum varietatem. Quinta & sexta & vsque ad nonam fere, delirium, hoc est, fere continenter delirabat, & statim ad se ipsam redibat, loquebatur cum sopore semiperfecta. Quæ etiã diuersa sunt, & diuersorum humorum signa. Erat etiã tunc quoque vehemens exustio, nam manus extendebat ad dealbatum parietem, quem propè habebat, & vertebat cervical, atque qua frigidum erat, admouebat capiti, & lateribus, & aliquando proieciebat stragula. In dextro oculo subruentum erat, & lachrymabatur. Quod signum vituperatur ab Hippocrate maximè in prognostico, dicente. Si inuoluntariè lachrymentur, aut albas partes rubentes habeant, hæc mala & perniciofa esse putandum est. Vrina verò (inquit) qualis pueris pessima est. Hac periphrafi significat vrinam albam & tenuem, iuxta illud prognostici, at tum in viris tum mulieribus, nigre vrinæ pessimæ sunt: in pueris autem aquosæ. Erant vero

hæ

hæc vrinæ præsimæ huic mulieri, vtpote deliranti, ita enim
 dicitur in aphorismo. Vrinæ albæ & perspicuæ malæ, ma-
 ximè si in delirantibus appareant. His dictis describit
 speciem deiectionum, dicens, à principio deijciebat subru-
 fa, & biliosa. Deinde autem (hoc est nona die) aquosa, ta-
 lis coloris, hoc est substãtia & colore aquosa. Narrat mox,
 per anticipationem, quæ acciderunt die vndecima, & mox
 redit ad nonam. Melius autem sit me ordine texere narra-
 tionem. Antea igitur deijecerat subrufa deinde aquosa.
 Nam nona venter perturbatus est, excernens aquosa, eodẽ
 modo & vndecima, in qua videbatur iam mulier esse mo-
 deratius calida, & sine siti aliquando fiebat, adeo vt nisi
 quis offerret potum, non peteret. Somni (inquit) primo
 quidem tempore, hoc est ante hos dies (non enim primis
 duobus aut tribus totius morbi, siquidem in illis vt diceba-
 tur, vigil erat & nocte & die) fiebant interdum mediocri-
 ter, ad noctem autem vigil erat, & laborabat magis ad no-
 ctem. Hoc certe graue est signum, & in morbis fit pericu-
 losis, tanto enim deterius est noctu vigilare, & diu dormi-
 re, quàm contra, quanto dissimilius est, ei quod secundum
 naturam fit, in bene valentibus. Ita habebat vsque ad vnde-
 cimam, sequẽtib; autem moderatè multa exurrectio erat,
 & huiusmodi. Hoc est, durauerunt vsque ad quatuordecimam
 deiectiones, & crebra ad deijciendum exurrectio, &
 eiusdem modi, puta exeuntibus aquosis, moderatius ta-
 men fiebant omnia. Hæc aquosa deiectio quæ à nona fuit
 vsque ad quatuordecimam, significabat redundantiam se-
 roforum & crudorum, atque bilis raptum in superiora, si-
 cut & aquosa vrina. His eisdem diebus, qui scilicet fuerunt
 vsque ad quatuordecimam, erant indignationes & clamo-
 res velut pueruli, & vociferatio, & mores, & circumspe-
 ctiones cum ex somno excitaretur. Hæc omnia melan-
 cholica simul erant, & phrenitica, quæ die quatuordecima
 aucta sunt plurimum, factaque sunt iam maniaca seu feri-
 na, rapta in caput atra bile. Nam quatuordecima opero-
 sum iam erat ipsam continere, & exilentem, & clamãtem
 repente, & pertinaciter, quasi accepisset plagam, aut grauis
 dolor repente incidisset, aut quasi timore aliquo repentino
 effectus percita, quasi quis ipsam apprehendens occulte, con-
 tineret fortiter. Rursum hoc tumultu, velut paroxysmo ali-

quo exacto, quiescebat, & præmebatur comate, & perseuerabat dormiens, aliquando quidē conclusis oculis non videns, & si non omnino dormiret, aliquando etiam neq; audiens, quòd omnino dormiret. Tanta erat humoris caput occupantis diuersitas, vt mutaretur ferè totam eam diem crebro in vtrunque tumultum & quietē. Deiectiones quoque spontaneæ indicabant multiplices humores. Nam nocte diei quatuordecimi, subiit quiddam subcruentum, velut mucosum, & rursus velut limosum, postea valde porracea & nigra. Decimaquinta verò acutæ iactationes, & timores. Vocat, arbitror, acutas iactationes, celeres & repetite factas, quales cum timore fieri solent. Vociferatio fiebat nunc lenis, nunc consequebatur efferatio, hoc est ferocitas seu furor, nunc indignatio, & eiulatus nisi cito esset porrectum ei quod velle. Tantos animi motus ciebat, & tantam debilitatem inferebat vitiosus succus, præcipuè melancholicus. His dictis de die quindecima, repetit rursus quædam eorum quæ, superioribus diebus, in eam vsque, contigerant. Cognoscebat (inquit) omnes & omnia, statim post primos dies, & illud oculi sedatū est. Mania autē secundum occasionem, & clamor, & dicta mutatio sequebatur ad soporem. Quasi diceret, & si die quinta incepit delirare, & iam inde parum apud sese fuit, tamen non semper eodem modo, neque æqualiter insaniebat, sed cum primis delirij diebus, hoc est quinta & sexta & fortasse vsque ad nonam, non agnosceret eos qui aderant, statim post primos, & toto reliquo morbo, agnoscebat omnes & omnia (nimirum non errabat imaginatio) & illud quod in oculo dextro erat, sedatū est. Corripiebatur verò mania secundā occasionem, hoc est cum occasio aliqua furendi sese offerrebat, & clamabat etiam secundum occasionem, & vt dictum est, mutabatur, nunc ad soporē, nunc ad peruigilium. Habebat quiddam aliud notatu dignū, audiebat enim inæqualiter, quædam, etsi summis qui aderant loquerentur, quædam non nisi clarius. Hoc necesse est fiat organo eodem modo habente, aut mutato. Mutari quidē adeo crebro, vt nunc videretur audire nimis, nunc non satis, fieri non poterat, nisi ob flatuosam aliquam & tenuē substantiā, quæ obuerfaretur, velut ijs, qui ob ventriculum aut partē aliam, laborant suffusione. Quædam enim vident expedire, tūc for

te nullo vapore opposito, quædã mox obscure, vapore, intercurfante: eodem modo habente organo, fieri potest, ob mentis alienationem. Quibus enim mens non satis cõstat, solent quædam eorũ quæ adfunt neq; audire neq; videre & rursus quædã facile sentire. Præcipuè vero hoc accide-, re solet melancholicis, & ex eo succo insanientibus. Sunt enim sicca & ex carni aure, atque ob id, si adest animus, ni- miũ audiunt, si autẽ abest, non audiunt. Huic mulieri utrã que causam adfuisse est verisimile, quia & melancholica tenebatur infania, & vapor ei multus ferebatur in caput. Decimasexta, cum antea habuisset semper æque calidos pe- des, cœpit eos habere minus calidos, quàm reliquum cor- pus. Quod sanè erat deterius iam: nam debilitatis caloris erat id signũ, & sanguinis ad superiora multo magis effusi. Decimasextima, cum interdũ videretur moderatius habe- re quàm antea, ad noctem cœpit, sese cum sensu frigoris contrahere, quasi rigor ei superuenisset, & inde rursus ma- gis febricitauit, & fitis multa iã inde erat. Reliqua vero vt antea. Tam hinc habuit multo deterius, & cerebrum ac ner- uosum genus multo magis est affectum, & succus qui antea mentem solum lædebat, cœpit ad corpus verti, & conuul- siue cœperunt moueri partes. Quod processit, vsque dum conuulsa interiit. Fiebant (inquit) tremores in manibus, & concuciebat caput, & oculorũ intuitus prauus, cõtortis scili- cet oculis. Hæc omnia erant conuulsoria, quæ eo erant gra- uiora, quo post maiorẽ, & cũ maiori febre fiebant. Aderãt verò simul maximè febris signa. Nam erat fitis fortis, & cũ potasset, rursus petebat, atque si denegabatur, rapiebat, ac largiter bibebat: auellere autem ab eius manibus potum, non poterant qui ei aderãt. Lingua erat sicca. Ferebat in os ambas manus & manducabat, cum esset tremula. Dicens, cum esset tremula, causam reddit, quasi dicat, illud mādū- care per conuulsoriũ motũ mandibularũ fieri. Erat itaque illud, manus ferre in os, anxietatis & mania, illud mandu- care, conuulsorium. Siquis offerebat, aliquid comedendũ aut sorbendum, largè ac maniacè degluciebat, ac sorbe- bat. Hoc accidens anxij & furentibus accidit, quibusdam etiam moribundis, quòd langorem sentiant, & inde expe- ctent auxilium. Irant tunc quoq; quæ circa intuitum pra- uis, cõuulsione scilicet procedere. Tribus autẽ (inquit) aut

quatuor diebus ante finem, hoc est antequam interiret, à vigesima scilicet vsque ad vigesimam tertiam qua interiit) incidebant quandoque ipsi horrores, & sensus frigoris, vt contraheret corpus, & contegeretur, & anhelaret, more eorum qui horrent, aut rigent: & pedum refrigeratio. Hæ iam erant refrigerationes perniciosæ, de quibus primo prophæta ita dicitur. Perrefrigerationes ex rigore non recalciscunt, malum. Fiūt hæc iam extincto naturali calore. Processerunt simul conuulsio & mania. Nam crura conuellebatur, & quæ ad mentem attinent, similia. Postremò tentante naturali facultate, & apponente extremos conatus ad expellendum, nihil tamen proficiente, surrectiones ad egerendum, aut inanes omnino, aut per quas pauca & tenuia egerebantur cum quadam exigua tentione, hoc est cū quodam exiguo impetu, qui mox remittebatur. Vltima iā die, quæ decimatertia morbi fuit, erat oculus magnus, alter scilicet altero maior, & circumspectio breuis, quod est, circūspiciebat omnia breui, quasi furtim. Ad vesperam dexter oculus mouebatur ab angulo externo, versus internū, qui est iuxta nasum, quasi vellet aliquid videre, quæ vt & priora conuulsionis erant. Ea die quietior videbatur esse quàm superioribus, neque se contegebat, neque sopore tenebatur. Cognoscebat, & interroganti respondebat. Erat verò hæc alleuatio, qualis solet iam iam morientibus fieri, concidentibus facultatibus, & cædentibus morbo. Vox vltimo lædi cœpit, vt non posset quis iam intelligere, quæ loqueretur, clamabat, quod non parū faceret ad exhauriendas vires, & facta est illi vox fracta & rauca, deficiente virtute & siccata arteria, & post tam multa, tandem obiit.

13 **F**ilio Amphiphradis, æstate, lateris sinistri dolor, & tussis, & deiectiones multæ aquosæ, & subbiliosæ & febris videbatur soluta esse circa septimā, tussis aderat: color subalbidus & subpallidus, circa duodecimā autē subuide screabat. Spiritus procedente morbo semper densior, et anhelatio, & asperitas rancida circa pectus & arteriā. Sorbitionibus utebatur. Mente constabat toto tempore. Vigesima octaua mortuus est. Sudores aliquando exhibant.

HIC

Hic filius Amphiphradis laborauit pleuritide biliosa
 sinistra lateris, a qua ob humoris copiam liberari non po-
 tuit, quin ad suppurationem verteretur, coepitque suppara-
 tionis adesse nota septima die, vt videretur hic moriturus
 intra quatuordecimam, iuxta id quod ab Hippoc. dicitur
 in prognostico. Vt liceat cōiectare, adfuisse huic aliquod
 aliud bonum signum, præcipueque constantiam faculta-
 tis, ob quam vixerit duplum, duraueritque vsque ad vigesi-
 mam octauam. Ita enim habetur citato loco. Ex suppara-
 tionibus, quæcunq; dum adhuc sputum biliosum est, sup-
 purantur, perniciosæ valde sunt, siue biliosum illud in par-
 te, siue simul cum pure expuatur, atque hoc potissimum, si
 morbo ad septimū diem progresso, suppuratio ab hoc spu-
 to procedere incipit. Timor autē est, eum qui talia expuit,
 moriturum esse decimaquarta die, nisi aliquod bonū signū
 ipsi acciderit. Fuisse vero hoc, quod præsentī ægroto acci-
 dit, interpretor, quia habuit à principio dolorem lateris
 cum tussi & febre continua (nam dicēs febris videbatur
 soluta circa septimam, insinuat fuisse antea continuam) &
 difficultate respirandi (nā dicēs spiritus, procedente mor-
 bo, semper densior, insinuat ab initio fuisse densum, qualis
 scilicet do loris) quapropter pleuritidem habuerit. (Nam
 pulsus rarò meminit Hipp. fuerit verò is reliquis quatuor
 signis congruens) eā vero fuisse biliosam, licet colligere
 ex tēporis quo ægrotauit homo, conditione, siquidē æsta-
 te: & ex deiectionibus aquosis subbiliosis, quæ non aliter
 quam redundāte bile fiebant. Suppurationē verò pernitio-
 sam esse factā breuissimē, vt in talibus solet, agnosces, quia
 circa septimam videbatur febris esse soluta, & tussis nihilo
 minus aderat. Et densior spiritus, & color (sputi intelligo)
 subalbidus, & subpallidus, qualis scilicet fit admistione pu-
 ris cum bile. Procedente vero alteratione in deteriorē, nō
 fiebat in dies sputum candidius, vt oporteret, sed biliosius,
 vt circa duodecimā, subuiride iam excrearet. Iam inde fie-
 bant omnia vt in suppuratis, & priorē suspicionem confir-
 mabant. Nam spiritus fiebat semper densior, & anhelatio,
 & asperitas rancida circa pectus, hoc est circa arteriam,
 qualis esu rancidorum aut oleosorum fit (σχευον vocant)
 & exibant sudores aliquando. Noctu solent fieri suppara-
 tis. Vtebat (inquit) forbitionibus, quibus scilicet tales vti so-
 lent.

lent. Mente constabat toto tempore, quod etiam ita morientium est. Mortuus est vigesima octava, moriturus, ut dixi quatuordecima, nisi virtute valuisset. Esse autem hoc casu adeo velox periculum, ob malignitatem alterationis materiam dictum est in commentario prognostici. Animaduertit Hippo. dolorem fuisse lateris sinistri, quasi aliquid fortasse interesset, utrius esset. Auicena hanc nobis dubitationem ingessit, quam Aponensis post illum suscepit discutiendam, fecitque id tenuiter, fortasse quia ipsa quaestio leuis est, neque adeo magni momenti, neque medici qui pleuritici curationem aggrediuntur, adeo multum curant, utrum latus doleat. Nihilominus videtur id Hippo. considerasse, atque ob id dicendum aliquid de ea etiam est. Auicena non respondit satis distincte, dicit enim, ob partis dignitatem deteriore esse pleuritidem sinistri lateris, quod cor eo loco situm sit, tamen ob cordis calorem facilius discuti, si modo ea sit pleuritis, ut discuti possit. Tamen hoc non est questionem decidere, sed argumenta ab utraque parte proponere. Fuisset dicendum, utrum horum pluris faciendum sit, dignitas partis ad morbi malignitatem, an facilis discussio ad contrarium, ut inde flueret assertio, sinistri lateris pleuritide deteriore esse, aut minus malam. Falso etiam affirmat Auicena, latus sinistrum praestantius esse, & calidius dextro. Nam re vera est tanto frigidius, & ignobilius, quanto lien hepate: cor. n. in medio thoracis situm est, & arteria, etsi oriatur a sinistra parte cordis, mox reflectitur dextrorsum ad spinam, indeque ramos demittit in utraque partem, numero pares, sed in dextram ampliores. Quod vel pulsus indicat, qui plerisque hominibus sentitur in dextra manu maior. Has ob causas caeteri Rasius lib. 3. continentis, deteriore esse pleuritidem dextri lateris, quia scilicet est partis nobilioris. Constat verò nihil adeo facere ad periculum, quam principatum partis affectum. Huius sententiae videtur fuisse auctor librorum de morbis, siue is fuerit Hippo. siue quiuus alius. Nam lib. 2. ita scriptum est. Quum tempus longius protrahitur, & febris vehemens, ac tulsis corripit, & latus dolet, & in sanam partem decubere non potest, sed in dolentem, & pedes & oculorum cavitates innumescunt. Hunc ubi decimus quintus ab eruptione dies adest, multa calida lotum in sede firma collocata, & alius ipsius manus quidem teneat, tu verò humerum concutito, ut audias in utrum latus affectio strepitum edat: optandum autem esset in sinistrum. Haec illo in loco,

Voco, quibus verbis videtur præferri pleuritis sinistra, ut minus periculosa: quando quidem dicit fuisse optandum, ut sinisterum teneret latus. Verum si rectè consideres, hic autor non loquitur de pleuritide, sed de suppuratione ex pleuritide: fieri vero potest, ut non idem iudicium ferendum sit, de pleuritide, & de suppuratione ex pleuritide. Consideretur ergo seorsum utrumque. Pleuritis hos exitus habere potest, resolutionem, & suppurationem, & corruptionem. Resolutione liberantur homines breui, & intra morbi constitutionē, corruptione moriuntur breui: suppuratione magna ex parte moriuntur lentè, tabescentes, aliquādo etiā liberantur, multo tēpore repurgati. Tres ergo cum sint pleuritidis exitus, optandus maximè qui fit resolutione: timendus qui corruptione: timendus etiā, et si minus, qui suppuratione. Pleuritis dextri lateris, quantum in partis natura est, erit maior & acutior, quia calidior & sanguinolentior pars ad calidas & acutas inflammationes est paratior, sinisteri lateris erit minor & tardior: igitur dextra pleuritis paratior erit ad citā aut salutē aut mortem, per resolutionē aut corruptionem (acutorū enim est hoc) sinistra verò sæpius in suppurationem abibit: Vide utrū eligas. Post quā facta iā est suppuratio (fieri enim potest utroq; in latere) deterior fit haud dubie quæ in dextra. Nā non potuerit fieri, nisi ea parte plurimum debilitata, debilitatam vero esse partem alioqui fortem, grauius est, quā debilē. Accedit quod sinistra pars ut ignobilior, opportunior est curationi. Nā cum minori periculo secatur & vritur. Huc respexit autor librorū de morbis, dicens optandū autem esset in sinistro: subiungit enim: hunc igitur locū feces. Minus enim lethalis est. Videtur ergo mihi Hipp. hic narrasse quod latus doluerit, quod filius Amphiphradis in suppurationem incidit.

CAupo qui peripneumonia tenebatur, alius statim subiit: circa quartam sudor multus. Videbatur soluta esse febricula. Tussis nulla, ut ita dicam. Quinta et sexta & septima detinebat febris. Sudor octava, nona excrebat pallidum. Decima ibat acervatim, non sæpe: circa undecimam mitius habuit. Quatuordecima sanus evasit.

Rarum exēplum est hoc, peripneumonix, bene per alui profluuium soluta. Nā vt in aphorismo dicitur, à peripneumonia malū est. Neque sanè successisset, nisi pariter sudasset, & excreasset homo. Excreatio enim peripneumonix est principalis, vt Hippocraticè dicam, euacuatio, sudor, omnibus inflammationibus est conueniens. Accessit peculiaris quædam causa, quæ huic alui profluuium contulit, species succi. Nam color sputi pallidi, bilis indicauit redundantiā, ea verò per aluum vtiliter subit, aut subducitur. Itaque & si morbi eius species soluere ventrem non suadeat, si tamen bilis redundare videatur, licet ob cacochymiam, etiā in eo morbo aliquando, facere. Illud etiam habuit, egestio alui, conueniens, quod ibat acruatim non sæpe. Nam talis egestio, quia est copiosa confert, quia rara, recte fertur. Neque tamē bene ac citò solui potuit fluxu alui peripneumonia, nō enim intra suæ cōstitutionis tēpus soluta est, sed vt quæ difficilis fuerit iudicij, producta est duplum. Solet enim finiri intra septimam.

15 **E**Rmoptolemo, post pleiadum occasum febris superuenit. Tussis non valde. Lingua autem peripneumonica. Non sudauit, totus refrigeratus est, vt videbatur. Offerebant ipsi succum. Circa meridiem calefcebat. Vndecima sudor, & aluus. Siccata sunt biliosa egestiones, & tussicula superuenit. Quatuordecima pallidum excreabat, & stertebat, quindecima, mente constans toto tempore, mortuus est.

Hic mortuus est eodem morbo, & eodem ferè tempore, quo Caupo liberatus. Nam ex peripneumonia obiit hic die quindecima, ille ex eodē morbo liberatus est quatuordecima. Illud habuit simile hic morbus priori, quod sudores & alui profluua acciderunt. Verū hæc ipsa fuerunt deterioris conditionis, & lethalia. Nam a sudore refrigerabatur, & aluus cum fluere cœpisset, suppressa est intempestiue, & recurrente sursum bile, tussicula aucta est denuo, cum a principio fuisset exigua. Superuenerunt postremo illa duo pessima signa, excreare pallidum quatuordecima

(nam

(nam morbo adeo progresso, is color, materiæ est inuictissima) & stertor, qualis scilicet accidere solet, ijs, qui strangulantur. Quod quidem, ex instrumentorum spiritualium passione, mori indicauit, neq; admodum consentiente cerebro, siquidem mente toto tempore consistit. Post pleiadum occasum hyemem esse, sæpe iam antea dixi.

Alius quidam in palato superiori stertens. Lingua sicca peripneumonica, mente constans, mortuus est.

DVPLEX est stertor, in gutture, & in palato. In gutture stertunt, quibus ibi feruor quidam cum strepitu est, vt Ermoptolemo: in palato superiori, quibus is strepitus fit ea via, quæ est inter palatum & nares, vt fieri consuevit multis dormientium. Ermoptolemum dixit habuisse linguam peripneumoniam: hunc alium siccam peripneumoniam. Nimirum linguam peripneumoniam dici, qualis peripneumoniam esse solet, par est intelligere. Fit verò plerisque peripneumonicorum crassa, & excrementosa, humidaq; alijs sicca exusta cum rubore, vt scilicet ipsa peripneumonia, in erysipelatis naturam magis inclinât, aut ædematosi phlegmonis.

ET Posidonius, adhuc intrante æstate, secundum petrus, & hypochondria, & latus dolebat multo tempore, citra febres. Multis autem antea annis suppuratus factus fuerat. Hyeme autem, cum inhorruisset, dolor intendebatur, & febricula tenuis, & excreatio purulenta. Tussis cum asperitate rancida circa fauces, & stertorosa, mente autem constans, mortuus est.

MVLTIIS euenit, dolore aliquo diuturno teneri, partiũ thoracis aut vètris, sine febre, & tandem suppuratos fieri, iuxta illud quod in aphorismo dicitur. Ex dolore diuturno partiũ circa vètrẽ, suppuratio. Nimirũ, vt externis partibus euenit aliquando tubercula quædam cruda fieri, quæ febrẽ nullã excitant, vsq; dum suppuratur, tunc vero, etiam si sint succi subiecto frigidi, ob putrescenciã quæ superuenit, febrẽ inferre incipiunt, ita et in internis vètribus, siue inferiori, siue superiori.

periori. Febres enim fiunt, cum pus conficitur magis quam iam confecto, & quam antequam conficeretur. Itaque quibus antequam confici inciperet, febres erant, tunc fiunt, maiores, quibus non erant, tunc superueniunt, maiores aut minores, iuxta succi putrescentis naturam. Huic ita euenit. Laborauit enim sine febre multo tempore, dolore pectoris, lateris, & hypochondrij, pituita lateribus, qua parte alligantur hypochondrio, hærente, & impacta, neque tamen putrescente: deinde, suppuratione oborta, febricula superuenit, & horror, & dolor intentior, quæ omnia suppurationis fientis esse signa dictum est sæpe, in hoc ipso opere, & in prognostico. Accidit etiam huic aliud quiddam notatu dignum, quodque multis euenit. Nimirum sunt quibus, ob debilitatem partium illarum, sæpe redit hoc malum, fiuntque suppurati leui ex causa, sed quia leui ex causa, facile etiam liberantur, atque ita fit vt crebrò id patiantur, vsque dum aliquando, debiliores solito fortè existentes, ef fugere non possunt, & moriuntur. Qua causa fit, vt pleròq; interimat is morbus, in quem sunt paratiores, vt quorum natura vergit ad tabem, tabes: tametsi verum etiam fit, ab eo morbo facilius eos, quam alios homines, liberari. Sine delirio mori, frequens est in morbis thoracis.

18 **B**alis filius cum in monte plurimum aberrasset, sexta lingua praua sub rubra, & in aberratione vociferatus est multum. Oculi colorati, pleni, velut dormiētium. Color aut reliqui corporis non valde ictericus, sed sub pallidus, liuidus. Vox praua. Lingua obscura peripneumonica, non prudens. Spiritus ad manum prauus, non densus, neque magnus. Pedes frigidi, lapidei. Circa nonam mortuus est.

Hic puer cum aberrasset plurimum in monte, atque in aberratione plurimum esset vociferatus, ex defatigatione, & labore & anxietate incidit in febrem acutissimam, malignam, ex qua nona die mortuus est. Habuit vero, vt par erat in febre tam citò interemptura, citò signa pernitiosa,

si, & referentia causam à qua læsus est. Nam cum erraret, & clamaret plurimum, euenit efferi illi in caput sanguinem, & excrementa, quæ in corpore contigit abundare, vnde facta est lingua praua subrubra, hoc est subrubra, & referens malignum morbum, velut ficca plurimum & aspera, & oculi etiam colorati, rubri, & pleni, hoc est tumidi velut dormientium. Effusus etiam est illi vitiosus humor per totum corpus, vnde factus est color corporis velut inter subpallidum & liuidum. Quorum alterum significabat excrementa, alterum extinctionem caloris naturalis, quem labor & timor anxius extinxerant. Vox praua, hoc est aspera & clangosa, lingua obscura, hoc est obscure loquens, peripneumonica qualis descripta est. Non prudens, hoc est delire loquens. Hæc quoque omnia raptam esse bilem in omnes capituli partes significabant: spiritus ad manum prauus, hoc est frigidus. Nam hæc solum differentia spiritus exploratur tactu. Non densus, neque magnus. Itaque prauus & rarus & frigidus, qui vt in prognostico dicitur, valde perniciosus iam est. Pedes postremo facti sunt frigidi, lapidei, hoc est frigidi & sine sensu, atque velut emortui.

¹⁹ *Anginosa quæ apud Metronem, dextram manum, & Crus doluit. Febricula tenebat eam. Tussicula suffocatio die tertia remansit. Septima conuulsa, sine voce, stertor, dentium collisio, maxillarum rubor. Hæc non multum vitam protrahens, quinta aut sexta mortua est. Signum circa manum subliuidum.*

Quo pacto mortua est hæc quinta aut sexta, si septima conuulsa est? Duorum alterum licet suspicari, aut vitiatum esse codicem, legendumque aliter, aut dici quintam vel sextam diem, ab ea qua cum conuulsione, & stertore, & collisio dentium, & maxillarum rubore, vocem amisit, vt mortua fuerit mulier vndecima aut duodecima à morbi initio. Ego primum censeo probabilius. Nam cum tam graui morbo non posset tandiu durare. Morbi quidem essentia, & permutatio perniciofa, non est obscura. Nam febricula, tussicula, & suffocatio, anginam indicabant, reliqua acciden-

tia conuulsionem vniuersalem, à qua facillimè mori euenit ob spiritus interceptionem. Duo signa sunt hic notatu digna, alterum quod antecessit morbum, veluti futuri morbi signum, alterum quod superuenit, fuitque mortale. Dolor manus & cruris conuulsionem præmonstrauit. Quia artuum dolor, plerunque fit patientibus neruis, qui in eos inferuntur, si autem pars aliqua ante morbum dolet, in eam morbus firmatur. Liuorem verò manus lethalem esse in prognostico dicit Hippo. his verbis. Si digiti ac pedes omnino nigrescant, minus pestiferi sunt si liueant. Quod signum, citra rigorem, aut occasionem eiusmodi, tantifacere suadeo, ut cum apparet, nihil facias reliqui eorum quæ ad moriendum sunt, necessaria, quin citra moram edicas postrema, tametsi ægrotus de se aliter cogitet. Quia in proximo esse iam mortem, experimento didici. Exemplo etiam est hæc anginosa.

20 **B**lon ex hydropico multi temporis, factus est fastidiosus multos dies, & stranguriosus. In sinistro genu abscessus factus est, suppuratus est, mortuus est.

HYDROPICI meritò fiunt fastidiosi, ob redundantiam aquæ putridæ & salis, in ventriculi tunicis, imbibitæ. Stranguria fit eadem aqua ad vrinæ vias deriuata, atque ob id reddita saliori, quam pro naturæ modo. Vix autem habent vllum exitum salutarem, si diuturna iam sit passio. Nam præ debilitate sustinere non possunt vllos abscessus. Euacuatio verò nulla est eis satis idonea, nisi fortè aquosum alui profluuium.

21 **C**tesiphon hydropicus ex causa multo, & antea hydropicus spleniticus, plurimum repletus est, & scrotum & crura, & peritonæum. In fine tussis, & suffocationes fiebant ad noctem, magis à peripneumonia velut peripneumonicis. Ante diem vltimam tribus, aut quatuor diebus rigor febris. Circa femur dextrum, intus iuxta venam mediam ab inguine, velut ignis feri collectio, subliuidum habens

habens ruborem. Ad noctem cordis dolor, & non multo post vocis interceptio. Suffocatio cum stertore, & mortuus est.

VELUT ille hydropticus, cuius narrata est historia, mortuus est cum suppuracione tumoris circa genu, ita hic mortuus est cū carbone, qui in interna parte femoris dextri iuxta inguē, obortus est. trib. dieb. ante obitū. Signa verò Carbonis erant euidentissima erat. n. rubor subliuidus, vrens vt ferus ignis. Ortus est cū rigore & febre. Dicit ortū esse hūc Carbonē iuxta venā mediā, quoniā verò in femore non sunt multæ venæ insignis magnitudinis, sed vnica, constat mediā venā vocari, eam quæ per mediū femur repit in alto recondita. Consentaneū est, huic potius quā illi, factū esse Carbonē, quia fuit hydropticus ex multa febre ardente. Nā quibus fit hydrops ex febre ardente, manet simul cū aqua sanguis exustus, quo in partem aliquā truso Carbores fiūt. Facile aut erat agnoscere, hunc hydropticū in malū tēdere, quia per ea processit signa, quæ in hydrope vituperantur. Nā plurimū repletus est scrotū & crura & peritonæum, quæ quidē est hydropis plurimū aucti: deinde tussis. Dicitur aut in aphorismo, hydropticū si tussis vexet, desperatus est. Fiebat vero huic tussis non qualiscunq;, sed suffocationes etiā ad noctē magis, à peripneumonia, velut peripneumonicis. Tota hac phrasi nihil aliud significat, quā fuisse tantam suffocationem, vt videretur esse peripneumonicus. Postremo crescentib. his eisdem symptomatis, & materia superiores partes affatim occupante, mortuus est Nam dolor cordis, hoc est, oris ventriculi, superuenit, & vocis interceptio, & suffocatio cum stertore.

ET in Olyntho hydropticus repente voce priuatus, desipiens noctem & diem, mortuus est.

EXEMPLVM aliud est hoc, hydroptici mortui p aphorismam. Quo pacto dignosci possit desipientia, in homine qui loqui non possit, explicatum antea non semel est. Nimirum ex oculorum iactatione, & gestibus.

PRODROMI filius æstate subblæsus. Causo laborans, lingua ipsi subarida obscura, egestio alui deorsum multa, seruatus est.

Alui

ALVI egestionem, conuenientem esse causa iudicationem, indicatur hoc exemplo, quod testatur Galenus, ve in alijs locis, ita. 3. de crisi bus cap. 3. dicens, si sit febris ardens, vel sanguis e naribus fluet, vel post vehementem rigorem, sudor multus & calidus per totum corpus emanabit, aut per vomitum aut aluum aliquid biliosum excernetur.

34 **L**eophorbida febris acuta, post hyemale solstitium, hypochondriorum & ventris dolor, deiectiones humida biliosa multae, & interdum soporosus. Lingua peripneumonica, tussis non inerat. Duodecima nigra pauca, & porracea deieciat: quatuordecima, soluta videbatur febris. Postea vero sorbitionibus utebatur: decima sexta os valde saluginosum, siccum fiebat, ad extremum vesperi horror febris: vigesima prima, circa medium diei, rigor, & sudor. Febricula soluta est. Calor vero suberat tenuis. Ad noctem rursus sudor, & vigesima secunda ad noctem sudor, & calor remisit. Prioribus autem omnibus sine sudore erat. Aluus autem humectata est, etiam in ea, qua posteriore videbatur, recidua.

CAVSVS erat hic, pendens ex multiplici ac varia materia. Nam nunc indicabatur bilis flaua, nunc viridis, nunc nigra, nunc salapituita. Consentaneum vero est ab his omnibus succis causum fieri, siquidem a quocunque horum fieri consuevit. Laborauerunt in hoc homine praecipue instrumenta naturalia, hypochondria scilicet & veter. Nam erat hypochondriorum & ventris dolor, collecta in eas partes maxima succorum copia, ex qua multae humidae & biliosae deiectiones nascebantur. Tussis vero non inerat, ut pote vitalibus non perinde laborantibus. Lingua fiebat peripneumonica ob hypochondria. Nam, ut dictum est saepe, exposita est lingua excrementis & fuliginibus, omnium ferè internarum partium: nam ventris, hypochondriorum, pulmonis, & capitis. Vocatur vero Hippocr. ut explicatum antea est, lingua peripneumonica, quae utcunque est excrementosa. Sopor diurnus, ardentis febris erat symptoma,

cum

cum quadam portione pituitæ. In tanta succorum multitudine & differentia, non poterat morbus non esse diuersus, inæqualis, & difficilis iudicij, habuit vero præcipuè quandam diuersitatem, qua putatus est habere recidiuam, cum tamè re vera inæqualitas quædam esset motus, non tanta, vt mereretur nomen recidiuæ. Quod innuit dicens, in ea quæ videbatur recidiua. Intermisio visa est fieri, inter quatuordecimam & extremum decimæ sextæ. Contulit huic ad solutionem deiectio copiosa, quæ totum morbum durauit, fuitque utilis, etsi inceperit symptomaticè, sed multo magis sudor, qui superuenit iam concocto morbo. Tempus quoque fecit ad difficilem iudicationem.

Teoclis cognata, quæ superius habitabat, sub pleiadis febris acuta. Sexta videbatur cessasse. Lauit velut sedata febre. Septima mane maxilla valde rubra, vtra non memini. Vesperis febris venit multa, & lipopsychia, & aphonia erat, non multo autem post, sudor. Et sedatio septima.

NON est facile scire quod tempus vocet sub pleiadis. Nam alibi interpretati sumus sub, Canedici, tempus quo regnat Canis, inter exortum scilicet eius & occasum, nunc vero non possumus hanc interpretationem sequi. Nā æstas & autumnus totus sunt sub pleiadis, esset vero in tâta anni parte incerta narratio. Consentaneum ergo est nunc intellegi, ad exortum aut occasum, neque scio vtrum potius ea phrasis significet, tempora certè ea multum dissident. Acutissima febris, qualis hæc fuit, multo magis congruit æstatis initio, quam hyemis. Fiunt vero etiam sæpe morbi non congruentes. In hac narratione nihil est notatu dignum, præter iudicationis formam: ea vero est rarissima. Fuerunt enim decretoria signa, maxillæ alterius rubor, febris, multa lipopsychia, & aphonia. Quis autè non putaret ea esse lethalia? Subsecutus autem est mox sudor, & solutio morbi. Adeo non oportet terreri malis in initijs iudicationum.

26 **E**T vxor Theodori, factò vehemènti sanguinis fluxu
 per febrem in hyeme. Soluta verò febre circa nonam,
 non multò post, lateris dextri ab vtero grauitas. Et prius
 autem factus est grauis dolor pectoris, & sequentibus die
 bus. Et fomento calido lateri dextro admoto, remisissent
 die quarta dolores. Spiritus densior. Arteria vix respi-
 rans subsibilabat, & supina difficilè se conuertebat. Ad
 noctem acutior febris, & delirium breue fiebat. Quinta
 mane videbatur mitior esse. Sudor à facie fundebatur pri-
 mum exiguus, deinde multus per totum corpus, & pedes.
 Posthac autem videbatur ipsi febris remisisse. Erat verò
 ad manus frigidius corpus arterijs: quæ verò in temporibus
 etiam magis saliebant, & spiritus densior, & delirabat
 aliàs: & omnia in deterius. Lingua ad finem vsque alba
 valde. Tussis non inerat nisi tertia, & quinta die exiguum
 tempus. Sitis non inerat. Sputio erat. Hypochondrium
 dextrum valde eleuabatur circa quintam, postea verò
 mollius. Excretio pauca stercoris à glande. Quinta rursus
 paucum humidum. Alius autem vacua. V. in a acer-
 ba cineris speciem referentes. Oculi velut delassata. Diffi-
 culter suspiciebat, ac circumsererebat oculos. Quinta ad no-
 ctem difficulter, & delirium sequebatur. Sexta rursus
 eadem hora qua plenum solet esse forum, sudor multus dis-
 fundebatur, à fronte incipiebat ad totum corpus. Mal-
 tum tempus prudenter res suas disponebat. Ad meridiem
 multum delirabat, & refrigeratio similis erat, gratio-
 ra autem omnia circa corpus. Ad vesperam tibia ipsi
 ex cubili decidebat, & puero præter rationem minabatur,
 & rursus tacebat, & ad quietem mutabatur. Ad primam
 autem somnum sitis multa & mania, & residebat, & pro-
 sentibus conuitiabatur, & rursus tacebat, & quiescebat.
 Et videbatur reliquam noctem comate teneri, verum oculo-
 los non clauderat. Ad idè indicabat plurima nutibus, non

mouens corpus, & intelligens mediocriter. Rursus sudor eadem hora. Similiter oculi demissi, ad infernam palpebram magis inclinantes, rigide ac stupide intuentes. Albæ oculorum partes pallidæ & mortales, & totus color pallidus & niger existens. Manum plerunque ad parietem, aut ad stragulum habebat. Strepitus autem bibenti magis fiebant, respuebat, & rursus ad nasum absorbebat, & floccos legebat, & faciem velabat. Post sudorem autem manus velut cristalinæ. Sudor sequebatur frigidus. Corpus ad manum frigidum. Exiliebat, vociferabatur, insaniebat, spiritus multus, manus tremulæ, sub mortem iam etiam conuulsæ. Septima mortua est. Minxit sexta ad noctem exiguum. Quod minxerat palea trahebatur, lentum, & semini simile. Vigil erat omnes dies. Post sextam vrina subcruenta.

HÆC mulier primùm habuit febrem, à qua die nona liberata est, factò vehemènti sanguinis fluxu, & cum ab ea liberata esse videretur, non multò post incidit in febrem aliam acutiorem & grauiorem, atque symptomatis vrgentem, cuius die septima mortua est. De priori febre nihil aliud narrat, quam accidisse hyeme, & cum fluxu sanguinis solutam esse die nona, secundam describit fufius. Quam etiam constat in hyeme accidisse, siquidem paulò post primam. Morbus certè vterque fuit temporis naturæ contrarius, atque ob id periculosior: sed & iudicationis species, & constitutio. Quia in hyeme longiores fieri, & iudicationes minus habere solèt morbi. Verùm omnia fieri possunt in omnibus temporibus. Secundæ febris descriptionem enarremus. Lateris dextri dicit factam esse ab vtero grauitatem, & prius autem factum esse grauem dolorem pectoris. Hoc nihil aliud est, quàm quod secundo de morbis mulierum dicitur, his verbis. Si vteri ad costas allapsi fuerint, tussis tenet, & dolor sub latus. Nimirum à quibus ex vteri morbo fit dolor lateris, & est id tam graue, vt in eodem loco paulò post citata verba dicitur, vt nonnulla ab eo morbo peccant, vt certè accidit huic. Quæ autè causa sit qua id fiat,

requires. Veterrimi nihil dicebant aliud, quàm quòd vterus in partes dolentes illaberetur, aut quòd ita re vera putarent, esse scilicet vterum errabundum animal, aut quòd ea in re loqui vellent iuxta vulgi, & ipsarum mulierum phantasiam. Re vera tamen vterus non errat, neque proprio impetu agitur huc aut illuc, sed flatu, aut humore, aut vacuatione, contrahitur, laxatur, inflatur, aut subsidet, atque inde nascitur imaginatio proprii motus. Genitalia cum spiritalibus instrumentis habent magnam communionem, vt lib. 2. explicatum est, per venas communes vtriusque partibus, quæ per rectos musculos abdominis producantur, præter communes nervos ex sexta coniugatione. Cum ergo redundat excrementis vterus, refunduntur in partes pectoris cum altera vteri pars insigniter, in alterum latus. Hanc ob causam ex partu difficili, & menstruorum suppressione, multa sunt pleuriticæ: sed & sine vera pleuritide, dolet latus multis ex vtero. Ego verò hanc, suspicor, primo quaternario fuisse pleuriticam, secundo (ita vt fit) peripneumoniam. Vtrunque vero fluere ex vtero, vt latus & pulmo esset pars recipiens, vterus mittens. Pleuritidem agnosco, ex dolore, febre, & tussi, ac difficili respiratione. Differentiam pulsus rarò explicat Hippocr. quàm tamen hic etiam attigit dicens, erat corpus ad manus frigidius arterijs. Id enim nihil est aliud, quàm maiorem calorem indicari arteriarum motu, quàm tactu. Itaque habebat pulsus vehementer aucti vsus. Duricie pulsus non video vbi vnquam meminert Hippoc. Tussim tertia & quinta die fuisse dicit, spiritum densiorem dicit, densum à principio innuens. Dolore dicit fuisse grauem, quòd non videtur esse pleuriticæ, siquidem esset pungens. Verùm neque pulsus differentiam, neque doloris, adeo exactam reperies in omni pleuritide, sed magnam vtriusque in alias differentias inclinationem, ob partis differentiam, & humoris, & complicationem aliarum passionum. Quis verò dubitet febrem habuisse à principio quæ adeo acutè ægrotavit, vt a prima die mortua sit septima, aut quæ cum febre, & dolore lateris, & densò spiritu, & tussi, etsi rara, & spuitione, ad tam citam mortem venit, fuisse pleuriticam? Transitum in peripneumoniam indicat mihi, dolor remissior die quarta, & spiritus factus densior, & arteria aspera subsibilans, & vix respirans, & quòd

quòd supina difficile sese conuertebat . Id enim etiam est
 difficilis respirationis, nisi fortè id faciebat vteri phlegmo
 nosa passio , poterat enim ea quoque facere . Primariam
 vero affectionem fuisse vteri, agnosco, quia Hippoc. dicit.
 Neque certè est hæc incommoda agnoscendi affectionem
 ratio. Nam, vt ipsemet testatur , bonam partem dignotio-
 nis accipimus à medico, præterquam quod omnia sympto-
 mata maligna, quæ hunc morbum comitata sunt, refrige-
 rationes scilicet quarundam partium, deliria, & conuulsi-
 ones, & illa repentina hypochondrij intumescencia & rur-
 sum laxatio ex vtero fieri consueuerunt . Suspicio tamen
 Hippoc. agnouisse vterinam esse affectionem, quòd cogno-
 uerit antea mulierem, & eius naturam, atque familiares ei
 affectiones. Atqui fortasse præter ea quæ narrantur, habuit
 ea etiam symptomata, quæ loco citato ex secundo de mor-
 bis muliebribus recensentur, his verbis. Si vterus in costas
 illapsus sit, tussis obtinet, & dolor sub latus, & insidet vte-
 rus durus velut pila (hoc est quod in dextro hypochondrio
 fiebat huic mulieri) & ad còtactum dolet velut ab vlcere,
 & contabescit, & videtur ipsi peripneumonia esse, & con-
 trahitur, & gibbosa fit, & menses non apparent: aliqua au-
 tem quibus prius apparuerunt (hoc est quibus iam fluebāt
 antequam inciperent ægrotare) etiam pereunt: atque si tunc
 prodeant, imbecilles sunt & pauci, ac deteriores, & geni-
 tura non fit hoc tempore. Hoc est, semen non excernitur,
 sed suppressitur: quod, vt medici omnes affirmant, longè
 grauiora affert mala, quàm suppressio sanguinis: suppressum
 verò esse huic semen, satis indicauit ea mictio, quæ sexta
 die mulieri iam morti proximæ accidit. Minxit enim sexta
 ad noctem exiguum, & id erat album & lentum semini si-
 mile, adeo vt velut oui albumen palea traheretur. Quod
 putridum semen, quod tanti mali fuerat causa, per impo-
 tentiam retentricis iam (ita vt fit) exire, indicabat. Et eadē
 ratione dictæ vrinæ successit subcruenta, exeunte post semē
 etiā sanguine, quæ ambo soboles erant propriæ causæ mor-
 bi, retenti scilicet sanguinis & seminis. Mirum vero quod
 ex sanguinis suppressione ægrotauerit paulo post, ac per
 vehementē fluxum sanguinis ab alia febre fuerit liberata.
 Hoc vero indicat, malignam potius qualitatem suppressi
 sanguinis, quam multitudinem, fuisse morbi causam.

27 **A**ntiphanis filio hyeme dolor lateris dextri, tussis, febris, edebat, ambulabat etiam febriles. Videbatur ruptura laborare. Nona remisit febris, non reliquit tussis: multa & crassa spumosa. Latus dolebat. Circa decimam quartam & rursus vigesimam, febres videbantur desinere, & rursus corripiebant. Erat autem & calor tenuis, & parum quid relinquebat. Tussis autem aliquando quidem relinquebat, quandoque abundabat cum multa suffocatione, tunc autem remittebat, & excreatio post dies hoc multa, cum tussi suffocante. Et purulenta feruentia super vase, & spumantia, & in faucibus plerunque rancida asperitas, subsibilabat. Anhelatio semper detinebat, & spiritus densior. Rarò bene spirabat. Post quadragesimam, prope sexagesimam arbitror, oculus sinister excatus est cum tumore sine dolore: non multo autem post, etiam dexter. Et pupillæ valde albæ & siccæ fiebant, & mortuus est post cecitatem, non multo post septimam, cum stertore & multo delirio.

28 **S**imilia autem & ex similibus eodem tempore contigerunt, etiam Thesalioni quæ feruentia & spumantia, & purulenta, & tussis, & rancidæ asperitates.

ANTIPHANIS filius haud dubie tabuit ex fluxione pituitosa, quæ ex capite facta est in thoracem, hæsitque in latere dextro, ibiq; putrescens excitauit primû pituitosam pleuritidè, deinde & pulmonè occupauit, ibique feruètius putruit, & suppurationè malignam fecit, ac tabem. Venisse autè hanc fluxionè à capite, nihil magis indicat, quàm cecitas illa, quæ paulo ante mortè aduenit, candidis & arefactis pupillis. Id enim factum est eadem causa, qua tertio libro sectione tertia dicebatur, fuisse tabescentium faciem charopam. Ibi enim interpretati sumus, charopû dici pro glauco. Fieri vero tabescentibus quibusdam glaucos oculos, quod succi crudi oculos occupent, & ibi durecant, & siccentur.

centur Ergo, inquit, Antiphanis filio, hyeme dolor lateris dextri, tussis, & febris, ex pituitosa scilicet fluxione. Edebat (id dicit, quia pleuriticus, neque solent, neque debet, primis diebus cibos capere) ambulabat, etiam febriens, & cum ambularet, non videbatur esse pleuriticus sed putabatur laborare ruptura, hoc est fractura aliqua ossis, aut carnis diuulsione. Hæc opinio multos vulgares fallit: plurimos enim putant luxatione, aut fractura laborare, qui ob alias causas dolent. Nona die remisit febris, non reliquit tussis. Iam hinc coepit humor à latere in pulmonem abscedere. Nam latus dolebat minus multo quam antea, & incipiebat excreare multa & crassa spumosa. Febres & tusses iam inde inæqualiter, nunc desinebant, nunc crescebant, nunc suffocabatur cum tussi. Et tunc, hoc est cum maxime suffocari videretur, repetere aliquando desinebat tussis. Hæc fiunt, ut fluxiones ipse fluunt aut fluere desinunt, & suppuratio per partes fit, aut cessat. Excreabat aliquando purulenta, & spumantia, & feruentia super vase, hoc est si incidebant illa sputa in testam aliquam, aut in vas quodcumque, feruebant & spumabant. Id quidem fiebat ob igneum feruorem in pulmone, ob quem citissime tabuit. Cur rancida asperitas in faucibus, & sibilus, & anhelatio esset, & creber spiritus, non est cur interrogas. Cur oculi excecati sunt, dictum antea est. Postremo neque intemperiem tantam, neque redundantiam excrementorum sustinente natura, mortuus est. Perinde autem & Thesalió. Quamplurima eorum quæ supersunt, ut nonnulla eorum quæ præcesserunt, occurrerant antea in libris prioribus scripta, præcipue in quinto, & sine vlla vtilitate, neque (ut arbitror) consilio auctoris, sed temeraria congestione chartarum. Quare ego neque scribere iterum laboro, sed præteribo. Ea vero sunt, quæ mox sequitur historia vxoris Polemarchi, & alia Aristipi, & alia cuiusdam cui hepar percussum est iaculo, & alia cuiusdam percussi capite à Macedone, & paulo post alia Neapolis, & alia Billi percussi in dorso, & alia infelicissimi filij Philes: & alia filij Parmenisci: & alia Eniatis in Delo iaculo percussi, & alia filij Callimodontis: & alia Aspasijs vxoris: & alia Melisandri: & alia Eutyichidis: & alia Timocharis: & alia pueri Cleomenis: & alia vxoris Simonis, cuius tacito nomine, historia in calce quinti narrata est, & alia filij Phaniæ, & Euer-

getæ: alia Harpali, filij: & alia Thrinonis Damonis filij: interque has, verba quædam de hæmicraneæ & destillatione: & alia quædam mulieris quæ sine nomine dicitur pharmacum ad perdendum fœtum accepisse: & alia Pythoclis; & rursum alia puellæ quæ ex rupe cecidit. Atque inter duas has historias repetuntur etiam verba quædam spectantia ad pernionum curationem, & quædam medicameata oculis commoda, & curationem doloris lumborum, & coxæ, & crurum, & origani naturam, & rursum alia fulloniæ tubercula in inguinibus, & alia Nicaronis, & alia Timoclis, & alia Phœnis: & alia Cononis feruæ, & alia ferui Timocharis: & alia Diophitis sororis, & alia vxoris Epicharmi, & alia ipsius Epicharmi, & alia Metrodori, & alia mulieris in Abderis, & alia Tychonis in obsidione circa Datum percussi: nescio an vllæ aliæ me fugerint repetitæ, seu historiæ, seu dictiones. Hoc certo scias, quicquid videbitur tibi, codices alios librorum epidemicorum consulenti, in hoc, ex libro septimo sublatum, te cum enarratione reperiturum in quinto.

²⁹ **F**ilio Theodori nona die in sole versato, accessit febris decima die, ex denudatione iuxta os, nullius momenti. In febre autem demigratum est, discessit cutis. Valde clangosus erat. Vigesima secunda venter eleuatus est, præcipuè vero secundum hypochondria. Vigesima tertia mortuus est.

MULTIS exemplis indicauit iam Hipp. in hoc opere, quod primis verbis libri de capitis vulneribus docuit, nullum vulnus capitis leuiter esse contemnendum, etiam si sola cutis esset incisa: addit in eandem assertionem nunc exemplum aliud filij Theodori. Qui cum ictus esset (capite ut ego coniecto) ita tamen ut nulla esset ossis fractura, sed solum denudatio nullius momenti, hoc est, quam quiuis chirurgus contemneret, quod esset exigua, & in loco cuiuslibet, ut fortè in occipite, aut vertice, & longè a commissuris, nona die ab ictu, contemnens iam vulnus, in sole versatus est, & die sequenti, decima scilicet, febre est correptus & cum

& cum febre coeperūt lethalia fieri signa, denigratio offis, & decessio cutis ab osse (decedit quæ in labijs est vlceris, eadem ratione qua siccat, fitq; salitæ similis. Arida enim facile deciduntur) & vox clangosa. Hæc duo signa, decessionem inquam cutis, & vocem clangosam, habuerunt filij Phariæ & Euesgetæ, quorum historia enarrata est in libro quinto, ibique explicatum, in quas referantur causas, & cur sint lethalia: non minus atque in historia pueri Nicolai, cuius in eodem libro enarrata est historia, explicatū est, cur quibusdam morti iam proximis alius intumescat, quod huic etiam puero accidit vigesima secunda, cum esset vigesima tertia moriturus.

Quibus ossa fracta fuerint, his septima die febres: si vero calidius fuerit anni tempus, etiam citius: at si magis fracta fuerint, etiam e vestigio.

P R A E C I P V M ac maximum signorum superuenientium, quibus, fractum esse os in capitis vulnere, indicatur, est febris. Hanc dicit solere die septima superuenire: si verò sit calidius anni tempus, etiam citius, velut quarta aut quinta: ac si magis fracta sint ossa, etiam statim. Quibus verò videtur significari, in temporibus, aut frigidis, aut temperatis, superuenire febres die septima, in æstate verò prius: idque si fractura sit mediocris, si verò sit maxima, multo citius, vsque adeo vt aliquando superueniant statim. Hoc sanè prima fronte videtur consentaneum. Quia vt calor temporis plurimum facit ad faciliorem partium vlceratarum corruptionem, ita etiam faciet fracturæ magnitudo. Quod enim a fractura natum est fieri: id à magna fractura fiet magis, ac citius. Insurgit tamè duplex obiectio, prima, Hipp. lib. de cap. vulneribus dicere, vbi fractum est os, & vulnus tale, vt seruari homo non possit, ante decimam quartam incidere in febres magna ex parte in hyeme, in æstate verò, post septimum: nunc verò dicere in tēpore calidiori fieri ante septimum. Quid autem sit aliud tempus calidius quàm æstas? Altera, chyrgos ferè omnes censere, grauius signum esse febrem vlceri aliquanto post superuenire, quàm statim fieri: neq; sanè ea assertio videtur ratione destituta:

Bbbb 4 quando

quandoquidem, si mox fit, censetur nasci ex recenti fluxione, & inflammatione: si verò superuenit, quo tēpore solent iam inflammationes & dolores conqueuisse, non videtur posse referri, nisi in partium putrescentiam. Si autem febris statim fiens minus malum signum est, non potest profectò fieri ob maiores fracturas: esset enim deterius, quod nasceretur ex causa deteriori. Pro prima obiectione, scias, Hippoc. in lib. de vlcerebus capitis loqui de vlcerebus adultorum, hic vero ob filium Theodori, agere solū de puero- rum fracturis. Dictū vero ab eodē est in eodē libello, pueros ex capitis fracturis, citiusquam adultos, & liberari & mori, vtrumuis sit euenturum. Citius igitur lethalibus puero- rum fracturis accident lethalia signa, quam adultorum. Quare non est rationi dissonū, in ætate fieri febres adultis post septimum, pueris citius. Pro secūda obiectione, scias febrē quæ mox accidit vulneratis, animaduersione indigere. Esse enim potest simplex, & ob dolorem & recentem phlegmonem orta: aut maligna, & ex fracturæ nata magnitudine, & internarum partium læsione. Dignosci possunt hæc: quod illam non comitantur accidentia alia maligna, sed videtur qualitate diaria, & conqueiscit intra primum quaternarium: hæc durat vsque ad finem, & mox incipit malignitatem præse ferre, aeceduntque citò peruigilia, deliria, aut conuulsiones, & ossis malignus color, & saniei. Odor malus, atque alia signa.

3^r **E**T Exarmodi famulus similiter dolorem habebat ad femur, non secundum rectitudinem vulneris, & factus est clangosus, & dolor cervicis.

HABVD dubie hic quoque percussus est capite, & mortuus cum conuulsione. Nam dolores ab infernis partibus procedentes ad cervicem, conuulsionem minantur in vulneratis. Dolere verò contrarias lateri vulnerato partes, significat id, quod fieri solere in capitis vulneribus, sæpe iam diximus, contrarias partes conuelli. Habuerit etiam hic, præter ea quæ narrantur, alia signa lethalia, vt scilicet habuit clangosam vocem, quam in lethalibus signis esse sæpe iam dictum est.

Et

10 **E**T Posidocreon. Tertia die conuulsio. Calor non relinquebat. Mortuus est decima octaua.

Nihil aliud est hic notatu dignum, quam tandiu durasse ægrotum, cum tam citò conuulsionem pati cœperit.

11 **S**agora filius, percussus est retro in caput contuso osse ac denigrato die quinta, liberatus est, os non abscessit.

RARVM sanè est, quodquè, nisi in puero, expectare nõ datur, contuso osse, ac postea nigrescente, liberari, nullo osse abscedente, sed ab ipsa natura firmato, unito, & emendato. Non parum contulerit, ne fractura ad interna penetraret, & saniè in cerebrum trãsmitteret, posterioris capitis os, quod omnium quæ in eo sunt est firmissimũ, esse quod pateretur.

HINC excepi historias magnæ nauis gubernatoris, & Harpali filij, & Thrinonis Damonis filij. Require in quinta

34 **M**Enoni, sub arcturum, & prius, ex febre æstiuâ, & alui profluuiò ægre affecto, ex itinere delassato, & lateris sinistri dolor, & tussis, quæ tenebat quidem etiam prius ex cattarrho. Tunc autem erat abundans. Et erat vigil, & ægre ferens febrem statim ab initio, & residens die tertia. spuebat pallidũ. Arteria ex stertore subsibilabat. Circa quintã spiritus moderate dẽsus. Pedes, tibiæ, & plurima extrema frigida, & extra stragula. Detectio à principio fiebat biliosa, neq; valde pauca, neq; multa. Septima octaua, & nona, facilius ferre videbatur, & somni quidam fiebant, & quæ excreabantur minus coctã decima, & vsq; ad decimã tertiã valde alba & pura. Et hypochondrium mollius fiebat, sinistrũ verò intentũ, & melius spirans. Ad glandẽ verò subibat mediocriter. Decimã tertia rursus spuit pallidum: quatuor decima verò magis quindecima porraceũ: aluus vero, male olentia, biliosa, humida, crebrò demisit. Sinistrum hypochondrium eleuatum est. Decima sexta autem, etiam valde in-

tumuit . Et spiritus iam stertorosus . Sudor circa frontem & cervicem, raro ad pectus. Extrema & frons moderatè perseverabant frigida . Saltatio vero venarum circa tempora detinebat . Somni comatosi & nocte & die postremis temporibus . Urina à principio cruda cineris speciem referens, circa decimam, & vsque ad decimam tertiam, tenues & sine colore, à decima tertia vero quales à principio.

NON est dubium, deesse huic narrationi verba aliqua, quæ nisi restituâtur, neq; intelligi quidem potest, quid dicatur . Velut statim in initio vix intelligas, an hunc ipsum morbum, de quo agitur, vocet febrem æstiuam, an loquatur de morbo alio, qui conualescenti ex febre æstiva superuenerit. Verum paucis verbis appositis, euadit, res clarior. Vt si ita legatur. Menoni sub arcturum, & prius, ex febre æstiva, & alui profluvio, ægrè affecto, ex itinere de lassato, febris superuenit, & lateris sinistri dolor, & tussis, & reliqua. Ita fit apta & concinna oratio, significaturque quod verissimum esse coniecto, cum cum debilis adhuc esset ob prægressam febrem, iter egisse, atque ut par erat, esse defatigatum, & ob eam occasionem incidisse in aliam febrem cum sinistri lateris dolore . Dubium tamen tunc quoque est, an dicat habuisse æstiuam febrem sub arcturo & prius, an incidisse in hunc morbum de quo narratur historia, sub arcturo & prius. Mihi videtur illud primum magis consonum verbis Hippocratis . Nam sub arcturum & prius, significat orto iam arcturo, & ante quam oriretur. Itaque significat febrem incepisse ante quam oriretur, & durasse illo sydere iam orto . Est ortus eius, initium autumnus. Incepit ergo nondum finita æstate. Qua propter hæc fuerit febris æstiva, de qua agitur, alia vero superuenit postea, fortè in fine autumnus: nisi forte laborauerat priori febre, quam æstiuam vocat, ad exortum caniculæ, aut ante in vocatis prodromis, & posterior superuenit paulo ante ortum arcturi: & quasi hæc iam esset autumnalis, quia autumnum attigit, vocauit auctor priorem æstiuam. Aut fortè non ob tempus, sed ob acutiem, velut in aphorismo, ubi dicit-

dicitur, in autumno & morbi æstiu. Vtrumq; potest dictio
 ferre, neq; lanè plurimū refert, facta fuerit hæc febris, ini-
 tio, aut sine autumni: quanquam in initio solent fieri mor-
 bi acutiores, in fine sapientes iā hyemē. Sed, vt dictum sæ-
 pe est, possunt fieri omnes in omnibus temporibus. De hoc
 igitur dubitantes, cætera exponamus. Menon itaq; cum ad
 huc esset debilis ex febre æstiuā & alui profluuio (quod
 alui profluuium, aut simul cum ipsa febre fuerat, & ita, vt-
 pote symptomaticum, deiecerat plurimum vires: aut febrī
 superuenit iudicatorio modo, tamē productū est plus satis
 ita enim etiam tardauerit corroborationem) iter agens las-
 satus est, & ob eum laborē intempestiuè susceptum corre-
 ptus est febre, & dolore lateris sinistri, & tussi, quæ tenebat
 quidem hominem ex catarrho etiam prius, tunc autē erat
 multo copiosior: & erat homo vigil, & statim ab initio ma-
 le ferebat febrē. Huic etiam (vt ex ijs quæ mox dicentur in-
 telliges) facta sunt mox hypochondria dura & intenta. Vn-
 de constat calore & motu concitata esse corporis excre-
 mēta, & auctas eas, quæ prius inerant fluxiones, & concita-
 ras alias, atq; ita destillationē à capite in pectus quæ prius
 inerat, auctam esse adeo vt pleuritidē sinistri lateris attule-
 rit, & tussim plurimum auxerit: hypochondria vero, calore
 quem labor excitauit, & debilitate, quæ ex priori morbo
 adhuc supererat, corporis rotius, alioqui commota, excre-
 mēta traxerint & receperint in sese. Facta est itaque con-
 tinua febris cū pleuritide, & affectu phlegmonosi vtriusq;
 hypochondrij. Nam esse febrem putridam, & morbū per
 sese, non solum inflammationum accidens, indicabat vrina
 quæ à principio ac semper signis concoctionis caruit. Esse
 vero pleuritidem, non est quod quisquam neget, cū adsunt
 febres continua, dolor, tussis, & respiratio difficilis. Nam
 pulsus differentiam ab Hippocrate quis requirat? Erat vi-
 gil (non mirum: nam vel tussi prohiberetur dormire, nedū
 febre) & ægrè ferens febrem statim ab initio. Statim ab ini-
 tio incepit habere signa facultatis concidentis, & mali-
 gnæ alterationis materiæ. Nam residens iam die tertia, fa-
 ctusque orthopnicus, spuebat pallidum, hoc est biliosum
 & crudum, & aspera arteria subsibilabat ex stertore: nimi-
 rum hæc omnia pleuritidis in exitium tendentis esse, & in
 malignas referri causas, dictum iam sæpe est. Morbi vero
 qui

qui breui sunt interempturi, citò incipiunt, à salutaribus plurimum deffidere. Deiectio etiam fiebat a principio morbi biliosa, quod multam versus quaque bilis redundantiam, & facultatis debilitatem indicabat. Neque boni quicquam promittebat, quia in pleuritide ab alui profluuio nūquam expectatur auxilium. Non tamen deiecit statim vires, vt primis quaternarijs moreretur homo, quia neque erat valde pauca, neque multa. Circa quintam spiritus factus est moderatè densus. Illud moderatè densus, non significat parum densum, sed densum mansuetè, sine orthopnæa, & sine sibilo. Quæ quidem spiritus mutatio, non semper fit in melius procedente morbo, sed aliquando in deterius. Nam spiritus rectus & stertorosus, aliquando conuiescit euacuata materia, & expurgatis vijs, & tunc agitur bene cum ægroto, aliquando succubente facultate, & id est pessimum: aliquando cessante aliquo materiæ motu, quod sine insigni, neque bono neque malo fieri cōsuevit, sed vt mitescūt morboū paroxysmi. Huic nō esse sedatum illum stertorem ob salutarem quampiā causam, sed facultate concidente, & materia alius recondita, produnt symptomata reliqua: nimirum crebritas, quæ non est imminuta, & pedes, ac tibiæ, & plurima extrema (manus scilicet, brachia, & nasus) frigida, & extra stragula. Quod quidem grauius esse videtur, quàm si partes frigidas sub stragulis contineret. Nam non continere, pereuntis cum calore sensus est, aut nimix anxietatis. Septima, octaua, & nona facilius ferre videbatur, hoc est minus anxius esse, & symptomata omnia habere mitiora, & inter cætera vigiliam. Nam somni quidam fiebant. Neque tamè huic remissioni fidendum fuit, quia præter rationem accidit, & sine signis concoctionis. Nam quæ excreabantur (inquit) minus concocta. Explicans quæ vocet minus cocta, dicit, decima & vsque ad decimam tertiam, valde alba & pura. Hoc, aquosa, alba, & tenuia, puræ aquæ similia. Et hypochondrium fiebat mollius, vt phlegmonem deposuisse videretur. Sinistra verò hypochondrij pars intèta, & melius spirans. Quod durum propriè est, separari faciliè potest ab intento, etiam si vtrumque tactui resistit, sed modo diuerso. Duricies nascitur à corporis soliditate, & concretionem, quæ in tumore phlegmonoso aut scirrholo fieri.

Et, decima septima. Nam cum decima tertia inceperit fieri lethale incrementum, id exigit ratio legitimæ constitutionis, præter quam quod signa decimæ sextæ, eorum erant qui eadem die, aut postridie moriuntur. Fuisse verò usque ad decimam tertiam morbi principium, & inde incepisse incrementum, constat faciliè, ex ijs quæ de vrina addit. Si quidem præcipua temporum distinctio est per concoctionis signa. Dicit verò, vrina à principio cruda, cineris speciem referens (colore scilicet) à decima & usque ad decimam tertiam, tenuis & sine colore, a decimæ tertia usque ad finem, qualis a principio, cineritia scilicet. Nimirum eodem modo processerunt signa concoctionis & contraria in omnibus exeuntibus. Nam & spua, quæ à principio fuerant pallida, facta sunt alba & pura, à decima usque ad decimam tertiam, ab hac rursus pallida. Deiectio etiam quæ à principio fuerat biliosa, & à decima quarta cœpit subire mediocriter ad glandem, decima tertia rursus cœpit fieri deterior, malè olens, biliosa, humida, & crebra. Itaque decima tertia cœperunt omnia abire à crudis ad maligne putrescentia. Sed rogabis, cur morbus videatur processisse a malignis ad cruda, & ab ijs rursus ad maligna, cum a crudis incipiant omnes morbi pendentes ex materia. Certè cruda excrementa sunt duplicia, quædam quæ neq; habent concoctionis manifestæ vllas notas, neque corruptionis malignæ, habent tamen notas humorum à quibus morbi pendunt: alia sunt quæ ne horum quidem vllas notas habent sed solius incoctionis. Sæpiissime primis morbi diebus apparent excrementa cruda primi generis, deinde secundi à quibus proceditur, in lethalibus ad maligne putrescentia, in salutaribus, ad concocta. Quod quidem fit, quia incipiunt morbi agitatatis excrementis, & ab agitatatis necessario excidit aliquid cum exeuntibus. Cum vero cessat is motus, & concoctio nondum inceperit, fiunt exeuntia tantum cruda durantque ea totum principium, usque dum scilicet, aut malignæ putrescentiæ, aut concoctionis manifestæ notas accipiunt. Sed & alia etiam symptomata talem quandam habent progressum. Maiora enim ac difficiliora fieri consuevere in prima parte principij, ob motum materiæ quæ procedente principio, in quo iam conquieuit, usque dum procedente in vigorem morbo, ob materiæ alterationem &

& incrementa morborum, redeunt maiora. Hinc fit, vt multi inexperti, & vulgares medici, putent, cum adhuc sūt in initijs, peruenisse morbos ad inclinationes. Scilicet, remittentibus doloribus, & exeuantibus quandam puritatem accipientibus.

C Leocho lateris dolor & febris. Remisit febris. Sudauit corpus totum. In vrina multa superferebantur: posthac turbata est.

SUDOR & vrina ex eadem sunt materia, proinde sæpe in eosdem morbos incidunt ambæ iudicationes, & qui sudando iudicari cœperunt, postremò per vrinas iudicantur perfectè porrò vrina turbata diuersis occasionibus fieri consuevit, aliquando fit in initio, agrediente natura cōcoctionem, estque signum coctionis occultæ: aliquando fit in morbi decursu, ob perturbationem in totis venis fientem, estque signum doloris, seu morbi capitis: aliquando fit inclinante morbo ob excrementorum exeuntium perturbatam mixtionem, estque tunc decretoria euacuatio, qualis huic facta est post vrinas concoctas, & post sudores.

C Irca pleiadum occasum, Olympiada vxorem, octimestrem fetum gestantem, ex casu febris acuta corripuit: lingua velut causi, sicca, aspera, pallida: oculi pallidi, & corpus mortale. Fœtum corruptit quinta die: facile liberata est: & somnus, vt videbatur, comatosus. Vesperi excitantes non sensit. Sternutatorio subaudiuit, positionem accepit & succum, tussijt cum potasset potionem. Vox non soluebatur, neque ipsa quicquam allenabatur: oculi tristes: spiritus sublimis, qui per nares trahabatur. Color prauus. Sudor circa pedes, & crura, cum iam circa mortem esset. Mortua est.

CUM periculosum semper sit vtero gerentibus cadere, aut percuti, ita vt alludant fœtus, multo tamen magis
ocime-

octimestribus, quia foetus magnus cum sit, & alioqui agrotet, facile ex collisione moritur, quod periculosissimum est. præcipue cum inflammatione uteri, quæ ex casu etiam fieri consuevit. Vt huic accidit. Inflammationem enim in utero factam, indicat febris statim acuta: foetus mortuum, corpus mortale, & fetus corruptio, hoc est abortus mortui. Quæ inta die dicit liberatâ esse facile, intellige facile emississe fetum, liberata enim omnino non est nedum facile. Non parum fuit emittere ex inflammato utero mortuum, tamen fecerit id irritatio magna, & fortis expultrix. Nihil tamen habuit melius, quin potius, cum maxima cerebri compassione cum utero, quam indicabat coma tantum, ut eadem die excitantes non sentiret, sed tamen sternutatorio videretur exiguum quiddam excitari, & audire, non tamen ita ut loqueretur, neque ipsa quicquam alleuaretur, cum, prauis signis circa oculos, & spiritum, & totius corporis colorem, ad mortem processerit. Haud scio an intra ipsam diem quintam, certè non multo post. Quod sudor huic iam iam morienti factus est circa pedes & crura, ut solet alijs circa frontem & ceruicem, causam esse existimo, quod calor igneus, qui per extrema expirauit, partem humilem, hoc est vterum, tenebat.

37 **N**icolai concubina, ex febre ardente parotides factæ sunt, utraque parte. Paulo post alter tumor, cum iam videretur solui febris. Circa quatuordecimam magna sine signo subsederunt. Recidua facta est. Color mortalis. Lingua aspera, valde densa, subalbida, siticulosa, deorsum multum, humida, male olens, per totum tempus. Ante obitum corruptum est corpus multitudine. Mortua est vigesima.

NON narrat qua die ardentis febris parotides factæ sint, constat factas esse multo ante iudicationi idoneum tempus: nam multo ante quatuordecimam: siquidem die quatuordecima tumores magni subsederunt, cum antea ortæ essent parotides, ac post eas alius tumor, in quas eruptiones, non potuit non insumi satis multum tempus, siquidem

de nō sunt factæ simul, sed ordine alia post alias. Itaque non longè post morbi initium, cœperunt abscessus apparere, quod vitiosissimum esse Hippocrates millies significauit, maximè lib. 2. his verbis, decretoria ne statim appareant. Certè rarò bene agitur cum ægroto, cui citò apparet abscessus, aut quæ decretoriæ esse solent euacuationes. Exemplo est hæc ægrota, quæ cum per morbi decursum aliquoties videretur melius habuisse, vt aliquando interim febris videretur, solui, postremo mortua est. Quæ autem fuerint signa grauiora, oportet notemus, vt meritò eum finem habuisse morbum intelligamus. Imprius factos esse abscessus ante tempus, deinde & subsedisse tumores, alioqui magnos, die decretoria, sine signo, hoc est nullo relicto vestigiò. Hoc enim nihil est aliud quàm euanuisse repente, & fecisse in altas partes impetum quod in magnis tumoribus tanto periculosius est, quanto minus possit opinari, magnos quam paruos, fuisse per insensilem euacuationem resolutos: & quanto grauius sit, multa quàm pauca excrementa, in partes nobiliores conuerti. Omnia autem lethalia signa diebus decretorijs facta, firmiorem habent significationem, quàm alijs, ac proinde deteriora sunt. Meritò ergo, quandoquidem non multo post initium factæ sunt parotides, fuit morbus difficilis iudicationis: quandoquidem verò die quatuordecima, magni tumores sine signo subsederunt, meritò est facta recidiua, longè perniciosior primo morbo, & habens mortalia signa, colorem faciei mortalem, hoc est qualem in cadaveribus videas, linguam asperam valde densam, hoc est crassam, & duram, subalbidam (qui color ob emorientem etiam calorem fieri solet, estque deterior, quàm cum est aperte alba ob pituitam,) & sicciosam ob calorem igneum, & deiectionem multam humidam, malè olentem, per totum tempus: quæ deiectio corruptionem significabat, potiusquam iudicationem, & quia malè olens (non scilicet vt cunque, sed grauius & malignè,) & quia per totum tempus. Tempestiuæ enim sunt quæ bonæ, non per totum tempus sentes euacuationes. Atqui euentu confirmata est hæc coniectura. Nam ante obitum corruptum est corpus multitudine, hoc est mortua est præ multitudine deiectionū, cor

rupto corpore, & colliquescentibus simul succis, & carni-
bus. Mortua est vigesima, à primo insultu morbi, arbitror,
quia ita solet Hippocrates numerare: recidua fortasse fue-
rit facta decima septima, fueritque totus morbus acutus
simpliciter: recidua vero seorsum acutissimus, & pernicio-
sissimus.

38 **A**Ndrean ante pleiadem, horror, febris, vomitus, ab
initio semitertiana apparebat. Verùm tertiana erat:
rursus in foro agens horruit, febris acuta, vomitus bilis
meraca, delirium ad noctem, rursus facilius. Quinta dif-
ficulter. Sexta à mercuriali bene subijt, septima diffici-
lius. Et sequentibus iam diebus magis continenter, & sine
sudore ab initio, & siticulosus. Maxime verò os resicca-
batur, & potum nullum libenter accipiebat, cum multa
esset in ore insuauitas. Lingua sicca, inarticulata, asperi-
tas estorescebat cum pallore albicans, vigil, anxius, exo-
lutus, fractus, lingua præ siccitate subblæsa, vsque dum
madefecisset. Succum maxime accipiebat. Nona aut de-
cima circa aurem sinistram, & circa alteram tumores
parui sine signo apparuerunt. Urinæ semper nõ sine colore:
sed sine subsidentia. Quatuordecima sudor exiguus circa
partes superiores, non valde moderatior. Calor circa deci-
mam septimam mitigatus est. Aluus post decimam sicca,
non fluens sine glande. Circa vigesimam quintam exanthe-
mata per totum, prurientia, calida, velut igne combusta.
Dolor autem erat circa alas & latera. Transiit ad cru-
ra sine signo, & d. siuit. Balneum proderat, & inunctio in
aceto. Mense verò, secundo fortasse, aut tertio, ad renes do-
lor, qui antea etiam fuerat, sedatus est.

ANTE pleiadem dicens, non explicata an ante ortum
pleiadum dicat, an ante occasum. Mihi videtur consonum
ante

ante occasum intelligere, quia morbosus multo tempus est, & difficilis iudicationis morbis magis opportunum, quod occasum antecedit, quàm quod ortum, & quod occasus, quàm ortus pleiadum, rationem potius haberi vult Hippocrates. Siquidem libello de aere locis, & aquis, ita dicit: oportet autem & astrorum exortus considerare. præcipue Canis, deinde Arcturi, & pleiadum occasum. His verbis haud dubie ortus Canis, & Arcturi potius quam occasus, rationem haberi vult, occasus verò pleiadum. Itaque idem est ante pleiadem dicere & autumnitempore. Morbus hic vsque ad diem septimam fuit tertiana febris, natura quidem intermittens, vt quæ ab horrore inceperit, adeo vero producta & molesta, vt fortasse ægrotum nunquam eueniret sine febre esse. A septima die cœpit esse febris perpetua, magna simul & maligna, a qua post dies multos vix per multos abscessus liberatus est. Dicit itaque ante pleiadem, hoc est in autumno, horror, febris, vomitus, hoc est febris quædam ab horrore incipiens cum vomitu, neque solum, arbitror, vt aliæ tertianæ solent, incipiens ab horrore, & mox in apertam febrem euadens, sed horrida etiam per totum fere tempus, aut magnam diei partem existens. Nam (inquit) ab initio semitertiana apparebat, quia scilicet hemitritæus febris est horrida, multarum febrium complicatione constans, verum non erat semitertiana, altera die duos, altera vnicum paroxysmum habens, sed tertiana. Itaque erat tertiana simplex, sed notha, semitertianæ ob horrore productionem similis. Præterijt paroxysmus primus, & (ita vt fit) exsurrexit, ac domo exijt, & rursus die tertia in foro agens, correptus est febre eiusdem prorsus figuræ cum prima. Nam horruit, & febricitauit, & vomuit bilem meraciam. Ad noctem eius diei delirauit, paraphreneticus scilicet vi febris factus: rursus verò die sequenti, quæ fuit totius morbi quarta, facilius habuit: quinta rursus difficulter, vt prima scilicet & tertia. Sexta mercurialem accepit, expurgationis gratia, & alius quidem bene subiit, nihil tamen iuuatus est, quin potius septima difficiliter habuit, & sequentibus iam inde diebus, magis continenter, hoc est citra intermissionem, febricitauit. Optimum sanè exemplum, læsionum quas infert

Cccc 2 purgatio

purgatio suscepta intempestiue, & ante materie concoctionem: nimirum febres auget, & ex simplicibus duplices, & ex intermittentibus facit continuas: etiam si alius fluat, & purgatio, ijs qui adsunt, videatur recte successisse: quinetiam eo aliquando magis homo læditur, quo purgatio videtur abundantius facta, quia colliquatione fiunt tales deiectiones. Et vidi multos, mox ab intempestiua expurgatione, incidere in tabem. Usque adeo viri debet vulgaris praxis, eorum, qui die sexta omnibus febricitantibus pharmacum tribuunt, cum tamen ea die per paucis possit vtiliter dari. Quia plerisque acutè laborantium, sexta die finitum est, aut iam finitur principium, tempus vero concoctionis nondum venit. Citra hæc autem tempora, raro, aliquando vrgentiæ tamen gratia, expurgatur. Ducta vsque ad septimam narratione, rursus repetit, quæ ab initio febribus his aderant. Sine sudore (inquit) ab initio, & siticulosus, maximè verò os resiccabatur, & potum nullum libenter accipiebat, cum multa esset in ore insuauitas. Hæc maxime siccitatis erant signa, & succorum siccissimorum, bilis, & salis pituitæ. Ab his enim resiccabatur corpus adeo, vt neque inclinantibus paroxysmis sudaret, & esset siticulosus, atque sicco ore, tamen nullo potu delectaretur, ob oris insuauitatem. Lingua sicca inarticulata, hoc est inarticulatè proferens verba. Asperitas efflorescebat, cum pallore albicans, hoc est asperitas erat in lingua, velut innatis quibusdam granulis, quasi flosculis, cum pallore quodam albicante, velut mixtione bilis, & salis pituitæ facto. Erat vigil, quod sicca & calida intemperiei etiam est, anxius, exolutus, fractus, hoc est defatigatus, quasi fractis artubus. Lingua præ siccitate subleuata, vsque dum madefecisset. Hoc est ob siccitatem lingua non poterat proferre, nisi aqua aut aliquo cremore prius eam madefecisset. Narrat deinde quo victu vteretur, dicens, succum maxime capiebat. Hoc est non utebatur cibis solidis, sed pro his vt solent qui febricitant acutè, succis. His dictis, persequitur narrationem vltra septimam diem, à qua continua febris esse cœpisset. Nona (inquit) aut decima (incertus qua die, dubitanter dixit) circa aurem sinistram primum, deinde & circa alteram, tumores parui sine signo apparuerunt.

Sine

Sine signo euanescente tumorem, aut exanthemata, quid sit, dictum antea est, scilicet nullo relicto vestigio: sed quid sit sine signo apparere consideratione est dignum. Videatur autem nihil esse aliud, quam nullo prægresso signo talis abscessus. Nimirum futuri abscessus solent significari, dolore aut lassitudine partium, in quas sunt futuri. Perinde est ergo, ac si diceret, facti sunt tumores parui in aurem vtramque repente, insperato, & nullo dolore, neque vlllo alio futuri abscessus signo prægresso. Hæc autem abscessus generatio, adeo repentina, significat causam, ad qualitatem succi referri debere, potius quam ad multitudinem, aut partis debilitatem. Repentina enim irritatio repentinam ex parte in partem lationem facit. Quæ autem multum lassitudinis sensum habet prius, & debilis pars, aliarum excrementa paulatim admittit. Itaque abscessus repentini, & sine signo facti, qualitatem malignam succi, plurimum irritantem, & vrgentem significant, qualem sane fuisse in hoc ægroto, satis aperte indicarunt deinceps, exanthemata circa vigesimam quintam, per totum corpus facta. Fuerunt enim calida, & prurientia, velut igne combusta. Urinas dicit semper huic fuisse, non sine colore, sed sine subsidentia. Hanc urinam crudam extreme non esse, tamen esse principii, constat ex ijs, quæ de urinis Galenus tradidit. Cunctari vero signa concoctionis, plusquam pro aliorum symptomatum celeritate, dyscrisias significat. Quatuordecima (dicit) sudor exiguus circa partes superiores. Explicans exiguum fuisse, non admodum tamen, dicit, non valde moderatior. Multis modis à bono sudore deficiebat hic, nam quod exiguus, quod non per totum fluens, quod sine concoctionis signis, & quod sine conferentia: solum quidem videbatur diei natura bonus: verum id, vbi cætera absunt omnia, nihilo est melius. Quia dies decretoria, velut & alia omnia decretoria, nihil aliud præstat, quam fidem, bona quidem meliora, mala vero deteriora, efficiens. Febris circa decimam septimam est mitigata, non tamen soluta perfectè, neque ita iudicata, vt sine quam multis deinceps abortis abscessibus, potuerit homo liberari. Aluum (dicit) post diem decimam fuisse siccam, non fluentem si-

ne glande. Insinuat ante decimam non fuisse adeo sic-
 cam: facius autem fuisset contra fieri, ut primis diebus sic-
 cata aluus, procedente morbo humectaretur: consonum
 enim est hoc morbis salutaribus, & benignis, in quibus
 concoctioni tempestiua succedit expulsio: sed in morbis
 difficilis iudicationis, omnia fiunt præposterè. Circa vi-
 gesimam quintam (dicit) exanthemata calida, prurientia,
 velut igne combusta. in quibusdam codicibus legitur,
δι' ἄλλε, hoc est per totum, in alijs hoc est *δι' ἄλλε* hoc est
 breui, per paruum tempus. Prima lectione significatur,
 exanthemata illa orta esse per totum corpus: secunda, or-
 ta esse repente, quodque antea dixerat *δ' ὀψυω* hoc est
 sine signo. Dolor erat circa alas, & latera, & transiit
 ad crura sine signo: hoc loco sine signo alterutrum potest
 significare, aut nullo doloris vestigio relicto in lateribus,
 aut nullo signo abscessus in cruribus prægresso: deinde hic
 dolor desuit, visusque est iam homo liber à morbo. Ta-
 men mense secundo aut fortasse tertio post hæc, dolor in-
 cidit in renes, qui antea etiam fuerat, hoc est quo ante
 hunc etiam morbum, aliquando laborare consueuerat.
 Et sedatus est dolor, & iam inde conualuit homo. Cura-
 tionem non narrat Hippocrates. Illud solum interponit,
 balneum proderat, & inunctio in aceto. Hoc est lauari
 aqua dulci, & à balneo inungi ex oleo, hoc est oleo, &
 aceto. Hoc non quacumque morbi parte faciendum fuit,
 sed postrema, quæ erat post decimam septimam, cum sci-
 licet iam febris erat tenuis, erumpentibus verò per cutem
 exanthemata, & abscessus in hos & illos articulos. Tali-
 bus enim vtile est balneum ad vacuandas reliquias succo-
 rum per cutem, & fundendum crassos, ne concrecant, &
 attemperandum corpus, atque extinguendas febres: inun-
 ctio vero olei necessaria est, ne spiritus dissoluatur, aceti
 vero, sicut etiamialis quædam portio, propter articulos, ne
 sola aqua & oleo ligamenta ossium emolliantur, & debi-
 litentur. Qua propter ego consulerem hoc casu balneo, &
 inunctione ex solo oleo uti, primum ad totum corpus, et
 oleo vero, aut sale & oleo post balneum, ad solos arti-
 culos.

39 **A**ristocrati, circa hybernas solis conuersiones, lassitudo, horror, & calor, postea verò incepit die tertia lateris dolor, & lumborum, & tumor ab axilla incipiens, per totum dextrum latus, durus, rubicundus, liuidus, velut ab igne calfactus, & exustus, anxius, ægre ferens omnia. Valde siticulosus, lingua subalbida. Urinæ non exhibant; crura subfrigida. Deiectio à mercuriali, exigua, humida, sub alba, spumosa: ad noctem spiritus sublimis est factus: sudor exiguus circa frontem: infernæ partes frigide: anxius: ceruix inflabatur: tussis non erat: mortuus est mente constans.

INTRA primum quaternarium febris, mortuus est Aristocrates, die tertia orto carbunculo ingenti: neq; mirum: minores enim carbunculi solent venenosa symptomata inferre, & citæ mortis periculum, nedum tantus, vt latus totum occuparet. Cum præcipuè dolor lateris & lumborum indicaret, non solum externas, sed internas etiam cum illis partes teneri. Quamquam nõ os ventriculi, aut septum, aut aliquam alienarum partium, cum quibus facillè mens consentit, alioqui non esset mortuus sine delirio. Data est eadem die mercurialis ob vrgentiam. Satius autem fuisset mittere sanguinem vsque ad animi deliquium, iuxta consilium Galeni. 14. methodi. Exigua, humida, subalba, & spumosa deiectio, colliquationem indicat.

40 **O**nesianaeti circa autumnum ophthalmia, postea vero febris quartana. Incipiente quartana plurimum auersabatur cibos; procedente autem morbo libenter accipiebat. Sed & Polychari in quartana similiter euenit circa cibos.

QUOD Onesianaeti, & Polychari euenit, quam plurimis: imo etiam plerisque quartana laborantibus, euenire conspiciamus, vt scilicet recens occupati, ali quâdiu nausea, & fastidio, & anxietatibus, & magnis laboribus confl-

Cccc 4 cœntur,

ctentur, & horum aliqui paucis paroxyfmis, vt quinque aut feptem exactis, liberantur, alij conquiefcentibus anxietatibus, & ad cibos deinde melius habentes, manent cum quartana quadam mitiori in longum tempus, quam pati poffunt exurgentes, & domo exeuntes, & negotia tractantes. Huiusrei caufa eft, quod febre illa laborare non incipiunt, ante quam multo, & eo quidem malo fucco fint, & irritata natura incipiat eum agitare: agitando verò huc & illuc trudit, & hac, & illa pellit. Vnde euenit, vt interim homo magnis angatur laboribus, & effufa excrementa faftidium inferant, & euacuationes diuerfae fiant, & aliquando per eaeuacuationes purgato corpore, ceffat morbus, aliquando non funt ex fatis, & natura conuertitur ad reliqui concoctionem, & apprehendit, retinetque quietum. Quietum ergo excrementum, & minus factum, paroxyfmos quidem facit ordinem diu, ob partium mittentium, & recipientium intemperiem, & debilitatem, & id quod Galen. vocauit cinericium, verum fymptomata affert mitiora: non quidem quæ propria febris funt, fi quidem pathognomonica cum quocumque morbo crefcunt, fed quæ principij, & inquietudinis humorum. Inter cætera verò fymptomata in quartana, cum ea iam elapfa primum illum incurfum refidet, placari maximè folet faftidium. Quia melancholia per fe quidem famem potius infert, faftidium non, nifi cum redundantia maxima putridæ materiæ abominationem infert.

41 **A** Scidit autem etiam Onefianacti deiectio ante febrim, & pofttea ad multum tempus fequebatur, multis albis mucofis prodeuntibus: & aliquando exiguum fanguinis fine laboribus, & dolore. Flatus autem in ventre. Poft febrim abceffit iuxta fedem tuberculum durum, multum tempus comitabatur incoctum, effluxit in inteftinum & extroffum factum eft fiflulofum. Deambulanti autem ipfi in foro, fplendores apparebant ante oculos, & solem non valde videbatur

Exiens

Exiens autem nonnihil extra se, habebat etiam conuul-
sionem cervicis. Postquam autem redijt in domum,
vix respexit, & vix ad seipsum reuersus est. Primum
verò circumspexit eos, qui aderant. Et corpus refrige-
ratum est vix autem recaluit, ventriculis & fomentis,
Postquam autem apud se erat & exurrexit,
nolebatur exire, sed timere dicebat. Si quis verò de mor-
bis difficilibus loqueretur, abibat præ timore. Ali-
quando incidere sibi in hypochondria calorem dicebat,
& oculorum splendores sequi, & alui deiectione mul-
ta, & saepe, & similis hyeme fiebat. Venæ sectio
facta est, hellebori, lactis potiones bobini, prius au-
tem asininum contulit, & deiectiones sedauit. Potus
aque ab initio, deambulationesque, & capitis pur-
gationes.

In quibusdam codicibus legitur, non Onesianacti,
sed Mnesianacti, videturque esse ægrotus alius, ab eo, qui
ophthalmia laborauit, & quartana, & alia narratio: mihi
autem eadem prorsus esse videtur, & de eodem Onesia-
nacte haberi sermo. Nam & illæ duæ particulæ, altera
continuans, altera coniungens, accidit autem etiam One-
sianacti deiectione, aperte indicant, illi de quo coeptus erat
sermo, præter ophthalmiam accidisse etiam ante febrem
quartanam, deiectionem, hoc est fluxum alui, quem di-
cit, postea quam incepit quartana, durasse multum tem-
pus, exeuntibus multis albis mucosis, & aliquando exi-
guo sanguine. Hæc si cum dolore mordaci exirent, essent
haud dubie dysentericæ, verum exhibant sine laboribus, &
dolore, vnde constat fuisse diarrhæam pituitosam. Illud
exiguum sanguinis, quod consequebatur aliquando, de-
ponebatur ab hepate, aut mesenterio, nisi fortè ab hæ-
morrhoidibus. Nam ab his etiam aliquando exit sine dolo-
re: refrigeratum verò ventrè a pituitosa fluxione, indicabat
flatus, qui in vètre erat. Merito huic finita est ophthalmia an-
te febrem quartanâ, cum altus ante eâ plurimû fluxerit. Multû
enim

enim cedere solet ophthalmia alui profluuiio. Post febrem (inquit) abscessit iuxta sedem tuberculum. Intelligendum post febrem, hoc est postquã correptus est febre: non enim verisimile est, iam esse finitam quartanam, cum nondum narratio ad totam hyemem venerit, siquidem quasi narrationem producens, dicit, postea alui deiectione multa & sæpe & similis, hyeme fiebat. Itaque dicit postquam correptus febre est homo, factum esse illi per abscessum tuberculum durum iuxta sedem, illudque diu mansisse crudum, durum scilicet, postea erupisse humorem in intestinum, & extrorsum esse factum fistulosum: Itaque factam illi esse fistulam, externum habentem os, & penetrantem vsque ad ipsum intestinum. Quod quidem facibus exeuntibus, erat facile agnoscere. Facile est coniectare, & ex corporis apparatu (siquidem quartana laborabat) & ex loci natura, quæ tales succos solet recipere, & ex corrosione tantaque facta est breui, fuisse succum qui eo abscessit, atrabiliarium, Cum iam ita haberet, contigit quadam die deambulanti in foro, splendores apparere ante oculos, ita vt solem non valde videret, & exiuit non nihil extra se, simulque conuulsus est secundum ceruicem: & ita, reductus, fortasse ab ijs qui aderant, redijt domum, iamque ingressus, vix respexit, & vix ad se ipsum reuersus est (illud vix significat difficile, neque satis perfecte id fecisse) primum vero (ita vt fit) circumspectus eos qui aderant, & refrigeratum est illi tunc corpus, & vix recalescere potuit, etiam si multi vtricoli, & multa calida fomenta, adhiberentur. Postquam autem apud se erat, & exsurrexit à lecto, nolebat exire domo, sed dicebat se timere, ne forte illi accideret eadem passio iterum: atque si quis coram illo de morbis difficilibus loquebatur, abibat præ timore: itaque mansit timidus. Dicebat sibi aliquid quando incidere in hypochondria calorem, & sequi oculorum splendores. Ex his accidentibus manifestum fit, eum in foro correptum esse apoplectica passione, simul cum quadam conuulsione, ob raptum melancholiam in superiores partes, eas verò passiones desijisse in melancholiam morbum, partim quidem cerebri, partim verò hypochondriorum. Alui deiectionem multam & sæpe, similemque, ei scilicet quæ inceperat, hoc est mucosam albam, exeunte aliquando exiguo sanguine hyeme fieri, quod per melancholicas

has affectiones tam multa redundaret pituita, nõ mirum.
 siquidem familiare est melancholicis, multam pituitã per
 concoctionem, generari, præcipuè in concoctione prima, cu
 us excrementa excipit alius. Narrat summatim quæ in hu
 ius morbi curatione acta sunt, dicens, venç sectio facta est,
 hellebori (hoc est expurgationes) lactis bouini potiones.
 Prius autem asininum contulit, & deiectiones sedauit. Po
 tus aquæ ab initio, de ambulationesque, & capitis purga
 tiones. Per errhyna scilicet & apophlegmatismos. Ratio
 curationis minimè sane vulgaris. Quotus enim quisq; me
 dicorum, fluente aluo mittit sanguinem, nedum & iam ex
 purgat pluries? aut lac præcipuè adeo frigidum & sero
 sum in quartana non interdicit? & in diarrhœa quiescere
 non iubet, & vino modico vti? Capitis verò peculiariter,
 quotus quisque habet curam, nisi quæ ei propria accedat
 affectio? Ea tamen omnia se fecisse hic autor narrat, neq;
 tamen in omnibus ita laborantibus, ea fieri iussim, quam
 quæ vtiliter in Onesianacte facta esse, dicenti credo. Nam
 possunt etiã aliquando vtiliter fieri contraria. Nullus enim
 est morbus, qui vnicam certamque habeat curationem, ne
 que qui pro ratione causæ & naturæ hominis, ac denique
 singularium animaduersionum, non possit accipere con
 trarias. Quapropter oportet singulorum auxiliorum con
 siderare vires, & adhibitis distinctionibus, dicere, in quibus
 ita laborantibus fieri debeant, aut secus, illud vnum dicam
 generatim, Hippocratem & omnes qui in magno prætio
 fuerunt medicos, indicationem causæ sequi consueuisse, mul
 to audacius quam vulgares medicos, qui plerunque præ
 sentibus symptomatis territi, illisque occurrentes morbos
 plerosque producant & vix nisi leuissimos persanant. Ve
 lut nunc vulgaris missione sanguinis interdiceret, timens
 euacuationum multitudinem, & expurgationes caueret,
 ne excrementa vndique traherentur in ventrem, fluxione
 alioqui laborantem: interim admoueret siccantia & ad
 stringentia, & totum victum eo dirigeret: Hippocrates ve
 ro, multo magis timens, sanguinis & vitiosorum humorũ,
 qui toto corpore redundarent, copia, ac certo sciens, nisi
 hæc tollerentur, alia omnia adhiberi frustra, neque sine no
 xamisit primum sanguinem deinde expurgatione vsus est,
 & potu lactis asinini primum, cui ob multum serum vis est

expurgandi, deinde bobini ad renutriendum, & deambulationibus. Arbitror autem & frictionibus, ut toto corpore magna dissipatio fieret. Si quis verò incidet in laborantem debilitate potius virtutis, aut intestinorum intemperie, quam multitudine succorum, contraria consulet merito: quod si frigida esset ea intemperies, ut plerumque solet, vino uti iuberet, quod tamen huic detraxit Hippocrates, ne cum multitudine, vini potus, inflammationis cuiuspiam fieret causa. Multitudinem verò indicauerit sanguis, qui aliquando sine dolore exhibat. Expurgandi, per errhyna & apophlegmatismos, capiti, magnam curam habere solet in huiusmodi morbis Hippocrates, & merito quidem (quãquam id post missum sanguinem, & expurgationem aut omnino aut bona ex parte factam) quia a capite cientur distillationes frequentissime in partes alias ut pectus, ventrem, & renes. Quare si quæ vel exigua, excrementosi capitis significatio est, in morbis thoracis, aut diarrhœis, aut frigidis renum morbis, consultum est caput purgare. Atqui hæc rursus fuerit alia causa interdicens vini huic ægroto, ne repleretur caput, repletumque in ventrem, & alias partes, refunderet.

42. **A** Necheti filio hæc contigerunt. Hyeme in balneo, dū ad ignem vngeretur, calefactus est, & statim in comitiales conuulsiones incidit. Postquam autem manifesta fuerant conuulsiones circumspect, Non erat apud se, postquam autem ad se ipsum redijt, rursus die sequenti mane correptus est conuulsione. Spuma verò non valde, & tertia obscura (*απορία*) loquela: & quarta lingua significabat: quinta non poterat loqui, sed cunctabatur in principijs nominum, etiã in quinta, lingua admodum: & spasmus factus est, & extra se erat, cum autem remitterent hæc, lingua vix in suum statum restituebatur: sexta cum abstineret ab omnibus, etiam à sorbitione & potu, nihil amplius accepit.

Hic puer sex dies colluctatus, ut ita dixerim, cum epilepsia,

mo aut eiusdem alius morbus. Haud est diffonum censere ob morborum analogiam & naturam, eundem esse hominem, eumque iuuenem natura calidum, talibusque morbis opportunum, & à talibus causis lædi: nam antea dicebatur laborasse pleuritide & febre, nunc ab exercitijs & melle læsus esse, ambo verò hæc sunt calidorū. Sed hoc habeat utcumque: quæ nunc est in manibus historia enarretur. Læsus est hic exercitijs, & mellis vsu, atque tumores magnos, & liuescentes contraxit in cruribus dextro primum, deinde & sinistro, & in ore circa dentes, tubercula, pro loco quidem magna, & liuida, nigricantia, & primum quidem hæc ambulans passus est, deinde verò cum malum crederet, neque pedibus posset insistere, decubuit, & febricitabat tunc temporis iam aliquando. Quomodo læsus in hos morbos ab his causis incidere, ipse non dicit, licet tamen coniectare, ex ijs quæ dicit. Nimirum tumorum color melancholiam præse ferebat, melancholia verò, exercitiatione & melle, non aliter fit, quam sanguine exusto, itaque læsus est, quòd motus nimius & mellis vsus, sanguinem vsserint, atque fecerint multum atræ bilis, quam natura ad debiles & extremas partes trudente, facti sunt tumores diti, in ore circa gingiuas ob partis debilitatem, & in cruribus quòd sint partes extremæ, & humiles: primum verò in dextrum crus & in gingiuas, quòd arbitror, ambæ hæc partes, altera quidem supernè, reclinatam habeant cum hepate, quòd à calidis causis læsum esse, ante alia viscera, est cõsentaneum: deinde verò etiam in sinistrum, ob redundantiam succi aucta in omnes partes fluxione. Attestatur huic coniecturæ etiam sanatio. Nam sanatus est homo repetito hellebori vsu, quem melancholicæ cacochemiæ esse convenientissimum, constat: sed & morbi diuturnitas idem indicat. Si enim biliosi aut sanguinei essent tumores (à pituitosis enim longè aberant) ante quadragesimam essent dissoluti, durauerunt vero ultra sexagesimam. Ex tuberculis illis facta sunt etiam vlcera in ore, ad quæ dicit contulisse medicamentum ex manna thuris, cum alijs permistū: velut, fortè, cum myrrha, croco, & mastiche, aut postremo iam tempore, aliquo alumine, in medicamento ex moris, aut ex nucibus, aut succo aliquo adstringente. Nam ex his & alijs huiusmodi, parari sthomatica medicaméta, docuit Gal.

lib. de compos. med. secund. locos. Illud solū
 haec dictione non placet, sorbitionem ex lente con-
 nentem esse, eam scilicet quæ græcis veteribus vocabatur
 ΠΟΚΟΤΤΙΩΣΑΝΙ, neque quidem ego huic ea sorbitione
 permisissem, neque omnino lente in cibis, quia est suc-
 melancholici. Sed percurramus verba omnia. Cleoco (in
 ex lassitudinibus & exercitijs, melle per dies aliquot
 tumore ad dextrum genu, & magis inferius circa ten-
 nes sub genu: circuibat, hoc est ambulabat per urbē sub-
 caudicans, & poples intumescibat, & durus erat, & vsque
 ad pedem, & vsque ad malleolum dextrum, producebatur
 tumor ille durus: & in gingiuas iuxta dentes eruperunt ma-
 quædam tubercula, vt acini vix, liuida, denigrata, &
 sine dolore, nisi quum ederet, & crura etiam erant sine do-
 lore, nisi exsurgeret. Reddit causam, qua dicit crura, cum
 atea solum dextrum, sit dictum, intumuisse, dicens, venit
 tum etiam in sinistrum tumor, minus autem liuescebat,
 itaque liuescebat etiam tumor vtriusque cruris, non verò
 erat denigratus, velut tubercula oris: quoniam verò non
 dolebant nisi mota, constabat, fluxionem in eas partes, nō
 nisi lentè, fieri, & quoniam tumores erant duri, dolentes si
 mouerentur, neque aliter, constabat esse inflammationes
 sarrholas: quamuis postremæ partes tumorū crurum, sup-
 preta scilicet quæ ad genua, & ima quæ ad pedes, habebāt
 velut suppurationes, hoc est vndatim motum quendā, siue
 succum siue statum (ita enim fieri consuevit) ita vt ambi-
 geretur, an essent suppurationes. Postremò, hoc est, cum
 iam crurum morbus multo creuisset, iam non poterat sta-
 re, neque calcaneis insilire, sed iacebat in lecto. Calores
 manifesti, hoc est erant iam tunc temporis febres aliquæ
 manifestæ. Putrescentibus, arbitror, iam succis intra cor-
 pus: quam etiam ob causam, aliquando tanto tenebatur fa-
 stidio, vt cibum omnino non caperet, non tamen erat val-
 de stitulosus. Forte quòd excreta atra bile ad externas
 partes, pituita, circa fauces & capitis partes, abundaret.
 Erat verò tunc adeo impotens, vt neque ad sedem surge-
 re posset. Tantum aberat, vt posset ambulare. Erat anxius,
 & nonnunquam pusillanimis, quæ duo atrabiliaris morbis
 adesse solent. Quæ ob causam exhibitus est helleborus bis,
 & factæ sunt capitis purgationes per caput purgia, vt scili-
 cet

get à pituita purgaretur cerebrum, atque purius fieret, & robustius etiam & minus melancholicis passionibus opportunum. Idonea medicamenta parata sunt ori, quæ iam descripsimus: & in cibis dabatur sorbitio ex lente quam non probauimus. Non narravit, quibus morbi diebus actæ sint expurgationes, constat tamen ambas fuisse ante sexagesimam. Nam sexagesima à secundo helleboro subsederunt tumores. Venerat verò in genua humor & bilis, hoc est biliosi succi fluxio, etiam ante primum veratrum, quam fluxionem in genua, quæ postremo facta est (nam quæ principio inceperat, fuerat potius infra genua circa tendines) indicavit dolor, qui omnino maxime, ac postremo afflixit. Nam venerunt decumbenti ad genua dolores. Hoc est ex quo decubuit, collegerunt se dolores in genua. Neque mirum. Nam morbi huiusmodi in crassis & contumacibus succis, in articulares dolores finiri solent.

44 **P**lustrato humeri dolor, & gravitas diuturna deambulanti, & alioqui bene valenti. Hyeme vero incidit magnus dolor lateris, & calor, & tussis, & excreatio sanguinis spumosi: hocque stertor ossum in faucibus, bene autem ferebat morbum, & erat apud se, & calor remisit, simulque excreatio, & stertor, & circa quartam aut quintam diem sanus evasit.

Typus hic est pleuritidis maximæ, & acutissimæ exactæ, simulque salutaris. Nam speciem indicat syndromes signorum, doloris scilicet, febrilis caloris, tussis, & respirationis difficilis (pulsus enim rarò meminit Hippocrates.) Magnitudinem vero, horum magnitudo. Quippe dolor erat magnus, & respiratio adeo difficilis, ut esset etiam stertorosa, par autem est, & febrem & tussim magnam fuisse; acutiè & exeuntia mox apparuisse, siquidem mox fuit excreatio sanguinis spumosi, & tam brevi solutum esse, siquidem circa quartam aut quintam. Salutarem vero esse tantum morbum, etiam ante exitum licebat agnoscere ex bona morbi tolerantia, & constantia mentis. Nam etià si ex pleuritide solent cum mentis constantia mori, non tamen ex adeo acuta, quia quæ tam brevi est interemptura, rarò non est

con-

coniuncta cum peripneumonia, quæ cum lethalis est ple-
næque mentem lædit.

Vxor Simonis in partu concussa dolor circa pectus
& latus, tussis, febres, excreationes purulenta, phtisi-
s, & constitit, & sex menses febres, & diarrhœa sem-
per in fine sedatio februm, aluus stetit, post sedationem.
Post dies septem mortua est.

Hæc eadem historia occurrit in calce libri quinti, &
i præterito mulieris nomine, & quia quibusdam etiã alijs
vocalis discrepant lectiones, ego hanc illuc transtuli, & ibi
narravi.

Et vxor Euxenij ex calidis fomentis videbatur. Ca-
lores nullo tempore deficiebant, magis ad vesperã
incresecebant, sudores in totum corpus fiebant, cum incre-
mentum esset febris acceptura refrigeratio pedum, ali-
quando etiam tibiæ, & genuum. Fiebat tussicula sic
ta exiguo tempore, cum inciperet febris exacerbari, dein-
de cessabat. Per multum autem tempus totius corporis
rigor fiebat. Sine sui semper, cū potasset pharmacum &
serum, lassata est magis. A principio nihil doluit, & bene
spirabat, dimidiato autem tempore lateris dextri dolor
factus est, & tussis mota, & anhelatio, & excreationes
exigua, candida, & subtenuës, & horror non amplius ex
pedibus, sed ab spina & dorso, & aluus humidior. Sedata
est febris cum multo sudore, & refrigerata est. Anhela-
tio verò erat varia. Mortua est post cessationem, septima
die, constans mente.

Hæc dubiè est hæc narratio mutila desuntq; in ipso
initio nonnulla verba. Quæ. n. oratio imperfectior quã illa
& vxor Euxenij ex calidis fomētis videbatur? Quid enim
videbatur? Certè desunt multa, nō enim aptè coherere his
possunt verba quæ sequuntur, nisi interponantur multa, qui-
bus narret, modò quo ceperit mulier, à calidis fomētis læsa,
& grotare. Vanū fuerit velle diuinãdo supplere oīa, q̄ desunt

D d d

fatis

LIBROS
DEL DR.
L. MARCO

Quantamiento de Madrid

fatis sic interpretari, mulierē hanc læsam esse vsu calidorū fomentorum & ob eā causam cœpisse febricitare, & qualiscunq; fuerit initio febris typus, euasisse talem, qualis sequentibus verbis describitur. Ex quibus omnibus ego coniecto, ob calidorum fomentorū vsu, excitatam esse fluxionem in caput, plenūq; illud esse excrementis, simulque inde refusam esse in infernas partes fluxionē, & ob putrescentiā excrementorum excitatas febres. Nam rheumaticis febribus familiare est, ob pituitosam plerūq; materiā, ad vesperā singulis diebus ingrauescere, & cum tussicula incipere: quæ incipiente distillatione simul cum febre fit, & aucta deinde febre, cessat: familiare etiam est talibus, habere rigores inordinatos & per multum tempus, quod decurritia excrementa attingat sentientes partes: & sine siti esse: hanc enim ob causam dicit Hippocrates siti carere, eos febricitantes quibus est tussis leuiter irritans. Talibus etiā succedere solet, hærete in latere fluxione, pleuritis, ut huic est factū dimidiato morbi tempore, cum à principio nulla parte doluisset, & bene spirasset, utpote fluxione, neque spiritalia instrumenta eousque occupante, neque alicubi hærente, sed diffusa, & dispersa in dolenter. Pleuritis vero signa fuerunt, lateris dolor cum febre (nam hæc, ut dictum initio est, nullo tempore deficiebat) & tussis denuo mota, & anhelatio. Fuerunt vero huic mulieri à principio duo, quæ eam meritò adegerunt in exitium, multa humorum copia, & naturalis caloris debilitas: illam indicabant sudores, qui ab initio in totum corpus fiebant, hanc refrigeratio magna, pedum, tibiarum, & genuum: Job has causas, pharmaci expurgatis & seri vsus, nihil contulit, sed potius læsit, quia neque tanta copia, præcipuè cum esset cruda, cedere, neque tam exigua facultas, bene ferre poterat. Hinc factum est, vt pleuritis nunquam coqueretur, neque excreationes fierent, nisi exiguæ, candidæ, & tenues: sed calore partim suffocato, partim cum euacuationibus exoluta, cum sublata videretur esse febris, mulier moreretur. Debilitatem caloris naturalis, post excitatam pleuritidem, indicabat horror, non iam à pedibus sed ab spina & dorso incipiens. Alius vero humidior facta (quæ euacuatio morbis thoracis, in raris quibusdam naturis non est aduersissima, vt in scholijs libri sexti de locis patientibus

bus indicauimus) & multus sudor febrem simul cum naturali calore substulerunt, & refrigerata est mulier. Anhelatio verò, quæ extremam perniciem indicabat, non desijt, sed erat varia, ita vt fit in moribundis, nunc facultate extremis conatibus mouente, nunc concidente: mortuaque est, septima die post cessationem febris, ex quo inquam refrigerata est, mente constans, vt scilicet mori plerique solent ex pleuritide, & quicumque ob caloris naturalis extinctionem. Fiunt enim hæc magna ex parte, sine læsione hepatis principij.

Vxor Polemarchi æstate incepit febricitate, dimisit autem ipsam die sexta, postea vero ad noctem calor subcreuit, rursum autem dimittens, arripuit eam febris, & non reliquit fere tribus mensibus. Tussis multa. Excretio pituitæ. Postquam vero viginti diebus durasset spiritus semper densus, in pectore status. Plerumque cum sudore. Mane febris mitior, & horrores quandoque corripiebant. Somni fiebant, aliusque aliquando humebatur, & rursus sistebatur. Sapiebat illi cibus moderate. Dimidiato autem tempore in genua & tibias dolor, atque vt flecteret, & distenderet, alio indigebat. Perseuerabant crurum affectiones, vsque ad finem iam propinquum. Et intumuerunt pedes vsque ad tibias, atque si tangerentur, dolebat, & sudores desierunt, & rigores, febris autem semper intendebatur. Ante finem vero alius fœuebat, prudens mortua est, tribus autem diebus ante mortem, stertor in faucibus, & rursus reuertebatur. Mortua est.

An alterius Polemarchi vxor, an eiusdem vxor altera an eiusdem eadem sed alio tempore, & alio morbo laborans, ac prius narratū est in hoc ipso sermone, nihil refert disputare, neque est vlla ratio qua scire possis: ego ob maius nomen suspicor eandem esse, & quod habeat etiā hic morbus, nescio quid simile illi, & quod in similem naturā

natum erat cadere. Illic enim dicebatur esse illi strepitum
 ex pectore, velut engastrymithis. Hic dicit in pectore flu-
 tus. Subit his lectis suspitio, fuisse mulierem quam piam
 tuosam, & cui strepitus in corporis cavitatibus frequenter
 fierent. Sed hoc habeat ut cunque, præsens enarretur histo-
 ria, ex qua palam fit, mulierem ex suppuratione esse mor-
 tuam: habuit enim maximam partem eius syndromes, quæ
 Hippocrates descripsit in prognostico, dicens, omnes sup-
 puratos ex his signis cognoscere oportet, primum quidem
 si febris non dimittit, sed per diem quidem tenuis est, no-
 ctu vero amplior, & sudores multi oboriuntur, tussisque
 ac tussendi cupiditas ipsi adest, & nihil memorabile con-
 puunt: & oculi caui fiunt, & maxillæ ruborem contrahunt
 & vngues quidem manuum curvantur, digiti vero cal-
 scunt, & potissimum summi: & in pedibus tumores fiunt
 & cibos non appetunt, & pustulæ per corpus enascuntur.
 Constat horum plurima affuisse vxori Polimarchi, siquidem
 febris eam non dimisit fere tribus mensibus, & maxime
 febris fiebat mitior, ut quæ noctu fuisset amplior, & era-
 plerumque cum sudore, & tussis erat multa: & intumue-
 runt pedes vsque ad tibias. Neque enim quia non narrat
 alia omnia habuisse utpote oculorum cauitatem, & ma-
 xillarum ruborem & vnguium curuitatem, & summorum
 digitorum calorem, & ciborum inappetentiam, & pustu-
 las, proinde negandum fuisse suppuratam. nam & ipse Hip-
 pocrates eodem loco dicit, non quas cunque suppurationes
 ea habere signa omnia, sed valde diuturnas. Quæ vero
 (inquit) breues sunt, ex his signis cognoscere oportet, si
 quid apparuerit, ex his quæ in principijs fiunt. Simul autem
 & si aliquanto difficilius spirauerit homo, Itaque notandum
 diuturnas suppurationes, ex horum aliquibus, & difficili
 spiratione, dicit agnosci. Huic vero exactis viginti diebus,
 ex quo febris non intermisit, spiritus erat semper deorsum
 qualis scilicet esse solet suppuratis, ob putredinalem calo-
 rem, & angustiam spiritalium cavitatum. Neque obstat
 quo minus suppurata esse putetur, & excreasse cum visci
 alsidna pituitam. Nam & si qui ex inflammationibus solent
 fieri suppurati, tussim solent habere aridam, vsque dum
 rumpuntur, tamen qui ex copioso catarrho, aut multa pi-
 tuita iuxta latera putrescente, fiunt tales, solent cum tui-

incipiente, vel etiam instante suppuratione, excreare pituitam, non tantam ut perpurgentur, sed quæ redundatam indicet. Hanc verò non dices suppuratam ex inflammatione, ut pleuritide, aut peripneumonia, siquidem à nullo horum inceptit, sed ex febre pituitosa, perquam maxima pituitæ putrescentis copia sese collegit in spiritalibus partibus. Quod primum indicauerunt, spiritus densus, tussis & excreatio pituitæ, postremo, tribus diebus ante mortem sitor in faucibus, qui tribus illis diebus nunc fiebat nunc cõcedere facultate cessabat, nunc rursus reuertebat, apponente facultate vires extremas, vsque dum mortua mulier est. Horum qui quandoque corripiebant & somni, satis indicabant febrem qualè diximus, puta pituitosam & catarrhalem, à qualibus suppuratos fieri diximus solere, est que rationi consentaneum. Suppurata vero cum esset, constat, ab alui humectatione, quæ primùm quidem fiebat & cessabat alternatè, ante finem verò facta est copiose, læssam esse maximè, & in citam mortem actam. Siquidem rectè in morbis omnibus thoracis, magis autem in suppuratione & tabe, vituperatur ab Hippocrate. Illud habuit rarum quodque per tales morbos fieri non solet, appetentiam moderatam cibi. Hanc fortasse seruauit aliquid acidi succi, circa os ventriculi consistens: sed ea quoque procedente malo perierit. Habes, præter dicta, in hac historia accommodatissimum exemplum infidelitatis sextæ diei, quam tantopere Gal. celebrat. Nam dimisit ipsam febris die sexta, cecidit vero postea longa, difficilis iudicationis, & maligna. Nam durauit plusquam tres menses, & tentauit natura abscessus frustra, dimidiato tempore, in genua & tibias, & postremo tabescens. Mortua est.

E Gesipolis puer, fere quatuor menses, dolorem circa umbilicum corrosiuum habuit. Procedente autem tempore dolor creuit. Percutiebat ventrem, vellicabat. Calores corripiebant, tabescebat. Ossa relicta sunt. Ambos pedes intumuerunt, testes (veteris partes quæ circa umbilicum inflatum laxum, quibus futurum est ut veteretur) fastidiosus fiebat, lac solum accipiebat recens, &

alius humida erat, & subcruenta sanies subibat, mali odoris. Alius vrebatur. Cum vomuisset exiguum, tardias, pituitosum, vt putaret quispiam esse genituram, mortuus est.

SI quidem rectè dicitur ab Hippocrate in aphorismo, à dolore multi temporis partium circa ventrem, suppuratione, meritò censeas, huic puero factum esse in ventre tumorem aliquem præter naturã, qui cum ab influxu humorũ corrosiuorum inceperit, in suppuratione finitus sit. Fuerint autem illi succi cum sanguine permixti, aut falsa pituita, aut bilis amara, vel acida, vel horum duo, aut plures, denique qui corrodere possent. Habuit fere quatuor menses corrosiuum dolorem. Species verò talium succorũ ab euentibus veniebat agnoscenda. Suppurationem subsequutam (præter dictam suspicionem) indicauit sanies cruenta mali odoris, quæ postremo effluxit, qualis scilicet ex tuberculis prauè suppuratis solet effluere. Malã vero fuisse materiam alterationem, & pro bono pure prauam saniem factã esse, non mirum. Nam & malignum fuisse succum, qui eam effecit affectione, indicauit maligna corporis affectio: nam & corpus, siccaans colliquauit, & naturalem calorem extraxit. Illud ostendit illa corporis tanta tabes, vt sola ossa relicta viderentur: hoc pedum & testiculorum intumescencia qualis debilitata concoctrice in hepate solet futuris iam iam hydropicis accidere. Fiebat interim fastidiosus, adeo, vt vix vllũ cibũ capere posset, quod significat nomẽ *καρδιστος* quo hic vtitur. Quod etiã malignæ affectionis esse celebratissimum apud Hippocratem est. Certè solũ accipere poterat lac recens multũ, quod arbitror daretur, quia, vt in aphorismo dicitur, confert tabidis, non valde admodũ febricitantibus. Facta est itaq; vt coniecto, suppuratio maligna, & ignei caloris soboles, naturalis aut perexigui. Hinc factũ est, vt alius vreretur, exeunte sanie cruenta, & graui ter olenta. Quapropter exesis, vt par est, internis partibus, mortua est. Excreuit vomitu iam iam moritura, magna vi, exiguũ quiddam pituitosum, genituræ persimile: quod certè fuerit pituita falsa igneo calore defata, & ex cocta aut fortè ex interna ac pingui vètris parte derafa particula. Quid enim

inim, in vētris corruptione moriente, non sit probabile
 Verba illa, ventris partes quæ circa vmbilicum in flatū la-
 rum, quibus futurum est vt venter turbetur. Mihi videtur
 interiecta. Nam vt ex ipsa phrasi constat non tā continent
 narrationē vllā, velut reliqua quibus adiacēt, quā progno-
 sticā assertionē: ea proinde ego lineis conclusi, & trā filiū
 forisū excipiēda, ac persefe narranda quod iam faciam.

Ventris partes quæ circa vmbilicum inflatum, laxū,
 quibus futurum est, vt venter turbetur.

SIGNIFICATVR his verbis, quāquā phrasis sit du-
 biosa, partes circa vmbilicū flatuosas & laxas, significa-
 re ventris turbationem. Venter sanè inflatus & intētus, sic
 potius solet cum alui suppressione, in colicis & in tym-
 paniticis, tamen inflatus, seu potius flatuosus & laxus, fit
 quibus citò futurum est, vt aluus turbetur: eadem ratione
 quæ murmur hypochondriorum, & reliqui vētris, prænun-
 tiat alui fluxū. Nam fit decurrentibus per ventrem humi-
 da & flatuosa substantia. Solus enim flatus cum fæcibus
 tridis, inflat, & tendit.

Filio Plateæ morienti sutura capitis vehementer exca-
 uata est, ægrotans verò semper bregma scalpebat
 manu, præcipue propinquissimam partem. Non dolebat au-
 tem caput & in sinistro femore sub inguine sitæ partes liui-
 dum quiddam habuerunt, pridie fortasse, testes graciles
 erant.

Ad pedes, aut digitos, aut femora externas aliquas par-
 tes, oriri liuores morientibus, & testes reuelli, aut etiā gra-
 cilescere, ex ijs quæ scripta in prognostico ab Hippocrate
 sunt, cōstat. Ibi enim ita scriptum est, testes & pudenda re-
 uulsa dolores fortes significant, & periculū lethale. Fit ve-
 rò per reuulsionē, testium extenuatio, vt vix appareant vl-
 li. Sed & vere extenuantur moribundis, quia naturaliter
 habentibus tument copia vitalium spirituum, quibus per
 extinctionē caloris vitalis deficientibus, accidit contrahi

ac veluti consumi. De liuoribus quoq; ibi scriptū ita est. Si digiti ac pedes omnino nigrescāt, minus perniciosi sunt, quā si liueant. Itaq; liuores externis partibus facti, mortis imminētis præbēt significationem. Illud verò aliud quod in capite accidit iam morienti, rarius est, quod scilicet futura coronalis excauata est, dehiscētibus ossibus. Eā verò esse futuram, quā nunc vocat futurā capitis, intelliges ex ijs quæ addit. Nam quasi causam eius mirabilis & rari casus, insinuans, dicit, ægrotans vero semper bregma scalpebat manu, præcipue propinquissimam partem. Bregma significat Hippocrati & Galeno capitis partem quæ supra frontem sita est, cuius medium tenet futura coronalis, ea scilicet quæ recens natis nuda offe est, in qua medulla cerebri videtur subsultare. Dicens ergo scalpebat manu bregma præcipue propinquissimā partem, intelligit ægrotantē scalpere assidue synciput, præcipue propinquissimam partē parti mollissimæ, qua est ipsa futura itaq; maxime scalpebat supra ipsam futurā coronalem. Cōsentaneum ergo est hanc ipsam excauatam esse, & ossa à se ipsis desciuisse, ab humore mordaci, qui in eam partem decubuerat ex eis communibus vinculis menyngis duræ, & pericranei, simul que, siquæ sunt ibi ossiū ligamenta, aut medio illo cartilagineo glutine, quo coalescunt, mirum vero quod dicit nō dolebat capite, cum assidue scalperet. Intellige vero non habuisse dolorem. alium præter pruritum illum, qui cogeret scalpere, non inquam grauantem, aut tendentem. Quod significat, nō adeo multo succo, neque crasso, repletū fuisse caput, quā mordacissimū & exedentem eā capitis partem occupasse, ac fortasse factam esse corruptionē partium ad internum vsque cerebrum (siquidem mulier mortua est) quæ passio indolens est, quia cum mortificatione fit, & est intēperies habitualis, velut cum sthiomeno, aut gāgræna perit pars aliqua. Quod sine dolore fieri cōsuevit.

51 *S*imilia quoque Hegetorida filio. Mortuus est, præterquam quod vomitus plures sub obitum contigerunt.

SIMILIA accidentia apparuisse dicit in hoc, qui etiā mortuus est, atq; insup vomitus multos sub obitū: fieri solere

ere crebro vomitus per consensum ventriculi cum cerebro, indicant lethalia capitis vulnera, quæ inter cætera vomitibus indicantur.

Hippia soror hyeme phrenitica, aberrans, manibus aliquid faciens, lancinans seipsam, quinta sexta ad noctem sine voce, comatosa, inflans maxillas, & labia, vt dormientes. Mortua est die septima.

Hv ic factus est in caput impetus humorum adeo magnus, vt primum mentem læserit, feceritque aberrare, hoc est plurimum insanire, deinde & in corpus reperit, obstruendoque cerebro comatosam fecerit affectionem, & aphoriam, ac postremò suffocauerit. Nam respiratio illa pessima, qua maxillæ & labia inflantur, vt quibusdam inter dormiendum, species quædam est respirationis sublimis, quæ iam iam suffocari hominem indicat, fitque plerumque cum quodam strepitu, vt antequam accedas ad ægrotaantem, sentias eum suffocari, & magna ex parte, qui ita spiratur, frigidus spiritus est, vt qui naribus. Interim, succis alioqui malignis irruentibus in membra præcipua. erat mulier anxia, & suis se manibus velut lancinabat. Vbi enim huiusmodi rapidi adeo & magni impetus aguntur, nisi omnino fiât repenti, vt eusnit quosdam, vel momento cadere sine sensu & motu, vagantur agitata per corpus excrementa, antequam in vnum aliquod firmentur membrum, atque vitæ reliqua mordent, & cor angunt, & neruorum radices irritant, vnde inquietudines, anxietates, & inordinatæ, aut etiam conuulsorix artuum motiones. Phrenitis rarissime inuadit à principio, sed superuenit feбри ardenti, aut alteri morbo acuto, quare est superueniens & lethale, quæ verò talia sunt quo superueniunt citius, eorum morbi constitutionem breuiorem indicant. Merito ergo mulier tam breui est mortua, cum intra primum quaternarium fuerit phrenitica, ac nescio an à principio, atque cum iam cito, alia & alia superuenerint signa, pernicioſa.

Asander

53 **A** Sander ubi inhorruit, lateris dolor, & ad genua dolor, itemque ad femur, comedens delirabat, mortuus est breui.

QUOD dicit comedens delirabat, nihil aliud est, quantum intelligo, quam comedere delirè, tumultuariè scilicet ac multum sese ingurgitantem, quod quidem in illis fieri scimus, qui præ facultatis vitalis langore deficiunt. Quæ eadem causa, reliqua omnia huic accidisse, est consentaneum. Horror enim cū debilis facultas est, ab exigua quacunq; causa fit, siquidem est remissus rigor, hic verò est passio calidi innati. Atque adeo cum facultate extreme debili, horrere magis possunt homines, quam rigere, cum sit hic motus vehementior. Dolor lateris partium proximarum, significare poterat angustiam (æquum autem est in tam pessima syndrome, in pessimas causas referri omnia) dolor genuum, ac femorum, ac omnino crurum, fieri solet moribundis, quòd sui illis artus, velut à facultate destituti, sint oneri, velut in prognostici commentarijs exposuit. Itaque ob caloris naturalis defectum mortuus est hic breui.

54 **C** Leotimo sutori humectata aluo multum tempus, & calida facta secundum hepar, tumor tuberculosus ad hypogastrium descendit, & alius humectabatur, & aliud ipsi tuberculum superius ad hypochondrium. Mortuus est.

MAXIMA intemperie, & vitiosorum succorum redundantia laborasse huius hominis hepar constat, & ex alui profluvio, & ex tuberculis quæ illi oborta sunt super hepate, & paulò infra secundum hepatis rectitudinem. Nam tubercula omnia, quæ in quavis partium externarum nascuntur, ad vitium eius visceris, quod è regione est, referuntur: velut si in inguine dextro, ad hepar, si in sinistro, ad lienem, si post aurem, ad cerebrum. Multo ergo magis si in hypochondrio dextro, aut hypogastrio dextro, rejici debet in hepar. Atque cum accederent deiectiones assidua, & calida,

dz, hepar quæ in eo redundarent, pellere, certū erat. Quod cum euacuatio non esset decretoria, maximæ redundantiz & facultatem superantis, erat soboles. Consentaneū ergo, hunc hepatis corruptione mortuum esse. Qui fuisset multa & repetita euacuatione curandus, cum, missione sanguinis secundum hepatis rectitudinem, tum, repetita expurgatione per medicamenta, pariter expurgantia, & extergentia, ac roborantia, velut exempli gratia, rhabarbaro, ex sero, aut potionē ex cichorio & hordeo: aut agarico, aut utroq; simul: vt species exeuntium posceret.

Quibus capitis dolor grauis cum calore, alijs quidem secundum alteram capitis partem, & per nares humidum quiddam exit tenue, aut coctum, aut in aures, aut in fauces ex capite securius: alijs autem sicca hæc, at sphacelus grauis periculum infert. Si autem accedat anxiosus & biliosus vomitus, aut stupor oculorum, aut obtusescencia, & raro quid loquitur, aut delirium quoddam, mortalia, & conuulsoria. Quicumque autem ex catarrho dimidium capitis dolentes, & per nares humido excentes febricitant moderate, in quinta aut sexta refrigerantur.

CAPITIS dolor grauis, id est molestus, & magnus cum calore, siue totius capitis, quem dicimus cephalalgia, siue alterius capitis partis, quem dicimus hemicraniam, significat affectum phlegmonosum internarum partium capitis. Quod quidem accidit sæpe ex catarrhis calidis: vnde duo sunt exitus, aliquando enim expultrix cerebri facultas valet sese expedire per propria cerebri emunctoria, quæ sunt nares, aures, & palatum, & excernit succos nunc tenues aquosos quales redundat, aut sanguinem, & ita quoque cerebrum subleuat: nunc excernit succos coctos, vt pituitam crassam: aut pus. Aliquando passio est adeo cruda & sicca, vt sicca sint omnia hæc, hoc est nihil excernatur omnino, neque per nares, neque per palatum, neque per aures. Primum quidem illud securius est, hoc verò vltimū periculosum. Nam vt dicitur in aphorismo decimo sectionis

nis sextæ, Dolenti capite & valde dolenti, pus aut aqua aut
 sanguis, fluens per nares, aut per os, aut per aures, soluit
 morbum. Nimirum aquosi succi, aut sanguis, sunt, ex qui-
 bus tales dolores capitis catarrhosi, siue secundû totû, siue
 secundum dimidiatum caput, fieri consueuerunt. Sanguis
 verò nunc in pus vertitur, nûc manet in suppuratus. Idonea
 emunctoria cerebri sunt illa. Euacuari igitur succos tales
 in eo morbo, per partes illas, sit euacuari qualia oportet, &
 per conuenientes regiones, quare securius multo erit illud,
 quàm per tales capitis passiones, sicca esse omnia emunctoria.
 Tunc enim periculum sit, ne cerebrum sphaceletur, hoc
 est corrumpatur. Nam affectus magnus vt phlegmonosus,
 qui neque maturescit suppuratus, neque vincitur resolutus
 mortificationem afferre parti solet, quæ in carnosus & mol-
 libus, gangrena vocari solet, in osseis, sphacelus. Aliquâdo
 vero indistinctè vtitur Hippocrates his nominibus, velut
 hic & in aphorismo quinquagesimo septimo, sphacelum
 cerebri corruptionem appellans. Est itaque periculû spha-
 celi cerebri, vbi grauitas doloris & calor, phlegmonosum
 affectum indicant, tamen sicca sunt omnia emunctoria. Est
 vero id adeo graue periculum, vt eos quibus ita incipit af-
 fici cerebrû, in tribus diebus perire dicat loco citato Hip-
 pocrates. Et si vero non sphaceletur cerebrum, & crescet
 malo, neque villo modo remittente, morietur homo conuul-
 sus. Inflammabitur enim radix communis neruorum. Cum
 vero in hunc exitum properabit morbus, accedet vomitus
 biliosus & anxiosus (ventriculus enim facilimè consentit
 cû cerebro, siue vulnerato, siue inflâmato, siue utcûque gra-
 uiter affecto, vt in commentario aphorismi quinquagesimi
 sextæ diximus) aut stupor oculorû, ac deprehensio, seu co-
 gelatio, utcûque lubet vocare. Nam hoc conuulsione mu-
 iculum mouentium oculos fit, aut aponia, ita vt raro quid
 loquatur. Hoc enim etiam significat instrumentorû motus
 impedimentum, aut mentis alienationem aut vtrûque, aut
 delirium, quod corrumpi iam cerebri temperiæ, qua mens
 seruatur, indicat. Mortalia enim hæc, & conuulsoria hoc
 est significantia moriturum conuulsusum. Itaque si cui doleri
 grauit caput, & cum calore, nihil exit, non est affectio se-
 cura. Si accedat vomitus biliosus & anxiosus, aut deprehen-
 sio oculorû, aut aponia, aut deliriû, in magno mortis pe-
 riculo

riculo est homo, ac multo magis, si accedant duo aut plura illorum. Dolores vero capitis, per quos emūctoria humida sunt, securiores, ac multo magis, si accedat febris mitis, qui enim ita affecti sunt, quinta aut sexta die, solent refrigerari. hoc est liberari à febre, & omnino a morbo: velut contingebat alicubi, quadam tempestate morbosa, cuius meminit idem Hippocrates in calce libri quinti, dicēs, Qui ex destillatione secundum dimidiam capitis partem dolebant, & humore per nares prodeunte febricitabant moderate, in quinque diebus perfrigerabantur. Constat ut hanc sententiam ex illa historia collegerit, atque idem prorsum dixerit hic & illic, hic quidem præcipiens quæ observatione cognouerat, illic narrans quæ obseruauerat.

Echecrati cæco capitis dolor grauis, præcipuè in posteriori parte, & cervicis, ubi connexio, & in verticem procedebat, progrediente autem tempore, & ad aurem sinistram. Et dimidiū capitis dolebat. Mucosa semper prodibant leniter combusta, & calor comitabatur tenuis, & cibum capere non poterat, interdiu facilius, noctu verò dolebat. Postquam autem pus per aurem erupit, cessauerunt omnia, erupit vero per hyemem.

VNUM quoddam exemplum est hoc, eius quod nuper dictum est, Quibus capitis dolor grauis cum calore, alijs quidem secundum alteram capitis partem & per nares humidum quiddam exit tenue aut coctum, aut in aures, aut in fauces ex capite securius: Et rursus aphor. nuper citato, quo dicebatur, dolenti capite, & valde dolenti, pus aut aqua aut sanguis fluens per nares, aut per os, aut per aures, soluit morbum. Nam huic Echecrati narratur, fuisse capitis dolorē grauem, & erūpente per aures pure, soluta esse omnia. Grauem autē fuisse dolorē, & per affectū phlegmonosum, qui etiam suppurauit, factum, indicant symptomata. Nam mucosa prodibant aliquantulum combusta, cum tamen talia non admodum sint combustioni apta, & febricula quædam semper comitabatur, & dolor noctu ingrauescebat semper, quæ phlegmonis eo loco suppurantis erant, & cibum capere

capere non poterat: quod ventriculi erat cōpatientis cum cerebro. Non est autem exigua passio, cuius magna est cōpassio. Indicauit verò id euentus. Nam erupit ex aure pus. Animaduertit vero Hippocrates erupisse hyeme, insinuans arbitror consentaneum esse eo potius quam calido tempore, eius partis inflammationes in suppurationē abire. Huius verò rei eadem est causa, qua & senibus magis quam florentibus ætate pus fit in aure. Nimirum vt dicitur in prognostico febres & deliria senibus minus accidunt, & hac de causa aures antea suppurantur: Ita etiam in hyeme suppurantur magis, quia resoluuntur minus, & ægri minus conuelluntur, & delirant.

36 **C**erte in omnibus suppurationibus, & ijs qui circa oculum ad noctem dolores.

HÆC sententiola in quinto libro eisdem prorsus verbis scripta occurrit, vbi & explicata à me est.

37 **Q**uibus tusses hyeme in austrinis, crassa & multa excreantibus febres superueniunt, moderatè autem, quinque diebus sedantur, tusses vero quadraginta, vt Egesipoli.

VELUT nuperrime dixit Hippocrates quicumque ex catarrho dimidium capitis dolentes, & per nares humido exeunte febricitant moderatè, in quinta aut sexta refrigerantur, dixerat vero illud idem historicè in quinto libro, narrans in quadam tempestate ita solitū accidere. Eo modo, hoc quoque quod nunc velut experimento cognitum docet, in quinto libro narrauerat, dicens, Quibus tusses hyeme, maximè in austrinis, crassa & multa excreantibus, febres superueniebant, moderatè autem, quinque diebus sedabantur, tusses verò quadraginta, vt Egesipoli. Atque profecto mihi videtur esse eadem prorsus vtriusque loci doctrina, nimirum febres mites cum catarrho solere finire quinque aut sex diebus. Atqui suspicor eandè fuisse tempestatem, cuius vtrouique mentio agitur, sed distractis & laceratis

laceratis verbis, factum esse ut duæ esse viderentur. Nam ex
 utrisque coniunctis, fit vna satis concinna narratio, ita scilicet.
 Tusses hyeme maximè in austrinis fiebant, & pleriq;
 ex destillatione, secundum alteram capitis partem dole-
 bant, & humore per nares procedente excreantibusque
 mulea crassa & alba, febres succedebant leniter, & quinq;
 aut sex diebus perfrigerabantur, tusses autem quadraginta
 cessabant, velut Egesipoli. Itaque cum grassarentur catarrhi
 magni, cum tussi, ac hæmicranea, ac febre leni & flante au-
 stro maximè inuaderent, febres quinque aut sex diebus fi-
 niebantur, tusses vero producebantur vsque ad quadragin-
 ta: ex ea tempestate, ac fortasse alijs, obseruando collegit
 Hippocrates quod hoc loco docet, fieri scilicet ita solere:
 oportet vero id præceptum fluxisse ex multis obseruatio-
 nibus, & deinceps adiuncta ratione confirmari. Obserua-
 tiones sunt apud Hippocratem. Ratio ex ipsa, ventorum,
 & pathematum, natura fluit. Non sanè flante austro fiunt
 omnino catarrhi, magis quam flante borea, fiunt verò
 magis quales modo describuntur, cum hemicranea scilicet
 aut etiam cephalalgia (nam eadè est ratio) ac febre leni.
 Nam austri caput replent, atque ea causa eius dolores pa-
 riunt sunt calidi, & calidas fluxiones cient, atque ita etiam
 febres: borealis flatus aut nullas facit febres, aut certè acu-
 tas, ob phrenitides aut alias internas inflammationes, quas
 generat. Mites ergo quasdam febres cum capitis dolore
 facere, austrinorum potius est. Multa etiam & crassa ex-
 creari, & emûgi, cito, in austrinis catharris potius eueniet,
 quam borealibus, quia calida & humida causa, humoris
 auget copiam, atq; ut ad putrescentiam in paratis, ita etiã
 ad concoctionem facit. Quod vero in talibus, tales febres,
 finiantur quinque diebus, paulo plus minusve, consonum
 quoque rationi est. Nam febres ipsæ catarrhos plurimum
 maturant, atque ob id ipsæ se conficiunt cito: tusses verò nõ
 statim cessant, sed postquam perpurgata, caput & thorax
 sunt. In quam expurgationem insumi solent quadraginta
 dies: tempus scilicet motuum non omnino longorũ: quam
 ob causam & suppurati, ut dicitur in prognostico, solent
 tabidi fieri, nisi quadraginta diebus perpurgentur. Ita quo-
 que quibus catarrhi fiunt magni cum tussi, si tussis magna
 supra quadraginta dies producat, periculum est tabis
 (nam

(nam tabescere etiam ex catarrhis multos, indicatum antea est exemplis non paucis) igitur, quibus ita laborantibus catarrho, excretio, & emunctio multa, facit ut nuper dicebatur securitatem, soluentur tusses intra tempus legitimum expurgationis thoracis, quadraginta scilicet dies.

58 **Q**uibus calores multi, aliquando sedatorum, non toto corpore, sed circa cervicem, aut sub alis sudantes, cessant.

CALORES multos fieri, cum videantur iam antea soluti esse affectus, non evenit recte iudicatis, sed imperfectè & difficulter, ut solent iudicari qui non toto corpore, sed circa cervicem, aut sub alis sudantes, cessant. Nam ut dicitur in prognostico, sudores circa caput & faciem fientes, & circa cervicem, cum acuta febre mortem, cum mitiori, morbi longitudinem significant. Itaque nihil aliud hic dicitur, quam eis morbis, qui sudore non per totum, sed circa cervicem, aut sub alis oborto, sedantur, solere superuenire multos calores modo erratico, cum soluti iam viderentur, quia scilicet tales sudores, non iudicantur perfecte neque tuto.

59 **C**haritem hyeme, ex tussicula epidemiali orta febris acuta apprehendit: stragula reijciebat, sopor cum labore, vrine erant rubrae, velut erui lotura. Hypostasis statim à principio multa candida, postea vero etiam sub rubra. Septima à glande pauca exierunt. Sopor demum sine labore. Humiditas in fronte: somnus ad noctem, & calor mitior: octava succum accepit: comatosus permansit usque ad undecimam, hac autem die etiam calor proximè cessavit. Postquam vero erat tussis, excretio per seuerabat semper multa, facilis, primum lenta, alba, crassa, postquam vero concocta erat, similis purulentis. Vrines ab undecima puriores, subsidencia aspera: de-

*catertia dolor in dextra parte vsque ad inanem partem
 ad epigastrium: vrina supprimebatur, potus ex calliphylo
 contulit, quindecima dolor rursum. Decima sexta ad
 noctem dolor hypochondij venit magis ad aluum. Mer-
 curialis aqua subduxit. Calor intra vigesimum eua-
 nuit, & excreationes sequuta sunt crassa. Facilius ha-
 buit quadragesima.*

Vnus quidam fortasse hic etiam fuit eorum qui febrim
 citarunt catharrosa illa tempestate, in qua & Egesipoles,
 tamen si febricitauit acutius quam ille, & alij quam plurimi
 eius tempestatum, vt constet hinc, quantum interfit febrem
 esse breuem aut acutam. Soluta est enim febris Egesipoli
 die quinta, Chariti vigesima, & dicitur ab Hippocrate ille
 febricitasse moderatè, hic acutè. Nimirum si absit essentia
 propria, & symptomatum magnitudo ac vrgentia, non erit
 morbus acutus, & si sit breuis. Febricula quaedam mitis ex
 catarrho, breuis esse consuevit, acuta tamen non dicitur.
 Hic verò cum catarrho habuit febrem viginti dierum, ma-
 gnam, periculosam cum symptomatis grauibus, pendètem
 ex multa pituita putrescente, & ex sanguine crudior. Ne-
 que vero quia dicit, Ex tussicula Epidemiali orta febris, in-
 telligo tussiculam causam fuisse febris excitandæ, sed ab
 eadem causa ortam esse febrem & tussim, hanc verò ince-
 pisse, & aucta iam causa, & succo qui prius fluebat solum,
 iam putrescente, illam esse subsequutam: vt illud, ex, non
 significet causam, sed ordinem. Febris ergo acuta fuit, si-
 quidem intra viginti dies euauit, agnoscebatur vero à
 principio eius acuties ex symptomatum magnitudine. Nā
 stragula reijciebat, & erat illi sopor cum labore, hoc est
 sopor qui quietem non afferebat, neque referebat som-
 num placidum sed cum anxietate & inquietudine, vt si-
 mul sopore teneretur, & stragula reijceret, & hac & illac
 se conuerteret. Quæ quia magna symptomata, significa-
 bant magnum morbum, & quia talia, & hæc, significabant
 copiam pituitæ, non vticumque putrescentis. Vrinæ erant
 rubræ, velut erui lotura, significantes scilicet copiam sangui-
 nis crudioris. Hypostasis statim à principio multa & cau-
 dida,

E c c c

dida,

dida, postea vero etiam subrubra. Nimirum ut Hippocrates aphorismo sexagesimonono insinuat, pituitosis & ex multa cruditate pendentibus morbis, ab initio vel breui subsidentia inest, postea vero talibus, fit, cum cruda concoctionis initium recipiunt, ex alba subrubra. Nam prima concoctione in sanguinem abit, primum crudiores, deinde & bene coctum. Hanc ob causam primis diebus apprens subrubra, certiore significationem concoctionis incipientis præbet, quam candida: ob idque Hippocrates dixit rubeam potius nubeculam quarta die apparentem significare iudicationem septimæ. Habuit etiam alium adfectum, quod in magnis catarrhis plerumque vsu venit iateritia, & nocet plurimum, estque malum signum. Quia rarisimum partem humidiores cibi indicat, & detenturum fecit vapor caput lædit. Ita euenit, ut septima die erectis a glauco de paucis, tamen subleuatus sit. Nam iam inde, sopor denouit sine labore, & humiditas erat in fronte, ut non admodum crudo catarrho: & somnus ad noctem, & calor mitior. Octaua (inquit) succum accepit, iuxta veterem scilicet consuetudinem cibandi, qua prima septimana continebantur sola potione. Equidem in magna cibi abstinentia contineri laborantes catarrho, primis diebus, consonum rationi est, ego tamen non potu, sed perpaucis & sicco cibo uti suadeo. Non enim minus læduntur humiditate, quam copia. Comatosus permansit vsque ad undecimam (transiit Hippocrates, plurimos dies contemplabilium solum mentionem faciens) hac autem die etiam calor maxime cessauit. Itaque ab undecima exigua erat febris, & ab hac ipsa urina purior non scilicet iam subrubra, neque perturbationem ullam referentes, sed perspicua: non tamen proinde bene coctæ, sed habentes subsidentiam asperam, quod concoctionis defectum indicat, siquidem ad concoctionis significationem desideratur læuitas. Obiter, hæc dicens Hippocrates repetit alius sermonem, narratque, ex quo tussis fuit (fuit) vero ante febrem) excreationem semper perseuerasse, multam, & facilem, & primum quidem lenta alba, & crassa excreta esse, post concoctionem vero similia puri, alba scilicet & crassa sine lentore. Huiusmodi enim est pus. Rediit his dictis narratio ad dies febris, Decimatertia dicit fuisse dolorem in parte dextra, vsque ad inanem partem sub rubra bilico,

bilico, & vrinam supprimi: hoc euenit haud dubie, vijs vrinæ obstructis à pituitosis & crassis quæ sunt deriuata ad inferna: quod quidem verisimile est incepisse fieri ab vndecima, atque ob id vrinas puriores apparere cœpisse. Ita autem habere hæc indicauit curatio, vt ipse Hippocrates alibi dicit. Nam potus ex callyphilo contulit. Calliphylum est idem, quod calitrichum, seu adiantum, cui vires esse diureticas, omnes fatentur medici. Dioscorides certè dicit. Eius decoctum vtiliter bibitur in vrinæ angustijs: fecerit ergo huic vrinam fluere, & ita dolorem subleuauerit. Sed euenit hoc loco dubitare, qua ratione vrina reddita sit huic purior ob obstructionem, cum dolor alterum tantum latus obstrui indicaret, dextrum scilicet, & sint duo renes, ac duæ vreteræ, in suo latere singulæ: ac multo magis euenit dubitare generatim, qui possit ob renem lapidem, quantumuis magnum, & durum, vrina purior fieri, & aquæ similior, nedum omnino supprimi, cum nullus lapis possit esse in vtroque rene, expedito autem altero, possit præterire vrina: consentaneum profecto videbatur magis fore, vt altero obstructo, in alterum renem tota vrina deriuaretur, exiretque nihilo, neque parciore neque puriore. Auget admirationem, quod ego aliquando vidi, cani, quem forte fortuna feci secari, alterum renem esse corruptum omnino, ita vt multo tempore rene vnico agnosceretur esse vsus. Atqui profecto hanc causam geminationis membrorum fuisse, dicit Galenus, vt cum alterum periret, aut pathemate aliquo impeditum esset, alterum esset vsui. Alioqui quorsum fecisset natura duos renes, si alterutro impedito eleuaretur vtriusque vsus? satius fuisset fecisse vnicum. Rarius enim læderetur vnicus, quam duorum alteruter. An cum emulgentes vocatæ venæ simul oriantur ex caua, rarum sit alterum renem lapidem congerere, altero non etiam obstructo crassis succis & arenis, vt hanc ob causam per ambos colata fiat purior, aut etiam supprimatur: cum vero iam lapis in vreteram prodijt, vbi & ingentes dolores parit, euenit neque ex altera vrinam reddi, quia mictio nixu quodam musculorum abdominis indiget, qui natura refugiente dolorem non apponitur. Tamen non ob id natura geminos renes fecit frustra: vnicus enim duplo crebrius obstrueretur, cum reciperet sordes, quæ nunc deriuantur in duos, & cu

Eccc 2

alter

+ Veram autem
causam suam
adducit D. 20.
Petrus Garcia
cap. 3. diff.
62. lib. de
locis affecti-
sotis 221

alter affectione quapiam indolente laborat, aut corrumpitur, nihil obstat quominus alter possit esse satis vsui animantis, velut in illo cane euenit, atque in quodam viro, cui resolutus totus ren est in pus, quod extrorsum rupta vomica eductum est, ac superuixit. Sed redeamus ad Charitatem. Quindecima dolor rursus, eodem scilicet in loco, excitata arbitror, noua fluxione: per partes enim semper mouetur, & absimitur. Decima sexta ad noctem cepit succus ad aluum deriuari. Nam dolor hypochondrij venit magis ad aluum, quam ad vrinae vias, & cum ea via videretur conuenientior ad multitudinem deponendam, iuuit medicus, & data aqua mercurialis facta estalui subductio, & febris euauit intra vigesima, & sequuta sunt excreationes crassa & concocta, quibus intra quadraginta (ita vt fit) purgatus, melius habuit.

60 *Sub purgare ventres in morbis, postquam cocta fuerint quae mittenda sunt, infernos quidem cum consedisse videris, signum, si iam non anxij, neque capite grauati sint, & cum calores moderatissimi, & cum cessauerint post paroxysmos: supernos autem in paroxysmis, tunc enim etiam ipsi superferuntur, postquam anxij & supernis partibus grauati sunt. Ob hoc autem non purgandum in principijs, quod sponte in diuturnis his, an diuturna periculosa?*

Hæc eadem verba occurrerunt in quinto libro scripta, iuxta historiam vxoris Polemarchi, per paucis voculis mutatis, quæ sensum nullatenus permutant, præter vltima illa, Ob hoc autem non purgandum in principijs, quod sponte in diuturnis his: an diuturna periculosa. Hæc enim hoc tantum loco scripta sunt. quæ proinde sola, nunc interpretabimur, in reliquis quæ illo loco sumus interpretati, lectio- nis differentia, quæ exigua sanè est, tantum notata. Illa vox *περιωδου*, quam ego interpreto, à verbo *πέμβω*, quæ mittenda sunt, illo loco desideratur, tamen neque illic detrahitur, neque hic adijcitur quicquam. Nam constat illa debere esse cocta, quæ sunt mittenda, id est emittenda a corpore, si quidem cocta medicari oportet. Vbi hic legitur

καὶ ἀπὸ τῶν μετῴρων ζῶνται idest et ipsi (ventres scilicet) super-
 feruntur, illic legebatur *ἀυτόματα*, hoc est sponte superferuntur,
 referrebatuq; illud ad succos, tamen neque hoc sensum
 permutat, si enim dicitur ipsi ventres superferuntur, accipi-
 tur figuratè continens pro contento, humore enim super-
 feruntur in ventre. Rursum ubi hic dicitur *καὶ βαρυστά
 ἀνω ἔωσιν*, idest & supernis partibus grauari sunt, illic lege-
 batur pro *τα ἀνω ἔωσιν ἀλύοντες*, idest & iactantes sese. Quæ
 lectio rem magis explicat. Lactatione enim agnoscitur an-
 xietas. Hactenus ergo lectionis differentia nullus momen-
 ti est, quare explicemus reliqua, quæ huius loci sunt pro-
 pria, nullibi ante scripta. Illa scilicet, Ob hoc autè non pur-
 gandū in principijs, quòd sponte in diuturnis his: an diutur-
 na periculosa. In quibus deficere verba aliqua haud dubi-
 to, quia hæc per sese vix quidquā significāt: quid mihi insi-
 nuet, dicā. Dixerat, subpurgare ventres in morbis postquā
 cocta fuerint, quæ mittere sunt, colligit inde nūc ob id pur-
 gandū non esse in principijs, & antequā cocta sint, redditq;
 causam, referens incōmodum quod ex intempestiua pur-
 gatione sequitur, quia ubi indicatū erit purgandū non esse
 ante concoctionē, constabit, si omnino purgandū sit, esse
 faciendū post concoctionē, id vero, incōmodum est, quod
 & quarto de ratione victus in acutis dixit his verbis. Aluū
 ab initio per clysteris infusum subducito, medicamenta au-
 tem his ne exhibeto. Si enim quid circa ventrem cōmoue-
 ris, vrina non concoquitur, sed absque sudore ac iudicatio-
 ne febris multum tempus durabit. Hoc idem insinuat nūc
 dicens, an diuturna periculosa? Hoc est, an morbi, purga-
 tione in principijs facta, diuturni fiunt, & ob id periculosi?
 Fieri verò diuturnos intempestiua purgatione, quarto de
 ratione victus probavit analogisticè, quia vrina non con-
 coquitur, quod indicat materiæ propriæ morbi coctionem
 tardari. Quia, vt Galenus in cōmentario dicit, expurgatio-
 nes sunt contrariæ concoctionibus: nimirum alterum agi-
 tur expellendo, alterum retinèdo: nunc probat hoc epilogi-
 stice, ducto argumento ab vno quod experiuntur homines
 in morbis, in quibus spōte fiūt euacuationes inter initia. Ni-
 mirum tales diuturni esse cōsueverūt. Tale igitur argumētū
 cōcinēt hæc verba. Euacuatio in principijs spōte facta, solet
 apparere in diuturnis, ergo ab expurgatione in principijs

facta à medico, periculum etiam erit diuturnitatis morbi. Nempe timeri debet illud idem eueniat, quod cum sponte talis euacuatio fit.

- 61 **I**n cubiti processu ex casu sauciato, cubitus sphacellatus suppuratur, maturato verò iam, lentus ichor & glutinosus exprimitur, & citò supprimitur, velut Cleogenis Demarcho Aglaotelis. Similiter autem etiam omnino ex eisdem pus nullum, velut Eschili puero contigit. Fiente autem tempore plurimis horrores & febres superueniunt.

HÆC quoque oratio, siue vnica siue duplex scribatur, occurrit in lib. quinto, vbi & à me est explicata, vt noua enarratione nunc non sit opus. Solum lubet monere, pro *ἐκ πωματος*, idest ex casu, reperiri in quibusdam codicibus *ἐπι πωματος* idest ex percussione, nihil interest: porro hic incipit oratio *Ἐπιώλεκράνας* idest in cubiti processu, in quinto deest ea vox, & pro *ἀλεϊσράνου* legitur *ἀρχεος* idest cubito, neque hoc interest. Nam idem significatur ambo- bus verbis. Hic quoque legitur *γλιχρὸς ἰχθὺρ*, & *κολλώδης*, idest ichor lentus & glutinosus, illic deest vox *κολλώδης*, vide quid intersit. Illud interest aliquando plus, quod illa verba *ταχύτιροίσαται*, idest citò supprimitur, illic desiderantur. Quod etiam ego in eius loci commentatione animaduerti.

- 62 **A**lcmani ex nephriticis se recolligenti, & inferius detracto sanguine, sursum ad hepar conuersus est, & cor dolor grauis, & spiritus præ dolore continebatur, & aluus difficulter egerebat exiguas Spherulas. Anxietas non erat, rigor autem aliquando, & febris corripiebat, & sudor, & vomitus, & in dolore non proderat clystere vi ex marina, conferebat ex surfuribus. Sine cibo transiegit dies septem, mulsam meraciorem potabat, postea verò succum lentis, aliquando vero tenuem ax faba elixa. Bibe- bat aquam, postea vero catuli cocti carnes, mazæ exigua

quiddam præcipuè multo ante confecta, procedente verò tempore, aut ceruices bubulas, aut extremos pedes suum coctos, cum priori aquæ potione, quiete, & indumento.

MORBVS renum & colicus non admodum differunt si gnis, ac proinde proximas habere naturas cognoscuntur, & coincidunt sæpe in eundem hominem: sæpeq; alter ex altero superest. Nimirum proximæ partes sunt, urinæ viæ, & intestina, atque à similibus causis similiter patiuntur, aliquando quidem à succis frigidis & crassis, aliquando à calidis, aliquando etiam ab inflammationibus. Alcmanes primum nephritide, hoc est renum dolore graui, correptus est, ob quem cum forte esset iuuenis, ac videretur satis robustus, missus est sanguis inferius, iuxta id Hippocratis præceptum quod sexto Epid. sect. prima, scriptum his verbis est, In renum dolor grauis (paucis interpositis) iuuenis veratro. Purgare, poplitem secare, hoc modo curato. Postea ex nephritico dolore se recolligenti, conuersus est dolor sursum ad hepatis regionem, & ventriculi, quem vocabant veteres cor, & spiritus reddi non poterat, sed præ dolore continebatur, quòd quantùm cõiecto, nihil erat aliud, quàm dolor coli, quod cum totam aluum circuat, hepatis, ventriculi, & lienis regionem attingit. Is vero dolor facile facit contineri spiritum, quia eo loco colum distentum & dolens, proximum septo transuerso est, & cum illo inter respirandum mouetur. Aluus (inquit) difficulter egererat exiguas spherulas. Difficultatem egerendi in colicis omnibus facit dolor, refugiente enim eum natura partium, non audent sese comprimere ad egerendum. Accedit autem & causa alia ex materia. In quibusdam enim flatus facit fæces sursum efferri, neque descendere in alijs calida causa, vt inflammatio, aut bilis, siccatur & exurit. Huic ex calida causa nasci colicum morbum licebat suspicari ex prægressâ nephritide, quæ sanguinis detractione curata est, & ex rigore, & febre quæ aliquando corripiebat, & ex iuuantibus & nocentibus, siquidem lædebatur clystere ex marina, & iuuabatur aquæ potu. Merito ergo siccarentur & fæces, & concreverent in spherulas: accedebatque hoc etiam signum calidæ causæ non exiguum. Negat fuisse anxietatem, ego

intelligo talem, qualis in oris ventriculi proprio dolore esse solet. Nimirum eius partis dolor tantam anxietatem asferre solet, ut etiã inferat animi deliquia, & syncopas: huic, cum ad eam partem doleret, dolor verò ad eam non pertineret, sed ad intestinum, non erat talis anxietas: erat enim omnino aliqua, siquidem aderat sudor & vomitus. Quis enim sudat pre dolore, aut vomit omnino, sine vlla anxietate? Sudor non omnibus colicis adest, sed paratis: vomitus vero, aut saltem nausea proprium symptoma eius morbi est, ob sympathiam ventriculi cum intestinis. In huius morbi curatione, clysterium multus vsus præcipuum auxiliium esse solet, anodinorum, & dissoluentium flatus, & extergentium, hoc aut illud magis, ut materia poscit. Quamquam cum causa morbi sublimis fertur, velut huic, cui dolor attingebat hypochondria, sarius est, aliquando expurganti medicamento, quod totum corpus non moueat, eã deturbare, in quem vltimum medicamento diacartamo vocato, ego vii soleo. Huic iafusus est clyster ex marina, non iuuabatur, quia arbitror exacerbabatur humor calidus, & ficcabantur magis fæces; iuuabatur verò clystere ex furruribus, ut miciori, & citra tantam mordicationem extergente. Iuuaretur etiam mulsã cocta, aut sola mixta cum chamæmelino, & alijs eiusmodi. Cuiusmodi sane etiam erant, quæ ore accepit primis septem diebus, quos transegit sine cibo: potabat enim mulsam meraciorem, postea succum lëtis, & aliquando succum tenuem ex faba elixa, quæ omnia extergentia sunt, atque ob id poterant conferre, non tamè perinde conferrent, si simul ipsas lentes, aut fabas ederet; gignerent enim, succos crassos, & lentos, & flatus, succo vero non perinde, sed extergent tantum. Bibebat aquam, ne, arbitror, vinum febrem excitaret, sed ego neque crudi meramque aquam exhiberem, sed decoctum casia, aut anisi, aut rei cuiuspiam talis. Exactis septem diebus cœpit vi cibis: primum quidem carnibus catulinis elixis, & maxa multo ante subacta. deinde ceruicibus bouinis, & suum pedibus. Nimirum carnes catulinæ, ut habetur secundo libro de dieta, humectant, & facile subducuntur: maxa vero, ut recens siccat, & flatus non excludit, neque secedit: ita multo ante subacta, secedit, & excludit flatus, & alimentum minus præstat corpori: quod in eodem libro Hippocrates dicit.

dieit. Cervices boum, & pedes suum, præstant alimentum solidius, & tenacius. Itaq; voluit medicus qui Alemanem curabat, incipere à leuioribus cibus, & facile descendentibus, postea verò quam & dolor solutus, & causa vacuata videbatur, firmioribus refficere vires, proinde his adiunxit, & priorem aquæ potionem, & quietem, & indumentum, quo scilicet his refficerentur vires, ac si quid adhuc supererat, coqueretur. Non video tamen cur iam in hac occasione, vini aliquid denegaret, nisi forte erat hydropota, neque vino assuetus, ac fortasse insinuat hoc autor dicens, cum priori aquæ potionem, quasi cum consueta, & qua, prius etiam quam ægrotaret, fuerat usus.

A D nephriticā passionē, ex cucumere siluestri clyster.

Vsvs clysterium non minus vtilis est inter initia ad nephriticos quam ad colicos. Habent enim duo hi morbi tunc temporis, vt Galenus dixit, dignotionem difficilem, & curationem similem. Accomodatissima enim deriuatio, eorum quæ in renes influunt, per aluum est, & renes intestinis plenis grauantur, & comprimuntur, vacuatis subleuantur, ob viciniam. Clysteres verò, nisi nephritica inflammatio, aut exulceratio sit, sed, vt plerumque solet, lapidis, aut crassorum succorum congestio, nihil prohibet esse extergentes, & amaros. Talibus, ob id, vtilem esse dicit clysterem ex cucumere siluestri. Eadem prorsus intentione qua lib. sexto iuuenes ita laborantes, iussit veratro purgare. Tu tamen interim caue, clyster habeat plurimum succi cucumeris, sed exiguum cum alijs commistum rebus. Solet enim facere magnas dysenterias.

P Armenisci filio surditas, conferebat non lauare, purgare vero lana soium, & oleum infundere aut netopum. Ambulare, mane surgere, vinum album bibere, abstinere ab oleribus, pane nutriti, piscibus saxatilibus.

Hæc eadem historia occurrat lib. 5. eisdem prorsus scripta verbis, præter illa vltima, quib. abstinere ab oleribus,

vti pane & saxatilibus præcipitur . Mihi verò illic enarra-
ta sunt omnia.

- 65 **A**spasi uxori dentis dolor grauis; & maxilla, casto-
reo & pipere cum collueretur, & ore contineret remi-
sit. Et stranguriosa affectio ipsi remisit. Calfacit & fa-
rina quæ cum rosaceo.

HÆC quoque historia, post historiam pueri Parmeni-
sci, occurrit scripta, lib. 5. quanquam verbis non omnino
eisdem, neque tam multis. Nam vbi hic dicitur, *καὶ ἡ δὲ*
id est, & maxilla, in genitiuo singulari, illic dicebatur, *καὶ*
ἡ δὲ ὀδὸν ἐπέσθησαν id est, & maxilla intumuerunt. Itaque il-
lic significatur fuisse maxillarum tumorem, hic fuisse ma-
xilla dolorem. Me non multum commouet hæc lectionis
differentia, vtrumque enim fieri consuevit, vt doleat scilicet,
& tumeat maxilla. Quamquam si altera lectio deli-
genda est, illam magis probo, quia plerumque dolor ad
dentem pertinet, & ad maxillam tumor, quinimo accedet
te maxilla tumore, solet dolor laxari. Desiderantur libro
quinto illa verba, & ore contineret, nihil tamen ob id mu-
tatur, aut læditur sensus: nam non poterat collui, quin ore
contineret, quanquam explicatur res aliquanto magis hoc
loco. Nam ad dolorem dentium, non solum oportet ido-
neis succis colluere, sed citra collutionem, etiam ore conti-
nere, vt immaneant aliquantulum. Quod de stranguria &
farina cum rosaceo hic dicitur, illic omnino deest, mihi ve-
rò est illic translatum, & explicatum ibi.

- 66 **C**apitis dolores ex vtero castoreum sedat. Plurima
histericarum passionum flatus, signum ructus, & cir-
ca ventrem flatus, & tumores lumborum, & dolores cir-
ca renes, & coxas, & inunctus niger: aut aromatum ter-
tiam partem farinae duas, coquere in vmo albo boni odo-
ris, in linteolum infundere, & inungendo linteolo cata-
plasmatis modo apponere. Quæ in ventre dolores hyste-
ricos.

DOLERE

DOLERE caput per consensum cum vtero, dictum
 a Hippocrate est, in initio libri sexti his verbis, lux-
 ta principum maximi dolores, & quicumque alij ab vteris.
 Iam vero mala quæ per compassionem fiunt, curatione ea-
 rum quæ primariae sunt, tolli, & eam esse legitimam eorum
 curationem, res est notissima: castoreum verò ad vterinas
 passiones (eas dico quæ antonomasticè appellantur vteri-
 nis, siue feminis, siue ex flatu fiant) commendatur vno ore
 a medicis omnibus. Dioscorides menses, inquit, & partus ciet:
 Galenus ad ciendos menses illud magnopere commendat,
 & ab omni noxa liberum affirmat, nisi mulier multum fe-
 bricitet. Iam vero Hippocrates ipse in libris de morbis
 mulieribus, crebram eius facit mentionem. In eum vsum
 libro secundo, inter multa alia huius morbi medicamina,
 dicit castoreum aut conizam bibenda dato. Galenus dat
 castoreum cum pulegio, aut calamintha, quæ cum coniza
 facultate congruunt. Itaque castoreum potum soluit do-
 lores capitis ex vtero, quia soluit vteri morbos, quos solet
 dolor capitis comitari, suppressiones scilicet menstruor-
 um, & feminis retentiones, & succorum quorumcunque
 frigidorum, ac flatuum. Neque vero castoreum soluet om-
 nes passiones vteri, sed frigidas: inflammationes enim aut
 erysipelata potius auxerit. Quare cum ob vteri inflamma-
 tiones, possit etiam dolere caput, constat non omnes dolo-
 res capitis ex vtero sedare castoreum, sed eos qui ob frigi-
 das passiones, quales esse præfocaciones ex vtero affirmat
 Galenus. De talium passionum causis multa & varia scripta
 occurrunt. Plato in dialogo de natura ita scripsit Vulua ani-
 mal auidum generandi, quando procul a foetu in flore
 ætatis, aut ultra, diutius detinetur, ægrè fert moram, ac plu-
 rimum indignatur, passimque per corpus errans, meatus spi-
 ritus intercludit, respirare non sinit, extremis vexat angu-
 stijs, morbis denique omnibus præmit. His verbis Plato si-
 gnificat, vterum deerrare per corpus cupiditate venereo-
 rum, & eam esse causam præfocacionis, & anxietatum. Li-
 bro primo de morbis mulieribus, ita occurrit scriptum, Re-
 succati à labore, vteri conuertuntur, vt qui vacui sint, ac le-
 ues. Est enim ipsis locus spatiosus vt conuertantur, vt pote
 ventre vacuo existente. Dum autem conuertuntur, impe-
 tunt

tunt hepar, & iuxta consistunt, & ad hypochondria irascunt. Currunt enim & progrediuntur sursum ad humiditatem, tanquam a labore, magis quam opportunum est rescicari. Has sententias omnes refutat Galenus sexto de locis affectis optimè, indicans hæc partim fabulosa videri partim esse falsa. Indicatque causas præcipuas, esse in retentione sanguinis, aut seminis, quod & Auicena, & omnes alij medici, probauerunt. Causam verò ob quam frigoris tam multa apparent symptomata, atque adeo passio ipsa frigida est, cum tamen sanguis & semen succi sint calidi, esse dicunt, quod detenti conclusique corrumpantur, corruptique refrigerentur, extincto in eis spiritali calore, ascendantque inde frigida aura, in cor, & spiritalia instrumenta, & simul cum visceribus refrigeretur totum corpus. Hoc si ita est, & falli magnopere videtur hic Hippocrates, qui plurimas hysteriarum passionum dicit esse flatu, hoc est a flatibus nasci signumque eius rei esse, ructus, & circa ventrem convolutos flatu, qui in ita affectis sentiuntur, & tumores lumborum & dolores circa renes, & coxas, qui etiam videntur à flatu fieri: atque adeo curationem etiam hoc indicare, quæ tota calorifica sit: videtur inquam falli. Nam flatu orientur à frigida passione, quam semen & sanguis suppressa & corrupta fecerint, potius quam eius passionis causa sint. Certè videtur hoc quod Hippocrates nunc docet, dictum esse iuxta sententiam antiquam, quam lib. de flatibus enarrauit, morborum omnium causam flatu esse. Ego vero ut hoc semper esse verum non recipio, ita verum esse sæpe confiteor. Plurimum enim exagitantur, & commouentur humores a flatibus: atque in eis etiam morbis, de quibus nunc agitur, perinde sentio, eos plerumque nasci à sanguine aut semine suppresso, nonnunquam vero citra hæc vterum flatu frigido intumescere, atque intumescencia hæc focare, atque frigore flatum refrigerare partes proximas, usque ad spiritalia. Videmus enim lepissimè, eas quæ ad tales passiones paratæ sunt, laborare vehementer, quod ut tempelliuè frigidam aquam ingesserint, aut aliquos stercorosos cibos, aut acetum gustauerint, aut humente frigidissimo solo infederint, etiam si tunc temporis menstrui fluxus non fieret, neque a viris proximis diebus abstinerint. In his verisimile est, conclusos esse in ventribus flatu frigidissimo.

dos, a quibus illi tumeant, & totum corpus refrigeretur. Sed quo pacto vere dixerit Hippocrates plurimæ hysteriarum passionum flatu? Non enim quia fieri possunt a flatibus, statim plurimas ita fieri rectè dicitur? Certè ego intelligo, plurimas passionum hysteriarum, quæ ob causas procatharticas, & externas fiunt, oriri a flatibus. Id quod, ni fallor, verissimum est. Sed quæ de curatione dicit, apponamus. Non persequitur totam curationem, sed duobus medicamentis insinuat intentionem curatoriam, quæ in hoc morbo debet esse calorifica, & excussoria eius quod in vtero, & eius vasculis continetur: siquidem diximus esse passionem frigidam, & oriri a semine, aut sanguine, aut flatibus detentis. Et inunctus (inquit) niger. Quandoquidem incipit ab illa particula. Et, verissimile est fuisse prius scripta alia medicamenta, atque deesse verba aliqua, quæ vetustas abstulerit, ut hæc ipsa quibusdam codicibus desunt. Quidam intelligunt commendari hic helleborum nigrum, ego vero quandoquidem dicit inunctus, coniecto esse potius medicamentum quoddam, quod Hippocrates habeat paratum, vocabaturque nigrum ad caput, & solebat in nares, ad huius morbi curationem indere. Nam ille secundo de morbis mulieribus ita inquit. In nares vero de pharmaco nigro ad caput præparato, specillo exceptum infarcias. Quæ fuerit huius medicamenti præparatio, non reperi, tamen solemne fuisse Hippocrati & ad hanc curationem accommodatum, constat ex his locis. Fuerit sanè sternutatorium, & odoris grauis, talia enim naribus harum admoueri utile est, sicut bene olentia inferius ad vuluas. Dicit ergo & inunctus niger, quasi dicat, & inunctio nigri vnguenti intra nares, prodest. Scribit deinde aliud medicamentum, quod accipit farinæ, triticæ scilicet, partes duas, aromatum, casæ scilicet & gariophylorum, & piperis, partem vnam. Quæ debent coqui in vino albo boni odoris, & linteolo excepta, pro cataplasmate, admoueri umbilico & hypogastrio, vsque ad os vteri. Hoc, & eiusdem naturæ multa alia cataplasmata, sunt mulieribus vsitatissima.

Post præscripta verba succedunt mox historię filij Callimedontis, & Melissandri, quas quia lib. 5. occurrant eidem prorsus verbis scriptæ, vbi & enarratæ sunt, nunc prætereo.

E V R Y -

EUTYCHIDIS quoque historia quæ mox succedit, occurrit in libro quinto, adiectis solum duabus vocibus, quas illic cum reliquis interpretati sumus.

67 **I**cterico, laborare, sudare, panem comedere, bibere non multum, lauare caput multo & calido, aut potius tepido, vinum album, somno non multo uti.

ICTERI curationem attingit Hippocrates. Neque enim omnis icteri, neque vilius integram, & à mali iniuria susceptam, aut, si cuius, certè illius solum qui per iudicationem bonam factus est, dico autem bonam iudicationem per quam morbus prior cessauerit. Nam cum possit morbus regius fieri ob hepatis obstructionem, cum inflammatione, aut citra illam, aut ob igneum calorem, in hepate, aut toto corpore, in bilem mutante sanguinem, aut morbum biliosi, qui antecesserit, causa ad cutem decretorie effusa, idque aut non soluto perfecte priori morbo, aut etiam perfecte soluto. Profecto huic solum ictero, cum quo nullus alius morbus manet, congruit hæc curatio, aut alijs enim, cum morbi priores alijs auxilijs soluti sint, velut cum non sit omnino sublata inflammatio, & obstructio, & igneus calor, à quocumque illorum icterus penderit. Nam neque ad phlegmonem, neque ad igneum calorem hepatis, aut totius corporis, confert laborare, sed quiescendo uti idoneis ad eos affectus auxilijs, velut missione sanguinis, & iugidis, cum potionibus, tum etiam cibis. Iam vero neque lauare caput conuenit, multo, siue calido, siue tepido, neque vinum præbere. Nam utcumque auxerit calorem, & bilem in caput extulerit. Neque ad obstructiones conuenit lauare, inidonea est enim ea euacuatio ad succos crassos in toto hærentes, neque admodum conuenit panem comedere, nisi sit autopyrus, aut aliquibus incipientibus imbuatur. Est enim crassi, & nonnihil lenti succi. Sed in phlegmone remedium princeps est missio sanguinis: in cacochymia biliosa, expurgatio per cholagogum: in obstructione, vilius obstructuentium potionum, ciborumque tenuium, & extenuantium, ac duplex expurgatio (nisi res etiam poscat plures) prior quidem crassorum, posterior biliosorum succorum.

rum. Postquam vero nihil harum passionum relictum est sed solum id vitium quod in cutis colore conspicitur, bile, quæ cuti hæserat, infarcta, non est alienum a ratione, laborare, & sudare, & somno non multo uti, uti bilis reliquæ discerniantur. Nam vigilia & labor discutiunt. Sudor vero maxime quæ cuti substant. Et lauare caput multo & calido, ut qui capitis partibus hæsit humor laxata cute euaporet. Merito vero capiti adhibetur in hoc malo maior cura, & præseñci loco, & secundo, & tertio de morbis, & ubi icteri tradit curationem. Quia color tunicarum oculi, indicat cerebri membranas, quarum ex sunt productiones, bile etiam esse imbutas. Constat vero ut nulla in parte possit magis ledere. Si ergo deformitatem tollere studeas, in capite maxime procurandum, ob faciem & oculos, sin noxas, ibi quoque, ob capitis internas membranas. Panis talibus, probus sit cibus, ut pote mediocris crassitie, & qualitatum medicamento farum experts. Nam crassiora vitanda erunt, ne obstructio repetat: à tenuioribus raro abest vlla qualitas pungens, quæ vlcerosas punctiones possit parere. Itaque panis, probus sit cibus. Non contendo esse omnium optimum, neque ego dederim solum, ac sine vlllo obsonio, vel ob solam consuetudinem. Bibere iubet non multum, quia eriguus potus abit in renes; qui copiosior est, regurgitat etiam in totum habitum. Nam distribuitur versus quaque, serum quod superest, ab eo quod renes trahunt. Si ergo quis multum bibat, multum supererit, quod delatum in corpus, defert vsque ad cutem crassas cibi partes, quæ commistæ cum bile, eam facient hæerere tenatius. Potari ergo debet parum, ut id abeat in vrinæ vias, quod multo fiet melius, si id sit vinum album: est enim diureticum & tenue. Abibit ergo in vrinæ vias, atque si quid eius distribuatur, & extenuabit succos, & aperiet poros. Est igitur hæc curatio propria ipsius regij morbi per se, neque cum vlla alia affectione coniuncti.

C Alligeni, cum vigesimum quintum annum attigisset, catarrhus. Tussis multa. Efferebat, cum tussis quod fluebat, nihil manebat infra. Annos quatuor perseverabat. Calores tenues inter initia fiebant. Helleborus

non conferebat, sed abstinentia à cibo, sed comprimi, comedere panem: vinum nigrum: obsonia qualia vellet: abstinere ab acribus, salsis, pinguibus, succo silphij, oleis crudis, deambulare multum. Lactis potus non conferebat, sed sesamum bibere, purum, crudum, oxybaphi mensura, cum vino molli.

DESTILLATIONEM hanc ex capite in asperam arteriam, qua Calligentes laboravit, constat non fuisse congruentem ætati: senilis enim est morbus, ipse verò viginti quinque annorum, atque etiam ob causam fuisse arbitror adeo grauem, & solutu difficilem, vt annos quatuor perseverauerit, at verò ob vigentis ætatis robur omnino superari potuisse. Nam si tantus catharrus accidisset, seni, maxime si valde seni, coqui nunquam potuisset. Constat præterea ex ijs, quæ narrantur, hunc catarrhum non tam esse natum ex multitudine excrementorum in toto corpore, aut etiam in cerebro, quam ex intemperie propria cerebri, ita vt non tam excrementa intemperiem facerent, quam ipsa intemperies excrementa. Si enim prima morbi causa excrementa forent, expurgatio conferret, at verò quia prima causa erat intemperies, atque intemperatum cerebrum, ex alimento proprio quod malè commutabat, sibi gignebat materiam destillationis, non conferebat heileborus, sed abstinentia à cibo, & comprimi, hoc est extenuari, & præ inertia gracilescere. Nam ita detrahebatur alimentum cerebro: in penuria verò eius minus erat, quod destillaturum redundaret, & cerebrum inedia siccabatur, atque ita eveniebat, intemperiem humidam cerebri emendari. Atqui quoniam nullo alio malo laborabat, præter propriam intemperiem cerebri, & erat iuuenis, & firmis lateribus, efferebat cum tussi quidquid fluebat neque sinebat quippiam manere infra, & hæere in pectore. Intemperies cerebri erat, vt dictum est, humida, sed non perinde frigida. Fiebant enim inter morbi initia calores tenues, hoc est febres mites, quales ex catarrhis fieri consueverunt. Porro lædebat à calidis, præcipuè ab acribus, salsis, & pinguibus, quia talia præter calorem habent qualitates exasperantes spiritus

vias,

vias, & mouentes tuffim. Acria enim pungunt, falſa exter-
 gent & rodunt, pinguia ſchernon vocatum, hoc eſt ranci-
 dam aſperitatem faciunt. Lædebatuꝛ etiam à ſucco ſylphij,
 qui vt ipſemet dicit libro de ratione victus in acutis, nõ
 conſuetis eo vti facit choleram morbum, quia, vt ego
 in eius loci commentatione dixi, eſt acer, calidus, & fla-
 tuofus, atque inſuetis eo vti, malè descendit. Eaſdem
 ob cauſas eueniebat meritò eius vſu Calligenem lædi, ca-
 leſieret enim & repletuꝛ caput, atque ob id deſtillatio
 magis fluere. Lædebatuꝛ quoque crudis oleribus, quia ab
 his omnibus crasſus vapor & caput replens eleuatur. La-
 ctis potus (inquit) non conferebat, poſſet etiam dicere, vt
 ego exiſtimo, lædebat, quia lactis potus caput dolentibus
 noxius eſt, eadem autem ratione, & quibus citra dolorem
 facile repletuꝛ, quare eſt catarrhoſis vitandus. Confere-
 bat, vt abſtinentia cibi ita, & deambulare multum, ſicca
 enim etiam cauſa eſt. Subaudiendum verò eſt, tempe-
 ſtiue. Si quis enim ita affectoꝝ mox à cibo deambu-
 let, lædetuꝛ multo pluſquam ſi moueatur nunquam. Eadem
 ratione qua motu, iuuaretuꝛ & frictione, & vigilia, non
 omnino nimia. Pro cibo tribuebatur huic panis, cibus
 ſane mediocriſ omnibus modis, & noxa carens, niſi inge-
 ratuꝛ multus: pro potu vinum nigrum, quoniam arbitror,
 ſuccoſ minus facit fluere quam album. Suſpectum verò
 mihi hoc eſt, quia replet multo magis quam album, & per
 vrina ac ſudorem minus vacuat. Sed hæc omnia ad victum
 ſpectant. Medicamentum vnicum narrat, quo vſus & iu-
 uatus ſit. Potionem ex vino molli, & ſefamo puro & cru-
 do, oxybaphi meſura, Vinum molle appellat metaphori-
 ce, quod dulce, tale verò confert tuſſiculofis, & ijs qui in-
 digent facili excreatione, vt etiam ſefamum, ob blandam
 illam muccaginè, quam habet. Oxybaphum ſeu acetabulũ,
 capit cotylæ quartã, hoc eſt duas vncias cum duabus drag-
 mis. Intelligo autem dari bibendã potionè ex vino dulci &
 ſefamo crudo acetabuli meſura. Quis enim poſſet deuora-
 re acetabulũ ſefami? Accipiet ergo potio, vini vncias duas,
 ſefami dragmas duas. Videbituꝛ tamè alicui hæc, ad thora-
 cis paſſiones fuiſſe aecomodatior potio, quã ad catarrhum
 ex intèperie cerebri. Certe capotio per ſefe parũ poterat

iuuare caput, iuuabat vero hominem, reddens excretionem facilem, faciensque vt nihil eius quod fluebat, maneret infra, quod erat homini vtilissimum.

Tymochari historia quæ occurrit hoc loco, occurrit etiam libro quinto, eisdem prorsus verbis, quare inane esset eam nunc repetere. Neque est quidquam quod moueam. Vt neque in historia filij Cleomenis, quæ succedit statim, est enim ea etiam scripta, & enarrata, in alio loco libri quinti.

69 **C**oco in spina gibberositas ex phrenitide facta est. Medicamenti potio nulla contulit, vinum nigrum, & panis esus, & à balneis abstinere, inungique, & inunctum fricari, fouere non vehementer, neque multo fomento sed mansueto.

HÆC quoque historia occurrit ibidem, per paucis oculis variantibus. Vbi hic legitur *χρίσαι τὸ ἔξι ἀνατρίβειν αὐτὸν χροῖον*, id est inungique, & inunctum fricari: illic legebatur solum *ἔξι ἀνατρίβειν αὐτὸν λείως*, id est, & fricari leniter. Mihi videtur, vt illo loco monui, eadem res dici, præterquam quod hic definitur & explicatur, quod illic dictum indefinitè est. Nimirum lenis frictio, est quæ fit cum quadam vnctione, aspera, quæ sicca.

70 **Q**uibus fluxiones in oculis tenues & diuturnæ, si cocta per nares procedant, iuuant.

FLUXIONES tenues & diuturnas, constat esse crudas & concoctu contumaces, alioqui non diu manerēt tenues: constat quoque ex rectitudine & vicinia partiū, optimam accommodatissimamq; deriuationē esse ab oculis ad nares. Igitur a tenuibus & diuturnis fluxionibus oculorū, cocta per nares procedere, vtilissima mutatio est. Nā à valde crudis ad cocta, & à diutius iam laborante parte, ad emunctorium optimum & proximum. Quid ergo, an non etiam iuuaret cocta per nares prodire, post oculorū fluxiones tenues

nes non diuturnas. Iuaret sanè, tamen in recentibus ex-
pectes merito fore, vt in ipsis oculis coquantur, & conco-
ctæ sanescant, cum verò diu in parte perstiterunt tenues,
probabile est debiliorem esse eam partem, quam vt supe-
rare affectionem possit, atque solum superesse auxilium
deriuationis in aliam. Dicit ergo nunc Hippocrates mo-
dum, quo solent tales oculorum fluxiones perfanari.

Quibus prægnantibus ex casu aut conuulsione, aut
plaga, dolores moderatè fiunt, in tribus diebus ma-
nifestè constat, an foetus corrumpent.

FOETVM corrumpere dicit Hippocrates abortum fa-
cere. Quibus igitur prægnantibus, ex casu, aut conuulsione,
aut plaga, dolores fiunt immoderati ac maximi, secundum
lumbos scilicet & femora, haud dubie faciunt abortum dis-
ruptis acetabulis, quibus pendent ex vtero secundinæ: qui-
busdã vero fiunt dolores moderatius, vt dubitetur, an sint
abortum facturæ, quòd quædam talium faciant, quædam
secus: hoc dicit nunc Hippocrates, palam fieri, intra tres
dies. Nam quibus illi moderati dolores, quiescente corpo-
re, & admota aliqua inunctione anodina, & acopa, vt cha-
mæmelino, aut oleo tepido, mitescunt sensim ac cessant,
non faciunt abortum: quibus verò etsi principio viderea-
tur moderati, recrudescunt, & exacerbantur dolores, aut
continenter, aut ex quibusdam interuallis, velut solent par-
turientibus, maximè si simul sanguis exeat copiosè, con-
stat instare abortum, neque fieri iam posse quin abortiant:
id vero nisi intra dies fieri incipiat, timeri non debet. Quia
nisi quid sit interius disruptum, aut vulneratum, non exci-
det foetus. in vulneribus vero vt dicitur ab Hippocrate lib.
de fracturis, tertia & quarta dies recrudescencias pariunt:
cum igitur tertia die nullas dolorum exacerbationes in-
cipit asserre, sed potius asseret indolentiã, vulnera non sunt,
aut per quam exigua, quare abortus non fiet, sed cessante
affectione illa leui, quam casus, aut ictus, aut conuulsio, in-
tulerat, seruabitur foetus. Ex casu aut ictu frequenter fit
abortus, sed & conuulsione fieri eadem ratione potest, vt
si quæ prægnans paroxysmum patiaturo epilepticum aut ex
vtero conuulsionem. Euenit enim ita quoque, disrupti

acerabula foetus simul cum vtero. Neque verò leue est, ac parui momenti, iudicare, an foetum corrumpet mulier quæ cecidit, aut icta est, aut cui etiam sine manifesta causa conperit dolores, & alia signa abortus, fieri: si enim ei cui disruptus iam est foetus, auxilijs cures prohibere abortum, multum lædes. Euulsus enim iam, & detentus, morietur intra vterum, & mortis periculû matri etiam afferet: alioqui fieri poterit, vt idoneis auxilijs ab abortu præseruetur.

72 **E**I qua vigesimum ætatis annum agebat, & pharmacum corruptorium biberat, accidit labor, vomitus biliosorum multorum, pallidorum, & porraceorum, & migrorum cum bibisset: tertia die conuellebatur. Linguam mandebat cum ad quartam veniret, & ipsa lingua erat magna nigra, oculorum autem alba rubra: insomnis, quarta die mortua est ad noctem.

73 **P**ythocles agrotantibus lac multa aqua miscens dabat, & renutriebat. Perniones dissoluere, tepefacere pedes, hoc modo præcipue, calefacere igne & aqua, oculis quam maximè malum lenticula, fructus horarij dulces & olera. Dolentibus vero secundum lumbos, crura & coxam, ex laboribus, marina & aceto calidis aspergere, & spongiam plenam admouere, deligare vero lamis succidis, & agninis pellibus.

HÆC omnia præterijsem, vtpote lib. 5. iam enarraui, nisi vt exiguam quandam lectionis differentiam quæ intercedit, & si illic notaueram, hic ob oculos ponerem, ut quid desideres.

74 **O**riganum potum, oculis, & dentibus malum est.

HÆC quoque verba scripta sunt vtròbique, satius esset vtraque esse expuncta.

Paella

P Vella quæ à rupe ceciderat, voce est priuata, iactabat sese, & vomuit, ad noctem multum sanguinis, cum secundum sinistram cecidisset, copiosius effluxit. Melicratum difficulter bibebat, stertor, spiritus densus vt morientium, vena circa faciem intentæ: decubitus supinus, pedes tepidi: febris multa aliquando acuta. Plurimum expauescebat: septima vocem rupit. Calores tenues: superuixit.

Hæc quoque historia scripta antea, & enarrata est, in libro quinto eisdem verbis, præterquam quod vbi dicitur, febris multa aliquando acuta, illic dicebatur febris debilis: moxque vbi hic, plurimum expauescebat, illic, vocis interceptio: quæ differentia lectionum, videtur magnam sensuum differentiam afferre posse, ac quodammodo repugnantiam, si quidem non videtur esse posse multa neque acuta, quæ debilis: tamen si quis rectè consideret, nihil repugantiæ est, coniunctis enim verbis vtriusque loci, redditur aptus sensus: ita scilicet, febris multa tenuis, aliquando acuta, hoc est febris multa, aliquando tenuis, aliquando acuta. Nam multa febris esse dicitur, cum quis citra intermissionem continenter febricitat: tenuis vero & acuta dicitur Hippocrati ad tactum, quæ tenuiter scilicet, & quæ acute tactum mouet. Itaque significatur, huic febre affuisse continenter, aliquando vero, si tangeretur, videri tenuiter calere, aliquando ardere acute, nunc calore intra viscera se continente, nunc effuso. Quod hic desint illa verba, vocis interceptio, nihil læditur narratio: repetitio enim erat, haud quaquam necessaria: si quidem dictum prius erat, voce est priuata. Quod vero hic dicitur plurimum expauescebat, dicto nulli repugnat, sed auget periculum: quia quoddam initium minabatur conuulsionis, quam solam deesse ad euentissimam mortis significationem, illo loco diximus.

N Infantides humeri dolorem habebat in æstate, factum ex abscessu. Marina lauare corpus & humerum

plurimum tempus, tres dies vinum album aquosum bibere, simul decumbentem in marina, & in ea mingere.

Perbellam curationem tradit hoc loco Hippocrates abscessus dolorifici in humerū facti in æstate. Ea verò est, lauare corpus & humerum marina aqua, & tres dies dari homini decumbenti intra balneum, vinum album, aquosum, affatim, vsque dum intra ipsum balneum mingendo redderet: itaque simul lauari, potare, & mingere. Nimirum lauare corpus & humerum dicitur, quia toto corpore decumbebat in marina, incumbens autem in humerum dolentem, vt is humerus magis immergeretur, ita ergo decumbens, ac fere submersus marina, potabat plurimum vini albi aquosi, vsque dum ibidem manens, mingendo redderet. Quæ autem fuerit curantis intentio, ipsa curationis ratio indicat, Scilicet siccando corpus, humorem redundantem per eius habitum absumere, ac articulos firmare, præcipuè dolentem, & reliquum in vrinæ vias deducere. Marina enim siccat, & absumit superfluam humiditatem, quod salitæ carnes luce clarius indicant: vinum album & oligophorum, seu aquosum, tenue statim est, atque ob id facile in vrinæ vias penetrat, ac reliqua deducit. Iam verò cum vrinarias vias aperire, aut etiam vterinas studemus, magna ars est, manenti in balneo potiones ad eam rem idoneas propinare: laxato enim in balneo corpore, potio medicamentosa facile peruadit. Neque sane quia balneū erat salium, non perinde fieret: siccaentur enim partes cuti proximæ, ac articuli eo loco prominentes, neque adeo multa carne contacti, ligamenta, vis verò salis ad partes in alto positas non attingeret, sed solus ille tepor calentis aquæ, qui liquat concreta, & laxat adstricta, cum quadam voluptate: fieret ergo quod erat maximè exoptandum, vt qui succus imbibitus iam erat ligamentis, consumeretur, qui verò non adeo, sed confluebat, reuocaretur in vrinas. Neque vero hoc non erat simile admodum ijs quæ sponte fieri solent, siquidem dicitur in aphorismo. Quibus spes est ad articulos abscessum fore, liberat ab abscessu vrina multa. Hoc est quod voluit medicus imitari in Nisantidis curatione. Suspicio autem Hippocratem consulto notasse, tempus facti abscessus fuisse æstatem, & eum abscessum

dolorem

colorem attulisse, non etiam tuberculum, quia utrumque conferebat, ut abscessus causa puraretur esse tenuis & mihi idonea. Marinam aquam non opus est à mari deportare, nihilo enim deterior est factitia. Fit verò admittionae salis tanti, ut præ aquæ crassitie, innatet ouum.

F Vlllo qui in Syro phreniticus, cum vstione autem tremulus. Crurum color, quasi esset morsus à culicibus, oculus magnus, exiguus motus: vox clangosa, manifesta autem. Urina pura s. bsidentiam non habens. Nunquid obdeiectionem à tapsia, decima octaua dimisit emollitus morbus, sine sudore.

RARISSIMUM exemplum est hoc rei præter artem, nego opinor, bene gesta. Non mihi persuadeo phrenitico cum vstione tremulo, hoc est deliranti, cum vehementi febre, & quoddam tremore, Hippocratem propinasse tapsiam, sed alium quempiam medicum: ipsum vero miratum rei euentum, in commentaria contulisse. Magnum sanè exemplum ijs, quibus non placet expectari semper ad expurgationes, humorum concoctionem, sed ob morbi magnitudinem, & urgentem necessitatè, dari aliquando phar-
Purg. ante loc.
 maca, sine illa. Quamquam ego simili incidente affectione, (& si alioqui non nego, locum habere aliquando expurgationem sine concoctione) id facere nunquam tentarem, aut qui sciam, quod omnino fit præter rationem, & si casu aliquando bene cedat, imitandum non esse. Miror magnopere hunc, vsu tapsiæ non esset coniectum in furorem, & conuulsionem. Nam habebat phrenitidem tremulam, oculos magnos, & exiguum eorum motum, hoc est, inconiuentes, & apertos, & vocè clangosam, quæ omnia in phreniticis dicit esse conuulsua & furorem indicantia: porro habebat magnam febrem, quam vocat vstionem: quæ omnia magnopere prohibere expurgationem, cõstabit facilè, legenti quæ Hippocrates lib. de expurgatibus medicamentis scripsit, ac multo magis, quæ libello de locis in homine, his verbis. Febricitanti caput ne purgato, ne furiosus fiat. Calfaciunt enim caput pharmaca purgatiua, & sanè ad
 Ffff 4 calidi

caliditatem febrilem accedens, ea quæ in medicamēto est; maniam facit. Hæc Hippocrates. Si ergo cui solū insignis capitis calor est, vsus pharmaci facit maniam, quanto certius, cui iam est cū exustione phrenitis præcipuè tremula, & cum alijs signis cōuulsorij, faciet furorē, & cōuulsionem? Accedebat, succos nullatenus deorsum inclinare, siquidem neque cum vrina descendebat quippiam, sed erat pura, subsidentiam non habens, quod & cruditatē magnā, & succorum in superna raptū indicabat. Ego quidē citra concoctiones aliquando dari pharmaca posse, affirmo, ob urgentiā, non tamen quin aliqua vergentis humoris in vētrem significatio sit, aut saltem non magna illius ab ea via auersio, quandoquidem Hippocrates in ijs purgationibus, quæ inter initia faciendæ sunt, & nondū cocto succo, poscit, vt saltem murmur hypochondriorum, sit. Ego murmuris loco quamcumque vergentiam esse existimo, vt si alius sit laxa & humida: si verò præterquam quod nulla sit coctionis nota, inferiores euacuationes sint admodū suppressæ, & succi alio rapti, quanto morbus videatur esse grauior, tanto ausim minus expurgans medicamentum dare, quia tanto certius videtur fore, vt homo moriatur, cum furore aut cōuulsione, aut cū interna inflammatione refrigeratis extremis. Quid ergo, negabimus, has ob causas fieri potuisse, vt hic Fullo liberaretur taspisæ vsu? Cū præcipuè taspia sit vehementissimū medicamentū, si quod aliud expurgantiū? Non sanè, siquidem Hippocrates narrat. Dicemus verò fuisse rectū quoddā à magno errore, neq; cordato medico imitandū. Quid ergo faciemus cū res altera ex parte adeo urget, expurgationē verò non audemus tentare? (nam neq; hoc dicere, grauabor) mittemus sanguinem pro ratione virium: si id non sit satis, curabimus vsu lenientium medicamentorum succos versus ventrem molliter reuocare, id si recte cedere cœperit, veniemus fortasse deinceps ad expurgantia. Ille color crurum, quasi esset morsus à culicibus, est dignum cōsideratione, an expurgationem prohiberet, an verò posceret. Dubitatum de hac re plurimū est à nostris medicis, vbi primum hoc symptoma malignarū febrū cœpit esse apud nos frequētissimū, est verò per totam Hispaniā, ex quo per multas illius partes cœpit grassari pestis, q̄ cū quindecim fere annos iā durauerit, nōdū desinit.

Vocatur

Nota

etum ab errore

nu vulgo Ta
adillo?

Vocatur hoc symptoma vulgari nomine tabardillo. Dubi-
 ratum verò est, vt dixi, an à pharmacis in eo malo esset ab-
 linendum. Et primū quidem omnibus ita videbatur, & a-
 gendū post missionem sanguinis exsecta vena, frictionibus
 cucurbitulis cum scarificatione, & sine ea, & potionibus
 alexipharmacis, & diaphoreticis, quod cēferetur, esse sym-
 ptoma febriliū malignarū (vt re vera est) vbi verò venenosa
 est qualitas succorum, timeri debeat ad interna motus, iu-
 uari vero, ad externa, & euacuationes profusæ male feran-
 tur ob periculum langoris. Verum vsus iam indicauit, mis-
 siones sanguinis satis magnas, in huiusmodi februm prin-
 cipijs esse necessarias, & alui subductiones vtiles, tametsi
 neque per scammonium, aut aliud eiusmodi, sed per mi-
 tiora medicamenta, aut acriores clysteres. Neque sane ra-
 tio repugnat. Nam tales febres pendent ex malignis &
 multis, atque adeo crasis suctis: hæcque est maxima diffi-
 cilis curationis causa. Quia enim maligni sunt, vrgent,
 quia multi & crassi longo tempore indigent vt soluantur.
 Vix autem est vlla facultas quæ plurimum vrgentem mor-
 bum, possit diu sustinere, cum præcipuè in talibus maximè
 omnium repleti soleat caput, quia ebullientibus succis ob
 malignam putrescentiam, erumpunt potius illa exanthe-
 mata, quàm, vt variolæ vocatæ, vi facultatis expultricis. Ea-
 dem autem ebullitio facit repleti caput primum vaporibus,
 deinde succis biliosis, postremò etiam crasis. Has ob
 causas talibus, vbi primum febricitare incipiunt, lassitudo
 quædam magna est, cum pulsus magna constrictio-
 ne, & capitis occupatione fumosa, mox incresecit febris,
 & peruigilio laborat homo, ac nonnunquam delirio, si-
 mulq; erumpunt morsus culicum, postremo plerique eo-
 rum fiunt comatosi, vt quidam videantur omnino facti
 lethargici. Opus est ergo ante omnia multitudinem
 deponere missione sanguinis, quia non aliter quam ea
 deposita, potest corpus ventilari. Quoniam verò tantam
 missionem sanguinis, quanta ad totam deponendam esset
 opus, facultas præcipuè malignitate labefactata, sustine-
 re non posset, subductione per aluum opus sit, ea enim est
 secundo loco magna euacuatio pro multitudine deponen-
 da, quæ etiam id habet boni, quod à capite reuellit. Ne sint
 autem fortia medicamenta ob febrile ardorè, sed mode-
 rata,

*V.S. uti in
 principijs, et purg.*

V.S. ante om.

*Purg. leni
 dua.*

rata, & assidua subductio alui. In quem usum quamplurimis, non sine magna utilitate, clysterem acrem mox à mīso sanguine, antequā perturbatio & lypopsichia, quæ pleurosque talium inuadit conquiesceret iussi infundit: cōmoti enim tunc, & exagitati succi, abundanter in ventrem se cedunt. Post hæc frictiones cum re aliqua extergente, & poros deobstruente, vt hordeacea farina, & in unctione laxante cutem, vt chamæmelino, & cucurbitulis & scarificationibus, iuuantur. Non quod eam eruptionem exanthematum censeam iudicatoriam, & ob id iuuandam (plerūque enim est mere symptomatīca, sine facultatis expultricis opera, & ebulliendo facta) sed quia maligna vtiliter euocantur ad cutem, postquam maior pars per maiores euacuationes est educta. Vomitus in his, neque significationem vnquam præstat bonam, neque vnquam est procurandus, quia vt sectione secunda libri sexti diximus, in enarratione historię Simonis, quibus exanthemata sunt vomitus non confert. Nimirum os ventriculi acrioris sensus est, & cordi ac capiti vicinior, quam vt maligni succi in illud debeant conuocari. Si verò non conuocati sponce in os ventriculi influunt leui auxilio, vt tepida aqua inde reiiciendi sunt, mox fouenda pars aliquo roborante medicamento, idque curandum antequam mittatur sanguis, & si nondum missus sit, aut nondum satis. Subductoria verò pharmaca, in ventriculi fundum conuocare incipiētia, vt trahunt, ita mox deorsum trudi faciunt.

78 **I**N Olintho Nicoxenus similiter die septima videbatur liberatus cum sudore. Sorbitiones accipiebat velut botrum ex sole. Decima septima die accessi ad eum. Lingua urebatur: calor exterius non valde fortis. Exolutio corporis grauis, vox clangosa, vt laboriosum esset audire, clara tamen tempora collapsa: oculi caui: pedes molles & tepidi. Secundum lienem distentio. Clysterem non admodum accipere potuerat, sed resiliebat. Ad noctem prodit stercus compactum & paucum, & aliquid sanguinis, arbitror à clystere. Vrīna pura pellucida: decubitus supinus: crura diducta ob exolutionem. Penitus vi

gil.

Clyster

Frictiones
Cucurbitulis

Vomitum nocet

Intra viginti dies calor est mitigatus. Potus qui ex farina, sed & qui ex pomis simul & mali punici succus, & lentis cocta frigidus, & farina lotura cocta frigida, tenuis sorbitio. Superstes mansit.

NICOXENVS (inquit) similiter die septima videbatur liberatus cum sudore. Ego non intelligo similiter liberatum videri, atque Fullonem in Syro. Nam Fullo non est visus liberari die septima, neque ante decimam octauam neque tunc quidem cum sudore: sed similiter affectum atque illum, visum fuisse liberari cum sudore die septima, Nimirum hic quoque, ut & Fullo Syrus, laborauit febre maligna cum exanthematis, cum tamen die septima adeo remississet febris, ut ille videretur ab ea liberatus, rursus exacerbata est. Sorbitiones accipiebat (inquit) velut botrum ex sole. Hoc est succum botri insolati, expressum. Haud satis constat ex ipsa phrasi, an hoc dicat, velut victum quod videretur, an velut occasionem ærotandi, narrans. Mihi quidem, ob facultatem potionis & morbi naturam, videtur consentaneum, eam fuisse occasionem febricitandi, aut febris augendæ. Nam mustum, ut libro secundo de dieta ab Hippocrate dicitur, feruet in ventre, nimirum ut in dolijs. Cum ergo dictum nuper sit, causam exanthematum per febres malignas, esse sanguinis feruorem, constat nullam potius esse posse eius mali occasionem, quam musti ex insolatis botris expressi, potationem. Præterit reliqua Hippocrates, ut qui non viderit, sed relatu agnouerit tantum, cum ærotasse similiter ac Fullonem, & dicit, decima septima die accessi ad eum. Symptomata omnia quæ se in æroto dicit vidisse, referebant febrem malignam, vrentem interius magis quam exterius, & langorem facultatum inferentem, & conuulsorium quiddam, & raptum humorum in superna, quæ omnia febribus illis, quibus superueniunt dicta exanthemata, familiaria sunt. Nam lingua vrenda, & calor exterius non valde fortis, & pedes tepidi, significabant vrentem calorem in visceribus: exolutio corporis grauis, & pedes molles, hoc est, laxi, & nullam habentes firmitudinem, & decubitus supinus, & crura diducta ob exolutionem, significabant, langorem facultatis animalis:

tem-

tempora collapsa & oculi cavi, vitalis & naturalis: Vot clangosa, ita vt laboriosum esset audire (idest percipere quæ dicerentur) clara tamen, & clysteré accipi non posse, sed resillire, conuulsoria erant. Nisi forte flatus occupans intestina, arcebat clysteré, cui attestaretur distētio sinistri hypochondrij, aut fortè stercus durum obdurans rectum intestinum, quod ad noctem prodijt a clystere, cum modico sanguinis. Hippocrates causam & excreationis sanguinis reijcit in clysteré, atque quandoquidem ille dicit, ita censere equum est, maxime si ex cucumere siluestri, quo veteres frequenter utebantur, aut re alia tali paratus erat clyster: scimus tamen, etiam citra clysteres, excerni nonnisi quam sanguinem, ob solas fæces duras & compactas, atque eam solam causam dysenterix faciendæ, esse solere: verum siccitas tanta fæcum, & vrina pura ac pellucida, & vigilia illa magna, raptum in caput innuebant. Tamen cum hæc omnia haberet, mansit superstes, & mitigatus est calor intra viginti dies, neque mirum. Nam tamen si morbus hic periculosus est, experimento tamen longo didicimus, multo esse plures, qui ab eo liberentur, quam qui intereant. Dicit eum, vsus esse potu qui ex farina, scilicet sorbitione polentæ, & qui ex pomis simul cum succo, scilicet, aliquo pomi cuiuspiam acidi. Nam & potu mali punici, & decocto lentis frigido, & lotura farinæ cocta & frigida, hoc est aqua cocta per quam colata sit farina, & ea quidē post cocturam refrigerata. Quæ potiones ad extinguendū feruorem, & obtundendas acres qualitates, videntur idoneæ non tamen adeo ad incidendū, & aperiendū, & diducendū in corporis habitū, quod ille morbus videtur desiderare. Est tamen hic animaduertendum, etsi plerūq; ea febris, ex sanguine crasso, & putrescente malignè, nascatur, non tamen semper: sed vt morbos alios plerosq; differentiam accipere ex materia, esseq; aliquando febrem malignam cum exanthematis, pituitosam, aliquando biliosam, aliquando etiam atrabiliariam, & curationem etiam ita variare huic non tam crassorum, quam acrium & tenuium fuisse reducantiam, indicauit vltio, & peruigilium: solent enim quibus admista pituita est, comate præmi. Ob id contulerunt illæ potiones, quæ alijs essent aduersissimæ. Fuisset tamen huic aduersissimum, theriaca vti, aut decoctis ex herbis ca-

lidis

lidis, quantumuis essent alexipharmacæ, vt dictamni, & scabiosæ, & cardui benedicti, quod alijs talium solet esse vile.

Fullonum inguina intumuerunt dura, & sine dolore, & circa pubem & ceruicem similia, magna, febris, ante decem tussiculosi à rupturis. Tertio mense aut quarto venter distentus est. Calores superuenerunt, lingua sicca, sitis, deiectionio vtrique, difficiles mortui sunt.

Hæc e eadē dictio occurrit in libro quinto, atq; adeo longè emendatior, hanc enim corruptam esse & vitiosam conferenti cum illa, faciliè constabit: neque quidem ego aliorum hanc hic scribi volui, quàm vt ob oculos ponere eius corruptionem, & lectoribus indicare, hunc locū secū dum illum emēdari debere. Illic habebatur hoc modo: fulloni inguina intumuerunt, dura & sine dolore, & circa pubem, & in ceruice similia magna febris, primum quidem lenta tertio, mense quarto venter distentus est, febres superueniebant, lingua sicca, sitis. Deiectiones per inferna difficiles, mortuus est. Itaq; vbi hic legitur πῶν γναρέων, id est fullonum, illic τῶ γναρέω, id est fulloni, & tota historia hic narratur de multis, illic de vno. Constat vero quam sit probabilius, morbum vnicum, in vnicum, quàm in multos homines, incidisse: vt quo videatur figmentum, fullones multos eodē omnino morbo laborasse. Rursum vbi hic legitur πυρετὸς ἐμπαροθεν δέκα, βηχῶς δὲς ἀπὸ ῥηγμάτων, i. febris ante decē, tussiculosi a rupturis, illic legitur, πυρετὸς ἄρθεν μὲν βηχῶς δὲς τρίτη, id est febris primum quidē lenta tertio, quæ lectio quā sit consona, constabit legenti loci illius enarrationem: cum tamen quæ hic occurrit sit ineptissima. Nam in morbo qui à cyrrhis inceptit, nō est cōsentaneū, febrē ortā esse ante decē dies, multo minus cessasse ante decem dies, si id placeat intelligere. Iā vero vix possis intelligere, quid sit illud tussiculosi à rupturis. Certē nihil est, nisi mendū. Illud vero, deiectionio vtriq; difficiles, ineptū & incongruum est, congruentius illud, deiectiones infernæ difficiles. Legendū itaq; pro ὑποχωρήσις ὑποχωρήσεις, pro ἐκείτω, αἰκιστῶ ac postremo pro ἀπέθανον ἀπέθανεν.

Cinle-

80 **C**holerica ex carnis esu, maxime vero porcellorum crudiorum, & ex cicere, & ebrietate vini odorati veteris, & insolatione, & sepia, & locustis, & gamma- ris, & olerum esu, maxime porri, & ceparum, adhuc autem & lactucarum coctarum, & brassica, & lapthi crudioris, & à placentis, & melitis libis, & à fructibus botarijs, & cucumere pepone, & vino ac lacte permistis, & orobis, & polenta recenti, cholericæ præcipue in aestate, & febres intermittentes, & quibus rigores accedunt. Hæ aliquando malignæ fiunt, & ad morbos acutos perueniunt. Sed cauere oportet. Maxime autem tales morbos arguit quinta, septima, aut nona, melius autem vsq; ad quatuordecimam obseruare.

CHOLERA morbus, siue ad humore bilioso, siue ab intestinis, quæ choladas vocabant veteres, vt Trallianus censet, appellatus, morbus est notissimus, perinde ac acutissimus, & periculosissimus: eius symptoma est assidua simul & deiectio & vomitio: tamen est etiam alia quæ Hippocrati vocatur cholera sicca, per quam sunt ad ambas excreationes irritamenta assidua, & si ipsæ excreationes non sunt. Ambæ cholera, & sicca inquam & humida nascuntur ab eisdem causis, vt nausæ scilicet & vomitiones. Has fortasse ambas affectiones respiciens dicit, nomine multitudinis, cholericæ: Duas habet hæc dictio partes, prima continet causas, quæ cholera morbum solent facere, secunda tempus quo ea maximè solet fieri, simulque morbos alios, qui eodem tempore fieri consueverunt. Morbum hunc fieri debilitato ventre toto, aut ob incertionem multi aut incoctilis, aut corruptionem cibi facilis aut qualitatem aliquam lædentem, velut acrem, aut nitrosam, aut pinguem, receptissimum est, atque ita eum solet nasci ab esu pinguium, & oleosorum (quod hæc resoluunt ventrem, & velut in fumosam & rancidam qualitatem facile vertantur, cuiusmodi carnes pingues) aut dulcium: quod hæc facile bilescant. (Huiusmodi sunt itria, & placentæ) aut concoctu difficilium, quod incocta maneat.

(huius-

(huiusmodi sunt male elixatæ, aut assatæ carnes) aut leuiū
 redundantiumve multa humiditate, quod facile cor rum-
 pantur (huiusmodi sunt, olera, & fructus horarij) aut nitro-
 sorum (huiusmodi sunt legumina, & quædam olera) aut
 acrium & exurentium: cuiusmodi sunt aromata & vinum
 forte, & meratius. Aliquid horum inesse omnibus hic enu-
 meratis causis, quin & earum quibusdam multa, facile cõ-
 stare potest. Nam carnes porcellorum sunt excremento-
 sæ, & corruptu faciles, crudiores vero, id est male assatæ,
 etiam concoctu difficiles. Hanc ob causam, & libro quar-
 to de ratione victus in acutis, ita scriptum est, porcellorū
 carnes prauæ sunt, cum fuerint crudiores, aut ambustæ: præ-
 cipuè autem choleram gignunt, & turbationem faciunt.
 Cicer nitrosum quiddam habet, vt & sepia, & locustæ, &
 gammari, & brasicæ, & lapathum crudius, & eruum, quæ
 etiam omnia concoctu sunt difficilia, & si non omnia
 æque, sed sepia, locustæ, & gammari, multo plus. Ebrietas
 vini odorati veteris, & insolatio, id est longa mora in sole,
 faciens æstum, vrendo faciunt choleram, biliosum enim
 reddunt sanguinem, & fluxiones commonent. Olera etiã
 acria vt porri & cepæ, eiusmodi sunt, replentia scilicet a-
 crius, & naturam irritantibus, succis. Considerandū Hip-
 pocratem vituperare lactucas coctas, & brasicam, ac le-
 paphum, crudiora. Durum certè videtur inter cholera cau-
 sas recensere esum lactucarum coctarum, oleris ad eò à
 medicis omnibus commendati, & vt illis videtur, innoxij.
 Certè lactuca vix habet vllam qualitatem noxiam, est ni-
 hilominus frigida & humida, quapropter nimius eius vsus
 replere poterit ventrem cruda humiditate, itaque vt ole-
 ra omnia (& si minus quam alia) potest hoc quoque debi-
 licare ventriculum, si omnino immoderatus, sit eius vsus: &
 eam noxam fortasse infert citius, cocta, quam cruda, con-
 tra ac brasicæ, blitum, & beta, & alia eiusmodi. Hæc enim
 qualitatem quam habeant malignam & nitrosam, elixa-
 tione indigent, vt eam deponant: lactuca verò cum nullã
 habeat, neque ablutione quidem indiget vt corrigatur, &
 coctura fit laxior, & exoluens. Quapropter Dioscorides
 ita scriptum reliquit, stomachicis illotas esse prodest. Non
 ergo est quod medici tantopere grauentur concedere fe-
 licitatis lactucas crudas, & coctis vti semper cogant
 præci-

præcipuè in æstate. Nam Galenus ipse cum antea multo tẽ
 pore esset vsus lactucis crudis, non alia causa dicit se co-
 ctis vti cœpisse quàm quod dentes iam essent deteriores,
 vt ipse testatur secundo de alimentorum facultatibus. Pla-
 centæ, & melita liba, pinguia simul sunt & dulcia, & vtra-
 que ratione noxia. Fructus horarij (vt dixi) sunt corru-
 ptionis facili. Vbi legimus & cucumere pepone, legitur
 græce *καὶ σικύου, πέπωνος* dicere quidem posset *καὶ σικύου,*
καὶ πέπωνος, idest & cucumere, & pepone, & recte quidem
 nam vt Galenus secundo de alimentis dicit, vterque chole-
 ram gignit, & si pepon magis quàm cucumer, vt qui cras-
 sior illo est: verum quando quidem citra particulam co-
 iungentẽ dicit, *καὶ σικύου, πέπωνος*, idest & cucumere pe-
 pone, videtur mihi ambabus illis vocibus significare so-
 lum peponem, quia vt Galenus dicit capitulo 4. illius libri
 medici quidam voluerunt peponem appellare, sed compo-
 nentes *σικυο πέπωνος*. Ita mihi videtur hoc loco legendum
σικυο πέπωνος οἶνο γάλα, id est, ex vino & lacte parata
 potio, antiquissimis in vsu fuit, occurritq; iam antea in ip-
 so hoc opere ipsius mentio. Nam libro secundo sectione
 5. cominendabatur ad fracturas ossis in capite: nunc rece-
 setur inter choleram inferentes causas: & sanè satis proba-
 bilius est hoc quam illud, licet illius quoque quam potui-
 mus probabilem reddimus rationem suo loco. Nã lac acce-
 dit facile, acidum verò, vinum quoque trahet in aceti natu-
 ram, aceto verò cum lacte permisto, nihil ventri magis ad-
 uersum, quia lac ipsum in grumos & serum resoluit, & fla-
 tu dirrumpit. Itaque oenogalactis potionem hac ratione
 esse periculosam, ego maxime probo. Polentam nõ adeo
 video vituperari ab antiquis, quin potius ad eas choleras
 quæ ab acris succis excitatæ, attemperantium ciborum
 ac potuum vsum desiderant, vti ea iubebant, solum video
 Hippocratem. 2. de ratione victus in acutis dicere, polen-
 tam recentem turbationem facere, non assuetis ea vti: id
 verò non dicit, vt polentæ recentis vitium, sed vt consue-
 dinis vim explicet: atque si id quod nunc dicit iuxta illud
 interpretemur, intelligendum est, polentam recentem affer-
 re solere choleram quibusdam, ob desuetudinem ea vten-
 di. Polenta testibus, Gal. 3. de alimentis, & Plinio cap. 25. li-
 bro 22. parabat̃ur ex farina hordei costi, atque ob id firmã-
 c̃i

si potius ac sistendi ventris, quam euertendi vim habere
 putabatur, tamen recens parata, in solitis ea uti, euertit vē-
 trem. In secundā dictionis parte dicit cholericā, idest cho-
 leras morbos, præcipuè fieri in æstate. Nimirum æstate &
 autumno inopia naturalis caloris laborant, & debiles sunt
 ventres, & bilis facile in eos cōfluit. Addit & febres inter-
 mittentes, & quibus rigores accedunt, quæ periphraſis ſi-
 gnificat febres tertianas præcipue, deinde vero & quarta-
 nas, quia exquisitæ tertianæ incipiunt à magnis rigoribus,
 quartanæ etiam ab horroribus & rigoribus exiguis. Dicitur
 vero apho. 21. sectionis tertiæ æstate fiunt tertianæ pluri-
 mæ, & quartanæ, & vomitus, & alui profluvia. Addit nunc
 Hippocrates, has febres in æstate ortas, aliquādo malignas
 fieri, & infebres continuas & acutas mutari: ac proinde ca-
 uere oportere, idest timere, & curare caute, neque quip-
 piam erroris committere, & si principio exiguus profusus
 morbus, & contemplabilis esse videatur, maxime autem ta-
 les morbos inquit arguere quintam, septimam, aut nonam.
 Quandoquidem de intermittentibus loquitur, consonum
 est intelligere, quintam, septimam, aut nonam circuitiōnē:
 in intermittentibus non est dierum numeratio, sed circui-
 tum. Quidam illa verba *μαλιστα δετα τοιαυτα νοσηματα,*
η επεμπτη και η εβδωμη, και η ενατη δηλοῦσι ita vertunt, præ-
 cipue autem tales morbos, quinta, & septima, & nona, iudi-
 cant. Mihi vero videtur Hippocrates dicturus, *no δηλοῦσι*
sed κρινοῦσι vt solet, dicit vero *δηλοῦσι* idest manifestos fa-
 ciunt, seu produnt, seu arguūt, quod quidem nihil est aliud,
 quam his diebus solere se prodere eorum malitiam, quod
 scilicet in eis soleant ex intermittentibus continuæ fieri.
 Ob id ergo vsque dum ex dies exactæ sint, cauere oportet-
 re, hoc est caute eos curare, nihilque permittere vt delin-
 quant, suspectos habentes semper morbos, qui alioqui ob
 propriam figuram videantur esse securi: neque ad dictas
 vsque dies consulit Hippocrates cauere, sed quasi melius
 & consultius, etiam vsque ad quatuordecimam obseruare:
 nimirum non vult nos ab intermittentibus æstiuālibus secu-
 ros esse, vsque dum præterijſſe quatuordecimam periodum
 viderimus, neque fieri continuas.

81 **P**hericida post solstitium hybernum nocte, lateris dextri dolor, Antea etiam consuetus, cessauit. Pransus est, & egressus horruit: febris ad noctem sine dolore: tussicula quaedam leuis sicca. Urinae non multae hypostasis, multa, ramentosa, glabra, diuisa, à principio: post quartam verò tubercula subsidebant, & urina non decolor subsidentiam habens, & collectio non apparebat in matula ubi esset refrigerata. Tertia die aluus sua sponte egressit. Quarta glande apposita stercorosa & biliosa deiecit: humidus fluxus: somnus ad noctem non valde, interdum autem aliquantulum dormiebat. Sitis non vehemens. Quarta ad noctem maxime, cutis circa frontem reliquam, mollis semper ad superferendum. Febris vincebatur ad manum, & subhumescebat. Pulsus in fronte valde obscurus ventrum, grauitas in conuersionibus, & in omnibus egestionibus exiguum tempus: semper sine dolore ab initio anxius, & paulatim vomebat. Septima à glande deiecit interbiliosum & stercorosum, humidum valde & pallidum, & iam aliquantulum delirabat, & humiditas exigua aliquando circa frontem. Stragula super faciem: oculus frustra velut aliquid aspiciens conuertebat, & rursus nitebat. Stragula reiecit. Nona die sudor mane obortus vsq; ad pectus, persenerabat vsq; dum moreretur, & febris intendebatur, & delirium. Circa frontem plurimus sudor, & velut graue quidem, aut valde album. Cutis autem quae sub pilis interpuncta. Hypochondrium dextrum eleuatum, demisit à se ipso biliosum. Octava apparebat velut culicum morsus: ante mortem tussiendo reiecit velut ex muco fungos compactos, alba pituita circumdatos: excrearat autem & antea parua alba lactea. Post coenam in somno horruit: mane surrexit graui capite, horruit rursus: noctem grauiter. Sequenti autem die febris acuta. Capitis sphacelus. Vomitus bilis multa. Plurima porracea.

Remise-

Remiserunt omnia. Somnus nocte, mane perfrigerabatur. Sudor exiguus. Humiditas per magnam partem corporis. Secundum lienem manu sentiebat modico tempore collectionem in dolentem, statim euauit. Nocte sine somno. Forti tempore exacerbabatur febris, anxietas, vertigo, tormē, capitis dolor, vomitus porraceus, leuis, lentus, vt pituita, ad occasum solis cessauerunt omnia. Sudor capitis, colli, excreuit per vomitum stercoreosa, humida, biliosa, neque nigra, neq; inconuenientia: noctem mediocriter transegit, & sequentem diem: ad noctem rursus sine somno. Vomitus mane similiter etiam sequenti die citra anxietatem. Capitis autem dolores cessauerunt post sudorem: vesperi omnia reuiferunt. Nona non amplius vomuit, incaluit magis. Alijs non videbatur febricitare. Venæ temporum saliebant. Sine dolore omnino. Sitis semper erat. Nona cum ad sellam surrexisset, valde linquebatur animo. Excreuit à glande ramentosa, nigra, & biliosa, colore stercoroso quantum destillauit. Vox glangosa, in conuersionib. grauis. Oculi caui: cutis frontis circumtenta. Alioqui bene spirans, cōpositus, ad parietem plerunq; conuersus. Humidus in clysterib. flexibilis, quietus. Lingua alba leuis: circa decimam autem & postea, vrina rubra circulatim in medio exiguum album duodecima à glande similia exierunt biliosa, & ramentosa. Post glandem animi deliquium. Deinde os siccebatur. Colluebatur semper, atq; nisi valde frigida esset, calidam dicebat esse. Niuem leniter gustabat. Deinde sitis non erat. Stragula semper à thorace proijciebat: clamydē calefieri non sinebat. Ignis procul & paruus: ambarum maxillarum rubor. Post hæc malè loquebatur. Diem vnā vel duas supercaluit, cessauit.

MULTO magis operosum esset quàm vtile, narrationē hanc, longā, obscuram, & perturbate scriptā, interpretari: neq; sane omnino fieri posset, nisi diuinādo. Nā luce clarius

est, eam ut hic occurrit, à nullo nunquam hominū esse scriptam, sed ob vetustatem vitiatam esse mille modis, de esse multa verba, alia esse interiecta, alia permutata, atq; ob id quædam incidisse, ubi nihil possent significare. Quale mihi videtur illud, hypostasis multa, ramentosa, glabra, diuisa, quam enim vrinæ hypostasim intelligas dici glabram. Porro quis nō videat, perturbatam dierū enumerationem, ut posterioris ante quā prioris fiat mētio, & eadem pluries repetatur, ex codicum corruptione nasci. Nemo verò possit lectionem restituere, nedum enarrare, ob id consilicū esse videtur, ac prudentius, transilire, cum præcipuè nihil adeo ad artē vtile videatur, tota hac dictione insinuari. Illud solū lubet monere, quod quicumq; attentè leget, intelliget facile, hanc non esse voicā, simplicemq; narrationem, sed geminam, primā quidē continere hystoriam Pherecidæ, qui die nona mortuus est, & laborauit ea malignæ febris specie, quam nunc in historia fullonis frequentem esse dixi, cū exanthematis s. morsibus culicum similibus: alterā alterius cuiuspiam cuius nomē vetustate deletum est, qui est liberatus. Pertingit prima narratio vsq; ad illa verba, *Excreatur autem & antea parua alba lactea*. Secunda incipit ab illis, post cœnam in somno horruit. Hoc verò adeo est apertū, ut sola admonitione opus sit.

82 **A**ndrothali, aponia, ignorantia, delirium his sedatis supererat multis annis, & recidiuæ fiebant, lingua permanebat totum tempus sicca, nisi collueretur, loqui non poterat, & valde amara erat plerunque, aliquando autem & cordis dolor. Venæ sectio soluebat hæc, aqua potus, aqua mulsa. Helleborum bibit nigrum. Biliosum non prodibat nisi paucum, tandem hyeme decubuit, & extra se exiit. Et pathemata linguæ similia, Calor tenuis. Lingua decolor: vox peripneumonica, à pectore stragula vericiebat, & se educi iubebat ut micturum, nihil potens aperte loqui, neque existens apud se: educebant ipsum. Ad noctem est mortuus. Duob. aut trib. dieb. decubuit.

Hæc eadē historia occurrit in quinto libro, sed quæ imperfectius quam hic scripta, eius enarrationem in hūc locū distuli.

distulimus . Quam plurimos tentare solent passiones apoplectica, humore quopiam repente irruente in cerebrum, quibus ad malum non firmatur, neq; fit integrè, sed velut inchoatur, significanturq; illa grauissimorum malorum initia, quibusdam, minorib. quidem quam apoplecticis fieri solent, velut in via tamen ad illa positis. Huiusmodi sunt, vertigo magna, & aponia, hoc est loquellæ interceptio, & ignorantia quædã omnium rerũ (in hoc genere est stupor mentis, & obliuio) & delirium. Hoc quidem solum si accidat, aliud indicat quam apoplecticam passionẽ, coniunctũ tamen cum alijs, significat etiam illam, & quandam facientis causæ differentiam. Nimirum humorem qui occupare cepit & obstruere cerebrũ, biliosum, aut atrabiliarium esse. Ab omni enim succo multitudine obstruente, fieri possunt illæ passiones. Nam vel à crasso flatu fieri solent earum quædã. Hic igitur Androthales, seu, vt in quibusdam codicib. legitur, Androphanes, tale quidã aliquando passus est repente, atq; quia apparatus non fuit adeo magnus, non est factus apoplecticus, sed processit læsio cerebri vsq; ad aponiã, & ignorantiam & delirium. Multi, vt alibi dictum est, et sine verbis delirant, gestibus, & signis. Hic autẽ fortasse (ita vt sit) aponia & ignoratione rerũ primũ laborans, vbi loqui coepit, delirauit. Cũ ergo passio adeo fuisset exigua, vt ne leuis quidem apoplexia dici mereretur, sed velut quoddã initium, cessauit: & superuixit homo multis annis, non ita tamen sanus, vt non rediret aliquando similis passio. Nimirũ manebat interius idẽ apparatus, q̃ a principio fecerat. Quẽ indicabat lingua semper sicca, adeo vt nisi collueretur, loqui nõ posset, & plerũq; valde amara: & cordis dolor, hoc est dolor oris ventriculi, qui aliquando incidebat. Hæc omnia significabãt, vitiosi & biliosi succi redundantiã circa caput, & vetriculũ, cui caput facillimè consentit. Cũ itaq; vixisset aliquot annos hoc modo: tandẽ hyeme decubuit, & intra duos aut tres dies mortuus est. factus (arbitror) aperte ac sũmè apoplecticus. Primũ vero extra se exijt perturbato cerebro, & linguæ erãt similia parhemata, siccitas s. & immobilitas, erat iã tũc decolor, & albida, ob naturalis caloris extinctionionẽ. Vox erat peripneumonica, quasi strangularẽt, & nihil aperte loqui poterat, & cũ angeretur iã ob stragulationẽ, reijciebat à pectore stragula, & cũ resolutio iã incipere,

Gggg 3 rec

LIBRO
DEL DR.
L. MARCO

ret serpere, ob resolutionem vesicæ vrgebatur cupiditate mingendi. & perturbatè, vt poterat se educi iubebat vt micturum, & educebant ipsum qui aderant, ille verò resolutus postremò totus, ad noctem mortuus est. Interponit Hippo. quædam ad huiusmodi affectus curationem spectantia. Venæ sectio (inquit) soluebat hæc. aquæ potus & aqua mulsa. Hanc certè curationem hoc casu ego maximè recipio, ac probo. Suspicioque Androthali, ob hæc esse productam tot annos vitam: mortuum verò postremo esse, quòd cum biberit helleborum nigrum aliquoties purgandi gratia, nihil tamen sit iuuatus, quia non euacuabantur qualia euacuari oportebat. Nam biliosum non prodibat nisi paucum. Curatio autem optima, & quæ hoc casu potest conferre maximè, est, ante pharmacum vias laxiores facere, & biliosum sanguinem supernis partibus quibus hæret, sectio ne venæ detrahere, & aquæ vsu temperare, & vsu longo mulsæ facere lubricam aluum: verum citra hæc, helleboro biliosum non cedit, & homo neque purgatur, neque adiuuatur. In eo igitur cui tale quid acciderit, & talis esse videatur humoris species, venam seca pro virium ratione, & aqua vt iube, & mulsa, interimque cibi boni succi mediocri quantitate. Mox succedunt historiæ Nicanoris, Damoclis, Parmenisci, & seruæ Cononis, quæ eadem & eodem scriptæ ordine occurrerunt in quinto libro, atque eisdem verbis, præterquam quod historiæ. Parmenisci illic nihil erat præter principium, sed ego totam hinc illuc transtuli: atque enarraui cum reliquis, quas nunc ideo repetere, nihil refert. Vt neque historiam serui Timocharis, neque pueri Nicolai, cuius etiam initium solum in libro quinto est, tamen est ea quoque à me illuc translata. Itaque licet mihi nunc vsque ad historiam Metonis transilire.

⁸³ **M**etoni post pleiadum occasum febris, lateris sinistri dolor vsque ad claviculam, atque is, adeo granis, vt quiescere non posset, & ardor tenebat. Deiectio multa biliosa, in tribus diebus fere cessauit dolor, calor autem circa septimam aut nonam. Tussis aderat. Excreationes neque biliosæ, neque multæ fiebant, pituitosæ verò tusses sequebantur. Cibos gustabat. Aliquando exhibat velut sa-

ms. Apprehendebant autem quandoque illum calores tenues exiguum tempus. Sudores exigui fiebant ad noctem, spiritus in febre densior, maxillarum rubor, circa latus grauitas, & sub alis, & ad humerum. Tusses tenebant. Pharmacum per superna eduxit biliosa: tertia post pharmacum exijt pus, ab initio verò infirmitatis quadragesima. Repurgabatur circa trigintaquinque alios dies. Et sanus factus est.

Hic pleuritide laborauit primum, cuius intra tres dies dolores cessauerunt cessante fluxione, tamen non est liberatus, sed inflammatio est ad suppurationem conuersa, & ob id iam inde factæ non sunt excreationes, neque multæ neque biliosæ, quales scilicet ex materia propria fierent, sed tamen tusses pituitosæ, hoc est per quas nihil excrearetur, nisi pituita, ex ea quæ naturaliter colligitur ex pulmone. Constat huic cessasse fluxionem tertia, suppurationem vero ferè perfectam esse intra nouem dies, quia eo tempore cessauerunt calores, qui pure iam confecto, exigui manere consueuerunt. Vomica puris quadragesima à prima rupta est, iuuic fortasse, vt rumperetur, vomitio à pharmaco facta. Purgatus deinde alijs trigintaquinque euasit. Habuit hic quidem omnia signa suppurati, & euasuri, iuxta ea quæ in prognostico scripta sunt ab Hippo. Nam calores interdum fiètes, & sudores nocturni: spiritus in febre densior, & maxillarum rubor, & grauitas circa latus pro dolore, & permanentes tusses, suppurati erant. Interim cibos gustare, hoc est libenter accipere suppurationis salubris. Multa etiam deiectione biliosa non potuisse persanari, sed cum maximè videretur liberatus, suppuratum mansisse, iuxta morbi conditionem euenit. Nimirum in pleuritide, & reliquis thoracis morbis, nisi in raris quibusdam naturis, non probatur alui profluuium.

VXori Theotimi in semitertiana anxietas & vomitus, & horror simul cum febris inciperet, & si sitis: procedente verò, cum febris inciperet, calor ingens. Cum melicratum potasset, & vomisset, horror & anxietas, sedata sunt. Et postea quod à sida.

Bis dicitur in breui hac dictione, cum febris inciperet primo loco significat primam paroxysmi partem, quo significato dicimus cum aliquis rigere incipit, ei iam incipere tertianam febrem, nimirum vocantes ipsum rigorem, primam febris partem: secundo loco significat reliquam paroxysmi præter inuasionem. Quo significato, cum finitur rigor dicimus febrem incipere, diuidentes scilicet paroxysmum in rigorem aut horrorem, & febrem. Describit ergo hic Hippocrates febris semitertianæ, qua vxor Theotimi laborauit paroxysmos, & dicit quibus succurreretur, & in ipsa inuasionem, & deinceps in febre. Fuisse dicit ei cum febris inciperet, hoc est in ipsa febris inuasionem, horrorem cum anxietate & vomitu, & siti: procedente verò paroxysmo, cum finito horrore febris iam inciperet, calorem urgentem. Datum verò esse in initio melicratum, tepidum scilicet vt vomeret, & ita sedata esse horrorem, & anxietatem, vacuata certè bona parte succorum, qui in ore ventriculi aceruati, ea symptomata inferebant: & postea cum iam febris arderet, datum esse quod ex fida. Quidam videntur succum mali punici. Hippocrates verò dicit, *από τῆς εἰδῆς* quo nomine non video ab autore quopiam vocari malum punicum. Si vero vocari possit, mihi placeret iudicari, quandoquidem malo punico, in feruore præcipue patientis ori ventriculi, nihil conuenientius esse videtur. At qui suspicor fidam facultate punico esse similem, vt est figura. Nunc incognita est, describitur à Theophrasto lib. 4. de historia plantarum cap. vndecimo. Verum quandoquidem est incognita, tu vteris. Hippocratem imitatus, in similibus feruoribus, malorum punicorum succo. Diopichis hororis historia eisdem prorsus verbis occurrerat in quinto.

85 **V**Xori Apomoti, in hemitrito, circa Arcturum, graui cardialgia in apprehensione, & vomitus, & strangulationes simul instabant vterine, & in dorsum dolores iuxta spinam: cum autem huc ei peruenissent, soluebantur cardialgia.

VELVT VXORI Theotimi, in apprehensione semitertianæ, anxietas vomit⁹ & horror fiebat, ita huic cardialgia vomitus,

mitus, & strangulationes ex vtero, vitioso succo incumbēte simul in vterū, & os ventriculi. Fiebat verò paulo post solutio cardialgiæ dolore eunte indorsum iuxta spinā, quæ scilicet descendit ex ore, spinæ affixa, gula. Quapropter significat rectitudo, solutionem cardialgiæ fieri, succo ab ore ventriculi, in gulam abscedente. Iuuaretur hæc quoque vomitu multa: nam solueret vomitus cardialgiam, & dolorem dorsi anteuerteret, & reuelleret ex vtero, quem interim calida aliqua & laxante inunctione, velut anethino aut irino, foueri oportet.

T Epidæ matri, ei quæ à Dorisco cum corruptio facta esset mense quinto gemellorum ex casu, ab altero quidem statim velut in tunica quadam liberata est, ab altero prius vel posterius quadraginta diebus, liberata est. Postea autem concepit in ventre: anno vero non dolores graues ventris in multum tempus inceperunt. Aliquando quidem ex ceruice & spina: confidebant autem in hypogastrium, & inguina: aliquando vero ex genu dextro. Confidebat autem in eundem locum: & cum circa ventrem dolores erant, eleuabatur venter, cum vero sedarentur, coincidebat cardialgia, strangulationes non aderant, sed frigus corporis, quasi in aqua iaceret. Tempore quo dolor fiebat, reuertebantur per totum corpus dolores, mitiores quam in principio. Allia, silphium, acria omnia, non conferebant, neque dulcia, neque acida, neque vina alba, sed nigra, & balnearara. Initio etiam vomitus graues fiebant, & ciborum exclusiones, & per dolores non apparebant muliebria.

Omnia hæc mala fuisse vterina insinuat Hippocrates inchoans narrationem ab abortu, qui nouem ante annis factus erat, quamquam ab eo non adeo læsus mansit vterus, quin postea conceperit, atque vt ego intelligo, pluries, siquidem tam multi anni exacti sunt, menstruis nondum deficientibus. Non enim defecisse per ætatē constat, quandoquidem
dicit

dicunt per dolores non apparebant muliebria, quasi scilicet apparere solerent. Cum ergo huic ex abortu, difficili sanè & periculoso (siquidem gemellorum, & mense quinto, in quo solent acetabula esse firmissima, & altero vix se quadraginta diebus expediuit) lesus non nihil maneret vterus, anno nono (cum interim aliquoties concepisset) incepit morbosa admodum esse ex vtero, fuitque multum tēpus. Inceperunt dolores graues ventris, qui diuersimodè fiebāt: aliquando quidem ex ceruice & spina incipientes, confidebant in hypogastrium & inguina: aliquando verò incipientes ex genu dextro, confidebant in eundem locum, in hypogastrium scilicet & inguina, vbi vterus situs est, & cū ibi erant dolores, eleuabatur venter, cum sedabantur eius loci dolores, fiebat cardialgia, repente scilicet humore in ventriculum, qui etiam patiebatur cum vtero. Nam initio etiam fiebant vomitus graues, per quos cibi omnes quos accipiebat, reiciebantur. Et si hic morbus vterinus erat, & cum suppressione menstruorum fiebat (non enim apparebant muliebria, cum dolores tenerent) non tamen afferebat strangulationes, quales fieri solent ex vtero, sed refrigerationem corporis, quasi in aqua iaceret. Nimirum non pendebat malum ex frigidis succis aut flatibus, sed ex acribus. Frigida enim aura inde ascendens, occurrensque cordi, respirationis tollit vsū, atque ita & respirationē: acria vero mordendo calorem intro reuocant. Hanc ob causam, neque allia, neque sulphur siue lasser, neque alia acria, que in frigidis vteri passionibus conferre solent, conferebant, neque dulcia, quia & hæc facile bilescunt: neque vero acida, quia vterus male fert eorum vsū, neque vinum albū, calidius enim & mordatius est magna ex parte hoc: sed vinum nigrum, & balnea rara, attemperando scilicet. Arbitror verò cauisse medicos balnea crebra, ne humiditas cresceret. His rebus mitigata sunt mala, ac postremo cum dolores fierent, non iam fiebant quales à principio, sed reuertebantur mitiores quidam per totum corpus, quasi ex pauciori & mitiori causa pendente malo, & vtero minus iam affecto.

87 **V**Xori Cleomenis circa Zephiri flatus, ex nausea, & lassitudine, lateris sinistri dolor, incipiens à ceruice

et ha-

et humero, febris, et horror, et sudor. Incepit autem febris, neque desit, sed intendebatur, et dolor grauis, tussis, excretio subcruenta, pallida, multa, lingua alba, deiectiones mediocres humidæ, urinæ biliosæ. Quarta ad noctem muliebria venerunt multa, soluta est tussis, et excretio, et dolor. Calor autem tenuis.

Non arbitror, nauseam, & lassitudinem ut causas pro catharticas morbi, hoc loco nominari, sed velut exordia, & initia illius: non inquam quod nausea & lassitudo morbum fecerint, sed quod ille à nausea & lassitudine inceperit. Itaque mulier primum laborabat nausea & lassitudine spontanea, deinde successit lateris sinistri dolor, incipiens a ceruice & humero, & febris, & horror, & sudor, & cum incepisset febris cum horrore, & superuenisset sudor, haberetque speciem intermittentis, non tamen desijt, sed mansit, & intendebatur, & dolor etiam grauis, hoc est molestus, intendebatur, & tussis, & erat excretio subcruenta, pallida, & multa, & lingua erat alba, & deiectiones mediocres humidæ: hoc est quantitate & multitudine mediocres, substantia autem humidæ: urinæ biliosæ. Huius morbi præcipuam causam fuisse menstruorum suppressionem, & in supernas partes recursum, euentus indicauit: præterquam quod ex ipsius ægrotæ narratione, id oportuit discernam quarta die ad noctem venerunt muliebria multa, soluta sunt, tussis, & excretio, & dolor, mansit tamen calor quidam tenuis, hoc est exigua quedam febricula. Nimirum sanguis alioqui per vterum effluxurus, per venas communes regurgitauerat in latus sinistrum, qua mamma est, usque ad ceruicem & humerum, ut sane euenit sæpissimè. Nimirum habet vterus cum partibus thoracis communes venas non exiguas, ob quas videmus à partu difficili, aut repentina menstruorum suppressione, fieri quibusdam dolores laterum, quibusdam veras pleuritides, alijs peripneumonias, alijs asthmata. Ita igitur huic facta est pleuritis ob refluxum sanguinis, cuius rursus per inferna euacuatione soluta est, super fuit solum febricula exigua, quæ forte, præter pleuritidem, pendebat ex aliqua putrescente per venas pituita

tuita & bile, quas lingua & vrina indicabant. Habes hic exemplum iudicationis die quarta factæ, rei vt ego existimo, non tam raræ, quàm Galeno visa est, & Archigeni. Historiæ vxoris Epicharmi, & vxoris Polemarchi, quæ hoc loco occurrunt, enarratæ sunt in quinto libro, & ex vtriusque locis lectio restituta.

88 **L** *Inciniæ sorori seniori vomitus omnium quæ accipiebat, diebus quatuordecim, sine febre. Cruentarum vomitionum reiectiones: & contracta strangulatio ad cor procedebat. Castoreum, feseli, & succus sidæ, omnia sedauerunt: abscessit autem dolor moderatus ad partem inanem. Bulbi succus, & vinum lacteum austerum, & panes quæmini cum oleo.*

Strangulationem ex vtero esse hanc passionem, ob menstruorum suppressionem factam, symptomata indicant, & confirmât remedia. Nam contracta strangulatio ad cor procedens, nihil potius significat, quàm eam strangulationem. Videntur enim sibi mulieres ita affectæ, strangulari, vtero retracto in cor, consentiente verò ventriculo mox naueant, & quædam earum vomunt quidquid acceperint. Cum ergo hæc tale quiddam sine febre passa sit, & cum strangulatione consentaneum est ex tali passione procedere: porro talis passio ex suppressione menstruorum fieri consuevit, quibus verò supprimuntur, fieri solent vomitiones sanguinis. Castoreum, & feseli à Dioscoride & Galeno commendantur ad strangulationes vterinas. Sidam dictum nuper est, in historia vxoris Theocimi, videri esse velut speciem quandam mali punici, quapropter huic datus sit eius succus, non ad vterinam passionem, sed ad sanguinis vomitum. Insinuans ergo Hippocrates, ob eandem passionem data esse hæc omnia, sed ob diuersas, dicit, castoreum feseli, & succus sidæ, omnia sedauerunt: illa scilicet, strangulationes: hoc, vomitiones. Remittente hoc malo, abscessit dolor quidam moderatus ad partem inanem: contulere bulbi succus, & vinum lacteum austerum, & panes minimi cum oleo. Vinum lacteum vocatur

vinum

vinum lacte permistum, quo, vt nuper dixi, vt ebantur veteres, vocabantque oinogala. Non est verisimile, hæc potu aut esu esse data (nam vino cum lacte misto, ad dolores inanis partis nihil esset deterius) sed appositum esse parti inani, cataplasma ex panis modico & succo bulbi, vino lacte & oleo, atque eius appositione solutum esse eius partis dolorem.

Pausaniæ filiam ex crudi fungi esu anxietas tenebat, strangulatio, dolor ventris. Melicratum calidum bibere, & vomere conferebat, & balneum calidum. In balneo vomuit fungum, & cum iam essent soluenda omnia, sudauit.

FUNGI quidam, vt testantur Dioscorides & Galenus, sunt venenosi, atque ita vt habeant aliquid veneni putrefactorij, eiusque quod toto genere venenum est, alij tamen omnes crudioris sunt, & crassæ substantiæ, atque nisi quantitate modica, bene elixati, atque cum correctiuis, vt cum pipere, pulegio, origano, aut alijs eiusmodi conditi, accipiuntur, incocti manent, & strangulant, flatu arbitror crasso ex illis orto. Nullius itaque fungi est vsus satis tutus, cuiusdam verò etiam perniciosus. Dioscorides docet rationem dignoscendi venenosum & eius antidota, atque etiam Galen. 2. de antidotis. Mulierem hanc non eo læsam esse constat, quòd venenosum ederet, sed quòd crudum, ob id anxietas eam tenebat & strangulatio, non potente ventriculo eum conficere, & flatu frigido inde versus cor, & reliquas corporis partes, delato. Hinc verò & dolor ventris. Superari fungi solent meri potu, & esu aromatum, cum vero vrget plurimum anxietas, satius est curare vt vomantur. Huic ob id amissaspe coquendi, datum est melicratum calidum, vt vomeret. Duçta porro est in balneum calidum, vt calor obstaret frigori, quod ex fungo effundebatur, & longe à corde extraherentur flatus refrigeratoriij. Vomuit ergo in balneo fungum, & deinde sudauit, & soluta sunt omnia, quia quidquid auræ frigidioris effusum in corpus, sudando expirauit, Epicarmi, & filij Euphranoris historiæ, enarratæ sunt in quinto libro.

90° *Post fabonium siccitates fiebant vsque ad æquinoctium autumnale: sub cane graues suffocationes, & venti calidi, & febres sudatoriæ, & rursus statim calefebant. Tubercula vero iuxta aures multis fiebant.*

Non sine magna loci corruptione scripta est hæc historia in quinto libro, atque ob id in hunc, ubi melius scripta occurrit, eius enarrationem distulimus. Constat ut illic dicere cœpimus, non contineri narrationem integram his verbis, sed eam esse decisam ex narratione longiori temporis alicuius morbosæ. Quapropter verisimile est multa accidisse, & in ipsa aeris alteratione, & morborum constitutione, quam hic narrentur quæ diuinare non possum. Fuisse malignos eius tempestatis morbos, vel ex ipsis solis quæ hic dicuntur, colligere licet. Nam erant febres sudatoriæ, & statim recalescebant (hoc est sudabant crebro febricitantes, tamen non minuebantur sudore febres, quin potius inde videbantur denuo incrementa suscipere) & fiebant multis tubercula iuxta aures: quorum verumque malignitatis esse constat. Nam simplicioribus morbis, non sunt decretoria, nisi quæ decernant, & euacuationes potiusquam abscessus: cum vero sudores febricitantium non deficiente febre, vituperentur semper ab Hippocrate in hac tempestate malignos esse, erat longe euidentissimum. Quia per totum ver & totam æstatem vsque ad æquinoctium autumnale, fiebant siccitates (hoc est nullæ erant pluiæ) sub cane verò tantus ardor, ut venti essent calidi, & homines viderentur grauitè suffocari. Vnde ergo fierent febres sudatoriæ, & humidæ: nam dicebatur prima sectione secundi libri, in ardoribus siccitatis febres plerumque citra sudorem, si verò in his minutæ imbris guttæ deciderint, magis sudatoriæ fiunt ab initio. Atqui hoc idem repetitur sectione tertia eiusdem libri. Non certè fierent hi sudores ob humoris copiam, sed ob vrentis ignis vim, colliquatione scilicet, ut dicitur ab Hipp. in prognostico, fiunt aliqui sudores, maligni quidem illi & inutiles, ob inflammationis vigorem.

A Nicula à tussi vexata circa nonam diem: adolefcēti
 splenico ancillæ filio aluo humectata, circa idē tem-
 pus. Ctesiphonti sub arcturum ferè circa septimam. Pue-
 ro solum suppurata sunt. Eratili filio euannerunt.

EXEMPLA sunt hæc, eorum quibus ea tempestate or-
 ta sunt tubercula iuxta aures, atque ita audiendum est, ani-
 mæ illi quæ à tussi vexabatur, circa nonam diem facta sunt
 tubercula iuxta aures: adolefcēti splenico qui erat ancil-
 læ filius, humectata est aluus, & circa idem tempus, circa
 nonam scilicet diem. Ctesiphonti sub arcturum, hoc est
 incipiente iam autumno, ferè circa septimam diem mor-
 bi, orta etiam sunt tubercula: ex multis quibus ea sunt fa-
 cta, puero cuidam solum suppurata sunt. Eratili filio eua-
 nuerunt. His duobus non narrat quibus morbi diebus or-
 ta sint, narrat verò quos habuerunt exitus, alteri scilicet
 suppurata esse, alteri euauisse. Vnde licet intelligere tres
 hos exitus habere parotydas, quin & alia quæcunque tu-
 bercula: alijs enim suppurantur, & effuso pure sanescunt:
 alijs euanescent, hoc est repenti & insperato disparent,
 alijs neque euanescent, neque suppurantur sed persistunt,
 vsque dum homo interiit, aut ipsis paulatim resolutis libe-
 ratur, Puero præ alijs suppurata esse tubercula, congruens
 est puerili naturæ, quæ calida cum sit & humida, coquendi
 facultate plurimum valet. Ego quid in huiusmodi ægrotis,
 quibus per febres malignas parotydes oriuntur, facere so-
 leam, dicere hoc loco non grauabor, quandoquidem cen-
 seo multos esse ita seruatos, qui alioqui interiissent. Mox ac
 oriri incipiunt, partem laxante oleo foueo, vt chamæmeli-
 no, atque si exire cunctentur, loco ipsi cucurbitam affigo,
 ne abscessus sit minor quam vt possit conferre: vbi autem
 facis manifestus iam factus sit, si breui increscat plurimum,
 mitto rursus sanguinem, ne sit maior quam possit sustine-
 ri: mox verò durum adhuc tumorem, neque vlla suppura-
 tione expectata, ignito ferro aperio, altera quidem in par-
 te, si alteram solum obsederit tumor, in vtraque vero, si
 vtraque, & cataplasma suppurans appono. Plerunque res
 cedit bene. Nam breui computrescens cum inusta scara tu-
 mor, manare pus incipit. Et per id orificium caput & reli-
 qua

qua viscera perpurgantur. Neque hoc debet videri cuius
atrox: pars enim adnosa per sese quidem vilis est, quam;
ob id licet vrere & secare, & vtrumque contemnere.

92 **C**irca vtraque nulli sudores. Lingua præ siccitate ble-
si. Incitati venti flabant, multi & frigidi. Et nives
exclementi cælo quandoque fiebant, & post æquinoctium
austrina permixta borealibus. Aquæ frequentes. Popula-
riter grassata sunt tusses multæ, præcipuè autem pueri.
Iuxta aures multi qualia satyris. Quandoque verò ante
hoc tempus hyems valde hiberna erat, in niuib; &
pluujs borealibus.

Hæc verba & aliunde decisa & male inter sese con-
cinnata, nulla ratio est rectè enarrandi. Cænicò potius ex-
pungenda.

93 **T**ymonactis puero quasi duorum mensium, exanthema-
mata in cruribus, & in coxis, & lumbis, hypoga-
strio, & tumores valde rubicundi. Sedatis autem his
conuulsiones & epileptica fiebant sine febribus multis
diebus, & mortuus est.

Nihil frequentius, quàm pusillis oriri exanthemata, cum
tuberculis quibusdam rubris (quas vocant variolas) adeo
vt hanc ob causam multi centuerint, eas a reliquis men-
strui sanguinis oriri, ego verò non censeam improbabile,
& si non in omnibus tamen in adeo paruulis, id ita habe-
re. Quia etsi infantes non nutriuntur pessimo illo sanguine,
qui singulis mēsis expurgabatur, sed selectiori, nō potest
tamē non aliquid etiā illius cum bono, ad eos transfluere.
Intereunt pueri ex his abscessibus, vt ex alijs quibusuis, vel
quòd tanti tam multique sint, vt non possint sustineri, sed
partes etiā principes occupēt, aut alias & si non princi-
pes, necessarias tamē corrūpant: vel quòd sint minores &
pauciores quàm vt perpurpare possint corpora, vel quòd vbi
cœperint fieri, euanescant. Huic non bene exiisse, atq; cum
exire

exire cœpissent, collegisse se malos succos in altum id interna, atque obid interiisse, constat, primū quia non per totum corpus, ut solent tumores illi, facti sunt, sed solū in cruribus, coxis, & hypogastrio: deinde quia illis sedatis successit epilepsia, & ea sine febribus. Si enim cum febribus, successisset fortasse febrium vi, quoniam verò sine febribus, constat, successisse ob humorem illum veneficum, qui in nervorum respicit principia.

Polemarchi puero contigit priori tempore suppurari, & excreare, postea verò calores ipsi erant, & aquā potabat multam, & erat splenicus, & anhelosus, ad verticem loci cuiuspiam eminentioris si quando accederet, impotens, & siticulosus, & cibum fastidians moderate aliquando: & tussicula sicca in multum tempus ita fiebat: atque nisi subducebatur aliquid, eratque alvus facilis, plena fiebat, & anhelatio, & suffocatio magis fiebat. Tandem vero catarrhus & excreatio superuenit, ac tussis. Excreatio autem crassa & pallida, purulenta verò, & febris vehemens videbatur cessasse, & tussis mitior, & excreatio pura. Rediit rursus febris acuta, spiritus densus. Mortuus est. Verum antea riguerunt pedes, & postea perfrigeratus est. Spiritus magis interclusus est. Urina stetit. Extrema refrigerata sunt. Sapiens interiit tertia die à recidiva.

MULTI suppurati, quibus ætas est adhuc firma, si citra vllum erratum in victu, excreationi studerent patiēter, liberarentur, qui aut cibis vtentes incōmodis, aut ante tēpus domo exeuntes, & ventis occurrentes, aut multo eoq; frigido potu vtentes, noxas augent, aut alias vocant, aut pluries suppurantur, cum iam incepissent a prioribus suppuracionibus euadere. Velut hic puer, cui contigit primū suppurari, & excreare pus (fortasse ex catharro aliquo solam, cum non narret morbum aliquem acutum antecessisse) postea verò quam excreare purulentū inceperat, erant ipsi calores febriles (ita scilicet ut euenit suppuratis) interdum exigui, noctu increscentes: cū verò ille sitis esset impatiēs

Hhhh

&

& multam aquam potaret, factus est lienosus, quare & anhelosus, neque potens in sublimem aliquem locum conscendere, & siticulosus adhuc magis, ut solent qui fiunt hydro-pici. Hæc quidem omnia sæpe fieri solent ex multo aque potu, causa vero est, quod cum aqua moretur in hypochondrijs, ea intumescunt plurimū, & eū immanēte aqua, immanēt etiam reliqua excremēta, quæ immanētia, herēt & imbibuntur durantq; & in tumorem attollunt, & male peruia faciunt viscera. Id quod crebrius accidit lieni, ob naturalem eius frigiditatem & raritatem, & naturam melancholicam. Frigida enim natura facit id viscus opportunū ad frigidas affectus: raritas ut capiat aquæ multum, & distendatur: natura melancholica, ut melancholiam cogerat, & scirrhusum fiat. Hinc euenit mox trahi in compalsionem hepatis, & fieri hydropē. Qui ita laborant, necessario sunt anhelosi. Comprimitur enim septum à distensis visceribus, & eandem ob causam, & quia gestant viscera, velut pondera quædam aliena, male se mouent loco, præcipuē si in sublimē aliquod præcipitiū conscendere nitantur. Sunt etiam siticulosi, quia detēta diu aqua putrescit, fitque salsa, & ob id sitim auget. Puer igitur hinc ea omnia mala contraxit ex nimio aquæ potu. Erat quoque cibum fastidiens, id vero non nimis, sed aliquando moderatē. Fastidiosus quidem fieret ob corruptum circa ventriculum humorem, appeteret verò aliquando etiam moderatē ob affectum frigidū. Malo ita procedēte, desijt excreatio, & tussiculæ siccæ fiebāt quales scilicet superuenire solent splenicis, & hydropticis, transfuso semper aliquo succo in thoracem per septū transfuersum. Habebat tunc tēporis puer quoddā accidens notatu dignum, quodq; in multis ita affectis animaduerti: id vero est, aluum si supprimatur tantillum, neque sit semper scilicet, intumescere, & plenam fieri, atque ex eius plenitudine anhelationem, & suffocationem crescere: sint autem semper egerant, necesse est debilitari, neque inde tamen affectus sanescit, sed solum ab ea molestia, quam retētio affert liberatur. Huius rei causa est, exigua cibi & potus in totum corpus distributio, partim ob mēbrorū debilitatem, partim ob hypochondriorum obstructions, contingens. Tandē, hoc est postquā diu ita ægrotauerat, redijt alius catharus, & tussis non amplius sicca, sed cū excreatione crassa,

Et pallida, ac purulenta, facta scilicet denuo alia suppuratione ex pituita & bile permixtis, & hac excreatione aliquā diu durante febris vehemens mitigata est, vt videretur cessasse, & tussis facta est mitior, & ex creatio pura, hoc est cā dōda sine bile & pure: & cum videretur iam habere ob hanc melius, postremo redeunte, vt suspicor, alia suppuratione, collectionis alicuius interim insensibiliter factæ, redijt rursum febris acuta, & spiritus densus. Et cum facultas tā multas recidivas iam non posset sustinere, concidit, & mortuus est homo, die tertia ab hac vltima recidiua. Ante mortem vero ob extinctionem naturalis caloris, riguerunt primū pedes, deinde frigus toto corpore sensit, & ob casū facultatis spiritus animalis interclusus est, hoc est interruptus & interceptus, & vrina etiam cessauit, naturali iam facultate cadente, & sui muneris oblita, & extrema omnia, caput scilicet manus ac pedes, refrigerata sunt: interijt vero sine delirio, vt solent scilicet qui tabidi intereunt ac suppurati quoniam ea passio ad nullam præcipuarum partiū minus pertinet, quā ad cerebrum. Itaque huius pueri malū fuit tabes, interim, vt multis vidimus accidere, ferebatur in hydropem, malum sanè vbi processisset insuperabile, quod tamen circa initia, superatum fortasse fuisset, vel solo bono victu patienter tolerato.

Filio Thini vehementer in febre vrente macerato fame, deiectio crebra, cum bile autē fiebat, & cum antea deliquio, & sudore multo. Refrigeratus est vehementer & sine voce erat. Totam diē & noctem, instillatum ptissanæ succum continuit. Sapiebat, & bene spirabat.

EXEMPLVM est hoc iudicationis, per deiectiones biliosas factæ à febre ardente, vix autem toleratæ, ob deiectionis crebritatē, & ob nimiam cibi detractionē per totū morbum. Cum itaque periclitaretur iam mori, ac post deliquiū & sudorem multum refrigeratus iam esset, & sine voce totā diem ac noctē, instillato succo ptissanæ recuperatus est paulatim, redijt ad sese, loquebatur, sapiebat, & bene spirabat. Quæ omnia redeuntis iam facultatis erant. Admonet nos hæc historia, ne simus nimij in cibi per morbos detra-

etiōe. Nā inter cætera facit sequentiū iudicationū impatien-
tiā, præcipuè si succedāt crebræ & præcipitata vacuatiōes

6 **E** Picarmi filio accidit ex itinere & potu cruditas, se-
quenti die mane anxietate facta, bibens aquā ac-
tū & salē, vomuit pituitam: postea verò rigor apprehen-
dit, lotus est febricitans, & doluit pectus. Tertia die sta-
tim mane sopor modicum tempus tenuit eum, delirabat:
& febris acuta. Grauius ferebat morbum: quarta die in
sommis. Mortuus est.

ITER & potus multus, siue aquæ siue vini, in causis sunt
quæ præcipuè possunt cruditatē facere, & in ventriculo, &
in alijs officinis concoctionis. Nam motus vehemens euo-
cās a ventre, ac in corporis habitum distribuens naturalem
calorem, ciborum primam concoctionem tollit, ea verò
sublata sequentes malè agi necesse est. Potus multus calo-
rem extinguit, aqua quidem frigore & humore: vinū quā
multum cum sit, non vincitur, inuictum verò manens, acci-
scit, & maioris etiam quam aqua cruditatis causā fit. Hic
vero cruditatis nomine, eius cōcoctionis quæ agitur in ve-
triculo, sublatio intelligitur, à qua multos eosque graues
morbos, solitos esse oriri, nemo ignorat. Plurimum enim
grauat, & distendit ventriculum, quod inuictum in eo ma-
net, sentiturq; mox, velut alienum quoddam, & minime
naturale pondus, corruptionem vero aliquam consequenti
mordet & rodit. Hinc fiunt facillè rigores & febres, rigo-
res quidem, dum adhuc in ore ventriculi cruda manet, ob
eius particulæ acerrimū sensum, febres cum iā descēderit
in aluum, vt lib. 6. huius operis Hip. ipse significauit. Cōse-
ntiunt quoque facillime cū ventriculo cerebrū & cor, adeo
vt nullus sit earum partium morbus, qui non ob ventris
palsionem fieri soleat: nam & sopor & vertigo, & perungi-
lium, & delirium, & conuulsio, & apoplectica omnes pal-
siones, & deliquia animi, & syncopes. Veruntamen non mi-
hi videtur probabile, hunc puerum, die quarta, ab ea qua
cruditatem sentire incepit mortuum esse, sed mortuum
quidem esse, verum tardius, Hippoc. que solum affirmare
mortuum esse, non tamē mortuum esse quarta die, nisi for-
tè

te grauiora alia passus fuerit symptomata, quæ Hippoc. rati-
 onerit, velut conuulsiones fortes, aut syncopem. Nam quæ
 hic narrantur, grauiam quidem sunt, non adeo tamen vt ob
 hæc sola videretur tam breui moriturus. Tametsi in huius-
 modi narrationibus desideratur quam maxime pulsus dif-
 ferentia, cuius nisi rarissimè Hippoc. non meminit. Si enim
 præter ea quæ narrantur, habuit hic à principio pulsus exi-
 guos, magnæ constrictionis, mirè diuersos, quales ob os
 ventriculi sæpe fiunt, & à die tertia coepit habere formicæ
 ves, non miror die quarta obiisse, correptum syncopæ: si ve-
 ro non erant adeo graues pulsus differentie, crediderim
 aliquanto plus protractum esse morbum Hippoc. que tran-
 siliisse, aut ex hac quoq; narratione periisse vetustate mul-
 ta verba. Sed explicemus quæ narrantur. Primum quidem
 itinere & nimio potu læsus, sensit in ventriculo cruditatē,
 ea sentitur, ventriculi grauitate, & tentione, & ructibus
 acidis: vel cibos incommutatos referentibus (nam nido-
 rosam corruptionem potiusquam cruditatem nunc vocari
 malo, tametsi alibi cruditas etiam appelletur) die sequenti
 mane, cum anxietatem sētiret, accepit acetum multa aqua
 diluendum, & immixto sale, ad vomendum & vomuit pitui-
 tam. Nihilominus cum cruda adhuc manerent in vētre ne-
 que essent reiecta vomitu, mox eadem die apprehendit eū
 rigor, cui successit febris, & lotus est febricitans, putās for-
 tasse eā febrem esse diariā ex satietate obortam (nā solēt ta-
 les incipere ab horrore, aut rigore, dissidereq; parū à putri-
 darū forma) satietatē verò iā esse cōfectā, & febrē balneo
 soluedā: verū aliter euenit. Dolere enim iā inde cepit pe-
 ctus, crudis arbitror succis, qui circa vētrē erant in pectus
 balneo effusis, & sursum euntibus: nam in superiora adhuc
 lactis, die sequenti, quæ erat morbi tertia, summo statim ma-
 ne sopor eum apprehendit, qui modicum durauit tēpus, et
 inde delirabat, & febris erat acuta, hoc est ardens plurimū
 computrescente iā cū crudis bile, & in capite & per totū
 corpus. Quam etiam ob causam quarta die erat insomnis,
 & ferebat grauitè morbum, hoc est erat inquietus, & an-
 xius, quod malignitatis morbi, & debilitatis facultatis est.
 Tādē cū hæc fierent, ac fortasse etiam alia plurima, mor-
 tuus est. Huius ægroti notandi sunt errores multi: primum
 quidem quod iter agens plurimo potu vsus sit: deinde

quòd acetū & salē vomendī causa biberit, cū liceret vti alijs innocentioribus, vt tepida, siue aqua, siue mulla, aut diluto oxymelite, aut hydreleo: deinde, quòd impuro adhuc corpore, atq; in initio febris putridæ cū cruditate se lauerit. Quæ omnia fuissēt magnopere cauenda: & procuranda, primū quidē crudorū ex vêtre vacuatio, vomitione ex dictorū aliquo, & clysteriū vsu, deinde reliquiarum coctio, quiete, tegumentis & inunctione.

97 **A**ristoni pedis digito vulnerato cum febre nō satis manifesta quod gangrenosum ascēdit vsq; ad genu. Mortuus est. Erat vero nigrum, siccum fœtidum.

VLCUS nigrum siccū & fœtidū, haud obscurē significat corruptionē naturalis caloris, & facultatū naturalium in parte. Quapropter tale vlcus admodum lethale signum est. Nam non aliam ob causam nigrescit & fœtet, quam quod à calore præter naturā corrumpitur naturalis calor, & pars emoritur id quod gangrena est. Quam breui vsq; ad genu serpere, lōgè erat pœssimū signū: quia ad plerimas partes, atque adeo ad totū corpus, indicabat pertinere naturalis caloris defectū. Febres quæ per huiusmodi affectus fiūt, exiguæ esse cōsueuerunt, vt in omnibus siue naturalibus, siue dispositionibus, quibus exiguus est naturalis calor.

98 **C**vi carcinoma in faucibus exustum est sanus est nobis factus.

CARCINOMA dicitur græcis, qui nobis cæcer: est duplex, cū vlcere, & sine vlcere: nascitur vterq; ab atrabile, vlceratus verò ab acidiori & acriori. Nō vlceratū cæcrū sapè curāt chirurgi excindendo, & extrahendo: sapè etiā non curāt, sed blandius tractāt, medicamentis prohibētibus eius incrementum. Vlceratum plæriq; eorum ne tangere quidē au dent, nisi blandis quibusdam & mitibus medicamentis, curam adhibentes, vt vulgus eorum vocat, paleatiuam, timentes ne, si ignis, aut causticum medicamentum adhibeatur immittior fiat atrabilis, & plus multo depascatur. Quæ quidem in re consilium Celsi sequi videntur, lib. 5. capitul. 28. Verum Celsus in eo capite concedit, aliquando id vici-
tiana

tum causticis, scalpello & vstione recte curari: aliquando ita curari non posse, sed irritari potius: vocari vult id vitium, cum ita curari potest, tantum cacoethes, cum non potest carcinoma, esse verò a deo idem specie vitium ut discernere nemo nisi tempore, & experimento possit, tentando scilicet, & experiundo, an ita curetur recte. Non esse autem eum nominum vsus, & eam distinctionem ex hippocrate constat, cū hoc loco dicat, carcinoma exustioe esse curari aliq̄ dixisset cacoethes, Verū Hipp. nō accipit morborū differentiā à curatione, sed ab essentia & accidentibus proprijs, ut par est. Concedemus ergo carcinomata, seu cāctos, si curādi sint radicitus, nulla alia ratione curari posse, quā vlceros quidem vstione, non vlceros sectione esse aliquos qui curari possint si quidem hic cuius nūc narratur historia, sanatus est vstione, aliquos qui neq; possint, neque debeant, quod ut Celsus dicit, concitentur, & increscant, donec occidant, differentiam vero nō esse in morbi specie, sed succi qualitate: nam in ipsius atrabilis speciebus, sunt aliæ alijs acriores, aut mitiores. Si ergo ex alijs symptomatis agnoueris, a deo esse acrem homini atrabilem, ut leui de causa plurimum exacerbetur, fortasse ne tãgere quidem audebis, sin autem ad teretris aut sanguineæ melancholiæ naturam, atra bilis quæ homini est, ex alijs sentiat vergere, tentabis causticis vrere, ac si res incipiat bene cedere, procedes festinanter ad ignem præcipue si malū sit in parte, quam facile ac breui depasci possit morbus, cuiusmodi fauces sunt. In talibus enim vel non satis certus an succus ferre id auxilium possit, tentabis, vel cum periculo, vrere: quia deposita curatione facillimè exedetur vel à sacco non omnino immitti. Tentabis ergo vel cum periculo curare, morbum certò interempturum. Quam ob causam Celsus lib. 6. capitu. 25. iubet vlcera cancrosa ia ore, si medicamenta non proficiant, aduri. Erit verò ex eius sententia, adustis imponenda lenticula donec sanescant.

Poliphantus Abderis caput dolebat in febre vehemēti Vrinae tenues, multæ. Hypostasēs densæ & conturbatæ. Non cessante autem capitis dolore, Sternutatoria admoda sunt, cum esset iam decima dies. Postea vero in

cervicem dolor fortis. Urina venie rubra, perturbata, quales iumentis. Mente motus est phrenitico modo. Mortuus est in fortibus conuulsionibus.

MINI videtur hic ægrotus, læsus esse magnopere intè pestino vsu sternutatoriorum, quodq; cū oporteret morbo occurrere, cura prepostere est adhibita symptomati. Laborabat enim febre acuta ac vehementi, cum dolore capitis, erātq; urinæ multæ & tenues, & in eis hypostasas densæ & conturbatæ, tenuitate significante raptum bilis in superna, & hypostasi multitudinem & perturbationē humorū in venis, non cessante verò capitis dolore, decima die admota sunt sternutatoria: cum oporteret, missione sanguinis, & reuulsorijis per ventrem euacuationibus, & crurum frictionibus assiduis, vi quo pariter sublacione causæ tolleretur febris, & reuulsione prohiberetur imminens phrenitis: capiti vero nihil admouere, nisi repellentia. Nam est missum esse prius sanguinem, & vacuatam alium clysteribus, atque aliquo etiam lenientium medicaminum, suspiceris, etsi id non narretur (non enim consuevit Hipp. narrare omnia quæ gesta sunt) tamen, non esse satis vacuatū totū corpus, euētus iudicauit, successit enim dolor fortis cervicalis, sanguine bilioso, vehementi capitis motu, sursū tracto, & urina facta est rubra, perturbataq; quasi esset iumentorum, aucta in venis sanguinis totius perturbatione, actādem phreniticus est factus, & cum conuulsione periit. Peccatum est, quod nondum satis vacuato corpore, ad vacuationem partis principis peruenerint medici, & quod nodū soluto morbo, symptoma curare voluerint, & quod secundariam passionem seu compassionem, aut consensum manente primaria, tollere studuerint, & quod corpore adhuc impuro, & homine febricitante, partē principē vehementius mouerint: quæ oīa ars prohibet fieri. Deniq; p̄inde est actū, ac si primarius morbus fuisset dolor capitis, febris verò accidēs, ac corpus esset perfectè vacuatū, & purgarum: cum tamen res contra haberet. Dolebat enim caput per consensum: morbus præcipuus erat acuta illa febris. Urinam perturbatam qualis est iumentorum, phreniticorum & lethargicorum esse, in aphorismo dixit, dicitq; iterum paulo post. Cōtinget verò dubitare, quales esset vri
nz

ur illæ tenues, cū hypostasi multa & perturbata. Nam perturbatio differentia esse videtur totius vrinæ, potiusquam hypostasis, & perturbatæ sunt contrariæ tenuibus: quapropter non videntur posse esse tenues cū perturbatione, neq; perturbatū videtur rectè dici de hypostasi. Cæterū in ipsa hypostasi considerari potest perturbatio tametsi id non soleant auctores animaduertere, non minusquā in tota vrina. Nam est hypostasis quædam etsi crassa, tamen continuata & pellucida, est alia quæ constat velut exagitationis quibusdam fixibus, & turbida quæ significationem habet similē reliquæ perturbationi. Fit verò aliquādo vrina tenuis cruda, neque cum naturali bilis portione mista, continens verò in fundo separatim quiddam crassum, confusum & turbidum: estque hoc maioris cruditatis, minoris verò conturbationis, quā cum tota vrina perturbata est. Nam vrinæ fuscæ manere tenuem, minoris alterationis est, crescēte verò agitatione, etiam illa crassa hypostasis commiscetur cum fuscæ. Quod actum est in hoc ægroto. Initio enim habuit vrinas tenues cum hypostasi perturbata, deinde veniit vrina rubra totaque perturbata.

Similiter autē & Eualcida famula, cū multo tempore densæ vrinæ prodissent, & cephalalgia inessent, facta phrenitica, mortua est eodem modo cum fortibus convulsionibus. Omnino enim densæ vrinæ & perturbatæ signum exactum est doloris capitis & convulsionis, & mortis.

Similiter evenit famulæ Eualcidæ, ac Poliphanto eadēque fuerint utrobique causæ. Quod vero de significatione vrinarum densarum & perturbatarum addit, cōsideremus oportet. Aphor. 70. sectio. 4. ita inquit Quibus in febribus vrinæ perturbatæ ut subiugalium, ijs dolores capitis aut ad sunt aut aderunt. Hæc in aphor. exemplo est famula Eualcidæ, cui cū dolores capitis inessent, densæ vrinæ prodiebant. Sed quo pacto cū illic doloris capitis signū diceret, nūc dicit, convulsionis etiā, & mortis? an quia dolor capitis ex perturbatione succorū per venas corporis factus, si per seueret,

seueret, non possit non firmari in morbum aliquē lethalem capitis, velut phrenitidem, lethargum, aut conuulsionem, ipse verò præteriens reliqua, nominauit illic dolorem, hic conuulsionem. Quia dolor solet omnes illas affectiones præcedere (nimirum cum caput incipit repleri) conuulsio solet subsequi, cum iam sunt proximi morti: perrarū enim est, ex morbis capitis mori sine conuulsione. Nominauit itaque & primū & postremū symptoma, intellegitque quæ intersunt. Sed quid sibi voluit Hippocrates vocans hoc signū exactū? an exactè significare hoc, ita vt non possit præsentē hoc signo aliter fieri, quā significetur, sed necessario ita eueniat, an ita significare hoc, vt nihil aliud significet? Si enim neutrum horum euenit, nullatenus videtur esse signum hoc exactū, magis quā aliud quoduis. At verò videtur neutrum euenire. Nam fieri possit, vt vrina perturbata sit, & homo nō intereat, neque veniat morbus ad cōuulsionē: atq; alias multas affectiones comitari solet cōturbatio vrinæ præter illas: nam & principij febriliū est, & morbi renū, & vidimus quibusdā hominibus esse naturalē. Quo pacto ergo est exactum signū conuulsionis & mortis? Certè nihil est aliud dicere, exactum signū esse conuulsionis & mortis, quam si diceret, signū hoc esse lethale, significareq; non, vt alia signa lethalia, moriturū solū hominem, sed etiā modū quo moriturus est, nimirū moriturū cū conuulsione, itaque exactè ac distinctè, quia & mortē & moriendi modū, quæ interpretatio incidit in secūdū modū eorū quos proposuit scilicet ita significare hæc, vt nihil aliud præter hæc. Hoc verò non accidit omni perturbatæ, sed ei de qua hoc loco agitur, ei scilicet quæ in febribus (nā ita dicebatur in aphorismo) & quæ nō est peculiaris cuiusquā naturæ, neq; affectionis partis cuiuspiā (nā peculiare naturæ, & particulares affectiones semper excluduntur à prognosticis) & quæ perseverat plusquā morbi principii. His exceptis semper minatur capiti malū. Atqui quia perseverat per morbi incrementū, neq; finito principio clarescit, sit signū contrariū concoctioni, quare & lethale; significat ergo moriturū hominem ex morbo capitis, ac proinde & cum conuulsione. Neq; vero quia hoc significat exactè, necesse est mori eum qui id habeat, quia non dicuntur lethalia signa, cum quibus nulli euadunt, sed cum quibus moriuntur plures.

Alicarna-

Alicarnasensis qui in domo Xanthippi diuersabatur, aurem in hyeme dolebat & caput, non mediocriter, erat vero annorum ferè quinquagintaquinque. Secta illi vena secundum Mnesimachū, læsum est caput, euacuatum & refrigeratum (non enim suppuraui) phreniticus factus est. Mortuus est. Urina etiam huic densa.

Hæc historia videtur fauere vulgari opinioni de sectione venæ cephalicæ, quam vulgus hominum maximè reformidat, quod putent debilitato capite, insaniam inde nasci: narrat verò nunc Hippocrates, euacuato capite esse factum hominem phreniticum. Cæterum vulgaris illa opinio, non est quod medicis probetur. Nā tametsi fieri possit, vt aliquis ob eius venæ sectionem deliret, aut si antea delirare inceperat, deliret grauius, cui scilicet siccū alioqui cerebrum esset, & nulla re minus indigeret quàm sanguinis missione, tamè cum tempestiue, atque ob aliquam calidorum succorum in capite redundantiam, ea secatur, nihil tale accidere potest, quin potius ea euacuatio à phrenitide præseruat, detracta causa, quæ eum affectum parere posset. Neque si euacuatio plurimum producat, atque plusquam præiens postulet dispositio, fieri possit phrenitis, sed contrarius lapsus per debilitatè quam affert euacuatio, fiet quidem aliquibus mentis vacillatio alijs per refrigerationem fiet stupiditas & obliuio: alijs quibus restabit pituita ex euacuatione calidorum, lethargus. Et ego quidem hoc loco ita intelligo, hunc lethargicum esse factū. Hippocrates enim toto hoc opere cōsuevit phreniticos vocare, omnes delirantes cum febre, siue sint lethargici, siue phrenitici. Hinc ergo Alicarnasensi verisimile est, fuisse auris & capitis dolorem non mediocre, ob redundantiam pituitæ & fluxus. Nam & tēpori & ætati erat frigida passio cōgruens cum esset hyems, ipse verò quinquagintaquinque annorū, sed euentus id indicauit. Cū enim calidis auxilijs potius indigeret, secta est illi vena secundum Mnesimachum, hoc est a Mnesimacho chyurgo, seu vt Mnesimachus medicus fieri consuluit. Quandoquidem ob capitis dolorem secatur, arbitror cephalicam esse sectam. Læsum est caput euacuatum & refrigeratum, & ob id euasit lethargicus, cum febre

febre scilicet & somno delirans, & mortuus est. Urinas etiam huic dicit fuisse densas & perturbatas, quales scilicet dictæ sunt esse signum exactum doloris capitis, convulsionis, & mortis. Consideratione indiget quod per parenthesis dicitur. Nō enim suppuravit. Videtur enim pargon, non est tamen si rectè intelligatur, sed perinde est ac si diceret, non enim erat phlegmonosa affectio quæ dolorem afferebat, sed à frigida potius pendens materia, ac proinde venæ sectione euacuatum & refrigeratum est caput. Rectè autem dixit non enim suppuravit, insinuans inflammationem illarum partium illa ætate, suppuratione potius quam resolutione finiri consuevisse. Filij Metrodori historia quæ hoc loco occurrit, occurrerat in calce libri quinti eisdem prorsus scripta verbis, præterquam quod illic non narratur ubi id acciderit, hic dicitur factum in Cardia, quod urbis nomen esse videtur, sed nihil interest.

102 **A** Naxenor in Abderis, erat quidam splenicus, & pravi coloris. Euenit autem ipsi ortum tumorem circa sinistrum femur, repente euanescere. Non multis autem diebus postea, circa lienem oborta ei est, primum quidem velut crustula, deinde tumor & rubor durus. Post diem autem quartam febris ardens facta est. Et circum circa omnia facta sunt liuida, & videbantur putrida. Mortuus est. Suppuratus autem est prius, & mente constabat.

SUNT quidam quibus lien valde durus est & magnus, color verò faciei, & reliqui corporis non admodum vitiosus, quod quidem neque admodum graue, neque periculosum est: significatur enim solum vitium lienis, partis non adeo nobilis: cum verò accedit vitiosus color, significatur iam magna excrementorum redundancia, reliqua viscera, & totum iam corpus vitians. Quapropter periculum magnum est morbi alicuius grauioris. Curandumque magno studio est lienem ipsum primum expurgare, & deobstruere, deinde & totum corpus, antequam scilicet lien, nō capiens iam excrementa, in partem aliam tradat fortasse nobiliorem, aut per totum corpus putrescant, & febres exci-

tent

ent acutas, vt huic est factum, cui ex liene secundum re-
 tinuodinem factus est tumor in femore sinistro, qui tamen
 abscessus non liberauit hominem à grauioribus periculis,
 quia repente euauit, neque suppurato scilicet, neque re-
 soluto humore, sed intro recurrente quo nihil in abscessi-
 bus esse potest periculosius. Necessè est enim, aut pro ex-
 tremo internus aliquis abscessus fiat aut citò alij externi
 (plerunquè sanè grauiores) redeant: velut huic, cui paucis
 postea diebus circa lienem obortus est tumor, què ex acci-
 dentibus constat, habuisse naturam inter cancrum & car-
 bunculum. Cancrì enim habuit, duriciè dies quatuor sine
 febre persistentè, carbonis verò crustulam, ruborem, & su-
 peruenientem causum sed & exitum. Nam ex magnitudine
 inflammationis, gangrena facta est partium circumcirca
 consistentium (omnia enim in circuitu facta sunt liuida, &
 videbantur esse putrida) atq; serpente gangrena in internas
 partes, mortuus homo est. Omnium horum causæ, & totius
 morbi decursus facilè intelligi potest. Quod ad eius cura-
 tionè attineat, illud solù narrat, suppuratù esse, anteaquàm
 in gāgrenā incideret. Rectè sane quādoquidē liè nulli euacua-
 tioni magis cedit quàm alui subductioni, si verò vt tacuit
 etiam etiā omisit missionè sanguinis secundū rectitudinè fa-
 ctam atq; adeo copiosam, nō rectè fecit, tantā enim expo-
 sit hęc affectio, vt vel vsq; ad animi deliquiū ob carbūcu-
 lū fieri velit Gal. Ego huic misissem, tumore recēs orto in
 sinistro femore, ex dextro maleollo, vt sāguinis neq; sursū
 recurreret, neq; in sinistrū femur copiosius quàm oporteret,
 incuberet: orto verò iā deteriori illo tumore circa lienem,
 misissem copiosius ex sinistro maleollo, vt deoneraretur liè
 & natura prouocaretur ad abscessum eūdē, què prius tēta-
 uerat. Animaduertit Hipp. Anaxemorè mēte cōstitisse sem-
 per vsq; ad mortē, quo intelligas, citra magnā cerebri cō-
 passionem, & citra lepti transuersi inflātionē, interiisse.

C Leonigus in *Abderis*, erat quidem nephriticus, exi-
 guum autem sanguinem plerunquè difficulter min-
 gebat. Vexabat autem & aluus dysenterica. Huic mane
 dabatur lac caprinum & aquæ quinta pars admistum, to-
 tato cotylæ tres: vesperi vero panis excoctus. *Obsonia*

ANUS 1770

autem beta aut cucumis: vinum nigrum tenue. Dabatur autem ex cucumis pepo. Hoc victu vtenti & aluus restitit, & vrina pura redditæ sunt. Potatus autem est lacte vsquedum vrina restituta sunt.

CLONIGVS duas affectiones habebat simul, locis diuerfas; essentia verò similes. Nam erat nephriticus & dysentericus. Vtrumque autem per exulcerationem, illud renum & viarum vrinae, hoc intestinorum. Significabat vitæ vrinae & renum exulcerationem mictus sanguinis, non copiosè ac facile fluentis, velut ex vase rupto solet, sed paulatim ac cum difficultate, ob grumulos scilicet, ex paulatim ab ulcere extorso sanguine, concretescentes, aut etiã fortassis ob excoriationem attingentem vsque ad ipsam vesicæ viciniam, dysenteria vero ipsa exulceratio intestinorum est. Quoniam igitur eadem erat affectionum essentia potius etiam eadem curationis ratio cõgruere; quoniam verò affectæ partes diuersæ, oportuit eam ex respicientibus partibus utranque compositam esse. Vtriusque morbi curatio solè pharmacæ & chyrurgiam admittere. Nam & nephriticis & dysentericis mittitur sanguis, vbi adsunt scopi illud exposcentes, & adhibetur expurgatio vtiliter, cum pèdet morbus à magna cacochymia, & cum res exigit, apponuntur cerata, cataplasmata, emplastra, & inunctiones, atque interdum deutorantur medicamenta multa aliarum virum, & apponuntur non rarò cucurbitulæ, tamen aliquando sola res instituti victus ratio satis esse solet ad curationem, necesse sane ea est deterior curatio, sed cum est sufficiens, & in alijs omnibus morbis, omnium optima: quia vt dicitur ab eodem Hippocrate, medicamentũ in alimento optimum. In hac historia, victus solum meminit, vnde duobus alterum licet intelligere, aut reliqua auxilia silentio prætermissa, velut communia multis morbis, aut solo victu esse rem bene gestam: quòd corpus non esset valde cacochymum. Certè constat huic maxime, Hippocrate salutem hominis acceptam reddidisse. Hic fuit maxima ex parte operans, & extergens, non nihil etiam siccans & adstringens. Lac enim, beta, cucumis, & pepo, extergèt, panis excoctus siccatur, vinum nigrum tenue exterget, & adstringit: lac quod dicitur

dem & vinum nigrum vtrique parti se accommodant, panis quoque quamquam ventri magis, beta ventri, cucumis & pepo vrinarijs vijs, lac præter dictam extergendi vim, præ admitione fiebat attemperantius, & accipiebat non nihil adstrictionis. Nam scire licet, coctum esse lac, vsque dum absumeretur quantum aquæ esset infusum, id quod fit vel admoto igne, vel immixtis ignitis lapidibus, aut ferreis globulis, ita amittit feri aliquid, & in casei facultatem incitat. Ita ergo præparatum extergit, temperat, & non nihil adstringit: caprinum verò multis alijs eius generibus melius est, quia ficius & minus serosum. Panis excoctus nihil aliud quam siccatur. Beta intestina extergit & purgat, hæc eadem si bis coquitur sistit. Quapropter per dysenteriam curare agitur, si initio detur cocta semel, deinde bis. Cucumis & pepo temperat & extergit vrinæ vias. Vinum quia tenuis penetrare poterat etiam in vrinæ vias, nequaquam consistens circa ventrem, quia nigrum adstringendi vi participabat. Talis itaque fuit is victus, talem verò desiderabat affectio, cum vtraque esset vlcus ex acrimia pendens in vrinam. Vlcus perebat extersionem, siccationem, & adstrictionem: succus attemperantia: pars propria sibi ac familiaria medicamenta. Faciebat ergo satis curatio hæc indicationibus omnibus: nam & ei quæ accipitur ab humore, & ei quæ a parte, & quæ ab effectu. Quin & symptomati etiam, hoc est fluxui vrinæ & alui, occurrebat per se, cum esset particeps adstrictionis.

Historia mulieris Abderitanæ occurrerat in libro quinto, eisdem fere scripta verbis, vt nulla nunc enarratione noua opus sit.

Dij puerulo in Abderis, vulnerato mediocriter umbilico, exigua fistula relicta est, & aliquando per eundem locum venit lumbricus magnus, & dicebat, eundem febricitaret, biliosa ipsa per hanc partem exire. Proderat etiam intestinum, & corrosum erat vt ipsa fistula, & rumpebatur, & tussicula prohibebant permanere.

Hic puerulo facta est ex vulnere circa umbilicum fistula,

stula, vsque in internam partem intestinorum penetrans. Te
 indicabant exeuntia, quia non poterat magnus lumbricus
 aliunde exire. Cum enim sit triplex genus lumbricorum
 lati, rotundi & ascarides, hi sunt exigui, & generantur in
 fede, illi magni, generanturque lati per intestina tota, ro-
 tundi in tenuibus. Sunt verò lati maximi, quapropter ego
 coniecto, rotundum huic exisse per fistulam, qui solet esse
 bene magnus, atque ob id etiam suspicor, aliquod ex gra-
 cilibus intestinis accepisse fistulam. Quia ut dixi, in gra-
 cilibus generantur rotundi, & quia exhibant ei, cum febris
 taret biliosa, si enim crassi intestini esset vlcus, exiret ster-
 cus, in crassis enim colligitur naturaliter stercus densum,
 gracilibus non nisi raræ faeces, atque in eorum quadâ par-
 te, sola bilis. Quo pacto factû sit, ut intestinû ulceraretur
 explicat dicens, prociderat in fistulam, intestinum, & cor-
 rosium erat, ut ipsa fistula. Hoc est, cum fistula penetrat
 vsque ad peritoneum, atque ipsi peritoneû ruptû esse
 procidit intestinum (ut fieri solet) & corrosium etiam
 ac penetratum vulnere. Accidebat huic quoque, quod
 alijs ruptura peritonei laborantibus, nepe ladebatur tu-
 quia tussiendo ruptio crescebat, & intestinû prohibebatur
 permanere, & excidebat magis. Sed subit dubitare, quo
 pacto per intestinum ruptum, non cadebat stercus in
 cauitatem, quæ est inter intestina & peritoneû, atque si ca-
 debat, quo pacto potuerit puer non breuissimè mori, cui
 præcipuè dictum sit ab Hippocrate in aphorismo, incisio-
 nem tenuis intestini lethalem esse. Scire oportet, incisio-
 nem intestini, præcipuè tenuis, per quâ transversim dissectû
 omnino lethalem esse, & breuissimam asferre mori, lethale
 lem quoque esse, & si non tam breui, incisionem recedens
 quæ penetrat incauitatem ipsius intestini, sed vulneratio-
 nem inueteratam, paulatimque corroddendo factâ, si pen-
 tret esse etiam incurabilem, non tamen necessariò afferre
 mortem, sed nonnullis vitam potius miseram. Quia
 potest, ut fistulam accipiant, coalescantque ita fistula
 cum peritoneo & abdomine, ut extrorsum exeat aliquid
 eorum quæ prætereunt per intestinum, in spacium verò in-
 terno incidat nihil, velut huic est factum. Nimirum intestini
 pars aliqua impigit in fistulam, illicque simul est excelsa,
 coaluit. Cum tussî impellebantur intestina, erumpere
 rone

maior pars, quæ cessante tussi rursus recipiebatur in-
 tamen pars quæ coaluerat, neque extrorsum pulso, ne-
 que intrò collecto intestino, desciscibat à fistula. Erat
 illud vlcus diuturnum, neque cum phlegmone, ne-
 que serpens.

Prihonis filio in *Pela* febris statim incepit magna,
 & delapsus in somnum multus. cum vocis interce-
 sione somni fiebant, & aluus dura per totum tempus, ap-
 posito vero ex felle multa egererat, & statim remittebat,
 rursus vero rursus aluus in tumorem eleuabatur, & exa-
 cerbatur febris, & cataphora per eadem. Existente ve-
 ro eodem ductu, datum est quiddam eorum quæ ex cnico,
 & cucumere siluestri, & meconio, & biliosa eruperunt,
 & statim sopor sedatus est, & febris facta mitior, & om-
 nia subleuata, & iudicatus est die quatuordecima.

LABORAVIT hic haud dubie febre acuta, & magna,
 cum magno comate, adeo vt somni profunditas aphoniam
 pareret, & videretur ob id morbus habere aliquid apople-
 tici. Contigit ergo dubitare, qui factum sit, vt Hippocra-
 tes daret pharmacum expurgans ante diem quatuordecimam,
 cum ab eodem scriptum sit lib. de expurgant. medi-
 camentis. Quicumque à febris fortibus corripiantur, his
 medicamenta expurgantia dare non oportet, donec remi-
 tuerit febris, sin minus saltem non ante quatuordecimam.
 Neque si dicas non esse hoc ab Hippocrate actum, sed ab
 alio fortasse quopiam, vt plurima eorum quæ in hoc opere
 narratur, dubitatio cesset. Miraberis enim tunc, quo pacto
 tam cesserit ex voto, nisi rectè est actum. Certè mihi vide-
 tur actum optimè, & imitandum, vbi similis sese affectio
 obtulerit. Nam restricta aluo, rectè admota est per sedem
 aluus ex felle (hoc enim innuit dicens apposito ex felle) &
 ad vacuandam aluum, & reuellendum à supernis corporis
 partibus, cumque à glande egereret multa, & ab egestione
 statim remitteret febris & sopor, constabat aperte, humo-
 rem in ventre detentum maximam augendi febrem & so-
 porem

porem esse causam, atque cum breui rursus aluus in turmo-
rem eleuaretur, & exacerbaretur febris & sopor per eadē
hoc est per eandem causam, simulque ut eleuabatur in tur-
morem aluus, constabat confluere in illam biliosa ex toto
corpore & ab eis ibi congestis foueri affectū: quapropter
nulla potior erat curandi ratio, quam curare ne biliosa de-
tinerentur in aluo, sed erumperent, & ut per eam viam,
quam bilis coeperat, corpus expurgaretur. merito ergo ex-
istente eodem ductu, hoc est cum hoc eodem ordine, hoc
idem eueniret, ut scilicet deonerata aluo cresceret febris
& sopor, rursus cito aluus intumesceret, & illa crescerent,
datum est pharmacum expurgans, successuque res Erupe-
runt biliosa, & sedata est affectio. Quoniam verò ante le-
gitimum iudicationis tempus, perfectè tollere morbum,
nulla auxilia possunt, & si bona ex parte sedent, durauit fe-
bris vsque ad quatuordecimam, qui legitimus acutorū finis
est, in eaque est iudicatus homo. Ex his verò illud licet in-
telligere, Hippocratem nomine turgentia non solum intel-
ligere eam reciprocā a partibus in partes moticationem,
quam Galenus interpretatur, sed etiā vergentiā humorum
in euacuationis vias, præcipuè in aluum, qualis in quibus-
dam significatur hypochondriorum murmure, in hoc alui
intumescencia citò, post eius deonationē, redeunte. Ob-
talem enim succorum vergentiā, expurgare licet etiam
ante coctionem, quia quæ sponte fluunt, faciliè trahuntur.

306 **E** Videmus splenem dolebat fortiter, imperatum est
à medicis comedere multa, bibere paucum vinum
tenue, deambulare multum. Non est facta vlla mutatio.
Secta est vena. Cibos & potum parce: deambulationem
paulatim intendebat. Vinum nigrum tenue: sanitati re-
stitutus est.

TAMETSİ inflammatio, aut multitudo, humorum, in
hepate, & liene, partibus, nisi ob membranas quibus ves-
stuntur, fere expertibus sensus, dolores fortes non afferunt,
sed gradantes sine vlla acutie, tamen ob humoris mordenti-
tem qualitatem, aut flatum distendentē, patiuntur aliquando
doleat

illæ partes (ob membranas quidem) dolores vehemē-
 tes, mordentes, aut tensiuos. Cum igitur Eudemus fortiter
 cecideret secundum splenem, constat eum multum & acrem
 sanguinem in eo viscere collegisse. Vidimus enim id in
 quodam ægrotis, qui referebat sentire se eo loco, velut
 ignis prunam: quibus nulla ratione citius subue-
 nitur, quam sanguinis missione facta secundum rectitudi-
 nem, ab interna scilicet vena cubiti sinistri, vel à sinistra
 manu. Cum vero laborantes lienes semper colligant cras-
 sum & melancholicum sanguinem, ob quem cirrhos ple-
 nique contrahunt, vacuata per venæ sectionē bona parte
 sanguinis, præcipuè calidioris & vrentis, opus est alia cura-
 tione pro crassis succis absumentis, quæ in tenui victu, &
 potus abstinentia, & deambulatione consistit. Quidam me-
 dici ab hac intentione non multum declinantes, præcepe-
 runt Eudemo multa comedere, & bibere parū vini tenuis,
 & deambulare multū. Multa comedere arbitror eos præ-
 cepisse, ut posset homo multū deambulare, quia ubi fames
 laborandum non est. Verū non est cum hoc victu facta vlla
 mutatio, nullatenus inquam iuuatus est homo: quapropter
 mutata deinceps est curandi ratio, sectaq; vena, imperatū-
 que & cibos & potum accipere parce, & deambulare, nō
 quidem repente ac multum, sed paulatim deambulationē
 intendendo. Datumq; vinum nigrum & tenue, & sanitati
 restitutus est homo. Nimirum, non imminuta per venæ se-
 ctionem multitudine, & remisso dolore visceris, exercita-
 tio nihil conferret, ac fortasse etiam læderet, quod infar-
 ctus lien non posset esse peruius, & colligeret in dies plus,
 motuq; ad se alliceret. Si verò acciperentur multi cibi,
 nequaquam absumeretur humores, satis enim esse fortasse
 absumi ipsos cibos, cum cibo autē pauco non posset susti-
 neri magna deambulatio, nisi susciperetur paulatim, ut pau-
 latim assuesceret homo, & assuetudine patientiā cōpara-
 ret. Recte igitur ita est actum. Potu verò pauco uti debere
 lienosos, & multo plurimū lædi, periclitariq; fieri hydro-
 picos, res est expertissima, neq; ratio obscura. Cum enim
 lien spōgiæ sit similis, plurimū aquei liquoris imbibit, atq;
 distenditur, obruiturq; in eo facile calor, & frigus hepati
 comunicatur. Peccatū ergo a prioribus trifariā est, primū
 quod venam nō secuerint ante omnia, deinde quod multo

cibo uti iusserint, tertio quòd repente iusserint multum deambulare. Vinum dari tenue admodum erat necessarium, crassum enim est etiam fœculentum, & ob id melancholicum, & obstruens, nigrum verò non adeo necessarium, nõ tamen inutile, cum latis esset tenue. Neque enim obstruere poterat tenue existens, & quàm album sedaret sitim magis, quod in eo casu non parui momenti est, ne sitis cogat multo uti potu.

107 **P**hilistidi Eraclidis vxori incepit febris acuta, rubor faciei, sine vlla causa manifesta: paulo post eadem die riguit, non recalescebat, conuulsio facta est in digitis manuum, & pedum. Paulò vero post hæc incaluit. Mixxit densa, nebulosa, dispersa, noctem dormiuit. Secùda superperriguit die, paulo plus caluit. Et rubor minus, & conuulsiones superuenerunt moderatiores: vrinae per eadem. Noctem dormiuit, parum vigilauit, nulla difficultate seu molestia existente. Tertia reddidit vrinam melioris coloris, parùm subsidentem. Eadem autem hora superperriguit. Febris acuta: sudor ad noctem per totum, vespere autem eiusdem diei color mutatus est modo icterico. Noctem dormiuit, (seu sudauit) per totum: quarta sanguis ex sinistra fluxit bene, & muliebria pauca apparuerunt ordinatè. Rursum autem eadem hora febricula exacerbata est. Vrinae densae paucae. Aluus autem natura quidem dura, multo autem plus subsistens, & nihil exibat nisi glaucos apponeretur: noctem dormiuit. Quinta, & febricula mitior, & ad vespeream per totum sudauit, & muliebrino excretio, & noctem dormiuit. Sexta mingit confertim multum densum, paucam subsidentiam habens concolorem. Ad meridiem autem parum riguit, recaluit, sedauit per totum, noctem dormiuit: septima parum recaluit: facile tulit: sudauit per totum. Vrinae boni coloris: omnia indicata sunt.

Hi e idem morbus fuisset in viro, quam in foemina, &
 intellectu difficilior, & periculiosior. Nam febris quotidie
 eadem hora rigorem habens, quo pacto non esset intermit-
 tens, si autem erat, quo pacto inciperet morbus a febre
 acuta, & huic velut superueniens signum accederet rigor?
 In autem dicas coepisse fortasse morbum a diaria febre
 (sua ut fit saepe) superuenisseque diariae putridam intermit-
 tentem, occurrit huic opinioni Hippocrates dicens ince-
 pisse febrem sine vlla causa manifesta, a qua incipere dia-
 ria est proprium: si vero putes fuisse complicationem con-
 tinuam cum intermittente, huic quoque opinioni repugnat
 figura, siquidem rigor prima secunda & tertia factus, quarta
 & quinta defuit, sexta apparuit, citra omnem typum rigori
 congruentem. Sed & signa praese tulit multum periculosa,
 regium morbum die tertia, & rigorem sexta, & a febre
 acuta conuulsionem, quae velut lethalia sunt in aphorismis
 notata ab Hippocrate. Verum fuit hae forma tota, & hae
 signorum infrequentium, & alioqui lethaliu, concursio,
 morbi muliebris, potius quam lethalis, & rigores illi fue-
 runt inordinati, conditionem potius morbi, quam certam
 speciem indicantes. Nimirum totum hunc morbum attu-
 lit difficultas eruptionis menstruorum, alioqui ordinate
 & suo tempore venientium. Velut enim multis suo tempo-
 re parientibus, tamen ob difficilem expurgationem, quam
 aut expurgandorum humorum multitudo, aut strictura via-
 rum facit, accidunt febres, exque quibusdam antequam pa-
 riant, ab ipsius secretionis & agitationis initio, incipiunt
 quibusdam paulo postquam pepererunt, male subsequen-
 tibus humoribus infinis editum, suntque ex febres ple-
 tuoque horridae, & cum inordinatis ac multis rigoribus, &
 conuulsionibus, ob vteri naturam, cum quo sentiendi &
 mouendi principium facile compatitur, ut in quam multis
 ante hunc commentarijs dictum est, ita & multis earum qui-
 bus difficulter exeunt, circa menstruorum eruptiones ta-
 les sunt febres, quibusdam postquam coeperunt erumpere,
 neque procedunt, sed opilati circa vteri vasa succi, in-
 flammationes cient, aut saltem putrescunt: quibusdam ante-
 quam appareat sanguis vllus, ab initio secretionis incipiunt,
 malignis scilicet humoribus obsidere vterum, & querere
 exitum incipientibus. Et his quidem cum iam erumpunt,

tolluntur febres, aut mitescunt earum symptomata, nisi omnino exiguum sit quod exit. Velut huic Philistidis vxori, cui cum instaret legitimū menstruorum tempus, quia forte fortuna erat prauis succis abundantior solito, incipiente secretione, quæ quatuor fere dies ante exitū incipere solet, facta est febris acuta & rubor faciei, sine vlla causa manifesta, sed ob multitudinem humorum agitati sanguinis, in facie, & anteriorem capitis partem, per venas magnas & arterias, à partibus circa vterū conscendentium. Paulò post eadem die riguit, neque recalescebat, sed multo tempore extremorum refrigeratio perseverabat, & conuulsionē sensit in digitis manuum, & pedum: paulò verò post conuulsiones caluit, caloreq; soluente conuulsiones, & liquante succos, minxit densa plena contentis dispersis. Et ita nonnihil subleuata, noctem dormiuit. Secunda die eadem habuit, præterquam quod febris habuit plus, ruboris minus, & conuulsiones etiam moderatiores. Urina eadem habuit quæ prima die, noctem tunc quoque dormiuit, non totam, sed vigilauit nonnihil, sine molestia tamen. Tertia die eadem hora accidit rigor, ac post eum febris acuta, & ad noctem sudor per totum corpus. Vesperis eiusdem diei color mutatus est icterico modo, & mane reddita fuerat urina melioris coloris, & paruam habens subsidentiam. Itaque apparuerunt ea die duo longe diuersa signa alterum in urina, quod salutem intra primam septimanam promittebat, vt certè euenit: alterum quod mortem minabatur. Urina enim melioris coloris, neque continens iam vt antea nebuloſa, & dispersa, sed parum subsidentiam, manifestè concoctionis præstabat significationem, quæ intra primū quaternarium apparens, intra primam septimanam iubet expectare salutem: morbus verò regius ante diem septimum factus, perniciosus est. Euenit tamen in hac muliere salutis præualere signum, quia perniciosum illud, eandem quam totus morbus habuit occasionem, secretionem scilicet vitiosi sanguinis, ad instantem menstruorum evacuationem. Itaque non ob hepatis inflammationem, aut venenosam sanguinis qualitatem, vt in alijs, sed ob conurbationem, quam attulit naturalis ille motus, effusio biliosi sanguinis in cutem facta est, atque minus periculosa fuit, vt quæ à naturali motu proficisceretur.

Facta

In hac mentione icteri, addit *νύκτα ὑπνωσε δὲ ἄλου* hoc est no-
 ctis dormiuit per totum. Quibusdam videtur ineptū, dice-
 re per totum dormiuit, quia illud *δὲ ἄλου* idest per totum
 videtur referre *σώματος* idest corpus. Quid autem sit dor-
 muisse per totum corpus? ob id malunt legi *ἰδρωσε δὲ ἄλου*
 idest sudauit per totum. Sed hæc quoque videtur inutilis
 repetitio, cum mox dixisset *ἰδρως εὐνύκτα δὲ ἄλου*. Quapro-
 pter rationi consonum cenſeo, legi vt occurrit scriptum
ὑπνωσε δὲ ἄλου & illud δὲ ἄλου, accipi aduerbiali-
 ter, aut suppleri *χρόνου* vt significetur, per totū noctis tem-
 pus dormiuisse: quod mihi videtur admonuisse, vt significa-
 re dormiuisse ea nocte melius quam superiori, qua dixerat
 partim dormiuisse, partim vigiſſe. Quarta die, quæ fecernj
 antea cœperant, eruperant suo tempore menstrua. Verum
 febris ipsa, quæ adhuc erat in incremento, ne perfectè eru-
 perent, effecit, & ipsa imperfecta eruptio, ne febris statim
 cessaret, aut saltem desisteret ab incremento. Nā febris ar-
 dens affert in superna succos, & ipsam partem in quam in-
 fluit, phlegmonoso modo afficit. Ob hoc, vterus febrici-
 tantibus acutè malè deponit sanguinem: ob illud, neque ip-
 se quidem sanguis bene in eum influit: proinde & per su-
 periorum partium aliquam simul erumpit, vt huic per na-
 res, & per vterum, parcius quàm vt febrem iudicet. Huic
 igitur merito non est febris per eam euacuationem iudica-
 ta, tamen symptomata vterina magna ex parte sedata sunt.
 Rigores enim quotidiani esse desisterunt, neque conuulsio-
 nes apparuerunt amplius, febris vero, & eius quotidianæ
 exacerbationes processerunt. vtero scilicet ex parte vacua
 to, & in reliqui euacuationem conuerso, toto uerò corpo-
 re nondum mundato: processerunt quoque sudores quoti-
 diani per totum fluentes, qui ad talium morborum iudica-
 tionem, & corporum muliebrium perpurgationem, accom-
 modatissimi sunt. Quod in ægrotantibus ex partu quoti-
 die videas. Nimirum effunditur conturbatus, & exagitatus
 sanguis: suntque ijs tres motus, qui in hac muliere apparue-
 runt, congeneres, rigor, icterus, & sudor. Quorum sudor
 perfecit, inchoatam per duos priores, excreationem. Atq;
 facta fit, vt qui ex morbo regio rigent, si ex rigore sudant,
 euadant. Quod huic euenit, quæ cum non euacuaſſet satis
 multum, riguit, & ictero est correpta. Hæc ex parte va-

ta minus riguit, tamen nondum vacuata satis, sexta die iterum riguit, superueniente vero copioso sudore, die septima iudicata est perfectè, diei natura non parum iuuante: eueneruntque huic omnia, iuxta id quod sectione tertia libri tertij dictum est, his verbis: Plerique ægroti circa iudicationem rigebant, maximè quibus sanguis non erupisset, ijdem vero postea insuper riguerunt, & exudarunt.

THIENIS, qui in obsidione circa datum catapulta percussus iterij, historia, occurrit hoc loco, enarrata verò prius est in quinto, neque hæc ab illa dictione euariat, nisi quã minimũ, & quod nullius momẽti est: Et quodquid id est, illo loco animaduertimus. Loc^o est nõ lõge à fine quinti.

108 **E** *Vnuchus ex venatione & cursu, adaquator factus est, hic iuxta fontem Elealcidis: hic ad sex annos habuit ex equitatione malum, & bubonem, ile & dolores circa genitalia. Hic secundum inanes partes tabescit, septem diebus perijt.*

NARRAT vitam anteactam, & passiones diuturnas, quæ ab ea viuendi ratione traxerant originem, quod eam fuisse causam autemet tam repentini interitus. Non enim narrat ex quo morbo perierit, sed perijsse septẽ diebus, insinuans non ob febrem aliquam acutissimam, aut internam inflammationem, vt ob peripneumoniã, aut pleuritidem, aut phrenitidẽ, sed ob aliquam affectionem, quæ à diuturnis illis fluxit, neque nisi ita affectum, ac labefactum, tamdiu, substulisset. Exercuit igitur hic multo tempore artem venatoriam, atque postea viuendi rationem mutauit, (cum fortasse non posset iam priorem sustinere) atque, venatione & assiduo cursu relicta, factus est adaquator (ita vocatur qui aquam defert, venditatque, aut qui haurit) habitabat hic iuxta fontem Dealcidis. Huic primum quiddam ex labore, assidua inquam & concitata equitatione, qua venatores vtuntur, deinde & ex humiditate, quæ à viuendi ratione, & habitatione accessit, læsæ & debilitatæ partium sunt partes humiles, quæ circum circa clunes & genitalia sunt, & inanes partes. Habuit ergo sex annos

ita vocant malum ex equitatione contractum, velut fieri solent ulcera quædam in clunibus, & interfoemineo, quæ aliquando euadunt diuturna, & dyssepulotica, & callosa. Habuit etiam bubonem, quem, siquidem fuit adeo diuturnus, constat fuisse tumorem scirrhosum in adene. Habuit quoque ile, hoc est dolore partis inanis vexatus est, aut continenter plus minusve affligente, aut repetente per quædam interualla, ita vt solet: accipitur vero hic nomen partis pro affectione, velut in aphorismo vbi dicitur. Autumno & ex æstiuis multi, & febres quartanæ, & erroneæ, & splenes. Nomen enim splenis pro eius visceris morbo accipitur: & rursum alio aphorismo. Senioribus autem fientibus tonsillæ. Itaque hic quoque ἰλεν hoc est ile, vocat, ei parti familiarem morbū: addit *ἔξω κισθῶματα* hoc est dolores circa genitalia, qui quidem dolores fuerint, arbitror, coxæ. Is enim articulus, vt est maximus, attingit os pubis, & fæmen inter crura, & ile, & clunes: itaque omnes eas, & earum plures partes obsederat dolor. Cum tanta earum partium laboraret debilitate, correptus est acuto morbo (cum febre arbitror) & secundum inanem partem tabefactus, interiit die septima. Non explicat quo pacto interiit, neque qui fuerit postremus morbus: scire tamen licet, eos quibus humiles illæ partes diu iam sunt male affectæ, quosque laboriosa aliqua viuendi ratio, qualis huic Ennucho contigit, confecit, aut etiam nimia Venus, quæ illas etiam partes debilitat: opportunos esse multis & perniciosis affectibus, ac nonnunquam breui interimentibus. Nam putrescentiæ malignæ, & exedentia ulcera, aut gangrenosæ inflammationes, breui secundum illas partes, vt pote humiditas & excrementitias fiunt, & vesicæ aut intestinorum, partium eo loco sitarum, actiones adeo necessariæ, sustolluntur, corrupta earum partium facultate naturali, aut animalibus earum actionum instrumentis penitus resolutis, vel conuulsis, aut vijs congestione insuperabili, lapidum, toporum, aut grumorum, aut caruncularum supercrescentia, obturatis.

P Repotantium crudum, salsa cum melle.

SYPLERI hic debet *ἀξος* hoc est medella, significatus enim

enim his verbis, vbi quis aquam crudiores, aut gelidam, vino præcipue assuetus, acceperit, aut crudum lac, aut iusculum oleum cum multo aceto, aut denique portione aliqua, aut sorbitione crudiori, læsum se sentiat, salso aliquo cibo cum melle debere vti, velut veteri caseo, aut salito pisce (vt certe sardina) melle intinctis. Quandoquidem salsa & mellita, calida, & sicca cum sint, emendant crudam illam frigiditatem. Constat vero eadem ratione iuuatum iri hominem æribus, vt si veteribus vtatur nucibus, intinctis è melle, aut vt quibusdam in vsu est, nucleis persicorum, aut iiris ex nucleis pineis, aut amigdalis cum melle subactis, aut alijs eiusmodi: constat quoque talium rerum vsu, non solum post portiones, sed post cibos etiam crudos, & frigidos, denique ad cruditatem omnem, quæ nidorosa non sit, esse vtilem.

HINC deleui quædam verba, absurda prorsus, & indigna, quæ à probo quopiam viro legerentur. Ob id quam desint, non desiderabuntur.

110 **L**eonide filia natura concitata auersa est: auersa excanduit ira, cum excanduisset, reconciliata est. Medicus non intellexit. Puella mortua est.

Leonide filia natura concitata conuersa est, conuersa vero subsanabat, subsanans pacata est. Medicus non intellexit. Puella mortua est.

PARVM peritis medicis, non aliter ac vulgaribus, melius semper videtur ægroti quum quietiores & pacatiores sunt, cum tamen possit hac quoq; in re esse quod nimium, resque non ita pensanda sit, sed vt alibi Hippocrates monet, similia sint an dissimilia quæcunque in ægrotis apparent, considerandum, ijs quæ in eodem esse consueuerant, cum secundum naturam haberet, videndumque, id quod adest, quantum dissideat, cum a communi hominum natura, tum vel maxime a cuiusque propria. Quod enim plurimum dissideat ab eo quod secundum naturam, admodum præter naturam, atque ob id etiam vitiosum est. Velut cum

cum huic esset natura concitata, & ad furorem prona, paulo ante mortem conuersa est ad pacatiorem, sedataque est plurimum, atque facta mitior. Tamen mouebat nares, uelut subsanans. Medicus non intellexit, referens enim illud ad communem naturam, potiusquam ad puellæ propriam, sedatam ac placatam esse, boni consulebat, id uero erat delirium merum. Non enim minus uiciosum est, loquacem tacere, & concitatum, plus satis mitescere, quam taciturnum garrere, & mitem furere. Attestabatur uero insanæ etiam illa subsanatio, quæ etiam fortasse non sanatio uera erat, sed conuulsiuus aliquis motus faciei & nasi. Nam in adeo morti proxima, quiduis merito suspiceris.

Per Philotimi uenit ad me in iechinã. Inueni os cranei destitutum medicina, non uidens occulta stabilia.

MAXIMUM errorem imperitorum chyrurgorum notat hic Hippocrates, qui nonnunquam desistunt intempeste uel ab uulcerum curatione, ac quasi sana iam sint, relinquunt, eo quod supercreuerit caro quædam, & ossa connecta, ac repletæ cavitates sint: cum tamen, nisi ea caro sit a fundamentis satis firma, stabilis, & sicca, aquæ substantia ossa, & membranæ citra omnem læsionem, maligne occultata, atque ut dicunt, superfanata potiusquam sana sint, necesseque sit postea malignius recrudescere, natura pellente quod suberat, laxi, mollis, atque putridi, aut alterata ossicula: aut (quod erit multo grauius) id non potente efficere natura, eo, quod per inscitiam obturata illi uia sint, superuenientibus grauissimis febribus ac conuulsionibus, & malignis alijs symptomatis, morti, medicis ualde mirantibus, quod insanis iam uulceribus tuenerit, negantibusque inde esse factum, sed ex nouo morbo, alia occasione incidente. Nitendum igitur sæpe perito medico, ne ante tempus contegantur uulceris ueluti fundamenta, non minus quam alias, ut caro generetur, ac si fungosa, mollisque, & facillè liquefscens caro pullulet, extirpanda, dissipandaque est, uidentumque ut occulta, & quæ talibus carunculis conteguntur, stabilia prius sint, quam permittat quippiam supercrefcere. Quod quidem, peccatum esse

INDEX RERVM
ET VERBORVM
HVIVS OPERIS.

A
Abscessus quid sit,
 & per quas par-
 tes fieri soleat,
 qui boni & qui
 mali sint. pag.
 140. & 738.
 Abscessus vocantur etiam morbo-
 rum permutationes. 36
 Abscessum duo maxima vitia,
 & quid ob illa faciendum. 36.
 & 143.
 Abscessuum bene procedentium
 exempla. 99
 Abscessum ad cutem differētia.
 143
 Abscessus cum effusione & sine
 ea, & utrorumque exempla.
 142
 Abscessus ad dentem. 142
 Abscessus ad articulos, aut fluxus
 sanguinis intercipiunt elevatio-
 nem lienis. 223
 Abscessuum omnium indicatio-
 nes, quidque ob eos agendum.
 224 822. & 828.
 Abscessus contrarios nonnunquā
 simplicari, exemplo indica-

tur. 512
 Abscessus & recidiva eorundem
 morborum sunt. 591
 Abscessus non minus quā eva-
 cuationes debent diebus decreto-
 riis fieri. 603
 Abscessus in aures magis tussicu-
 losi quā qui in dentes fiunt.
 605
 Abscessus mali innumeris modis
 fiunt. 782
 Abscessus non admodum fiunt qui
 bus rigores. 797
 Abscessus ad articulos fieri posse
 sine tumore, et sine dolore. 798
 Abscessus partium inferiorum me-
 liores esse quā superiorum,
 nisi sint suppuratione soluen-
 di. 801
 Abscessus glandularum significa-
 re affectiones viscerū, & cur.
 816
 Abscessus considerandum quo &
 unde & propter quid, explica-
 tur. 818
 Abscessus saepe fieri in inferna ex
 succis sursum ceptis moveri.
 819

Ab-

INDEX.

- Abscessus raro non fiunt in unum
latus, aut solum, aut magis
quam in alterum. ibid.*
- Ab abscessibus in articulos du-
plex evacuatio praeservat. 820*
- Abscessus in quas ex quibus par-
tibus fiunt, multum interest.
823*
- Abscessus ut fistula qui dicatur.
901*
- Abscessus diuturni, siue cum eva-
cuatione siue sine ea non cura-
tur sine periculo. ibid.*
- Abscessus in quas partes expecta-
ri oporteat. 1017*
- Abscessuum ad oculos aut aures,
aut articulos futurorum signa.
529*
- Abscessus articularum attentè cõ-
siderandum an suppurentur.
1051*
- Abscessus indicatorios facilius sol-
ui quam alios abscessus particu-
lares. 1096*
- Ab iis que non adsunt, argumen-
tum. 136*
- Abortus cause. 238*
- Abortus periculosiorem esse par-
tum. 371*
- Abortus quo pragnationis tempore
sit periculosior. 372. 373. 469.
& 506.*
- Abortientes sepe eodem tempore,
exiguum uterum habent. 469.
& 511.*
- Acrisia quid sit. 36*
- Acetum cum sale potum, vomitiõ
mouet sed non innoxie. 1221*
- Acuti morbi aut omnes cum febre.
78*
- Acutas & perniciosas febres raro
fieri sine interna inflammatio-
ne & qua cura ob id esse de-
beat. 93*
- Acuta febris que dicatur Hippo-
crati. 419*
- Actionum omnium naturalium
enumeratio. 1046*
- Atheloi vxor sexta die abortum
fecit. 442*
- Adamantus melancholicis a pe-
plis & capis vomuit multa vi-
gra. 1050*
- Adolescens qui decumbebat super
foro mendaciorum, ardente fe-
bre ex nimia exercitatioe tu-
reptus septima est mortuus.
366*
- Adolescens Melibea ex vino &
venere agrotans vigesimo quo-
to obiit. 456*
- Adolescens qui primus delatus est
febre ardente cum pleuritide
ex vino laborauit. 487*
- Adolescentis peregrini historia.
491.*
- Adolescentis ex Euboiã historia.
696.*
- Adolescentis qui cucurrerat riuo
asperam historia. 710*
- Adolescens qui hausto serpente
mortuus est. 750*
- Ætatum morbi. 14*
- Ætas agroti, & anni tempus, &
agrotandi occasio, faciat, &
ad cognoscendum mortuum, &
periculum, & curationem re-
ctè suscipiendam, debentque
considerari seorsum, & alia ad
alia. 762*

Ætatum

I N D E X.

latum distinctio ex dentibus, pilis, & semine. 1038	Albidorum quidam febriculosi, quidam a febris valde alieni, & cur, & quibus signis discernantur. 1045
latas non eisdem annis mutari omnibus, & causa singulorum. 1039	Albi colore, non ruffi capillis, quales sint natura. 582
latas partitio. 5	Allia cum maza quando oculis committantur. 297
latas vultus sanorum. 897	Aluminis usus. 913. & 738
latas qua vrbis sit. 262	Alati parati ad tabem. 405
latas qua differentia sint consideranda, & qualis in quibus regionibus sit. 1027	Alati cur sint catarrhosi. 876
latas a lecto surgere morbo acutum soluto expedit. 1012	Alatos flatuosos esse. 870
latas non oportet a multis inueniri. 897	Alatos a malignis fluxionibus, siue excretio sit siue non sit, periclitari. 876
latas filia historia. 909	Alcippi historia. 622
latas medicina pars tractata tortora compendiarie. 569. & sequens.	Alicarnasensis histria, auris & capitis dolor. 1175
latas iam morientium quas habeat causas. 1108	Ampullarum differentia & cause, ut que sint aliquando pessimarum affectionum. 513
latas, qui nephritide laborant historia & curatio. 1175	Ambigua signa ut distinguantur. 1058
latas multum fluere, aut multum sicari, in morbis thoracis malum. 213	Amphora quantum capiat. 704
latas fluxiones spontanea periculo se in pestilentibus. 396. & 400	Amylum & farina quo pacto cohibeant fluxus. 1100
latas deiectiones thoracis morbis plerumque inutiliter, aliquando exitualiter succedunt. 728. & 731	Anecheta filii qui ex epilepsia obiit sex diebus historia. 1148
latas sicari hydropticis malum. 723	Androtali historia. 1204
latas quati quid sit. 843	Androphanis historia. 753
latas cur intumescat quibusdam morti proximis. 838	Antilocus & Alueas ulceribus per cutem egre sanescitibus laborauerunt. 156
latas in initus morborum sic a deinde humescere, melius est quam contra. 1142	Antigenis vxor peperit monstruosum fatum. 179
	Andronici puero erysipelas recurrit. 249
	Anaxenoris splenici historia. 1229
	Antiphonis filii, & Tesaliois historia.

I N D E X.

- historia.* 1124
Animi motibus aliquando curari morbos. 264
Animi motus prouocandi duplex ratio, altera communis, altera propria. 263
De anima essentia sententia Galeni & Hippocratis. 946
Anima rationalis definitio. ibidem.
Animam hominis semper resfici, explicatur. ibidem
Animi morbos curare ad medicum spectat. 950
De anima verior sententia. 1036
Animi deliquium fluxum sanguinis sistit. 1007
Animi deliquium ingruens spiritum cerebrum facere. 1063
Animi deliquii sine manifesta causa remedia. 285. & 292
Antigenis uxoris asthmatica historia. 508
Anemien quid sit apud Hippocratem, & cur soluatur vena scissione. 279
Anhelossum esse & à sudoribus deficere in certis lethale. 1009
Anxietatis qua antecedit repentinos casus causa. 1161
Anodimorum duplex genus. 977
Anaxion pleuritide laborauit longa. 432
Anaxioni cur non succuerit Hippocrates venam ante octauam, ibidem.
Angina quid sit, & eius differentia. 1001
Angina ad pulmonem vertitur multis. 728
Anginosorum ex vertebrarum locatione historia. 188. & sequentibus.
Anginosa que iuxta Aristotem quinta mortua est. 264
Anus iuxta Sosileum leucoplegmate laborauit. 521
Anhelosa famula historia. 510
Antandri historia. 701
Aphorismi duodecimi sectionis prima pars. 591. & 519
Aphorismus 70 sectionis. 4. explicatur ex alio Hippocratis loco. 1225
Aphonia vicinis iam morti cur fiat. 91
Apoplecticarum passionum curatio. 283
Apoplexiam non solui tunc, quicquid & ante legitimum tempus. 304
Apoplectica passio ex cathors, & apoplexia constant, describitur. 631
Apoplexia ex vino & si sit fortis soluitur saepe, & si nouissima interim praeipue sentit. 710
Apoplexia ab externa causa, soluitur, et si fortis sit. 710
Apoplectici etiam morituri curis raro paulo ante mortem redit ad mentem. 617
Apoplecticas omnes passiones esse vehementiores cum vigiliant inuadunt, quam cum dormientes. 677
Apoplexia cum convulsione et melancholia incidentis descriptio. 1146
Apoplexia eius non vulgaris curatio.

I N D E X.

ratio .	1147	<i>Aristonis cui ex vulnere digiti pe-</i>
<i>Apoplexia ingruentis neque obfir-</i>		<i>dis ascendit gangrena vsque ad</i>
<i>nate signa.</i>	1205	<i>genus historia.</i>
<i>Apoplectica passiones à quocunq;</i>		<i>Aristocratis historia.</i>
<i>perio fieri possunt .</i>	ibid.	<i>Aristocrati ob carbunculum quid</i>
<i>Apoplexia iuuadentis curatio. ibi</i>		<i>factum sit , & quid fuisset fa-</i>
<i>dem.</i>		<i>ciendum.</i>
<i>Apparatus morbosus quàm pericu-</i>		<i>Artus omnes pariter resolui pericu-</i>
<i>losus sit indicatur exemplo .</i>		<i>losus casus, & cur.</i>
	126	<i>Arcturi ortus quando sit.</i>
<i>Apemantus, & pater fabri, et Ni-</i>		1130
<i>castatus, ex multo cibo labora-</i>		<i>Aristippum vulneratum esse secū-</i>
<i>uerat tussis sicca, cum dolore</i>		<i>dum in ephesa, Neapolim secū-</i>
<i>lumborum vide qua pati pos-</i>		<i>dum ventriculum, ex utriusque</i>
<i>suat, & quomodo essent cura-</i>		<i>symptomatis indicatur, reddi-</i>
<i>ti.</i>	167	<i>turque utrorumque causa.</i>
<i>Arrianus Abderis phrenitide la-</i>		<i>Aristoteles traiecho septo transuer-</i>
<i>borauit .</i>	447	<i>so affirmat aliquos in bellis ri-</i>
<i>Apemanti uxoris historia.</i>	512	<i>sisse, & qua causa.</i>
<i>Asclepi qui inueniuntur aetate epilepsia</i>		<i>Aristodemo & Phylidis filio vsu</i>
<i>est correptus historia.</i>	676	<i>est peccatus.</i>
<i>Aspilastis brachii quid sit apud</i>		<i>Aristophantis filia historia.</i>
<i>Hippocratem.</i>	733	<i>Aristotei ex Amphiloci pago histo-</i>
<i>Aspyridas quid significet .</i>		<i>ria.</i>
	464	<i>Arteria secta dignotio.</i>
<i>Aqua lenissima.</i>	168	<i>Alexandri historia.</i>
<i>Aquosa mulieres copiosa habent</i>		<i>Astra quid faciant ad temporum</i>
<i>& crebra menstrua, alioqui</i>		<i>mutationes.</i>
<i>fiunt hydropica.</i>	793	<i>Astrorum ortus & occasus conside-</i>
<i>Aqua refrigeranda ratio.</i>	916	<i>rare oportet.</i>
<i>Aqua elixanda ratio.</i>	ibid.	<i>Astrum magnū quid sit, & Hip-</i>
<i>Aqua arte carentis, & artificiosa</i>		<i>pocratem astrologicas considera-</i>
<i>qua sunt.</i>	922	<i>tiones non omisisse. Nihilomi-</i>
<i>Aqua frigida a recenti casu pota</i>		<i>nus multorum de his vanitas</i>
<i>cur proficit.</i>	1059	<i>vituperatur.</i>
<i>Aquino & auster tusses cient, sed</i>		<i>Asina & equa vndecimo mense</i>
<i>non eadem causa.</i>	750	<i>parit.</i>
<i>Asi au semper seruiat natura</i>		<i>Asotos & Asodes quid utrun-</i>
<i>multis disputatur.</i>	937	<i>que sit, & ut differant.</i>
<i>Asthenis serua historia.</i>	702	& 490
		Kkkk Asthmatis

I N D E X.

- Asthmatis curatio.* 913
Asthma quid sit. 912
Asthmatica victus. ibidem
Athena & pueri historia. 497. &
 706
*Atticum nomen est medicamenti
 compositi.* 595
*Autumnalium & aestivalium mor-
 borum similitudo & differen-
 tia.* 129
Autumnnum esse ut anni vesperam.
 799
*Auris humiditas infantilis mor-
 bus.* 1080
*Auris inflammationis in malum
 tendentis signorum syndrome.*
 ibidem.
*Aures arrecte indicant loquacita-
 tem.* 269
Auris dolor lacte curatur. 289
*Auris cum dentibus quae commu-
 nio.* 479
*Auris inflammata signa, causa,
 & prognosticum.* 604
Aures esse locum fallacem. 952.
 & 1084.
*Aure dolente infantibus quomodo
 deprehendatur dolor.* 955
*Aurium mala noctu ingraue scire,
 ut & capitis, & oculorum.*
 1081.
*Aurium sordes dulces, nisi ex san-
 guine, lethales esse.* 957
*Aurium eruptiones quoto morbi
 die, quocumque anni tempore,
 & quacumque aetate fiant.*
 994
*Audire inaequaliter symptomata
 insigne, & quas habeat cau-
 sas.* 1112
*Austrina tusses magis asserant fe-
 bres, quam aquilonares.* 793
*Austrini flatus non plures quam
 boreales, sed calidiores fluxio-
 nes cient.* 1167
*Auster cur repleat caput magis
 quam aquilo.* 1167
*Authoritatem medico ad recte cu-
 randum esse utilem.* 772
*Antononi in Omilo lapide percu-
 si capite historia.* 686
*Aurelianus Hippocratem caput
 immerito.* 670
*Auxilia magna nisi evenerint
 dunt.* 680
*Aves esse biliosas & ob id succo-
 re gaudere.* 700

B

- B** *Balneum pro articulationibus
 & occasio utendi.* 1147
*Balneum in quibus sit pericul-
 sum, & vulgo imponere quomodo
 ne refrigerationis.* 1147
*Balneum commendatur ad melanc-
 choliam.* 1147
*Balnearum calidorum usus in
 hydropticum efficit.* 60
*Balneum an hydropticis vitiosum
 ce praeditos morbos habere
 menter atrabiliaris, & ca-
 273. & 314.
Balbuties duplex. 1147
*Balbi celeri lingua melancholiam
 inconniuenter aspicere,
 iracundi.* 1147
*Balis filii historia, qui curavit**

I N D E X.

na oberrasset correptus febre perniciosa obiit. 1114	Balneum cibum & quietem ad purgationem preparare quomo- do intelligendum. 966
larba cur mulieribus non nasci- tur. 1060	Breuis pirus quis dicatur Hippo- crati. 421
larba cur non nascatur spadonib. ibidem.	Bovina concoctu difficilis nam & difficile putrescens. 448
Biliofi difficile vomentes per quã partem purgandi. 1056	Bullimia ex canina fame genera- tio. 115
Biliofi nigri per quam partẽ pur- gandi. ibid.	Bubones in febribus non diariis cur sint adeo mali. 816
Biliofucera per sublimes agitata partes que soleat asferre sym- ptomata. 1064	Bregma qua capitis pars sit. 1159
Biliosa tempestiuè vacuari que dicantur. 62	Breuem aut acutum esse morbum ut differat indicatur exemplo charitatis. 1169
Biliosum fieri a pingui explicatur 953. & 974.	Botri insolati succus expressus quẽ sit noxius. 1195
Bilis rubra an sit. 953	C
Bilis vitulina qualis sit. 1081	C anis & arcturi ortus ple- iadum, occasus precipuè notatur. 1131
Biliofi & sanguinei sunt melan- cholici, neque eodem modo, ne- que eadem causa, neque eadem atate. 997	Caniculares quando finiantur. 744
Biliofi & sanguinei euacuationi- bus & victu preseruantur a melancholia, utraque autẽ sunt in eis diuersa. ibid.	Canis ortus quando sit. 5
Bion inflammatione lienis labora- nt. 186	Caput thorax & genitalia cur flatu ledantur. 18
Biantis pugilis historia. 741	Causi duplex genus. 27. & 383
Bilis percussis in dorso historia. 773	Causis ex salsa pituita signa. 196
Bontas quid sit. 270	Cardialgia nota, exẽpla & cura- tio. 151
Bona tolerantia euacuationum definitur. 552. & 562	Cardialgia maximè nata est fie- ri ex nimia venere. 339
Bionis historia qui ex hydropico factus est stranguriosus, & sup- puratus, in genu obiit. 1116	Caloris partium indicia. 236
Bilis impensa rubra que sit. 1032	Capra & ouis parit quinto mense. 239
Brassica facultas. 814	Capite vulnerato lac vino misto tribuit Hippocra. 266
	Capitis vulnerari curatio. ibid.
	Kkkk 2 Calui.

I N D E X.

- Calvitium prudentiam indicat.* 269
Catharri frequens decursus a capite in pectus, hypochondria, & coxam. 278
Catharri cause & notæ. 284
Caput magnum habentes & oculos paruos, & balbi sunt iracundi, & cur. 297
Caput magnum cum oculis nigris & magnis, & naso crasso & simo, probitatis est. 301
Capite paruo homo, non fuerit balbus, neque caluus, nisi sit glaucus. 301
Carbunculi & cancri differentia. 395
Calui in Larisa historia. 425
Catacores quid significet apud Hippocratem. 463
Cautica afferentis historia. ibid.
Calcidonius ruptura facta in pectore non est suppuratus. 466
Carno purulenta pulmonis putrescentis esse. 474
Cadentibus cur mittatur sanguis, & qua pericula impediunt dimissa sanguinis missione. 505
Cadentis ex alto aut percussis procuratio. 231
Catapodium quid sit. 698
Callimedontis pueri historia. 737
Catharrus venere curatus. 742
Catharrus quos soleat habere exitus. *ibid.*
Cardialgia quid sit & eius cause. 765
Cardialgia cur fiat in autumno. *ibid.*
Cardialgiam frequenter fieri in semitertiana. *ibid.*
Catapulta quid sit. 771
Carcinoma seu cancer quid sit. 779
Cancrum in pectore viri etiam quando fieri & qua causa et in parte fiat crebro. 779
Cancris essentia, differentia, causa, & curatio. 1222
Calidi ventre frigidi carne quales fiat. 1221. & 1222
Cancris cur difficilis curatio. ibid.
Caput acutum quod sit. 787
Capita acuta habentes duplex sunt fortes & debiles, & verumque signa. *ibid.*
Capitis figura optima. *ibid.*
Caput secundum sinciput depressum deterius esse quam secundum occiput. 788
Catarrhi & febres solvuntur utius materia coctæ evacuatione, quam in sensibilibus, & phlegmones suppuratione, quæ resolutione. 864
Caput & summa totius artis prognostica. 879. & sequentibus.
Caloris extinctione morientes solvunt medicos in moriendi hor. 935
Carnes attractrices esse extrinsecus & intrinsecus. 971
Caliditas acrimonia signum, & cur. 982
Caput omnium partium maxime laditur nimia sanguinis missione. 990
Causarum somno analogarum enumeratio. 918
Causa

I N D E X.

- Causa ignorantem periculosio-*
rem esse quam ipsius affectus.
 1055
Catalogus sententiarum libri quin-
ti, quae repetuntur in septimo.
 1125
Causas quas euacuationes amet.
 1118
Causae multiplici materia exē-
plum. ibid.
Catunculi signa. 1117
Causis qui peripneumonia tene-
batur, historia. 1123
Celsus Hippocratem laudat, &
magni ingenii virum censet,
quod proprium errorem confe-
sus sit. 688
Celsus quintum librum Epidemion
Hippocratis esse non dubitavit.
 688
de pro acria arguit. 989
Cepem natura & vis. 1050
de uarta quae dicantur. 959
 1212. & 960
Cheritis historia. 1168
Clysterem accipi non posse quas
causas habeat. 1196
Chenix quantum capiat. 1077
Cibi & potus experientia indi-
gent. 172
Cibus copiosus ingestus impedit
indicationes & producit mor-
bos. 503
Ciborum prauis succi usus periculo-
sus, & si multis diebus nihil
sentiantur ledere. 711
Cibi moderati, congruens defini-
tio. 891
Cibus debiles breuem vitam habe-
re explicatur multisatiā. 958
- Cibi fortes qui dicantur, & eos*
ventrem perturbare calidis ho-
minibus. 959
In cibi oblatione qua consideran-
da. 84
Cibus quosdam celeriter vinci, quos-
dam contra. 971
In Cizico mulieris qua gemellas
peperit, historia. 451
Charides historia qui intra diem
excholera morbo obiit, morbi to-
tius interpretatio, & symptoma-
tum causa. 1098
Charopi & magni oculi, caput
magnum, ceruix tenuis, pecto-
ra stricta, congruē aptati homi-
nis sunt. 301
Chlorum quid significet. 467.
 & 520
Cherion ex vino capit egrotare, in
dicatus est vigesima, cum inte-
rim febris pluries videretur es-
se soluta, est exemplum fallax-
cis morbi. 256
Charion idem qui cherion cardial-
gia laborauit. 160
Charopus color qui sit. 221. &
 405
Chirurgi ne premant, aut durius
partem tractent. 560
Chirurgi videant ne durius tra-
ctent vulneratum cerebrum.
 689
Cholera morbi ex bile ardentissi-
ma curatio optima. 670
Cholera morbus qui morbus sit.
 751. & 1198
Cholera morbus duplex. ibidem.
Cholera facientes cibi & alia
externa causa. 1199

I N D E X.

- Chyrurgus cum secat partem pu-
tridam quid debeat facere* 989
*Cholera morbi appellatio, causa,
signa, & curatio longa.* 647.
649. & 1198
*Clangosa vox lethaliter vulne-
ratis in capite fit, & cur* 775.
& 1128.
*Clamores & inquietudinem post
delirium quod a dolore capitis
incepit, significare conuulsiones,
& cur.* 760
Cleomenis pueris historia. 715
*Clysterium & pharmacorum fre-
quens usus, hemorrhoidas facit.*
674
*Clysteris & glandium cur cre-
brius mentionem faciat Hippo-
crates.* 422
*ClaZomenius laborauit febre ar-
dente cum inflammatione hy-
pochondriorum.* 111
*Cleonactes laborauit erratica con-
tinua.* 109
*Clymaclericorum annorum ratio
& computatio.* 310
*Clymaclerici anni quid praestent
prenotioni.* 312. & 313
*Clysterium & glandium usus quid
creber esse debeat.* 351
*Cleonigi nephritici simul & dy-
senterici historia.* 278
Cleonigi curatio. ibid.
Compositionum morbi. 15
*Communes morbos semper incipe-
re ab sparsis, & in sparsos fini-
ri.* 17
*Conuulsio post febrem mala est,
etiam si sit ex repletionem.* 29
*Conuulsiones circa thoracem om-
nium periculosissima.* 772
*Conuulsiones per se aut percussio-
sum dignotio, & utriusque ca-
ratio.* 295
*Conuulsiones aliquando esse de-
cretorias.* 515
*Conuulsiones quae sint curatae
pharmacis, & quae secus.* 609
*Continentia, contenta, & impedi-
facientia.* 1011
Constrictionis pulsus vsus. 971
*Conspirabile & conspurcabile est
idem, & quid sit utraque.*
972
*Cornicum esu multos esse corre-
ptos conuulsione* 979
*Coitum facies alui siccare, & a
quibus faciat contra.* 38
*Communio partium duplex com-
munis aut peculiaris.* 34
*Consuetudo euacuationis spontanea
suppressio aliquando est colica,
aliquando signum mortis.* 201
*Colici doloris, & renuui comparati-
tio, & differentia.* 79
*Ex colico arthritidis, & contra per
consuevit.* 90
Cononis serua historia. 76
*Cocci cui in spina gibbosa
phrenitide facta est, historia.*
716
*Computatio dierum morbi a mor-
menti quapiam occasione mor-
pientis ab ipsa externa causa
esse debet.* 71
*Consilium optimum in curatio-
bus.* 111
Congrus quantum capiat. 111
*Conualescentes nonnulli plures
pore quam egrotauerunt
curant.*

INDEX.

- creant, & qui sint hi. 694
 Convalescentes magnopere debet
 sibi cavere ab erratis. *ibid.*
 Corpore colliso, aut osibus fractis,
 aut luxatis, curandum ut homo
 ab excrementis sit mundus, ne-
 que emittendum expurgare. 685
 Convulsura Hippocratem decepe-
 runt, ut ipsemet candidè fate-
 tur. 687
 Conceptionis signa. 244
 Conceptio dolores qui non inerant
 affert, & eos qui inerant tollit.
 653
 Conferentia & tolerantia definiū-
 tur. 562
 Coryxa & grauedinis capitis cu-
 ratio commoda. 561
 Cordis palpitatio quid significet.
 457
 Consideranda in morbis quæ sint.
 459
 Columnella renulsa duplex causa.
 363
 Cui soror ex lienis inflammatione
 obiit secunda die. 186
 Coriarii uxori membrana secun-
 dinarum restat ex partu 177
 Constantia tempora quæ sint, &
 quæ inconstantia, & morbi et.
 130
 Compluti anno. 61. qualis fuerit
 constitutio. 94. & 230
 Complutum quibus morbis sit con-
 gruens. 958
 Constitutio legitima quæ sit, &
 eius exemplum. 98. 132.
 431. 608. & 659
 Constitutionum morborum simi-
 lium differentia, ex quibus sint
 causis. 513
 Coxa dolorem ex vteri distortio-
 ne fieri, & dum geritur vtero
 cessare exemplum. 178
 Coxa impotentia causa. 502
 Coxa quæ pars dicatur, & eius de-
 scriptio, & suarum partium no-
 mina. 638
 Coxa dolor cur multiplex & ad
 multas partes pertinens. *ibid.*
 & 1241
 Coxa dolor cur fistulas afferre so-
 leat iuxta anum. *ibid.*
 Coxe doloris ex suppressione men-
 struorum curatio. 768
 Coxe doloris seu ischiazidis curatio.
 641. 643. & 959.
 Coxa dolor solet inueterascere.
 794
 Coxa dolor oculi distortionem, caci-
 tate, tumore testium aut mam-
 marum elatione soluitur. 286
 Contrarii victus in morbo. 1054
 Contraria adhibere, & quiescere
 due medicae praxi partes. 827
 Colores tales efflorescere in cute
 quales sunt succi in corpore.
 934
 Comedere delirè quid sit & eius
 symptomatis causa. 1162
 Concoctio in quibus expectanda
 non sit. 831
 Coquenda occludi, non coquenda
 siccare, & in tumoribus, & in
 ulceribus, & in febribus expli-
 catur. 832
 Colorum differentia, eosque fulgo-
 res quosdam esse. 819
 Ex colore faciei & capitis robore
 kkkk 4 agno-

INDEX.

- agnosces an conferat fluxus sanguinis. 930
- Color tenuis pallidus niger qui sit 778
- Comatosa reuersio que dicatur. 492
- Coma & cataphora apud Hippocratem idem est. 444
- Computatio a partu in enixis. 414
- Corpora res omnes externas præter aerem vocat Hippocrates. 1026
- Cruditatis non nidorosa remedia multa. 1242
- Cruditatis quomodo curanda. 1222
- Crito exanthematis nigris laborauit, & secundo die mortuus est. 110
- Crurum doloris in morti proximis causa. 118
- Crisis duabus partibus constat. 287
- Crasas urinas non easdem appellari Hippocrati, & Galeno. 412
- Crasities que indicet concoctionem, & que secus. 581
- Crassi nimis corporis & gracilis noxe. 811
- Crascescentis, & in extenuatione abeuntis corporis signa ex cute. 894 & 895
- Critia historia. 621
- Ctesiphonis hydropici ex causa, historia. 1116
- Ctesicratis Adriani, & pueri Cenei historia. 1078
- Cubile in cubiculo rectè collocandi ratio. 1034
- Cubile molle aut durum esse debere pro consuetudine agrotantis. ibidem.
- Curationem contrariis fieri. 947
- Cutis durities inuadit generationem bronchoceles, & quorundam tumorum post aures. 761
- Cutis raritas alui densitatem facit. 870
- Cutis colligatio facit carniem incrementum. ibid.
- Curationem, ex iis que sponte veniunt indicari. 843
- Cui caput lapide percussum est a Macedone historia. 724
- Cuiusdam iuxta inguen percussus cui cuspidis sagittæ restitit contrarius historia. 708
- Cuspides sagittarum aut plumbeas spherulas sanis hominibus manere interius, & qua id sit causa, & in quibus præcipue partibus. 709
- Curatio in signis mulierum a phlegmate maculosa, & vtero laboranti. 704
- Curatio qua custodi palestra contulisset. 1059
- Cutis ab osse decessio in vulnerebus significat vt ariditas. 1126
- Cumini vis & facultas. 1096
- Cur qui in umbram se conuertit ex sole magis sudat. 1064
- Curatio hominis secundum hepatis & ventriculum vulnerati. 721
- Cucurbitularum usus commendatur ad dolores multos causas, & exemplo commodatissimi. 104 & 324

Cura

INDEX.

Curationis filii Cydis qui labora-
 ut auris inflammatione censu-
 ra. 1086
 Quanchem & opthalmiam vena-
 sectio iuuat, sed non eodem mo-
 do & si ex eadem parte facien-
 da sit. 314
 Cyruis in Omillo suppurati histo-
 ria. 690
 Cyrus quantum capiat. 713
 Cyron quid sit & parari duobus
 modis. 978
 Cydis filii qui ex auris inflamma-
 tione obiit, historia. 1078
 Cur ex vase angustiore potantes
 erulent, & an vile sit dispu-
 tatur. 833. & 834
 Cacorbitala secundum mam-
 mam affixa menstrua cohibet.
 316
 Cleocus ex lasitudinibus exerci-
 tii & melle tubercula melan-
 cholica crurum contraxit, &
 cur. 1149
 Cleocimi futoris historia. 1162
 Cephalalgia & hemicranea qui
 affectus sint. 1163
 Cephalalgiam & hemicraneam
 fieri saepe ex affectu phlegmono-
 so interni cerebri, ob calidum
 catarrhum, & quot habeant
 exitus. ibidem
 Per catharrhos magnos, cur sit al-
 aus adstricta. 1170
 Catarrho laborantium victus.
 1171
 Callyphilon quid sit & ad quos
 proficit. ibid.
 Calici & renalis morbi similitu-
 do, et nephritidis curatio. 1175

Carnium catuli natura, & facul-
 tas. 1176
 Cervices bouum & pedes sui qua-
 le alimentum praestent. 1177
 Ex cucumere siluestri vilitas, et
 noxa. 1178. & 1196
 Colluendi modus ad dentium dolo-
 res. 1178
 Castoreum ad vterinas passiones
 commendatur. 1179
 ConiZe facultas. ibidem
 Caligenis catarrho laborantis hi-
 storia. 1184
 Catarrhi differentia, & causa, et
 de curatione multa. ibid.
 Cataplasmatum pro profocatione
 vteri syngrapha. 1181
 Aliud cataplasma pro eodem affe-
 ctu. 1213
 Capitis ardorem usum pharmaci
 prohibere ex Hippocrate. 1192
 Cerebri & cordis passiones om-
 nes possunt incipere a ventricu-
 lo. 1221
 Casus vetus cum melle post cru-
 dum potum confert. 1242

D

DAmoclis historia. 754
 Damagoras & Archesi-
 laus ledabantur venere. 866.
 & 888.
 Debilitatem facultatis in prima
 & secunda concoctione qua
 exentia indicent. 1075
 Deiectiones pessima, qua. 32
 Deiectiones vira sint deteriores,
 variegata an unicolores. 162
 Deiectiones sycera duplices. ibid.
 Deie.

INDEX.

- Deiectio copiosa, & aquosa, urinã* 782
minuit. 198
- Deiectiones cruenta, aut hamor-*
rhoides rutiliter fiunt multis in
vere. 463
- Deiectiones pessime, quæ & quo*
tempore fiat deteriores. 518
- Deiectio electro similis, & eius*
causa. 545
- In deiectionibus aquosis considera-*
tur contentum. 584
- Deglutire rapidè, quorum sit, &*
quas habeat causas. 1107
- Deiectiones puri similes, quales.*
 597
- Deflunium capillorum antecessif-*
se, an faciat quartanam breuio
rem, dubitatur. 992
- Debiles, & senes cur remissio fe-*
brant. 422
- Debiles victus frigidi robusti cali-*
di. 922
- Debilitatorum reffectio.* 649
- Deliciosi huius temporis mores.*
 916
- Decubitus & abscessus idem est.*
 902
- Decubitus qui cum superveniunt*
quosdam morbos tollunt, ab eis-
dem præservant ante facti, siue
sponte siue arte fiunt. *ibid.*
- Decubitus quales quibus, & quo-*
modo mori debemus. 903
- Decubitus sit tracto miso, aut ve-*
nicente humore, & horum cau-
sa. 904
- Detractionis signum, & quo pacto*
cum id adest sit mutandus vi-
ctus. 857
- Dentium stridor convulsionis est.*
 782
- Dentes cur adeò parati*
 735
- Dentium doloris causa.*
Dentium dolores superveniunt
more mitescunt.
- Dentium remedia triplicia*
Dentium & auris communis
eius causa.
- De dentium dolore & convul-*
siis multa.
- Dentium historia longa & bre-*
vis. 494 & 397
- Decimum tertium & quatuor-*
cimum, cur non nominantur
ter decretorios Hippocrati.
dicatur.
- Delirare plus aliquid significat*
quam mente turbatum esse.
 368
- Delirii & vacillationis digno-*
rum. 1100
- Delirandi species, duo signifi-*
cant. 442
- Demarai uxoris historia.*
 45
- Decretorios dierum cordis*
per spectro, neque quando co-
dum, neque ut cibandum
scire possis.
- Decretorias evacuationes esse*
afferre mortem & salutaris.
 423
- Decretoria signa omnia, sunt*
quando signa mortis, & in-
structione indigere.
- Decretorios dierum appella-*
nes.
- Dextra partes circa naturam*
rimam vim habent.
 Dext

INDEX.

Diarrhoea meraciora deiecit.	163	trario modo procedere, explicatur.	266
Deleis vxoris historia.	454	Dolorum varia remedia.	976
De divisione, multa.	1035.	Dormientibus cur interna calida,	
& 1036		externa frigida.	918
De pithis sororis historia.	765	Doloris vehementissimi signa.	
De rubea sponte succedens saepe liberat a cochlymia, & est propharmaco.	686	170	
De rubea curatio.	159	Dolores supernarum partium quos habeant abscessus.	326
De rubea abortum facere.	666	Doloris capitis remedia.	330
De rubeorum usus multorum morborum curationes recte finit.		Dolor cervicis fuit signum decretorium.	359
397		Dolores diebus paribus contigerunt Nicodemo, & virgini Larissae.	444
De rubeorum usus quo tempore sit utilis.	ibid.	Dolores diurnos finire solere in ossium corruptiones.	569
Diogenes semina utro effudit.	620	Doloris lumborum, crurum, & coxae curationes examinantur.	
De rubeis seu dissolutio, et rubeis seu debilitas definiuntur.	518	723	
De rubeo submolli hypochondrii, internam inflammationem visceris significat.	457	Dolores dentium in cacochymia contemni non debent, & qua debeat adhiberi procuratio.	
De rubeo decretoriorum computationem pariter oportet fieri a primo & ab eo qui attulit insignem mutationem in acutiem.		778	
451. & 453		Dolores veteres frigidi recentes calidi.	794
Dies sextus infansus.	339	Dolores calidi aut frigidi ob causam dicuntur.	ibidem
Dierum decretoriorum ratio.	311	Dolorem dolore sedari, raro tamen probari eam curationem, sed qua agitur stupefacientibus, aut anodinis.	815
Dies, menses, & anni legitimi qui sunt, & quales.	309	Dolori cruris ex ischyade quomodo occurrendum.	985
Dubus decretoriis mala deteriora, & bona meliora fieri.	313.	Dolorem primum, deinde gravitatem, & stuporem brachii & humeri, satietatis esse aliquando, et eius affectionis descriptio, & causa.	768
& 1141		Dromecada vxor mortua est ex parte	
Diei partes quam habeant analogiam cum partibus anni.	127		
Diebus decretoriis exacerbari cur appellat malum.	32		
Disparenia sine signo, ut Erysipelas, difficilis indicationis.	215		
Discretionem & curationem con-			

INDEX.

- partu filie.* 113
- Dolores suppurationis, & eruptionis puris. diversi.* 1082
- Dulces fructus, olera, & lenticula, inimica oculis.* 722
- Durities membrorum, & dissolutiones, in morbis acutis. utrunque malum, & cur.* 808
- Duritiam & molliciem morbos quosdam esse, atque mollire & indurare, esse curationes.* 812
- Dysenteria & tenesmus eisdem accidit.* 175
- Dysenteria ex refrigeratione curatio.* 202
- Dysenteria & tussis cancrrosa curatio.* 321. & seq.
- Dysenteria sine dolore qua affectio dicatur Hippocrati.* 326
- De dysenteria & eius curatione, & quando pharmaco curari debeat.* 564
- Dysenteria ab atra bile lethalis.* 702
- Dysenterie maligna signa, & curatio quadam.* 1072
- In dysenteria magnum est non fastidire cibos, & cur.* 498
- Diebus decretoriis non esse expurgandum.* 84
- Doloris ilis curatio.* 556
- Duri & intenti differentia & causa.* 1133
- Dolorem diuturnum ventris suppurationeius indicare.* 1155
- Doloris genuum & crurum in moribundis cause.* 1162
- Diacartami medicamentum commendatur.* 1176
- Doloris humeri ex abscessu facti elegans curatio, qua ad articulos transferri potest.* 1190
- Dinii pueruli qui habebat fistula ex intestinio historia.* 123
- E**
- E** Clegma optimum pro anelosis describitur. 1097 & 1097
- Eius qua Minois historia.* 518
- Eius qui hepar percussus est iaculo historia.* 72
- Egestionis bona conditio.* 111
- Elodes febres qua sint, & causas tres.* 74
- Elodes & typhodes febres qua sunt.* 93 & 125
- Elephante occupati cur sumi.* 289
- Eniatis proprio iaculo traicti historia.* 71
- Engastrimithi qui diceretur.* 71
- Emmyris historia.* 61
- Epidemia satis perniciose descriptur.* 97
- Epidemiales morbi, & endemici communes, & sparsi, & percontinentes, & eorum definitio, & causa.* 97
- Epidemialium constitutio, & sa quotuplices, & qua.* 101
- Epidemialibus morbis qui maxime euadant.* 101
- Epidemiales morbi, maxime sunt qui cum febribus.* 101
- Epidemialium tempestatum sunt quales morbos afferant.* 101
- Epidemia quadam tria mala tulit,*

INDEX.

- anginas, paraplexias, &*
ophalopias. 1002
temia eius labor partium occa-
so fuit. ibidem
historia. 768
maris ror laboravit febre cū
maris filia. 103
de febris figura, & cause.
1098
ephas esse eas etiam per quas
non solum corpus conuellatur,
sed pari aliqua. 676
epiticos plerunque ex interval-
lis conuelli. 677
ephesia per consensum ventricu-
li, signa, cause, & curatio qua-
dam. ibid.
epitici pueris quid eueniat.
661
ephesia non omnes accipiunt mu-
tationem ex aetate, sed quadā,
et ea quoto tempore. 790
ephesia congenita cum pueris
mutationem non admittunt.
ibidem.
ephesia in iuuentute in quos
morbos soleant mutari. ibid.
ephesia raro soluantur perfecte
et aetates sed mutatur in alios
morbos. ibid.
ephesiam esse passionem cordis
et putet vulgus. 443
epitolemi historia, qui ab eo-
dem morbo obiit a quo caupo-
ast, vide cur. 1112
epitolemi uxoris historia.
701
epitolemi admisariis religatur alter
epitolemi aliquando. 933
epitolemi faciei tutum ire sur-
sum quā deorsum. 1050
Erysipelam cervicis in faciem ire
malum, & si quadam tempe-
state bene cessit multis. ibid.
Erysipela obortis nigris pustulis,
malum. si cum turbatione alui
incipiat, deterius. 107
Eudemii historia. 672
Eudemus obiit ex hemorrhoidi-
bus intempestivē curatis. ibid.
Eupolemi in aeniadis historia.
637
Euridami in aeniadis historia.
635
Eruis hordei, seminis lini, olei, &
tritici, facultas. 737
Eruis facultas, & noxa. 263
Erasinus inflammatione vtriusq;
hypochondrii laboravit. 108
Eryatica, quartana, septimana, &
nonana, constitutio consideran-
da, & quomodo. 88
Etesia qui venti sint, & quando
flare soleant. 5
Ethiopes curandi oratio. 698
Eumenis uxoris historia. 489
Evacuaciones que quibus morbis
congruant. 137
Evacuaciones an sistende, & qui
sint scopi. 165
Evacuaciones intempestiva recidi-
uas indicant. 538
Evacuaciones spontanea sunt non
minus quā qua arte sunt,
renuulsiones, deriuaciones, &
evacuaciones. 603
Evacuare duobus modis euenit,
sensibiliter & insensibiliter.
308
Ad evacuaciones omnes recte per-
agendat,

LIBRO
DEL DR.

L. Ayuntamiento de Madrid

INDEX.

- agendas, considerationes omnes inuenies.* 835
Euacuatum corpus multus somnus siccat, & cur. 969
Euacuationem per urinam merito ad multos morbos laudari ab Hippocrate. 397
Euanescentia repentina cur periculosa. 416
Exanthemata qua dicantur. 36
Ab exanthematis timetur dysenteria. 544
Expurgationes cum mutatione excrementorum fieri, vtilè est. 162
Excrementorum eadem forma perseverans, mala, & cur. 198
Expurgationis triplex occasio. 226 227. & 228.
Excrementa morbos faciunt bifariam aut abundantius genita, aut minus quàm expediat, euacuata. 516
Exanthemata breui euanescentia quid significant, & post & ante morbos, & quantum debeant durare in vtrisque. 770
Exanthemata qua vocentur. 829
Expiratio vox & sermo vt habeant ad sese. 409
Extenuatis & siccat, & viciniis morti qua signa accidant. 1010
Extenuatorum victus. 859
Extenuationis qua cause sint per se, & qua per accidens. 855
Extenuare, & crassa facere, qua & quando expediat. 810
Extenuatio nimia exercitatione & tenui victu agitur. 854
Exerceri cacochymum aut vicum, periculosum esse, & mala inde nascantur. 166
 970
Exercitationis & laboris ventia.
Exercitatio post cibum facit vixas suis commoditatibus contrarias.
Exercitationis detractoria sudor guttatim fluens, aut cidentia carnum ex elatione.
Expurgationem & missionem guinis, agi debere qualem elitudine, & qua sit reditu nis lex in vtraque.
Excitare & stupefacere horum per se, sed symptom gratia sunt.
Externarum partium affectu quo interitum afferant.
Extrema partes qua sunt.
Externa causa vt indicent tionem, exemplo expli 266
Eumeli historia qui a com maxillarum vertigine accedente ad apoplexiam raturus est.
Eutychidis historia.
Euphranoris filii historia.
Eurianaclis filia acutè eg ex racemi esu. 361
Error notatur vulgarum rum in victu eorum qui purgati sunt.
Eratolai filii historia.
Euacuationum infernarum pressio raptum significat

INDEX.

1058
 die sexta an debeat
 in medica praxi.
 1082
 quas habeat
 1082
 qui
 833
 que conside-
 &
 1029
 rectè peragen-
 omnes com-
 834. & 835
 hypo-
 facere.
 dormi-
 rutius vi-
 761
 sunt.
 80
 1128
 1157
 1165
 sive spon-
 ef-
 1173
 1220
 laboran-
 1234
 et
 1235
 1240
 1225
 et
 1226

F

Fauces qua pars sit. 12
Farinaceum sedimentum du-
 plex. 97
Faciei extenuatio signum decreto-
 rium. 287
Facies ut indicet in acutis, & ex-
 plicatur prognosticum. 837.
 & 838
Fastidium & oris amaritudo &
 sitis intus relecti mali succi no-
 ta sunt. 412
Fastidium in longis dysenteris
 malum esse, magisquã si fe-
 brierint. 1020
Fastidium maximum magnum
 casum facultatis significat,
 397. & 417
Famula in Omilo capite vulnera-
 ta historia. 688
Famula Onesidemi historia. 670
Famula ex vicinis textoris histo-
 ria. 475
Famula retro Heroum historia.
 513
Famula Dyseridis historia. 681
Farris faciendi ratio, & usus.
 566
Fatuitas ex hydropo. 783
Fatuitatis causa. 602
Famis canina causa. 715
Femellas enixas a paribus morbis
 magis liberari, quam enixas
 masculos. 1088
Famem seorsum non esse febris ini-
 micam indicatur. 896
Femella minus abortiuntur quam
 masculi, & cur. 1088
Febrium continuarum partitio.
 81

Febres

INDEX.

- Febres ardentes quibus temporibus fiant, & ut differant aestivales & autumnales.* 126
Febris laboriosa cum producitur quid faciendum. 159
Febres omnes cum bubone mala, & qua earum deterrima. 215
Febris nisi in die legitimo solvatur redit. 289
Febrem facie rectè valente & mollibus hypochondriis, diuturni morbi esse, nec nisi abscessu solvendi, nisi fluxus sanguinis fiat. 306
Febris solvitur aliquando ante morbi indicationem. 360
Febris cum abscessu pericula. 426
Februum pulsus, & eorum differentia, & comparandi modi. 500
Febricitantes ab exusta bile non esse arcendos ab aqua. 668
Febris ex catarrho tussiculoso durabant dies quinque, tusses ipsae quadraginta, & cur. 750. & 780
Febris acuta cum melancholia. 757
Febris diaria ex ebrietate aut facietate, omnium maximè imitatur putridam. 765
Febrem missione sanguinis avertere, in quibus sic consultio. 770
Febres ex catarrho quales sint. 780. 1164. & 1166.
Februum partitiones Hippocraticae, & earum enarratio. 805. 76. & 398
Febri victus inimicus, & quae ex illo nascantur. 896
Febris ardentis generatio. 973
Febres laboriosa quae sint. 1015
Ferinum omne quod malignum. 824
Ferinum quid sit. 813. 796. 490. & 126
Fecum lacerata formam referentium significatio. 614
Finis legitimus morborum acutorum. 354. 415. & 430
Ficus qui morbus sit. 334
Filia edilis historia. 516
Filii Harpali ex telephane liberta historia. 74
Filii Theodori historia. 1126
Filii Amphiriphadis historia laboravit pleuritide biliosa scrophularis. 1108
Filii Potamonis historia. 994
Filii Phania & Euerecte historia. 11
Fibrarum in collo distentio, cuius animo linquitur, quas tussas habeat. 108
Figuram corporis conferre ad generationem naturae. 101
Figura subleantes. 81
Flatu replente intestina, reple corpus, consultum est. 217
Flatus cum sonitu erumpens prognosticum. 1
Flatuum differentia, & earum causa. 81
In fluxu sanguinis saepe errant dici, & quibus notis reventur. 146
Fluxus sanguinis ardenti febri miliari, et p. eis paratypho. Fluxus

INDEX.

- Fluxus ventris iudicat bene mor-*
bos acutum. 214
Fluxus sanguinis quarto die diffi-
culis indicat ionis est. 225
Fluxus sanguinis causa & cura-
no. 281
Fluxus alui pro muliebri saepe ac-
cidit euixis 513
Fluxus sanguinis infusione frigi-
de curatur. 704
Fluxus sanguinis nulla ratione
sistitur tutius quam missione
sanguinis reuulsoria. 821. &
834
Flexio vitæ oculorum curatio. 832
Fluxus menstrui causa. 850
Fluxus sanguinis ex naribus præ-
sentitur ex chloro vultus colore,
& cur. 882
Fluxus sanguinis ex naribus cu-
ratio & victus siue affatim
fluat, siue lentè. ibidem &
sequen.
Fluxus sanguinis in quibus et a-
tibus expectandus sit. 888
Fluxus sanguinis in ulceribus cu-
ratio. 951
Fluxus sanguinis profusissimi per
ventrem, curatio. 1100
Fluxum sanguinis sistentia reme-
dia. 1007
Fluxus sanguinis securissimum
remedium euacuatio reuulso-
ria. 1008
Fletu, spaitione, & mictu, & su-
dore eandem materiam eua-
cuari, & si non ex eadem par-
te. 941
Fletus demerat caput & cor.
 942
Fletus & sudor similes sunt, &
ab eisdem causis. ibid.
Fletus cur fiat cum laxari incipit
cor magis quam cum est minus
contractum. 944
Flatus infernè excretus aliquan-
do soluit dolorem coli. 942
Fœtum intra vterum grauibus
morbis laborare, saepe dierum
quadraginta. 193
Flatuosi laduntur a venere, &
sunt libidinosi. 867
Fœtus quot possint edi simul. 451
Fœtum in vtero tres mutationes
insignes. 510
Fœtum multorum vno partu edi
torum causa. 451
Fomentorum diuersus vtendi mo-
du pro differentia facultatum.
 714
Frigoris significatio. 74
Frigidorum & calidoru nota. 60
Frater vxoris Aristei itinere de-
fatigatus grauem morbum con-
traxit. 166
Frigus repentè ingruens & calido
tempore superueniens morbos
affert calidissimos. 472
Fratum Cœcopis historia. 517
Frigida potus in febribus vtilita-
tes multæ ac magna. 623
Frigida potus dandi oportunitas.
 624
Frigida potus in febribus vt auxi-
lium optimum, ita & pericu-
losum, & in occasione positam.
ibid.
Frigida copiosum potum qua pos-
sint supplere. 624
Fistula ex intestino ab atrabile
facta

INDEX.

- facta exemplum.* 1145
Frigidos pedes non continere sub-
stragulis pessimum, & cur.
 1132
Frictionis & balnei comparatio.
 717
Frigidorum & siccorum duplex
genus. 723
Fracto digito quid fuisset facien-
dum. 746
Frigidum venas frangere, & alia
facere mala. 870
Frigidissimi cibi, lentes, milium,
cucurbita, explicatur. 969
Frigidior frigido tempore & re-
gione calidior erit, explicatur
multifariam. 974
Frons cutis modum moriendi pra-
monstrat. 985
Fragmentum quoddam commen-
tariorum Galeni, recens editum,
legitimum non esse. 991
Furoris signum ex oculis. 808
Fulgoris obuersantis ante oculos
causa. 756
Fullonis cui inguina tumescebant,
historia. 723
Fullonis historia. 556
Ex fluxu sanguinis profluuium
ventris fieri, exemplo indica-
tur. 518
Fluentem sanguinem sisti prom-
ptissima causa alicuius absces-
sus est. 820
Feminae cur tardius recipiant fi-
guram & motum, quam ma-
res, crescant verò celerius, &
ha ipse cur crescant citius, &
minus. 241. & 849
Fluxionibus obnoxii malignis ar-
cendi sunt ab igne aut longa
mora in balneo aut sole. 1143
Fluxus alui in suppuratis pesti-
mus. 1144
Filii Plateae cui sutura capiti
morienti vehementer est excu-
uata historia insignis. 1159
Flatus an omnium morborum cau-
sa sit, disputatur. 1180
Fricilio lenis & aspera definitur.
 1186
Fluxiones oculorum optimè per
nares persanari. ibid.
Fullonis qui in syro ob usum tes-
sia factus est phreniticus, histo-
ria. 1190
Febris maligna cum debilitate
& conuulsione & raptu in ca-
put, signorum syndome. 1195
Facum duriciem esse nonnuquam
dysenteriae causam. 1197
Febrem malignam cum exanthema-
tis non esse minus modi, sed
differentiam habere ex hauri-
re, & ita variare etiam cura-
tionem. 1196
Febres intermittens quibus pe-
riodis soleant transire in conti-
nuas. 1201
Fungorum quoddam genus reue-
nosum. 1215
Fungorum noxa, & correctio, &
curatio. ibidem
Febrium malignarum cum tubercu-
culis descriptio. 1214
Febrium valium exempla multa
& curatio idonea. 1211
Filius Thimi ex superflua san-
& iudicatione quomodo recep-
ratus sit. 1213
 Fistula

INDEX.

<p>1193 1194 1199 1180 1191 1195 1197 1198 1196 1201 1213 1214 1215 1216 1217 1218</p>	<p>1232</p> <p style="text-align: center;">G</p> <p>Galenus de libro sexto censura. 786</p> <p>Galenus uocat ut quod falso citaverit. 10</p> <p>Galicus morbus fieri potest ex nimia venere, etiam sine contagione. 441. & 621</p> <p>Galici morbi populariter grassantis forma. 462</p> <p>Galicum morbum novum non esse. <i>ibid.</i></p> <p>Galici morbi quæ sit propria differentia. 620</p> <p>Galicus morbus potest sanari venere, muliere infecta. 621</p> <p>Galbanum cum aceto & melle fruesfactum, ad surditatem utile. 734</p> <p>Gangrena quam curationem petat. 832</p> <p>Genitalium & vocalium communitio. 138. & 626</p> <p>Gemellas peperit qua ex difficultate partus hydropem, & uteri ulcera contraxit, & utriusque mali signa. 181</p> <p>Gerentibus utero humeros cum mammis intumescere, ex multo cibo & potu fit, & malum est capiti. 245</p> <p>Gemelli qui dicantur proprie. 451</p> <p>Gemellas enixam malè expurgari grauius est, quàm unicam. 452</p>	<p>Gerentium utero morbi acuti, cur lethales. 506</p> <p>Gerentes utero cur malis repleantur succis. 766</p> <p>Gerentis utero & febricitantis cur ratio & victus. 305</p> <p>Gibbositatum causa. 716</p> <p>Gibbositatis ex pleuritide curatio. <i>ibidem</i></p> <p>Gorgia vxoris in Larissa historia. 650</p> <p>Gonorrhæam auget esus leguminum. 863</p> <p>Gonorrhæa causa, & cur afferat tabescentiam. 1057</p> <p>Gongrona quæ vocatur bronchocele. 870</p> <p>Grauedo quæ deterior aliis. 606</p> <p>Gerentibus utero tumor pedum frequens est, cum hoc anhelatio magna non adeò frequens, utrunque verò minus periculosum quàm in aliis. 385</p> <p>Grauedines & raucedines solutæ cum febre, minus habent recidivam quàm aliter soluta. 1088</p> <p>Grauedines per propriam passionem capitis melius curantur febre, quàm quæ per totius corporis commotionem. <i>ibid.</i></p> <p>Guttur quæ pars dicatur. 307</p> <p>Gangrena & esthiomenium passio indolens. 1160</p> <p>Gangrenati ulceris descriptio, & causa. 1222</p> <p style="text-align: center;">H</p> <p>Harpalida sororis historia. 1082</p>
--	---	--

INDEX.

- Hæmorrhoidas nunc funderè arriū nunc bonum sanguinem, & quibus causis utrunque & à quibus præseruent malis utraque.* 961
- Hæmorrhoidum intempestiua curatio quæ affert pericula, & quibus causis.* 900
- Hæmorrhoides quàm cautè curari debeant.* ibid.
- Hæmorrhoides à quibus morbis liberent.* 899
- Hæmorrhoidum duplex curatio chyrurgica.* 672
- Hæmorrhoidum differentia omnes.* 674
- Hæmorrhoides fistulas ani solent facere.* 675
- Hæmorrhoidum curatio fecit Alcipsum insanire, & cur.* 622
- Hæmorrhoides pro fluxu menstruo.* 517
- Hæmorrhoidum prognosticū.* 75
- Hæmorrhagia remedia.* 235
- Hemitriti differentia, figura, & cause.* 11. & 30
- Herophon febre acuta laborauit, & indicatus. 17. cum recidua.* 98
- De herniis multa.* 152
- Hepatici qui dicantur.* 153
- Hepate affecto cur prodest venæ sectio inter digitos.* 179
- Hepar magno cum periculo vulnerari.* 727
- Hepar calidum nunquam efficere ventrem frigidum.* 931
- Hepatis apicis complicati curatio & cognitio.* 1057
- Hemicrania ex bile vsta iam abeunte in atram signa & curatio.*
- Hermophili filii historia.*
- Hegesistrati historia.*
- Heropitus ardente febre & longissima phrenitide, & curatore, & diarrhœa, & dysenteria intra centesimum laborauit.*
- Hercules intumuit die octid.* 175
- Hieron decima quinta indicata.* 185
- Hippocratem pulso vii ut prioriores indicatur.*
- Hippocrates urinas etiam uentorum obseruabat.*
- Hippocratis in deiectionibus uiderandis mira diligentia.*
- Hippocratici sermonis præsentia.* 826
- Hippocrates, ut consentiret ueterimis et ut discreparet eis in victu.*
- Hipochomi Palamedis historia.* 660
- Hiposthenis in Larisa historia.* 655
- Hiare cum lentore circa labium malum.*
- Hircire quid sit.*
- Hippocratis diligentia circa uentos commendatur.*
- Hemitritum febrem acutam omnium maxime lethalem esse, et maximè tabem inducere.* 78
- Hora mortis, quæ in accessibus grauissimis.*
- Horatii fructus qui sicut, et quomodo.*

I N D E X.

- lo. 690
 fructus refrigerari debet, 691
 a niue. 691
 in Omilo duplex histo- 692
 ria.
 totius optima procuratio. 950
 eubium nimia purgatione 699
 mortuus.
 & sicca pharmaca qua 685
 vocentur Hippocrati.
 Hypersticosis quid sit, & eius cau- 778
 sa, ac generatio.
 post alios morbos quibus 36
 causis fiat.
 Hydropicos carpos & caluos fieri 221
 explicatur.
 Hydropi superueniens tussis ma- 284. & 288.
 la.
 Hydropicis glaucos oculos fieri. 542
 Hydropicis fulgor cutis, & nudi- 546
 tas pudendi.
 Hydropici saepe intereunt citius ob 548
 euacuationem aquae.
 Hydropicis alui fluxus utilis esse 549
 consuevit.
 Hydropum omnium differentia, 739
 causa, & essentia.
 Hydropum curatio. ibidem
 Hydropici in Olintho historia. 783. & 1116
 Hydropicorum sectio, & tabescen- 1012
 tim vltio, & capitis vulnerati
 sectio citò fieri debent.
 Hydropici an sectione curari de- 1012
 beant disputatur. ibidem
 Hydropicorum sectio comparatur 1012
 sectioni genu, & quo pacto de-
 beat utraque administra-

- vi. 1014
 Hydropes diuersi ob causas, & 1078
 partes, & complicationes, &
 diuersa remedia, & exempla
 omnium.
 Hydrops vix habet vllum exitum 1116
 salutarem, neque euacuatione,
 nisi forte aquosum alui proflu-
 uium.
 Hydropis in interitum euntis si- 1117
 gna.
 Hegetoridis filius qua passus sit. 1218
 Hygie sororis historia. 1218
 Hyemem a pleiadum occasu inci- 1106
 pere.
 Hyemis partitio. 21
 Hyeme sicca & aquilonari vere 1033
 pluuioso & australi, estate
 sicca & calida qui succedant
 morbi.
 Hyeme australi & pluuiosa, vere 1033
 sicca & aquilonari, estate sic-
 ca & calida qui fiant morbi.
 ibidem.
 Hyeme & vere australibus & 1033
 pluuiosis, & estate qualis esse
 solet, qui. ibid.
 Hyeme succedente autumno plu- 1033
 uioso & australi post estatem
 siccam & aquilonarem, qui.
 ibidem.
 Hyle famule historia. 551
 Hymena sororis historia. 533
 Hypochondria semper considera- 220. 336. 585.
 da in morbis acutis, & quid
 significant. & 827
 Hypochondriorum distentorum cu- 328
 ratio.
 Llll 3 Hypo-

INDEX.

- Hypochondriorum phlegmones, aut phlogosis nota, quæ. ibid.*
- Hypochondrii inflammatio maximum impedimentum expurgationis. 396*
- Hypochondriorum tumentium differentia, causa, & prognostica. 182. & seq.*
- Hypochondrio exacerbato euacuationes consuetas supprimi, malum. 606*
- Hypochondriacis, sit noxia, an salutaris venus, disputatur. 868*
- Hermocrates febre ardente ex hepatis inflammatione, deinde phrenitide laboravit. 335*
- Hypochondrium melius spirans, quod dicatur. 1133*
- Horror ab spina & dorso incipiens debilitatis signum. 1154*
- Horror maioris debilitatis est quàm rigor. 1162*
- Hepatis corruptione mortuus Cleotimus, & quomodo fuisset curandus. ibid.*
- Hemiriti cum cardialgia curatio. 1208*
- Hernia laborantes ex ruptura tusi leduntur. 1232*
- Hepatis & lienis cur sint aliquando dolores fortes. 1234*
- I.**
- I***cterum ex morbo manentem solere tota vita durare indicatur duobus exemplis. 839*
- Iaculo posterius percussii historia. 709*
- Iactationes acute quæ vocentur Hippocrati. 1112*
- Iaculi extractio quibusdam temporibus properat. 737*
- Ieiunantium victus qualis esse debet. 899*
- Icteri sexto die salubriter facti multis. 12*
- Icteri duplicis & hydropis differentia & cause & nota sum cuiusque & complicarum. 173*
- Icteri & hydropis simul incipientium cause. 44*
- Imaginationes falsas rotibus, & nutibus innotescere. 11*
- Impetus succorum in partem quæpiam inditia. 137*
- Insomniorum multorum & raris torum in febribus prognostica. 621*
- Insomniorum significatio, & differentia. 71*
- Insomniorum consideratio quantum referat ad prædictionem. 1034.*
- Indices qui dies sint, & quæ. 105*
- Incrementi & decrementi temporum certa notitia. 17*
- Initia morborum & decursus cognoscere multum referre, multis exemplis indicatur. 157-158*
- Interius relicta recidivas fecerunt. 157. & 537*
- Intricum ex allio hydropicis. 329*
- Inflammatio morbus multiplex & habet tempora varia. 137*
- Inflammationis maxima in hepate.*

INDEX.

- tenotæ.* 521
Inflammati ventris curatio temeraria, expurgando primū, deinde subigendo. 628
Inflammati ventris idonea curatio. 629
Illus et casus fortes non esse contentos exemplo admonemur. 657
Inflammati capitis signa. 713
Inflammatio cerebri non omnis est phrenitis, et ut differant. 714
Inflammationem cerebri facientes succos, nunc vergere in corpus, nunc in animum. 715
Inflammationis scirrhusa descriptio. 737
Inflammationis scirrhusa curatio. *ibidem.*
Inflari a venere gravius esse, quàm in coitu flatum emittere. 869
Intestinum, an intestina dicas, nihil refert. 909
Intestina hominum caninis esse similia. 911
Increcentes morbos mistio multifariam explicatur. 962
Increcentes morbi qui dicantur. *ibidem.*
Inspiratione auget pulmonis aridum incendium. 968
Inflammationis lienis ex itinere contracta historia. 979
Incipere febrem duobus modis dicitur. 1208
Inflammationis interua hypochondrii signa. 117
Inflammationes circa nares et gingivas cetera similes, sed minus periculosa, et fallaces sunt, quam aurium. 994
Initium, finem, et tempus presens morbi nosse magni esse momenti, ratione et exemplis indicatur. 1052
Intemperantes in victu quomodo sint cibandi per morbos. 1056
Instrumenta respirationis cur difficile sanescant ulcerata. *ibid.*
Intemperies aeris antecedit morbos, et cessat ante illos. 7.199. et 439.
Inquietudinis, horrorum, et oscitationum curatio per vinum. 322
Interfemineum qua pars sit. 567
Indicationes iudicationum in antecedentibus quaternariis 615
Ille ad quem Cynicus me induxit. 607
Inuisione aut sectione curabat suppuratos et cur hac hodie patcos liberent. 690
Inuisiones quando fieri debeant suppuratis. *ibidem*
Inunctio facit frictionem lenem. 717
Interna et externa affectionis phlegmonosa in capite exempla et signa. 725
Iracundos esse frigidos. 60
Ira, timore, et latitia quibus morbis curandis utamur. 264
Iracundi et animosi ut differant. 931
Ira cur sanguine et spiritibus caput repleat. 948
Ira nonnunquam utilis est ad curationes, et ut differat ab aliis moti-

INDEX.

- motibus animi.* 949
Ischyadicis internam auricula partē cauterio vri, et cur. 959
Ischyadis constitutio. 644
Ischyadicorum cur nonnullis fiat dolor, aliis stupor vsque ad pedes. 985
Isatis herba et isatodis bilis definitur. 583
Ingulari quid significet. 695
Indicatoria ne statim appareant. 135
Indicatoria non indicantia qua sint. *ibid.*
Indicationum species quatuor. 87
Indicationis infide signa. 493
Indicationem siue bonam siue malam et eius speciem indicari in die indice. 522
Iuxta genus qui sint nerui. 707
Ius iurandum Hippocratis. 718
Iuuenes morbosos per senectutem fieri sanos, et contra, et quibus causis. 947
Indicationum initia sepe afferre terribilia symptomata. 1119
Judicia que in diebus iudicatoriis non sunt esse infida, aut perniciosas, ubi et Hippocrat. diuersa loca explicantur, et componuntur. 86
Isagora filio contuso et denigrato osse liberatus est, nullo osse abscedente. 1129
Indicationem cause audatius solent sequi prestantes medici quam vulgares. 1148
Icteri differentia et cause, et curationes secundum causas, et propria. 1181
Iter et potus multus incoctum cere. 1217
Impuro corpore et in initio quatuor febris cauendum est balneum. 1221
Itaupis quid sit. 416

L

- L** *Abores, otia, somnos, et vigiliis, moderari.* 1014
Labor quidam extenuat, quidam reficit, et horum distinctio per
Lactis asinini et serici magnitudine vsus commendatur, et traditur vtendi modus. 1016
Lac quo pregnationis mensis disputatur. 34
Lactis bubuli natura et factus. 1076
Lactantes repleti malis sociis cur.
Lac aqua mistum per partum bis congruit, et qui post eius vsus.
Lactis generatio et causa.
Lac nonnunquam reuenosum ob pastum capre.
Lac octauo mense apparere pit.
Lactis noxe in obstructiua. 448
Lactis magnus multiplex antiquis.
Lac nocet in dolore illis.
Latitia curat morbos melancholicos.
Lachrymare voluntarie benignis esse in acutis. 594
Lachry

INDEX.

- Lechymarum differentia omnes
& earum causa, & significatio-
tiones.* 1031
Lapis ex utero excretus. 682
*Lapides quibus in partibus gigni
possunt.* 681
Lapilli in utero signa. 682
Lactuca olerum optimum. 735
*Laxandum & adstringendum in
quibus morbis, & ob quas indi-
cationes, & quibus auxiliis sit.*
809
*Laboriosas febres quas vocet Hip-
pocrates.* 825
*Lapis cur senibus fiat crebrius in-
renibus, pueris in vesicca dis-
quiritur, & redduntur omnium
cause.* 872. 873. & 874
*Lasitudo qua sit mediocris, &
vilis.* 892
Laborantibus gratia. 914
*Laborantibus quibus in rebus, &
quatenus gratificandum, &
quibus causis explicatur. ibid.*
*Labor articulis, carnibus cibis
&c.* 948
*Lac, allia, vinum, acetum, & sal
antidota sunt venenorum, &
cuius quodcumque.* 978
Leguminum vitia. 263. &
596
*Ex leguminum esu in Aeno pesti-
lens constitutio.* 262. & 596
*Leucophlegmatia essentia, signa,
causa, prognosticum, & cura-
tio.* 541. & 546
*Lenitas extremitatis cur faciat
fulgorem.* ibidem
*Leucophlegmatia minoris refrige-
rationis est quam ascytes &
tympanites.* 558
Lepra curatio per balnea calida.
646
*Lethalium signorum ex facie eme-
meratio, & causa.* 804
Lethalia qua non parua. 135
Leophorbide historia. 1118
*Liuvor manuum quanti fieri de-
beat ad pranosendam instan-
tem iam mortem.* 1115. &
782
*Lapidum & tumorum lingua, et
tophorum generatio.* 231
*Labra saepe patiuntur ob hypochon-
dria.* 557
Lac ut paretur ad dysenteriam.
281
*Lingua peripneumonicorum qua-
lis esse soleat.* 1086. &
1113
Lingua lotium significat. 951
*Lingua colores significare succos
in corpore. ibidem* 953. &
1027
*Lingua nigra duplici causa fit, &
ut distinguatur.* 953
Leambi historia. 563
*Lingua sapor cacochymiam indi-
cat ut color.* 953
*Lienem declivem pedes & ma-
nus & genua calida facere, na-
sum, & aures frigidas, & cur.*
844
Lien declivis qui sit. 845
Lienis tumidi differentia. ibidem
*Lienis differentias plurimum con-
ferre ad curationem indicatur.*
846
*Lingua cur saepe sola impedita
sit.* 768

Libri

I N D E X.

- Libri quinti censura.* 627
Liber quintus plus habet practica quam alii huius operis. *ibid.*
Librum septimum cur non sine commentariis reliquerit 1062
Lienis inflammati signa. 553
Lien eleuatus fluxum sanguinis e naribus indicat, si extensus est ad dextra, per infernam partem. 512
Lien minores dolores habet quam hepar & renes, maiores quam pulmo. 448
Lienis morbi, quibus, & qua causa curari possint fluxu vrina. 187
Localia tria ignis ferrum & medicamentum. 976
Longeui plures dentes habent. 299
Lumbricorum differentia & loca ubi generentur. 1232
Lumbricorum nota omnes. 612
Lumbrici vt sint facti cuidam homini. 118
Lumbrici ubi generentur. 476. & 490
Luxationis spina differentia, & quas noxas afferant singula. 193
Luxationes quarundam partium faciunt proximas non augeri. 801
Lythiasis renum curatio 790
Lycoris in centadis historia. 643
Lycini grammatici historia 557
Lycia laborauit morbo melancholico, & postea inflammatione lienis. 182
Lythiasis renum qui morbus sit, & eius causa & signa. 791. & 792
Lumbos dolenti duo mali obiectus fiunt, vlcera sepi vocata, & recursus in latus, alii sunt homini, & qui sint illi. 1011
Lachryma inuoluntaria fluxum sanguinis varium significat aut mortem. 61
Lumbrici vesperi fatigant, & morbi omnes autumnales. 111
Lac & menstrua non esse eodem sanguine. 171
Lac redundans debilem fatum, solida mamma sanum indicat. 316
Lactantes cur fiant cacochyma. 505
Latus dextrum esse calidius habet stro indicatur. 819
Lapis renum qua causa faciat vna suppressionem, cum tres sint duo & ea alterum tunc. 1171
Lactucam crudam & illotam meliorem esse stomacho quam etiam. 1119
Licina historia. 1117
Lenticula exustis cancriis videtur. 1224
Lethalis signi ratio. 1227
Lienis tumor non vitiat colore non est valde periculosus, vt si vitiatum sit, & quae causa eueniat vtrunque, & quod agendum. 1228 & 1229
Lien nulli euacuationi magis obdit quam subductioni. 1229
Lactis pro dysenteria parandus modus. 1231
Lecoi-

INDEX.

Lemida filia historia. 1242

M

Macula exigua ac frequētes quam sint maligna, & quo febris tempore & quibus partibus soleant incipere. 520. & 524

Mare nulli morbi exacerbantur perse, resperi omnes. 128

Materia medicinalis agnitionem ad medicū spectare indicatur. 209

Magni calvi balbi, & gracili voce praediti cur sint boni, physio-gnomonicè & physice, explicatur. 473 & 274

Magnanimitas probitatis, timiditas malignitatis. 271

Mammatarum vene magnam partem providentia habent. 289

Magnū morbum & malignum longè differre, & quid intersit. 303. & 338

Masculos trigesimo, fœminas sexagesimo abortiri, & cur. 510

Mariti Lechi historia. 520

Maligna febris cum exanthematis curata, & indicationum dignotio. 525. & 526

Maturi abscessus, rectè iudicantis affectus priores, signa. 562

Marcoris imminentis signa. 591

Malignarum inflammationum, et gangrenarum curatio, quæ in constitutionibus pestilentibus plurimos iuvat. 634

Malici cui costas fregit currus onustus in ipsum incidens, hi-

storia. 683

Maturatum vocari quod putrefactum vetustissimam phrasim sapit. 732

Magna navis gubernatoris historia. 746

Maleolli musculi. 748

Mala illa cavenda semper in qua tempestas inclinatur, leuibus enim de causis fiunt. ibidem

Manus habere ad hypochondria melancholicorum cur sit. 759

Mares in dextra uteri parte gigni. 848

Mares esse fœminis calidiores quibus constat notis. ibidem

Mala potiusquam panis commendatur in aestivali victu. 853

Mala quæ ob suppressas intempestive hæmorrhoidas fiunt maligniora sunt quam alioqui. 901

Magni morbi nomine epilepsiam intelligi. 980

Magna errata nullatenus ferenda esse medicis. 1053

Mala et bona fieri diebus decretoriis. 613

Malicorii vsus in dysenteria. 1070

Menstruorum suppressionem ob malignam qualitatem sanguinis potiusquam quantitatem adere quomodo agnoscat. 1123

Methodus breuibus comprehensa. 1056

Melancholici epileptici, et contra qui fiant, et cur, et quid intersit. 1059

Men-

I N D E X.

- Menstrua fluxio mulieres a multis malis liberat, & multos eorum morbos iudicat vt suppressa facit multa mala.* 1005
- Medicos posse eundem morbum eadem intentione diuersis auxilijs, & diuersa etiam intentione rectè curare explicatur multis exemplis.* 1010
- Medicos multos seorsum accersiri periculosum esse.* ibidem
- Medici officium.* 847
- Merum cum cibo, aut a cibo minus ledere quam solum.* 977
- Medicamenta respicere posse certa membra.* ibid.
- Mesocolum, & mesenterium eadè pari est.* 914
- Melancholicos habere sanguinem ichorosum.* 843. 234 & 415
- Melancholicorum symptomata, & eorum causa.* 843
- Methodicorum secta.* 809
- Metrodori filij historia.* 778
- Menstruorum suppressio quot modis soleat ledere.* 767
- Melancholici quemodo periclitentur breui mori.* 761
- Melancholia morbi cum vertigine complicatio.* 754
- Melancholicos nunc tristari, nunc letari plurimum, & cur.* 757
- Melancholici cur à potu plurimùm abstineant aliquando.* 762
- Melancholicis morbis accommodatissima euacuationes sunt deiectio & mistio.* 740
- A medici sententia probabile capitur argumentum affectionis.* 761. & 70
- Melancholia morbi differentia et cause.* 753 & 744
- Melancholia morbi curatio.* ibid.
- Melissandri historia.* 738
- Menstruorum defectus quot modis fiat incurabilis.* 557
- Metopotu largo aqua expurgatus est.* 101
- Metonis alterius historia.* 1206
- Pro mulieribus qua concipere capiunt, consilium.* 701
- Post menstrua cur facile concipiunt mulieres, & cause gemini fetus, & cur mas aut famula.* 240. & 241
- Meandri vinitoris historia.* 525
- Melancholici morbi quos pituitosos asserre soleant & quacausa.* 401
- Meandri caci vxor, ardente labore, & breuissima suppuracione laborauit.* 474
- Metus & mesitiam melancholia signa & causa.* 402
- Medicus neque de re quapiam facile enunciare, neque leuiter mutare sententiam debet.* 311
- Mestrua qua atate proficiunt.* 246
- Menstruis per atatem iam deficiuntibus quid eueniat.* ibid.
- Menses si fiant vtero generatiu laboriosi sunt quales ostenduntur strium abortus.* 241
- Menses tales plerunque sunt parturitis decimo mense.* ibid.
- Methodus optima agnoscendorum & faciendorum in curacionibus.* 206. & seq.
- Mediis mensibus cum maiori periculo*

INDEX.

riculo abortitur.	165	dentis, esse.	296
Melancholica simul & acuta febris exemplum.	168	Morbus an per se, an per consensio sit, & quando horum quiduis magis aut minus.	1040
Menses posttridie a dolore lumborum & femoris fiunt, & cur.	14	Morbi diuturni ut renis et coxae, podagra, & hemorrhoides a multis periculis liberant.	1019
Melida laborant pulmonia ex suppressione menstruum.	120	Mortuorum ex angina, signa.	1006
Methodus, & dialectica Hippocraetis.	76	Morbus dolosus quo agnoscat, et cum videtur esse solutus.	998
Methodus inveniendi Epidemialium constitutionum causas.	14	Morbi dolosi qui sunt, exemplo Cherrionis indicatur.	987
Medicorum mores quales esse oportet.	915	Morbi qui aetatis mutatione curantur, an aetate ipsa, an coitu curentur, discutantur.	962
Missionem sanguinis aut fluxum spontaneum qui beneferant, & qui male.	150	Morbam gallicum non esse novum exemplo indicatur.	912
Missionem sanguinis saepe liberare ab abortu.	469	Motus, laboris, & exercitationis meta.	861
Mirabilia audiuntur multa, videntur pauca.	709	Motus non iidem sunt omnibus nimis.	856
Misio sanguinis est cum abscessus facit, & cur.	626	Mortificatio sicca malignior est quam humida.	732
Morbus regius non decretorius multas & vehementes petit purgationes.	1096	Morbundorum signa.	728
Morientium pra debilitate & morbi videntur.	1094	Morbi partium quando curentur pharmacis, & quando solis localibus, & bono victu.	717
Morbi autumnalis et maligni simulque constitutione legitimi exemplum.	1067	Morbi naturam quid vocet Hippocrates.	686
Morbi duabus rationibus dicuntur quales.	1052	Motus instrumenta, musculi.	625
Morborum epidemialium cause consideratione temporis praesentis praeteritis & futuri constant.	1042	De motu masculorum.	624. et 626
Morbi connutriti senectute relinquunt.	946	Musculorum compositio, & substantia.	626
Molles carne mansuetos & pra-		Morbi omnes acuti aliis acutis superuenientes sunt lethales.	691
		Morbus acutus superueniens, saepe est veterum & diuturnarum passionum indicatio.	558. 622. & 679

Mo-

I N D E X.

- Morientium ex veneno signa.*
549
- Morientes cur fronte sudent.* 522
- Morbis regius ante septimum quam sit periculosus.* 470
- Morbi multi, etiam acuti, finiuntur insensibiliter.* 466
- Morbis aliquando minuitur materia nondum cocta, & cur.*
428
- Morborum iudicationes multas diuersasque amare vacationes, & cur.* 336
- Moribundi iam, cur aliquando videantur alienati.* 417. 450. 548. & 341
- Monstrosi partus cause.* 179
- Morientes pro debilitate ultra expectationem durare solent, non autem qui vi morborum.*
340
- Moschus calculosus abscessu quodam liberatus.* 165
- Morbis euentus quotuplex, & illius prænoscendi summa ratio.* 29
- Morbos alios non aliter ac febres habere circuitus & intermissiones aliquando.* 82. & 83
- Morbis cur fieri videatur minor nonnunquam cum adhuc in suo incremento sit.* 82. & 440
- Morbis partitio & cause.*
- Morbi pulicaris qui vulgo apud Hispanos vocatur tabardillo, descriptio & nota.* 201. & 520
- Eiusdem curatio, & indicationes.* 526
- Morbos cum lassitudine tenuis missionem sanguinis populare.*
285. & 286
- Muliebrium & virginalium morborum differentia nota & tractata.* 203. & 204
- Mulier vt concipiat, tractata.*
329
- Mulier que decumbebat inter Tisamenum ex voluulo ducta cuncta mortua est.* 269
- Mulier quadam eam que apud Pantimedem ex abortu reuerti fetus ardente febre obijt primo.* 377
- Mulier que decumbebat inter mendaciorum ex masculi partu quatuordecimo febre ardente obiit.* 377
- Mulier morosa in Thaso per tres dierum laborant, cum vrina nigra euasit.* 44
- Muliebrium morborum tractata.*
530
- Mulieris fortiter capite gravata ex menstruorum suppressione bricitantis acutè, historia, & de iudicatione coniecturæ rationales.* 83
- Mulieris hippæ hydropica, historia.* 111
- Mulieris in Pheris historia.* 61
- Mulieris Larissa prægnantis historia.* 21
- Mulieris que se ipsam iugulauit historia.* 61
- Mulieris que cataplatium concipiendi gratia accepit.* 72
- Mulieres sæpe concipiendi gratia se ipsas perdunt.* 72
- Musculorum capitis historia.* 72

I N D E X.

*Mulieris que ex pharmaco corru-
perio obiit.* 717
*Mulus recens mortuis solere fieri
robore per partes, & ob quas
causas.* 764
*Mulieris cancerum habentis circa
pectus, cui sanies ex mammilla
exibat, historia.* 779
*Mulier cui sanies exibat ex mam-
milla, nisi, ea suppressa, esset
morta, fuisset facta maniaca.
ibidem.*
*Mutationes omnes repentinas ca-
neudas.* 889
*Mutationes quacunque faciende
sunt in morbis dolosis, tunc fiât,
cum sunt mitiores.* 988
*Mutationes nunquam nisi ad de-
cutia fiant.* *ibid.*
*Mutatio saepe & repentè facta
aëstraliū & borealiū, &
nimis eâ fuit epidemia.* 1000
*Mulieres cur non corripentur
nyctalopia cum pueri.* 1005
*Mulieres serue agrotant, ut viri.
ibidem.*
*Mulieres cur podagrica minus
sint.* 1061
*Mulieribus que in speciem viri-
lem mutatae interierunt, quo-
modo fuisset prospiciendum.
ibidem.*
*Mulieris supra portas habitantis,
qua ex febricula abscessus ad
omnes spina articulos, & reso-
lutionem passa est historia, &
eius expositio & curatio.* 1094
Menanis historia. 1129
*Melancholicus succus qua ratione
afferat fastidium, cum per se so-*

leat afferre famem. 1144
*Melancholicis familiare est pitui-
tam congerere.* 1147
*Muliebris morbi qui in viro fuis-
set difficilis & periculosus in
muliere verò minus, longa de-
scriptio, & causa.* 1237
*Motus congeneres, icterus, rigor,
& sudor.* 1239

N

N *Aut a puer & Miriocauna
diarrhœa laborauerunt.*
 159
*Narium pinna aperta iracundiâ
indicant.* 269
*Natura etiam curat prepostere
aliquando, ut medici.* 428
*Natura agrotantium consideran-
da.* 582
*Natura calidus an refrigerâdus,
& qua id ratione fiat.* 919
*Naturam morborum medicatricè
esse indicatur.* 693
*Natura inuenit sibi vias non ex
cogitatione.* 938
*Naturam esse indoctam explica-
tur.* *ibid.*
*Narium humiditas, & aurium
sordes expurgant cerebrum a
crasis.* 941
*Narcoticis imperiti, aut adulato-
res vtuntur nimis.* 984
*Nares optimum capitis emuncto-
rium.* 780
*Narcoticis quando vtendum. ibi-
dem.*
Naturarum morbi. 14
 Neruo-

INDEX.

- Nervorum dissectio longa.* 259.
 & seq.
- Nervus nudus medicamento ta-
 ctus mordaci convulsionem af-
 fert.* 748
- In nervorum affectibus nunquam
 est omittendum considerare,
 aut ecedat, sequatur, an comive-
 tur febris.* 502
- Negligens ex somno, qui sit.* 579
- Nervorum historia, & usus.* 624
- Netopum quid sit.* 733
- Neapolis historia.* 776
- Nihil temere nihil negligere, ad
 multa accommodatur.* 826
- Nicolai pueri historia.* 761
- Nicolai puer quomodo fuisset cu-
 randus, qui laboravit febre con-
 tinua perniciosa, complicata cum
 tertiana.* 764
- Nicanoris passio mirabilis.* 753
- Nivem cum horariis fructibus in-
 cipere, ac desinere expediret.*
 692
- Nicippi historia.* 620
- Nicostrati vxor quatuordecima
 die correpta est apoplexia.* 483
- Nicodemus febricitans acutè ex
 venere, & vino.* 438
- Nitrum, cuminum, & coriandriù,
 multum prodest ad vterum, &
 febres redeuntes circuitu cum
 frigore.* 511
- Non potantibus & vix respiratio
 brevis, duplex huius sententia
 explicatio.* 221
- Nigricies umbilici inditium me-
 lancholia a principio generatio-
 nis.* 545
- Nites plusquam dies delirio si-
 gnificationem præbere.* 749
- Nominibus nubecula, sedimenti,
 & hypostasis, distiuctè, & ubi
 alicubi Hippocrates.* 761
- Nutrientia exterius admodum, nu-
 num non est.* 571
- Nutrix duobus modis purgatur,
 aut propter se, aut propter in-
 fantem, & qua ratione facien-
 dum sit utrunque.* 591
- Nutrices an sint quærendæ in
 mensuris disputatur.* 591
- Nunc frigere plurimum, & ubi
 vri, in debilibus qua causa sit.*
 421
- Numerorum tertius validissimus.*
 313
- Nictalopia quid sit, & circa
 se.* 602, & 603
- Nictalopia pueri magis laborant
 præcipue qui grauioribus
 oculis, & capitis laborant.*
 1004
- Nigrum medicamentum huius
 1181*
- Nisantis historia.* 1181
- Nicoxens in Olyntho huius
 1194*
- Nuces veteres melle intus
 crudum potum utiles.* 1194
- O
- O**bliuio duplex aliter
 mentis alienationem
 tera ob memoria vitium.
- Oblata qua vocet Hippocrates.*
 426
- Obstructionibus viscerum
 rantes, cur crebro corrigantur.*
 426

I N D E X.

febris .	448	Oculi ut valent, ita & totum corpus, de corpore & de animo explicatur.	933
Occasio omnium eorum qua quis ariet, cur signum lethale.	450	Occasione elapsa praestat dimitti auxilia, quam nihil conferentia infamari.	1013
Occasio quid sit apud Hippocrat.	157	Odores sunt materia victus.	1025
Occasio quantum momentum habeat.	118	Odorum differentia per pauca agnoscuntur ab hominibus.	ibid.
Occasiones seu causa externa ad cognitionem & curationem conferunt, & quomodo.	157	Odorum differentia.	ibidem
Occasionis duplex significatio.	376	Odoribus iocundi circa qualitatem alimenti solum hominem delictari affirmat Aristot.	ibid.
Oculi eorum qui linguuntur animo, & morientium quales sint.	727	Odoribus tam malis quam bonis utuntur medici, & est eorum mutatio considerata.	ibid.
Oculus magnos & rotundos cupiditatem, & hebetudinem indicat.	269	Oedemata omnestumores.	36
Oculi magni angulati, et demissi, boni sunt.	227	Oeceta vxor ex abortu quinti mensis ardente febre correpta obiit septimo.	654
Ex oculis nota physiognomonica.	301	In Oeniadis viri qui morbo tenebatur historia.	635
Oculi audacia qua dicatur, & ea indicare delirium.	808	Olympiodori famula historia.	550
Oculorum curatio, & ocularium medicamentorum materia.	313	Olitoris vxor in Helide.	628
Oculorum debilitas admodum lethalis.	312	Onesianactis historia.	1153
Oculi distortio est aliquando signum decretorium.	350	Ophthalmia alui profusio plurimum cedit.	1145
Oculi affecti cur irritentur noctu.	749	Operum Hippo partitio.	
Oculi fractio quid sit, & quid significet, curque in moribundis sit.	308	Operis huius argumentum.	ibid.
Occasus pleiadum in initio Nouembris.	766	Opysthotoni futuri inditia.	747
Odorata cur subtus iuuant, nariibus admosa ladunt hystericas.	653	Opium quando conferat in dentium dolore.	955
		Ophthalmia cum dolore morbi estiuales sunt.	1007
		Organorum attritio caluitium facit.	851
		Oris vteri incipientis in coxam curatio.	542
		Oscitationum causa, & curatio.	220.

INDEX.

210. & 817	817
<i>Ossa plerumque abscedunt post quadragesimum.</i>	913
<i>Os infernum digiti quod sit.</i>	746
<i>Osficula cranei per nares emuncta vidimus.</i>	940
<i>Oscitatio, & pandiculatio quomodo fiat.</i>	545
<i>Otium merum nullis est utile, sed cuique exercitatio accommodata.</i>	890
<i>Otium quosdam extenuat quosdam crassiores reddit.</i>	854
<i>Otium nunquam uti expedit ad extenuandum, neque multo cibo, & si fieri possit.</i>	856
<i>ὄζυζυλκὴς qua potio sit.</i>	220
<i>Oxybaphum qua mensura sit.</i>	1185

P

P <i>erturbata hypostasis in vrina tenui significatio.</i>	1225
<i>Puthonis filii in Pela historia.</i>	1233
<i>Philistidis uxoris Eraclidis historia.</i>	1236
<i>Prapotantium crudum, salsa cum melle, remedium est.</i>	ibidem
<i>Pueri Philotimi historia.</i>	1243
<i>Pharmacum intempestiue dati, & eius noxa optimū exemplū.</i>	1191
<i>Pharmacum ut ante concoctionē detur, qua corporis desideretur dispositio.</i>	1192
<i>Pleuritidis & suppurationis & repurgationis nota.</i>	1207
<i>Pleuritis ex suppressione mēstruorum.</i>	1211

<i>Pausania filia historia.</i>	1217
<i>Polemarchi pueri historia.</i>	1217
<i>Poliphanti historia.</i>	1221
<i>Perturbatio consideratur in sellamento non minus quam in vrina.</i>	1221
<i>Partes humiles qua sint.</i>	567
<i>Ex partu difficili cur multa sint pleuritica.</i>	1112
<i>Panis subcinericij inconvulsa.</i>	1077
<i>Palpitationis nomen quid significet.</i>	1077
<i>Palestra custodis qui ex laesa obiit die tertia, historia.</i>	1077
<i>Paraplexia quavis resoluta vitatur.</i>	1004
<i>Partium corporis & temperamenti, & temporum aui, & partium dier, consideratio.</i>	996 & 997
<i>Papulle in mamma color chlori vteri morbum indicat, aut pugnationem</i>	916
<i>Palpebrarum & lingua notabilios esse, & qua sint de eorum instrumentis opiniones expantur.</i>	396 & 397
<i>Paucus cibus qui dici debeat.</i>	1091
<i>Paucus cibus in quibus tollatur laetudinem, & sitim, & in quibus secus.</i>	899
<i>Patientes, concussionē & cōpessione thoracis ladi.</i>	741
<i>Ex partu doloris in pectore curatio.</i>	741
<i>Parmenisci historia.</i>	717
<i>Panis recentis noxa.</i>	717
<i>Panis autopyri utilitas.</i>	718
<i>Parmenisci filii historia.</i>	718

I N D E X.

- Paroxysmos morborum omnium, insummere propriam materiã variis exemplis indicatur.* 69
Parotidum ex acutis morbis curatio per citam r̄stionem, commẽ datur. 664
Partus multas affectiones veteres indicat. 652
De partu & superfœtatione multa. *ibid.*
Pallidum, ruffum, & flauum, indifferenter aliquando dici. 584
Parotidis liberauerunt Calcidonium a suppuratione. 466
Puerpera quantum sanguinis debeat effundere in loco. 453
Partus si feбри superuenit, computatio non a partu, sed a febre est. 469
Paribus moueri, & breuem esse morbum, rarum est. 427
Parti historia. 407
Partus filia periculosior est quàm filii. 377
Ex partu acutẽ febricitanti, vteri inflammationem adesse, semper putare oportet. 371
Partuum naturalia tempora qua sint, examinatur. 238
Partus muliebris multiplices fines, & qui. *ibid.*
Partus maris & femelle eosdem esse fines, & si figuratiõis & motus, sint diuersi. 245
Partus tardi, ac ultra nouẽ menses producti duplex causa, alia bona, alia mala. 249
Partus communis an sit nouẽ an decem mensium & eius cause, & computatio duplex, a men-
struis, aut a conceptione, & quo pacto computare debeant mulieres a menstruis. 243.
& 654
Partus an possit produci ultra mensem vudecimum, aut ante septimum fieri disputatur, & horũ cause triplices examinantur. 239
Paroxysmos esse maiores, & interualla breuiora, an longioris morbi sit signum. 134
Palpitatio vocatur pulsus Hippocrati. 94
Parotides qua deficiente febre permaneat, diarrhœa, aut dysenteria, aut crassa vrina subsidentia soluit, ut & surditatem. 63
Paribus iudicari qui paribus mouentur, & imparibus qui imparibus, & cur. 84
Parium & imparium enumeratio seorsum. 86
Paroxysmi vt significant. 73
Paribus diebus accessiones fieri, deterius est, quàm imparibus, & cur. 58 84. & 90
In pestilenti statu quorum sit melior conditio, agrotantium in initio tempestatis, an postea. 133
Pestis cum carbonibus (vulgo nũc laudres) descriptio & causa. 122
Perynthi constitutio epidemialis. 195
Pestilens morbus vt possit incipere a victu. 262
Pestēs multas simul fuisse indicatur. *M m m 2*

I N D E X.

- catur.* 384
Pestilentium procuratio. 395.
 & 396
Periculis in Abderis historia. 427
Percussis ab Antiphilo historia.
 465
*Pedes semper calidi suppurationis
 nota.* 609
*Periculosissimus locus inter ven-
 triculum & hepar, ut vulnere
 tur, & cur.* 700
Pernionum essentia, & curatio.
 255
*Permutatio rara ab angina in cõ
 uulsionem.* 722
*Permutationis inditia que timere
 debet cautus medicus.* 782
*Pernigilio. Somno, & fami, & fa-
 stidio succurrendi ratio.* 921
*Peripneumonia & pleuritidis di-
 gnotio ex signis.* 1094. &
 1121
*Peripneumonia bene per aluum
 soluta rarum exemplum.* 1106
*Peripneumonia constitutio legiti-
 ma.* 1107
*Phaetusa Pythæi coniux, & con-
 iux Namisiæ Georgippi in for-
 mam virilem mutata sunt, bar-
 ba, & voce. ob defectum men-
 struorum ac citò postobierunt.*
 1060
*Philosophiam fuisse in incunabu-
 lis tempore Hippo. indicatur.*
 878
*Phrenitici tertia die mortui, histo-
 ria.* 423
*Physiognomoniam non esse ina-
 nem, & quomodo procedat, indi-
 catur.* 268
*Physiognomoniam vilitate esse ad
 curaciones.* 1011
*Physiognomoniam ut mores, ita &
 morbes ad quos quis paratus sit
 indicat.* 1016
*Pherea sunt tumores quidem in
 aures.* 870
Philis filii historia. 771
*Pharmaca proprie corruptiva re-
 nensosa esse.* 711
*Pharmacum debile aliquando in-
 terimit quem fortius liberat.*
*Ex pharmaco forti potio debili-
 ibidem.*
*Pharmaco dato neque purgatione
 subsecuta qua fiant symptoma-
 ta.* ibidem
*Pharmacum cuidam per vomitum
 exiit, & qua causa.* 691
*Pharmacum exhibitum quot suo exi-
 tus.* 691
*Pharmaco exhibitio & corporis
 purgato, qui sint exitus.* ibidem
*Pharmacum superbibere quomodo
 & quando liceat.* 691
*Phanices & Andrea fratrum
 storia.* 691
*Phanices passio mirabilis &
 curatio.* 791
*Phrenitidis in lethargum abierit
 tis nota.* 771
*Phreniticorum symptomatum
 se.* 461
*Phrenitis saepe habet delirium
 misionem.* 791
*Phrenitici ab initio an fiant
 Philistes ex meri potu febre
 tissima corieptus intra quatuor
 obiit.* 391
*Pharmacum intempertivum
 flamma.*

I N D E X.

- Inflammationem hypochondriorū facere.* 183
Pharmacum corrumpens fœtum masculum sexaginta diebus datur sine periculo. & causæ et quid possit hoc conferre medici nē. 174
Philini uxor post partum ritè expurgata cur obiit, & ex quo morbo. 99
Philonis filia ob intemperantiam cenam mortua est. 62
Πολύκροτος dicitur qua dicantur Hippocrati. 501
Puca utero gerentium cur abortum faciat. 235
Pituitose & melancholica passionē qua ratione sape concurrat. 266
Picæ vomitus, & fastidia quibus mensibus fiant pregnantibus. 517
Pisces saxatiles qui censendi. 735
Piper in dentium dolore quando proficit, & qua causa explicatur. 995
Plerosque mori eo morbo quo sint sape correpti, ratione & exemplo indicatur. 1114
Pleuritidis dignotio ex signis. 1109. & 1122
Pleuritis qua periculosior dextra an sinistra disputatur & deciditur. 1110. & 1111
Platonis de anima sententia. 1036
Pituita & melancholia ut uterque succus possit ad corpus uertere & ad animum. 481
Pleuritidem & peripneumoniam ex utero fuisse quibus signis agnoscitur. 1123
Pleuriticis copia sanguinis suppurationem, malignitas tabem facit. 497
Platonis de purgatione pulchra sententia. 698
Pleuritis non solet cum delirio interimere. 632
Pleuritici raro iuuantur pharmaco & cur, & quo casu iuuentur. 633
Pleuritidis temporum uniuersalium distinctio. 432
Pleuriticis an semel fundendus locus sanguis. 433
Pleuriticorum urina, & earum causa. 334
Pleuritis, arthritidis, & hemiplegia & affectio alia quævis dextra quàm sinistra deterior est. 315. 337. & 434
Pluendi differentia. 121
Pluuiarū, & siccitatis morbi. 16
Pleiades quod signum sit. 4
Potam non consistere, sed cum fontu cadere, signum certæ mortis. 455
Potiones & elegmata ex hordeo præstant dulcibus & ex melle paratis. 608
Potus non omnibus refrigerari debet, & si multis proficit. 693
De potu hydropicorum. 740
Post causam quod tempus sit. 744
Polycratis historia. 745
Podagra qui morbi soleant succedere, & a quibus ea liberet. 901
Porracea ubi generentur, et quid
M m m 3 signi-

I N D E X.

<i>significent.</i>	755	<i>Productionis morbi & super ex-</i>
<i>Porri facultas.</i>	682	<i>cerbatio & remissio signum</i>
<i>Potio rem curacionis partem esse</i>		<i>est.</i>
<i>quiescere, quam contraria ad-</i>		616
<i>hibere monstratur.</i>	827	<i>Pregnationis agnoscenda difficul-</i>
<i>Post mictum concretio in pueris.</i>		<i>tas indicatur. 502. 517. &</i>
871		534
<i>Porros, & allia cur patet vulgus</i>		<i>Pregnantibus posse menstrua ju-</i>
<i>esse astate frigida.</i>	1048	<i>re indicatur.</i>
<i>Polycratis & Cleocidis historia.</i>		509
1063		<i>Prorrheticorum libri censura. 247</i>
<i>Potio pro dysenteria.</i>	1076	<i>Providentia uti honorificatus</i>
<i>Posidonii historia.</i>	1113	<i>esse in morituris, quam insu-</i>
<i>Prodromi filii historia.</i>	1117	<i>peruicturis.</i>
<i>Polycratis uxoris historia</i>	1091	312
<i>Proferre perfectè cum quis pluri-</i>		<i>Profluvii ventris curatio per se-</i>
<i>mum conetur, alioqui balbuti-</i>		<i>bus coctas & cuminum. 309</i>
<i>re quas causas habeat.</i>	1084	<i>Prognosticum ex iis que ex quo-</i>
<i>Propter aures & ex auribus sape</i>		<i>cunque signo nascuntur. 75</i>
<i>mori tertia die.</i>	985	<i>Prodromi qui dies vocatur. 6</i>
<i>Pro quibus qui morbi fiant salubri-</i>		<i>Pueri ex multis desperativibus</i>
<i>ter & insalubriter, & necessi-</i>		<i>evadunt, & cur.</i>
<i>tate, explicatur multis exem-</i>		33
<i>plis.</i>	979	<i>Puerperarum convulsionem eru-</i>
<i>Propulsionem ad actiones anti-</i>		<i>tata febre curari dicit Hippo-</i>
<i>quiores esse instrumētis.</i>	938	<i>cras. melius tamen curatur in</i>
<i>Profluvia sanguinis hydropem fa-</i>		<i>so sanguine, vide reliquam cu-</i>
<i>ciunt.</i>	917	<i>rationem.</i>
<i>Prodicus interficiebat quadam vi-</i>		211
<i>ctus ratione febricitantes.</i>	895	<i>Puerulis que mutationes insig-</i>
<i>Purgationis prepostera exemplū.</i>		<i>& que tempora sint illis lega-</i>
705		<i>ma, ac cum voce mutari solent</i>
<i>Purgatio sanorum a principio est</i>		<i>omnia.</i>
<i>superpurgatio.</i>	703	511
<i>Prave differentia deiectionum et</i>		<i>Puer Metrophanti caput</i>
<i>vrinarum.</i>	764	<i>percussus.</i>
764		416
<i>Praxis medica nulla ratione po-</i>		<i>Pueri Phagedena laborantis hi-</i>
<i>test doceri melius quam per</i>		<i>storia.</i>
<i>exempla.</i>	672	411
		<i>Pus ex aure liberat a dentium</i>
		<i>lore.</i>
		457
		<i>Pueri iuxta extremam caecum</i>
		<i>historia.</i>
		411
		<i>Pulsus in hypochondriis quid por-</i>
		<i>tendat exemplo indicatur. 211</i>
		<i>De pulsibus agere Hippocrates</i>
		<i>500. & 514.</i>

Pueri

I N D E X.

- Pueri ex defatigatione laborantis inflammatione hypochondrii historia, & causa.* 535.
 & 536
Pueri in hypologi villa historia. 544 & 545
Pueri ex aure si cesset quibus solent fieri, anhelationes facit. 570
Pueri ex aure duplicem habet causam. 604. & 605
Pueri ex aure cum febre constitutio. 607
Patredo arida que vocetur. 634.
 & 684.
Purgationi nimia quibus auxiliis occurratur. 699
Pueri a mullo vulnerati historia. 700
Punctura curari debent decisa cute. 712
Pulsus nomen quid significet apud Hippocratem. 1068
Puerilis atas minoribus auxiliis indiget, senilis minora sustinet. 1056
Pueri fatidi & subrubri causa. 713
Pueri cur sint passionibus pituitosis opportuni. 715
Puellæ a qua a rupe ceciderat, historia. 718. & 7188
Pueros plurimum lædi a vino. 762
Puritas oculi quando mala. 778
Ex pulmonia biliosa sapiens deliratur, quam ex pituitosa. 783
Pueri affectiones per quas partes efficiant respirationem difficilem. 791
Pulsus in hypochondriis causa & significaciones. 1075
Pythodori historia. 1066
Pythien acuta febre ex decidentia laboravit. 332. & 417
Pythoclis curationes. 721
Profluuia alba ex utero habentes, raro parere. 511
Philiscus laboravit febre ardente maligna cum magno lienis phlegmone. 88. & seq.
Partus vter periculosior filia, an filii. 114. & 266
In Philini uxore enixa cur compatet Hippocra. dies a febre & non a partu. 99
Pharmaco vehementi dato que procuratio esse debeat. 669
Posidocreonis historia. 1129
Purgationis ante concoctionem nota. 1140
Pisistrati historia. 1152
Pleuritidis acutissima exacte, & salutaris typus. ibid.
Peripneumoniam lethalem plerumque mentem ladere. ibid.
Pueri optimi conditiones. 1170
Potionis pro catarrho syngrapha. 1185
Potus multus cur lædat ictericos. 1186
Pregnans que cecidit aut icta est aut conuulsionem passa, aut sine causa dolores ut parentis patiti incipit, an sit abortum factura quanto tempore & quo modo agnoscat. 1187
Pregnans an corrumpet factum agnoscere quantum referat. ibid.
Pavor conuulsionis signum. 1190
M m m 4 Pe-

INDEX.

<i>Potentia quomodo pararetur anti-</i>	1200
<i>quius.</i>	
<i>Pherecida historia longa & inuti-</i>	
<i>lis.</i>	1202

Q

Q <i>uietis esse egrotantes impe-</i>	
<i>ritis semper probari, peri-</i>	
<i>tis verò non nisi cum est natu-</i>	
<i>rale.</i>	1243
<i>Quarto die habere deterius gra-</i>	
<i>nissimum esse.</i>	58
<i>Quæ ex quibus in quæ mutantur,</i>	
<i>considerandum.</i>	73
<i>Quartana securissima, facillima,</i>	
<i>& longissima.</i>	78
<i>Quartanam curari facillime. ibi.</i>	
<i>Quotidianam omnem esse longã,</i>	
<i>longiorem verò & deteriorem</i>	
<i>diurnam.</i>	79. & 501
<i>Quintanam omnium esse pessimã.</i>	
	80
<i>Quartana cur timore repentino</i>	
<i>aliquando tollatur, & quid tunc</i>	
<i>agendum, et postea.</i>	265
<i>Qui decumbat in horto Dealcis</i>	
<i>ob robur naturale, et quia ex</i>	
<i>occasione febricitavit dies qua-</i>	
<i>draginta, alioqui moriturus in-</i>	
<i>tra acutorum fines.</i>	346
<i>Quinquagenarius suppuratione fi-</i>	
<i>niunt phlegmones potiusquam</i>	
<i>resolutione.</i>	1228
<i>Quadrogenarii in longissimis sunt</i>	
<i>quod septimana in acutis</i>	408
<i>Quarta dies cur raro iudicet.</i>	427
<i>Quadragesimos et vigesimos esse</i>	
<i>pro septimanis et quaternariis</i>	
<i>acutorum.</i>	436
<i>Qui a Ceramicis equo cecidit.</i>	505
<i>Qui asinum ex pacto eleuavit.</i>	118
<i>Qui iuxta Medosade.</i>	577
<i>Qui apud Dromum habitabat, ve-</i>	
<i>mitu sanguinis obiit.</i>	599
<i>Qui oculo percussus est secantem</i>	
<i>palpebram.</i>	712
<i>Quartana in statum iam amissum</i>	
<i>est mitescere rigores.</i>	791
<i>Qui dolores ubi simul adsumuntur</i>	
<i>congeantur simul, et in quibus</i>	
<i>ter alterum obscurat explicatur.</i>	911
<i>Quartana liberat, et praesertim</i>	
<i>magno morbo.</i>	908
<i>Quartana non producitur ultra</i>	
<i>annum, nisi ob pravam rationem</i>	
<i>et qua causa sit eius constitutio-</i>	
<i>tionis.</i>	937
<i>Quartana aestiuales non produ-</i>	
<i>tur usque ad annum.</i>	114
<i>Quartana annua qua superantur</i>	
<i>runt, et eorum causa.</i>	115
<i>Quartana ut soleat incipere</i>	
<i>procedere.</i>	116
<i>Quadragesima dies ut in suppu-</i>	
<i>ratione, ita in catarrhis et expu-</i>	
<i>gationis tempus.</i>	117

R

R <i>ucedo visa est non tam</i>	
<i>tam vitam durare.</i>	100
<i>Rari et miraculo simili successu</i>	
<i>causa.</i>	719 et 720
<i>Regionum morbi.</i>	
<i>Recidiva et morbi unica causa</i>	
<i>tatio, et multa eius rei exempla.</i>	

Reci-

INDEX.

- Recidiva post aquino* Via autumnalia usque ad solstitia hyemalia. 467
Recidiva etiam solent incidere in dies decretorios, ut alia mutatae insignes, siue bonae, siue mala. 474
Refrigeratorum signa. 206
Respirationis & pulsus differentia omnes, & earum dignotiones, & causa. 216. & 816
Reclitudo abscessuum secundum superiora & inferiora, ut & dextra & sinistra explicatur, & adhibetur Empirica causa reclitudinis seruanda in euacuationibus a medico. 222. & 817
Relicta in morbis recidivas facere, & quae ea sint. 223. & 821
Recidivarum nota vno capite collecta. 538
Recens reposito membro, qui mouentur, periculose exponunt. 748
Renum & coli dolores initio vix posse dignosci indicatur exemplis Apemanti & Fabri, & Nicestrati. 539
Renum & vesicae morborum ex multis succis curatio legitima. 666
Redundantiam humorum aliquando impedire purgatione, quidque eo casu faciendum. 699
Respirationis per os & vulnus non est eadem materia. 773
Reclum intuitum oculis non nitentibus indicare audaciam, monstratur. 808
Replere, & vacuare curationes multorum morborum sunt. 807
Repletio ut agatur. ibidem
Reuulsio, deriuatio & euacuatio. 812
Reuellendum & euacuandum alternate, ubi in parte affecta magna molestia sentiunt. 814
Reuersinae febres magna ex parte non sunt acuta. 822
Reuellere si quo non oportet, vergant. 828
Reclis pirus qui sit. 841
Resficere & extenuare corpora medici muneris est. 853
Resolutio an sit melior quam suppuratio, an contra, disputatur, & definitur. 865
Refrigeratio quibus induret, & quibus emolliat aluum, & quibus causis. 964
Respirationis prognosticum. 26
Respirationis usum esse distributionem alimenti opinio est antiquata. 74
Renum morbos non vidit Hippoc. curatos ultra quinquagesimum annum. 102E
Recidivarum signa ex oculorum palpebris. 1046
Refrigerationes non recalescentes mortem indicare. 1108
Rigor a superiori ventre magis, febris ab inferiori. 967
A rigore incipere quibus continuis febribus praecipue accidat. 148
Ridicula interpretatio cuiusdam Lusitani. 419
Rigo-

INDEX.

- Rigores ex quibus partibus incipiant, & viris, & mulieribus.* 238. & 377
- Risus quidam per impotentiam continendi septum transversum, et eius causa, & curatio.* 96
- Rigores fortes mitescere appetentis status signum est, præcipuè in quartanis.* 795
- Ructus prognosticum.* 75
- Ructum acidum in longis lenitatibus intestinorum licere aliquando artefacere.* 182
- Ructuum differentia omnes, & significationes earum.* 1030
- Rigoris decretorii præsagium ex urina suppressione, & somnis et causa.* 795
- Ruffos nunquam esse mediocres, sed aut valde bonos, aut pessimos monstratur.* 270
- Ruffos, & acuto naso, & parvis oculis, praeuos esse, ruffos vero et simos, & oculis magnis bonos.* 267
- Ruptura vasorum in pectore causa.* 466
- Exruptura in pectore cur soleat fieri suppuratio.* ibidem
- Ruptiones tumores, & liuores in inflammationibus, & ulceribus, considerandum, exemplis indicatur.* 1047
- Ructus hypochondriacos, & hystericas plurimum iuuat.* 942
- Rigor per febres acutas significatio.* 74
- Reduvia galla cum melle curantur.* 329
- Respiratio parua et crebra non fit semper ob dolorem, sed ob impotentiam aliquando.* 483
- Recidiuam futuram longissimam, unde praesentias.* 523
- Reumatica febres cum tusivale incipiunt, & ad vesperam exacerbantur.* 214
- Respiratio cum strepitu sublimi est.* 1161
- S**
- S**anguis in somno intro magis fugit. 967
- Sanguinis missionis administratio, & ligatura.* 235
- Sanguinem, & biliosum temperamentum mutari in melancholicum, & qua etate utraque.* 236
- Sanguinem ex naribus fundentibus fieri indicationes cum re exemplis indicatur.* 224
- Sanguinem ex naribus abscessu, & significare, & tollere.* 529. & 530
- Sanguinem esse frenū bilis, quatenus sit verum.* 673
- In Salamine qui in anchoram incidit.* 694
- Sacietatis in ventriculo descriptio, & symptomata.* 701
- Sacietatem ventriculi esse partem morbum.* ibidem
- Sacietatis ventriculi curatio.* 702
- Sanum, & crassum corpus dupli causa fere male purgationes, et qua mala inde eveniant.* 703
- Sanguinis fluxus liberat ab abscessibus,* 803
- Sanguinis vitiosi redundantiam test esse cā extenuationis.* 891

San-

INDEX.

- Sanguinea effluxiones colores ma-
 laut ob sanguinis conversionē.* 905
*Sanguinis mittendi indicatio ab
 humoris specie.* *ibid.*
*Terracenorum filios ob plerosque
 morbos scarificare aures poste-
 rius. & cur.* 960
*Sanguinis cum vritur aut putre-
 scit, tenuē abit in bilem, &
 crassum in melancholiam.* 973
*Sanguinis redundantia, quibusdā
 bubone, quibusdā excreatio-
 nem sanguinis ex aspera arte-
 ria faciebat.* 1008
Satyriasis qui morbus dicatur.
 1057
Satyri in Thaso historia. *ibid.*
*Sanguinis missionem, qui nō pos-
 sunt ferre.* 173
Scabiei vesica inditia & cause.
 666
Scamphi in Oniadis historia. 633
Scamandri in Larisa historia.
 658
*Serapis hydrope laboravit, quibus
 causis, & cum quibus notis.*
 163
*Septasiariorum opera qua sint, &
 ea ad medicinam expectare.*
 210
*Septimestris futuri partus labo-
 res. 152 et 304. & cause.* 242
 & 849
*Septimestres non magis esse fœmi-
 nas quam mares indicatur con-
 tra Aristotelē.* 245
*Secundinis retentis sternutatio in-
 nat.* 288
Scrotum sit ex peritonæo. 725
- Scirrhusi uteri signa.* 650
*Scalptus vacuatio quadam est va-
 lens ad qua dura frictio.* 942.
 & 697
Seri vsus. 328
*Sexta & octava quibus sit bene
 iudicatoria.* 474
*Serva Barbara a catapotio mor-
 tua historia.* 698
*Servus Atici a quartana perman-
 sit fatuus.* 481
*Sedimentorum vrina differentia
 multa, & cause.* 485
*Septimi vis in diebus, mensibus,
 et in quadragenariis ipdicatur
 exemplo.* 522
*Sexta die plerunque purgare agro-
 tos prater Hippocratis senten-
 tiam esse.* 552. & 1139
*Senis in lapideis vestibulis habitā-
 tis historia.* 567
*Senis qui mortuus est simul cum
 sua vxore languida.* 610
Seminis effusionis cause. 341
*Secundina mox in partu sequi de-
 bent exeuntem fœtum.* 655
*Septum transversum precipuum
 respirationis instrumentum.*
 701
Semitertiana descriptio. 765
*Semitertiana cui tempore anni
 congruat.* 765
*Septi transversa vulnera multis
 de causis sunt lethalia.* 773
*Seminis simile excrementū quod
 sit.* 840
*Seminis similis excretio confert ad
 ea, ad qua venus.* *ibid.*
*Seminis similis excretio soluit ca-
 cochymiam suminiis.* *ibid.*
Serum

I N D E X.

- Serum melancholicorum quale sit.* 843
- Seps qua tubercula sint.* 1021
- Signorum lethaliū in acutis nulum apparere valde salutare est.* 335
- Sitis causa, & quomodo sit illi occurrendum.* 928
- Sitis quadam vento frigido, quadam potu melius sedatur.* 897
- Sitis remedia.* 895
- Sitis quo usque toleranda.* 893
- Signa salutis aut mortis potentiora esse significando mortē quā salutem.* 338
- Signa futura recidivæ.* 821
- Situs intus relicta non quacunque indicat recidivam.* *ibid.*
- Similia & contraria facere medicum iis quæ sponte fiant exemplis indicatur.* 815
- Siccare quid sit in morbis.* 535. & 832
- Simitatis naturalis & præternaturam, causa.* 789. & 497
- Singulus post fabonium.* 770
- Stertorosus spiritus quibus causis soleat conquirere.* 1132. & earum distinctio.
- Sectio vena frontis tollit dolorem occipitis.* 827
- Signa redundantis succi & debilis facultatis.* 763
- Signum simpliciter bonum multis pessimis opponi, leve est.* 764
- Signa unde agnoscas, succi sursum, an deorsum vergant, & per quam viam purgandi sint.* 730
- Signa lethalia in capitis vulneribus.* 724
- Singultus in extenuatis ex arte te febre certissimum mortis signum.* 378
- Sitis quibus causis possit abesse a febre ardente.* 318
- Simitas magna salacitatis illi.* 271
- Signorum pathognomicorum, & peruenientium, & asidentium, definitiones.* 133
- Signorum superuenientium differentia ad morbos singulos.* 134
- Silenus laboravit febre ardente cum magno erysipelate vena hypochondrii.* 94
- Signa & causa quæ sint.* 61
- Singultus prognosticum.* 71
- Soporis & somni distinctio.* 311
- Sororis quæ erat apud Tameis historia.* 62
- Solutiones morbum aliquando fieri sine solutionis signis, & id non sit legitimum.* 61
- Somni in vulnere capitis data causa.* 64
- Somni & motus hora idonei.* 739
- Socratis in Phædone de dolore voluptate sententia.* 277
- Solvere morborum quot modis catur.* 800
- Somnus in loco frigido & corrupto corpore melius suscipitur, & est utilior.* 94
- Somnus sedentarius recto nullo.* 94
- Sordes aurium duplices & eorum quadam morbos indicant.* 94

INDEX.

- Annus ubi laborem facit, qua symptomata accidunt.* 1022
Spiritum vesperinum crebriorem esse matutino, in quibus passionibus eueniat. 1095
Spiritum potus in ventrem descendibus perniciosum esse signum, & quas habeat causas. 1086. & 1081
Sorbitio ex herba & farina prodiarrhea biliosa. 1074
Symptomata esse aliquando sui mercurationem indicatur exemplo. 715
Symmachii filius a bile suffocatus. 699
Spontaneas euacuationes etiam post arte factas expeti, ut morbus tunc solutus sit. 1082
Spuitiorum modum indicare loci affectum. 1124
Spiritus irruentis ingressus, & egressus in cubiculum quomodo moderandus sit. 1026
Spiratio obscura in tabidis, & in nou parientibus mala 1017
Sputa rotunda delirium significare. 991. & 12
Sputio multa visa est morbum melancholicum indicare. 942
Sputi cruenti curationem qua impediunt. 905
Sphacelus quid sit. 778. 730. & 702
Spuma cause. 598
Spiritus aliquando apud Hippocratem significat dyspnoea 519
Splenicis qua dysenteria sint vitales, & qua inuitiles. 506
Spongia qua partes sint apud Hippocratem. 473
Spumosa deiectiones duplicem generationem habent. 347
Sphaceli essentia & curatio 294
Spiritus magni & rari, causa. 92
Sternutatio & singultus concussionis sunt. 945
Stranguria bona et indicatoria. 38
Stillicidia urina vituperantur. 58
Sternutamenti prognosticum. 75
Stilla sanguinis mala, maxime quarto die. 91. 347. & 497
Stillare merum quid sit, & cur malum. 91
Stimargi vxor ex abortu intumuit & quibus causis. 164
Stranguriam vicinis iam partui fieri consueuisse. 177
Sterilium procuratio multiplex per ratione causa. 241
Sterilitatis causa. 239. & 511
Stimargi famula idumea ex partu femella egrotauit, & quomodo curata sit. 266
Sterilitatis causa & curatio varia. 282. & 329
Strabones a primo ortu amentes maniaci, & lapidei. 314
Stranguriam vena sectio soluit. 318
Status pestilentis descriptio. 378
Surditas an in acutis bonum signum disputatur. 334. & 437
Stuporis essentia, causa, & curatio. 984
Stranguria remedia. 736
Stertor qualis sit in ore & palato, qualis in gutture & aspera arteria

I N D E X.

- arteria, & utriusque significatio. 783
- Stupor alui facit omnium confusionem. 1113
- Sternutatione, expiratione, pandiculatione, transpiratione, & duplici flatu, vapor euacuatur, ex partibus diuersis. 941
- Sternutamenta quando utilia. 942
- Sudoris frigidi duplex causa. 116
- Sudor tertianæ cur aliam putetur præmonstrare. 126
- Sudorifica febres, ac sine sudoribus qualib. temporibus fiant. 126. & 200
- Sudoris maligni in febribus nota. 126
- Sudor post rigorem optimus est. 358
- Sudores exigui animi deliquia committantur. 368
- Sus quarto mense parit. 239
- Surditas aut sanguis ex naribus soluit dolores inferiores. 276
- Suppressis mensibus fiunt multi rigores. 377
- Sublime in vrinis delirium portendere. 420. & 446
- Sursum an deorsum vergant succi, ex hypochondriis dignotio. 473. & 483
- Suppurationis pernitiōsa signa. 475
- Suppurationes biliosæ pessimæ sūt. 504
- Sutoris historia. 499
- Suppurationis in oculo pericula, et curatio. 574
- Suppurationis interna in ventre futura aut iam facta signa. 585. 586. 587. 588. 589. & 609
- Suppurationis & hydropi ex suppuratione, cause, & generatio. 599. & 600
- Suppurationum differentia, & signa. 633
- Superfætationis causa, & quæ prægnationis tempore potius fiat. 651
- Suppuratio in ventre ex remota sanguinis, & eius generatio signa. 684
- Suppuratio ventriculi rotundæ porris soluitur in robustis. 681
- Sutura ut soleat fallere in vulneribus capitis & quæ ratione uere oporteat. 688
- Suppurationis interna signa, & causa. 693. & 1117
- Sutoris veterinarii qui se acceperit pugit historia. 701
- Sutori secundum genus accipiendum quid fuisset faciendum. 702
- Superuenientia signa tamquam mala contrahuntur. 710
- Subpurgare quid sit. 710
- Suppurationis fientis signa. 711
- Surditatis curatio. 711
- Suppurationes & oculorum morbos ad noctem habere letales. 749
- Suppurationes humeri in poplite faciunt breuiores esse carboem et cur. 81
- Suppurationibus umbilicis terminus. 84
- Suppuratione fiente in intestinis alui

INDEX.

- alvus turbatur, nisi homo cory-*
za laboret. ibid.
apparatio magis sine recidiva
et quam resolutio multis ratio
nibus. 863
bona qualis cibus. 859
Sudoris in malignis febribus cau-
sa. 861
Sudor ad noctem quibus causis fie-
ri solet. 1077
Suspirare est respiratio magna et
rara. 1082
Suppuratorum signa. 1094. &
1114
Sycoceram in euacuationibus ex-
tremam intemperiem indicat.
463
Symptosis quid sit. 578
Synapsum debilissima pars capitis.
713
Syndromes signorum pessimorum.
764
Syndromes signorum abscessuum
futurorum ad articulos. 828
Sive signo apparere tumorem in
parte & sine signo evanescere
quid sit. 1141
Stomatica medicamenta ex qui-
bus parentur a Galeno. 1150
Succi multi cum debilitate signa.
1154
Suppurationis ex inflammatione
& ex catarrho dignotio. ibid.
Sexti diei infidelitatis exemplum.
ibidem.
Sphaceli nomen aliquando de cu-
iusque partis mortificatione di-
citur. 1164
Suppurationes aurium hyeme ma-
gis quam aestate fiunt, ut seuis.
magis quam iuuenibus. 1166
Sudoribus circa cervicem soluti
morbi erraticas habent febres
pro recidiuis. 1168
Sylphii succi facultas. 1184
Sesamum cur iubet excreatione.
1185
Sida quid sit ignorari esse verò fa-
cultatis malipunci. 1208
Sudoris colliquatorii causa. 1214
Suppurationis quae ex catarrho se-
pe rediit exemplum, & causa.
1217
Suppurati multi qui evadere pos-
sunt cur moriantur explicatur.
ibidem.
Symptoma notatu dignum circa
deiectiones tabescentium. 1218
Sternutatoriorum usu in tempesti-
uo lasum esse Poliphantus adeo
ut ob id moreretur, indicatur,
interimque docetur quomodo
fuisset curandus. 1224. &
1225
Sardina melle intincta post cru-
dam potionem utilis. 1242

T

- T** *Abescentibus cur fiant al-*
ternatè profluvia alui &
utrunque ledat. 781
Tabidi natura qui. 10
Tabis omnis constitutio. ibidem
Taciturnitas & tristitia despera-
ta mali moris, & subdoli mor-
bum significat. 363
Tapeçis & Osopus quid sit
apud Hippocratem. 597
Tabes missione sanguinis usque
ad

INDEX.

- ad animi deliquium ab Hippo-
crate curata, & eius curationis
que temeraria videtur, reddita
rationalis causa. 636
- Tabis alia curatio lentior sed mi-
nus periculosa. ibidem
- Tabidi ante mortem vacillant me-
te. 693
- Tabescentibus & autumnus &
ver nocet, & si non eodem mo-
do. 1018
- Tabidorum iam morientium si-
gna. 1093
- Tabescentis ex pituitosa capitis
fluxione signa. 1124
- Theocli cognata historia. 1118
- In temporibus cur sentiatur febril-
lis calor, magis quam in aliis
partibus. 1068
- Tertianarum febrium descriptio
per signa. 1050
- Terram mutare conuenit in mor-
bis longis. 957
- Terram mutare non cum patria
solum intelligendum. ibid.
- Terra arida, volatilium genus be-
ne habere, piscium vero contra,
& quibus causis. 933
- Testis in congressu prominens in-
dicat sexum gignendi fœtus.
ibidem.
- Temperamentorum ex crassitie
aut gracilitate dignotio. 930
- Tertianæ non exquisitæ difficulte
rem habent noctem ante acces-
sionem, quam post eam, & tan-
to magis quanto ab exquisitis
absunt longius & cur. 824
- Tertianas exquisitas a quinto vs-
que ad septimum paroxysmum
finiri.
- Tentio ventris duplex passio
tur, & quid utraque signifi-
cet.
- Temporarius musculus primus ma-
ximusq; mast. catoriorum. 750
- Tempora cur crebro doleant. ibid.
- Tesanus morbus quatuor dierum
est.
- Tenedia historia.
- Tempora cur doleant cum dolo-
ribus.
- Tertius deus cur plures exeat
quam alii. ibid. & 100
- Tesandri vxor lactari febre esse
te ex salsa pituita laborat.
476
- Terror aut triste nuncium non
firmas euacuationes elicit.
- Tertiana exquisita forma.
- Terebynthi qui tumores sunt.
- Temperamenti dignotio ex
gnitudine aut exiguitate
tium & totius, & ratione
de temperamentis, & ceteris
curatione, multa. 148.
- Testes nunc ex tussis, nunc
intumescent.
- Tementi uertis ex abscessu
qui recurrit morina est.
- Tempora temperie sunt ex
da.
- Temporibus siccis a principio
dysenteria humidis post
rheas.
- Temporum morbi.
- Temporum nomina accepta
pro temperiebus.
- Temporum anni definitio gignitica,
astrologica, & medicata.

INDEX.

Tempora anni conditiones consi- deranda, & mutationes. 1033	scelus minari. 1016
Tarsi, apud Hippocratem quid sit. 611	Tusses sicca diuturna sine febre in tumores testicularum, cum febre in tumores articularum finiri. 1017
Tempora morborum an multum differant, considerandum. 1020	Tusses sicca qua. 8
Thuraxi cum coxa per uterum cō- munio. 910	Tussis prognosticum. 74
Thuraxi in aluum que via sint. 403	Tussiculosi abscessus sursum facti non solvunt perfecte tussim. 145
Thyaso decumbentis iuxta frigi- dam historia. 413	Tumorum ventris differentie cau- sa & dignationes, qua in parte & ex qua materia sint. 216
Theophrasti filii historia. 665	Tristis & iracundus, necessariò est invidus. 269
Thestalus methodicorum princeps. 809	Tussis sicca abscessus, dolor coxae, crurum aut testis. 284
Timocratia in Helide historia. 629	Tussis arida ob destillationem te- nuem & acrem curatio. 308
Timocharis historia. 742	In tortura partium faciei qua no- te distinguant convulsionem a resolutione. 480
Timocharis serui historia. 761	Typhlomania Hippocrati qua Ga- leno dicitur typhomania, et qua passio sit. 482
Timoris melancholicorum duplex causa. 843	Tremor Hippocrati aliud signifi- cat, quam Galeno. 492. 518. & 725
Tolerantia consensientia est indi- cium. 1054	Tremuli pulsus qui sint & eorum differentie & causa. 515
Thysus ubi sit. 16	Tussis sicca & eius causa. 555 & 600
Toni qui dicantur. 141	Tortura oris ad quam partem per- tineat. 556
Translatio a similibus Empirico- rum vituperatur, & laudatur medicina rationalis. 1055	Extusii resolutiones multarum par- tium. 600
Tria consideranda in temporibus. 20	Tubercula aut exanthemata ma- gna per cutem orta, cacochy- mia solutionem citam petunt. 724
Trallianus ponit resolutiones ex melancholia. 274. & 481	
Taubantes lingua & impotes ma- num in horum solutione fieri suppuratos. 275	
Turbationis nomen quot modis accipi soleat ab Hippocrate. 1050. & 400.	
Tusses laboriosas articularum ab-	

INDEX.

- Trinonis filii Damonis historia.** 748
- Tormina intestinorum facientia, suppressionem menstruum faciunt.** 767
- Tychonis in obsidione circa datū historia.** 770
- Tychonis ex vulnere non erat verus visus, sed cōsul suus motus.** 771
- Tuberculorum bonorum & malorum conditiones & signa.** 798
- Tussicula per febres cum alui turbatione multitudinem indicat.** 800
- Tritophies qua febres dicantur.** 823
- Tusses sicca leniter irritantes.** 824
- Tussis ex refrigeratione spirituum dignotis.** ibidem
- Tumores non suppurati, sed sepe resoluti & revertentes articulares morbos prænunciant.** 906
- Tumor exesus in capite simul cū alio abscessu ex quo abscessit es, curatio.** 912
- Tussis indicat thoracis morbos.** 942
- Turbationes & transitus significare modos omnes quibus morbi solvantur, explicatur.** 985
- Testium & genitalium extenuatio & gracilescentia quibus causi sunt moribundis.** 1159
- Tubercula externarum partium ad quas externas referantur, explicatur.** 1162
- Tabardillo vulgari nomine vocatus morbus an purgationem pe-**
- tat disputatur, & eius morbi symptomata & causa, & curatio.** 1190. & seq.
- Terpide matris historia.** 1209
- Tynochanis pueri duorum mensū variola.** 1216
- Tumor alui qui per eius devenerationem subsidet, & citò redit, petit expurgationem etiam in coctione non expectata, & cur.** 1234
- V
- Variolarum causa & symptomata & exitus quos habere solent.** 1216
- Variola lethales.** 38
- Varices magni calvos sanant, vna magni maaiam indicant.** 101. 2. 1.
- Variolarum descriptio & causae signa.** 595
- Valde flava brevia fieri.** 618
- Variolarum & morbilorum descriptio & curatio.** 744. & 745
- Vase angusti oris potantes curantur, disputatur, & an vit sic.** 834. & seq.
- Vasorum immunditia facit cœcibri consumptionem.** 850
- Vapor calidus post frigidam refrigerationem lethale.** 931
- Venere ob pituitosos morbos quibus hominibus liceat vi, & quibus secus, & qua inde pericula meri debeant.** 855
- Vena cava iuxta exortum valeretata iugulatur homo.** 719

Paris.

INDEX.

- Ventiginis tenebricosa causa.* 719
Vena intra nostra corpora generari indicatur exemplo. 711.
 & 111
Vesica exulcerata cur incipiente & desinente mictra doleant. 667
Venerem causam salutarem esse contra Epicureos. 621
Venus quibus sit utilis. 620
Vulso modo intentum quid sit apud Hippocratem. 582
Vesperi exacerbari omnes morbos. 500
*Vena intra nos genita. & late-
 nam multum tempus repenit ali-
 quando apparere explicatur.* 424
*Venerem nimiam omne fere mor-
 bi genus facere posse. & quib.
 causis.* 439
*Vergiliarum seu pleyadum occa-
 sus & ortus quando sit.* 380
*Venam in cubito pulsare, mania-
 tum hocque in dextro cubito
 magis quam in sinistro notari.* 290
*Venarum dissectio longa secun-
 dum Hippocratem exponitur,
 & defenatur.* 251 & seq.
Ventorum differentia & natura. 123
Venosi morbi signa. 110
*Ventorum & tranquillitatis mor-
 bi.* 16
*Ventris abundantiam qua ver-
 mes parit purgatione indigere.* 1009
*Vermium differentia viam expur-
 gationis indicat.* *ibid.*
- Vespertina hora & autumnus com-
 paratio.* 129
Ver saluberrimum esse. 130
*Venenum siue acceptum siue ad-
 motum calidos interimit citius.* 973
*Venus in morbis a pituita utilis,
 & in quibus. & cur.* 960
Venus contraria est Minerva. 951
Venus laeserit, an inuerit, signa. 469
*Venam cephalicam secandi vul-
 garis timor vnde natus sit.* 990
Victus morbi. 15
*Victus instituendi indicatio, a
 constitutione et figura morbi.* 83
Vrinas tenues posse esse nigras. 58
*Vrina subjugalium malum capi-
 tis indicat.* 102
Vrina nigra non lethalis causa. 99
*Vrinas oleosas quas vocet Hippo-
 crates.* 116
*Vrina boni coloris sine bona sub-
 stantia.* 198
*Vrina profluvium intercipit eleva-
 tionem hepatis.* 223
*Vrina perturbata in sima parte te-
 nuiores, quid significant.* 339
*Vrina subsidentia, aliquando eua-
 cuatoria, aliquando solum indi-
 catoria.* 360
*Vtero gerentes caute admodum
 expurgandas esse.* 184
*Vtero gerentes quo tempore egro-
 tent cum minori periculo.* 119
*Vtero gerentes cothymas fieri, et
 qua inde nascantur mala.* 174
N u n n 2 Vocis

INDEX.

- Vocis differentia & causa.* 147
Voluulus perniciosissimus morbus.
 152
*Ulcera egrè sanescentia cum qui-
 busdam maculis fiunt hydropi-
 cis & tabidis, & quibus cau-
 sis.* 156
Vitiliginis & lepra remediū 298
*Virgines in initio pubertatis grauif-
 simis morbis corripit.* 172. &
 445
*Vstio aut inustio familiarissimū
 Hippocrati auxilium in omni
 antiquo dolore, cur nunc sit par-
 ui usus, & ut rectè agi possit.*
 214. & 467
*Vinum in catharro cum febre au-
 dari debeat, et de eius noxiis et
 utilitatibus.* 220
*Vitales & non vitales fœtus, qui,
 & quibus causis fiant.* 238
*In vulneribus tumores non appa-
 rere malum.* 250
*Vulnerum tumores euanescere, de
 terius.* *ibid.*
*Vulnerum tumores crudi peiores
 quàm nulli.* *ibid.*
*Vulnerum tumores euanescentes
 in parte anteriori, insanias do-
 lores lateris aut rubras dysente-
 rias, in posteriori conuulsiones
 cum doloribus facere.* *ibi.*
*Vocis gracilitatem finiri in utrū-
 que testiculum, tussim in alte-
 rum, & cur.* 273
*Vomitu vomitus curatur quando
 & quomodo.* 293
*Vinum, tussim, dolores oculorum
 capitis, & ebrietatem eodem
 modo soluit.* 309
Per vulnus ventris non respiratur
 314
Vulneris in capite curatio. 312
Voluuli optima curatio. 326
*Vigesimumseptimum esse finem
 acutorum.* 336. & 340
*Vinum quibus afferat soporem et
 quibus peruigilium.* 216
Vuarum noxa. 363
*Voluuli & colici dolores differen-
 tia, causa & symptomata* 369
*In voluulo cur referat spectat
 urinas.* 370
*Vitam hominis septem dierum of-
 se.* 364
Vrina oleo similis qua sit. 410
*Vrina encephala delirium iudicat
 ibid.*
Ex uterinis qui morbi fieri solent.
 416
Victus ad quas res pertineat. 419
*Virginis Abderitana qua decum
 bebat in via sacra histor.* 429
*Virginum morbi cur sint graui-
 res quàm aliarum mulierum.* *ibid.*
*Virgines, & quibus suppresasunt
 menstrua saepe putat vulgum
 xari ab spiritibus immunda*
 443
*Virgo Larisa febre ardente labo-
 rauit.* 444
Vini & veneris noxa. 456
*Vulnus capitis cur vel sola cute
 cisa sit periculosum.* 477
*Ulcerato capite abstinendum de
 scalpno, et cauendum frigus.* 478
*Vulnere capite morituris cur ve-
 uellantur contraria partes, &
 de quibus partibus id intelligi
 debeat.* 479. & 663
Vrina

INDEX.

respiratio	Vrina ut orobi lotura.	506	causa.	710
318	Vxoris fratris Apemanti historia.	510	Ulcera recentia sanguinem fundere expedit.	712
326	Viri metallici historia.	519	Virginis pulchra Nerei historia.	712
este finem	Vomitus cur tantopere inuenit histericas	535	Vulnus nullum capitis contemnendum.	724. & 773
36. & 340	Vaguentum egyptium quod sit.	543	Vulnera pleraque tertia aut quarta die ingrauescere.	725
soporem. et	Vulcerum rebellium duplex genus.	557	Vxoris Polemarchi historia.	277. & 767
356	Vulcerum cacocerthe nota.	557	Vomitus in paroxysmis febrium intermittentium sunt vilissimi.	732
363	Vementium violenta noxe, & eorum qui vino se replent.	576	Vinum an utile ad surditatem.	735
es differens	Villus eorum qui expurgantur legitimus.	631	Vxoris Aspasi historia.	ibid.
omata 369	Vitio & sectio duo maxima suppurationum auxilia, & eorum differentia & modi.	640	De vino pro hydropicis contraria Hippocratis loca componuntur.	740
et spectari	Vulneribus curandis qua referat scire.	661	Voracitatis multorum ac differentium ciborum noxe.	741
370	Vulnerum capitis curatio ex Hippocrate.	662	Vulnera quacunque ratione magna purgationem petere.	746
dierum est	Vlens lethale non est ex quocunque homo moritur, sed quod per se est tale.	664	Vomitus cruenti curatio.	752
364	Vxoris Antimachi historia.	667	Vxoris Epicarmi historia.	766
fit. 410	Viri vulnerati ac per intestina transfixi historia, & ineptè suscepta curatio.	675	Vulnerum penetrantium in thora ce signa.	773
um iudicium	Virginis qua sanguinem vomuit in Larisa historia.	680	Vulnera in thoracem penetrantia quando curari possunt, & qua sit eorum curatio.	ibid.
seri salutem	Vomitus sanguinis ex liene nota.	700	Per vulnera penetrantia respirant homines, & loqui non possunt, & qua causa vtrunque fiat desputatur.	ibid.
ineat. 419	Vomitus eius curatio.	ibid.	Vulnera quibus causis fieri solent perniciose, cum non essent talia a principio.	ibid.
qua decem	Vterina profocationis curatio refrigerans.	704	Vulnerum capitis lethalium signa.	274
Tor. 429	Vulcerum periculoso rum conditiones quadam.	707	Virgite mala festinandum esse.	272
ut granule	In vulneribus quibusdam extractio telorum & citioris mortis		Voluo.	
lecta. ibid.				
ore passim				
et vulgum				
immunda				
leute labo				
444				
416				
ola cute n				
477				
endum ab				
regis. 478				
is curat				
aries. &				
d inter				
9. & 663				
Vrina				

INDEX.


- Voluntus ex vulnere circa fundū
ventriculi exortus, & eius si-
gna.* 776
- Vulnera intertinorum gracilium
lethalia esse.* 776
- Vterus cur sit pars multis morbis
opportuna.* 785
- Veterinarum passionum enumera-
tio & causa* *ibid.*
- Vteri profocationis nota & causa.*
ibid.
- Vtero laborante qua pars capitis
doleat syncipus an occiput.* 785
- Ex vteri morbis dolor coxa frequē-
ter fit.* 786
- Ex vteri morbis dolores coxa ab
octavo ad desimum mensem so-
lere fieri.* 787
- Ulcerata rotunda peruitiosa esse pra-
cipuē infantibus.* 800
- Victus eorum qui extenuantur
plurimum.* 818
- Vrina voracium calidorum, &
frigidorum quales sunt, & ut
differant.* 872
- In victus ratione tria ob oculos es-
se debere.* 891
- Vrina crassa & alba & fluxus
sanguinis liberant ab ascessu.*
907
- Voce magna praeditos plurimum
habere calidum, & proinde vo-
races esse.* 229
- Vrina concolor cibo & potui est
diabetis.* 954
- Vnguibus lacerabant narium ve-
nas veteres.* 980
- Vrinam multam fusuram habentē
soluere delirium, ac magis post
desunium capillorum.* 992
- Vrina in qua tenue quiddam ve-
tat insaniam minatur.* *ibid.*
- Vrina perturbata ut iumentorum
malum capitis indicat.* *ibid.*
- Vicera circumglabra mala.* 1010
- Victus circa cibum & potum dif-
feretia & cōsiderationes.* 1013
- Vomitus.* 1017
- Victus & hominum consuetudo
quibus rebus constet.* 1012
- Victus ignoratōne calamitatis
multas accidere, exemplo indi-
catur.* 1014
- Victus quo veterrimi vebantur,
censura.* 1018
- Victus tres partes cibis seruiunt
potus.* *ibid.*
- Vomitiones, nauaseas, & picas tri-
bus primis mensibus fieri, deinde
pedum tumores, & ambulatio-
nes.* 1029
- Vnclores qui circa Harpalide hi-
storia & curatio.* 1036
- Vxoris Theodori historia.* 1110
- Vterus putatur vulgo decem
partes, & qua causa eius quatuor
nis sit.* 1111
- Vulgus saepe fallitur circa eorum
opinionem fractura, aut luxatio-
nis.* 1124
- Ulcerata capitis non eisdem diebus
afferre febres puerulis, & adu-
tis.* 1128
- Ab ulcere capitis vtrum sit de-
rius fieri febrem statim, an de-
quanto post disputatur, & ut
stinguitur.* *ibid.*
- Vxoris Simonis in partu cōcep-
ti historia.* 1151
- Vxoris Euxenii historia.* *ibid.*

LIBROS
DEL DR.
L. MARCO

INDEX.

Vxoris Polemarchi historia. 1155	gentiam expurgationem petere ante coctionem, & eius dua insignes nota. 1234
Vomitus similis genitura causa. 1158	
Circa umbilicum partes flatuosas & laxas ventris turbationem pramonstrare. 1159	Ulcera obduci carne non est ferendum antequam occulta sint stabilia. 1234
Vrina & pituitosis morbis cur habent sedimenta alba ante robra. 1170	X
De vterina p̄focacionis legitimis causis disputatur. 1179	Y
Vterina p̄focacionis curatio. 1180	
Vini & lactis mixtura choleram facit. 1200	ὕδατόχλοα & ὑδατοχλοα idem est apud Hippocratem. 446
Vxoris Theotimi historia. 1207	ὕδατοχλοα quid dicatur. 440. & 407
Vxoris Apomoti historia. 1208	Z
Vterini morbi ex acribus succis descriptio & curatio. 1209	
Vxoris Cleomenis historia. 1210	Zoili fabri historia. 515
Vterinas & vrinarias vias aperiendi optima ratio. 1190	Zoilus ex catarrho incepit grauitate agrotare. 211
De vena cephalica sectione, et vulgari de ea opinione disputatur. 1227	Zephrus qui ventus sit, & quando flari soleat. 22
Vergentiam non minus quam vr-	

FINIS.


 DEL DR.
 L. MARCO